UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Volumen ...

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-80707

Visual Library



Th. 862 a.

G VIII
15.

E. SCOR AR
T. Theol: Mor.
Tom: XVI. XVII.
E. IV
6

Th. 862a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. VI. VII.
Ff. IV
6

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR

ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ

MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE

Lite Sententiæ, nec-non Controuersæ Disquisitiones.

TOMVS SEPTIMVS ET VLTIMVS.

TRIPLEX STATVS; ECCLESIASTICVS,

Religiosus, & Sæcularis.

Statum Ecclesiasticum Triplici Libro, de Immunitate Templorum, ac Ecclesiasticarum Personarum, de Beneficiis, & Pensionibus, deque Simoniæ vitio complector.

Statum Religiosum Libris Tribus, de Status Regularis essentia, Ingressu, Nouitiatu, Professione enuncio, & Religionis Societatis IESV Alumnus de eius instituto plura Specialia recenseo.

Status Sæcularis Tribus libris totidem tractatus euoluo; De Iudicio forensi, seu de Iudice, Teste, & Reo, De Tributis, ac de Personis Ecclesiasticis, Religiosis & Sæcularibus.




LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXIII.

CVM APPROB. ET PERMISSV.





Illustrissimo Metropolitanæ

DIVI IACOBI
ECCLESIÆ CAPITVLO.

ANTONIVS DE ESCOBAR
& Mendoza Societatis IESV
æternam felicitatem.

SECVNDVM Ierosolymæ fundamentum, CAPITVLVM AMPLISSIMVM, est Sapphirus, (Apoc. 21. v. 20.) gemma admodum speciosa, cuius color cœlum refert, cum est serenum. Exo. 24. v. 10. *Quasi opus lapidis Sapphirini,& quasi cœlum cum serenum est.* D. Iacobo Patres huius fundamenti symbolum accom-

ã modant

modant, cum sit secundus post Petrum nominatus Apostolus. Si autem (Plinio Auctore) *Sapphirus aureis punctis collucet*, ea sunt egregia D. Iacobi præconia aurea profecto. Fuit enim ex quinque Canonicis Scriptoribus vnus. Ex quatuor primò electis vnus, & speciali promissione donatis. Vnus è tribus ad peculiaria Christi Domini sociis, nempe ad Transfigurationis mysterium, ad suscitationem filiæ Iairi, ad Gethsemani nouissimam orationem, electis. Vnus è duobus Apostolici Collegij virginibus. Vnus è filiis tonitrui fulgur prædicationis, belli fulmen. At parum mihi, vnum esse ex illis, quem primum in cunctis aliter recognosco. Primus namque fuit Apostolus à D. Petro sacra vnda dilutus. Primus Ecclesiæ inunctus Prælul. Primus, qui Diaconos, Presbyteros, & Episcopos sacris Ordinibus initiauit. Primus Canonicæ legis Auctor. Primus qui Ecclesiæ nomen Deiparæ esse Mariam: ex Spiritu Sancto concepisse, virginitate æternùm seruata. Primus, qui Gentiles Euangelium docuit. Primus vtique Hispaniarum Apostolus. Primus, qui in lege Euangelica Templum Cæsaraugustæ extruxit Deiparæ sacratum. Primus, qui sacrarum imaginum cultum induxit. Primus denique, qui Deiparæ glorias prædicauit, eiúsque sine labe Conceptionem asseruit.

Cuncta hæc ex prima nota Auctoribus.

Plinius præterea asserit, sapphirum haud pellucidum

lucidum esse, sed densum, & opacum *Optimæ* (ait) *sapphiri apud Medos: nusquam tamen pellucidæ; ita vt cœlum sit vti in nocte conspicitur.* An non hinc Apostoli sepulchrum contemplari licet, cuius fulgorem Deus ineffabili prouidentia inter densas tenebras offudit, vt fideli ciuium pateret affectui, visui autem denegaret? Quare precor? Opportunè respondet Ecclesia,

Tu bella nos cum cingerent,
Es visus ipso in prælio
Equoque, & ense acerrimus
Mauros furentes sternere.

Frequentissimæ sunt bellicæ D. Iacobi expeditiones. Iam enim Magno Carolo apparet. Iam apud Simancas Regi Ramiro auxiliator accurrit. Iam Comiti Fernando Gonzalez in certamine de Piedrahita fauorem impendit. Iam Regi Ferdinando iuxta Compostellam se ostendit. Iam Roderico de Viuar in Castella & Valentia dimicanti auxiliatur. Iam Regi Alfonso septimo apud Baëzam commilitonem variis tradit in Vrbibus. Iam apud Nauas de Tolosa Regem Alfonsum victorem adstruit. Iam in Hispalensis Vrbis expugnatione Regi Ferdinando expedit protectionem. Iam Petro Aragoniæ Regi in Hoscæ certamine se Ducem addicit. Iam Guindisaluo de Cordoua, qui *Magni Ducis* cognomen egregiis facinoribus acquisiuit in Neapolitano bello protector adstat. Iam Ferdinando

Corteſio ſæpe fauet in Mexico: in Peruano Regno Ferdinando Pizarro. Habacuc cecinit c. 3. v. 8. *Qui aſcendis ſuper equos tuos*, Deus namq; veteri in lege *Dominus exercituũ* paſſim appellatur. Ad quę quærit Rupertus: cur in noua nunquã Deus *Dominus exercituũ* vocitetur? & pulchrè reſpõdet. *Non enim opus eſt, vt Deus conſcendat equum in ſalutem populi ſui, qualiter apud Habacuc Prophetã reperitur; ſufficit, ſi fidelem Miniſtrum in equo mittat.* Equũ Deus D. Iacobo fideliſſimo Miniſtro niueum aptauit, vt fidelium exercitibus Hiſpanorũ auxilium impenderet, Deiq; vicarius cunctos Fidei hoſtes debellaret. Cum igitur tot quotidie ſint D. Iacobi expeditiones, ne ex Apoſtolici corporis ſacerrimi abſẽtia ciues nimiùm ſauciarentur, diſpoſuit Deus, vt eorũ oculis ſapphiricum ſepulchrum non pateſceret.

Enim verò ſi Abulenſi credendũ, *Sapphirus gemma eſt cærulea, & habet in medio ſtellam refulgentẽ.* En ſepulchrũ Apoſtoli, & illuſtriſſimæ Metropolitanæ eius Eccleſiæ ſtemma præclariſſimũ. Super ſacerrimũ ſepulchrũ ſtella clariſſima rutilat Compoſtellanæ Eccleſiæ gloriam referens. Periander de fortunatiſſimo Principe cecinit: *Ortus eſt Liſippus cum felicitatis ſtella*, (vt vtar vulgari idiomate, *Nacio Liſippo con Eſtrella.* In natalitio tuo ô Eccleſia Compoſtellana illuſtriſſ. *orta eſt tibi ſtella ex Iacob*, Num. 24. v. 11. quæ te omnimoda felicitate donauit. Nam vt verè Iacobi filia fores, te in ſapphirum verè cõuertit. D. Hieronymus aſſerit, Hebraicũ ספיר *ſapphir* ſonare *pulchrũ eſſe.* Quidnã poteſt Te pulchrius

chrius excogitari tot regaliũ priuilegiorũ, tot Dignitatũ ornata fulgoribus? Quod si illud *ſapphir* à radice סָפַר ſignificat *numerũ*: tam exundantem elogiorũ tuorũ numerũ annoto, vt innumerabilia eſſe conſpiciam. Porrò Pierius lib. 41. profatur. *Sapphirus apud veteres magna ſemper in veneratione fuit, ſiquidem per eum Imperium, & ſummum ſacerdotiũ ſignificari manifeſtũ eſt.* An non Tibi ô Illvstriss. Capitvlvm aptetur Imperium, cuius Metropoli præter Gallecię Epiſcopatus, Zamorenſis, Salmanticenſis, Mirobrigenſis, Aſturicenſis, Abulenſis, Cauritenſis, Placenſis, Paxiulienſis, Ouetenſis, ac Legionenſis ſubmittuntur? An nõ in Te ſummi Præſulatus imaginem agnoſcam, tot Te Cardinalibus ſtipatũ aſpiciens, tot Te Magiſtrorũ, Concionatorũ egregiorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum patrem agnoſcens? Conſonans Elianus lib. 14. c. 34. fatur, *Sacerdotes apud Ægyptios fuiſſe Iudices, & Magiſtratus, & ſummũ eorum ſacerdotem collo appenſam oſtentare ſapphiri imaginem, quæ appellabatur Veritas.* Vnde illuſtriſſimum, ac excellentiſſimũ Tuum Archiepiſcopũ cõtemplor D. Iacobi imaginem collo geſtãtem, cuius ope Fidei veritas cõtra hęreticos ac Mauros in Hiſpania triumphat. Deniq; Rueus inquit, *ſapphirũ ſupremã olim gratiã habuiſſe ipſa perhibet antiquitas.* Hinc mei libelli auſpicor felicitatem, dum tui ſapphiri ambio protectionem. Tantò enim munimine apud cunctos homines non ſolum incolumitatem, ſed & gratiam ſortiturum ſpero. Vale, & æternum viue.

Facultas

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Castellanæ.

PETRVS Pimentel in Prouincia Castellana Societatis IESV Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum P. Nostro Gosuinio Nickel Generali Præposito, facultatem facio vt *Tomi* 4. 5. 6. & 7. *Theologiæ Moralis à P. Antonio de Escobar Theologo eiusdem Societatis* compositi, grauium Doctorumque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & sigillo munitas dedimus Vallisoleti die 1. Octobris anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIO.

R. P. *Antonij de Escobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, & Septimum vniuersæ Theologiæ Moralis* attente perlegimus nos infra scripti facultatis Parisiensis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij 1663.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio Ordinarij.

CVm hos quinque Tomos, nempe *Tertium, Quartum, Quintum, Sextum & Septimum Vniuersæ Theologiæ Moralis*, quorum Author est *R. P. Antonius de Escobar Societatis IESV*, se attentè perlegisse suprà nominati Facultatis Parisiensis Doctores Theologi testentur, nihilque in illis deprehendisse, quod non sit planè consentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij 1663.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iusti Vic. Gen.*

Consensus Procuratoris Regij.

LIbrum inscriptum R. P. Antonij de Escobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij 1663.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis Consensu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunensibus, concedimus, & ne quis vltra concessam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februarij 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX
CAPITVM ET DVBIORVM,
Quæ in hoc Tomo Septimo continentur.

LIBER LIV.

Ecclesiastica Immunitas. De Templorum Immunitate.

SECTIO I.

De Immunitate Ecclesiæ Receptiores sine pugna Sententiæ. p.2.

Cap. 1. VID sit Ecclesiastica immunitas, & quid nomine Ecclesiæ ad hunc effectum intelligatur. p.2.

Cap. 2. Quinam Ecclesiæ immunitate gaudeant. ibid.

Cap. 3. Quinam Ecclesiæ immunitate non potiantur. p.3

C.4. De peccato, & pœnis violantium Ecclesiæ immunitatem. ibid.

SECTIO II.

Dubia de Templorum immunitate. pag.4.

C.5. Circa ea quibus Templum polluitur. p.4

D. 1. An per coniugalem copulam polluatur Templum. ibid.

2. An actiones (quibus Ecclesiam diximus pollui) sint sacrilegia, si occultè fiant. ibid.

3. An homicidium, vulneratio, vel seminis effusio, sint sacrilegia (si in Templo fiant) independenter ab Ecclesiæ prohibitione. p.5

4. An concilia, confabulationes, contractus politici, & similia in loco sacro fieri prohibeantur vera, & rigorosa prohibitione. ibid.

5. An prohibiti sint in Ecclesia contractus ab Ecclesiasticis celebrati. p.6

6. An loci sacri immunitas, ne ad eum confugientes vi, aut dolo extrahantur, sit late explicanda. ibid.

7. An præfata communitas, ne confugientes ad loca sacra vi extrahantur, interpretatio facienda sit vbilibet iuxta ius Canonicum aut ciuile. ibid.

C.6. Circa loca sacra, queis hæc reuerentia debetur. ibid.

8. An vt loco alicui immunitatis reuerentia debeatur, necessarium sit, vt in eo Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum permanenter existat, ibidem.

9. An vt locus sacer immunitate gaudeat, sit necessarium, vt inibi diuina celebrentur. p.7

10. An extendatur loci sacri immunitas ad domum Episcopi, cum vltra quadraginta passus à Templo Cathedrali non distat, ibidem.

11. An Cæmeterium, quod Ecclesiæ contiguum non est gaudeat immunitate

munitate. ibid.
12. An domus Eminentissimorum Cardinalium gaudeant immunitatis priuilegio. p.8.
13. An Domus Clericorum, quæ intra 40. Cathedralis Ecclesiæ, vel 30. alios passus existunt, fruantur immunitate? ibidem.
14. An Priuilegium immunitatis extenditur ex iure ad tabernaculum Eucharistiæ, & ad sacerdotem Eucharistiam deportantem. ibidem.
15. An extendatur immunitatis priuilegium ad Principis statuas. pagina 9.
Cap. 7. Circa personas quæ huius immunitatis priuilegio potiuntur. ibidem.
16. An interdictus ab ingressu Ecclesiæ fruatur hac immunitate. ibidem.
17. An excommunicatus excludatur ab immunitatis indulto. ibidem.
18. An hæreticus in aliis criminibus ab hæresi potiatur templi immunitate. ibid.
19. An Infideles, Mauri scilicet Turcæ, &c. gaudeant Immunitate. pagina. 10.
20. An qui in carcere recluſi, fractis vinculis, ad Ecclesiam aufugiunt. fruantur Immunitate. ibid.
21. An si quis data fide custodi iuramento firmata, ad carcerem redeũdi, confugiat ad Ecclesiam fruatur immunitate, si carceratio iusta fuit. ibidem.
22. An Clerici beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti gaudeant immunitate comparatione iudicum suorum in criminibus non exceptis. p.11
23. An seruus per respectum ad dominum fruatur immunitate, si in delicto graui dominus iuramento præstito dat securitatem. ibidem.
Caput 8. Circa casus, in quibus confugienti ad Ecclesiam debita sit immunitas in causis ciuilibus, & criminalibus. p.12
24. An debitor ad Ecclesiam confugiens, potiatur immunitate. ibidem.
25. An debitor tributorum possit ab Ecclesiam extrahi. ibid.
26. An debitor suspectus de fuga, & ad Ecclesiam confugiens, possit inde fuga extrahi, & iudici tradi, vt creditor securus reddatur. ibidem.
27. An debitoribus fallitis sit immunitas concessa. p.13
28. An diurnus agrorum depopulator excluſus sit ab immunitatis priuilegio Gregotij constitutione. ibidem.
29. An viarum grassator excludatur ab immunitate, si in viis publicis, & frequentatis viatores spoliet vulneret, vel occidat, sed alibi hæc exerceat? ibidem.
30. An quodlibet graue delictum in Ecclesia perpetratum priuet reum immunitatis priuilegio. pagin. 14.
31. An simplex fur sit ex consuetudine ab Ecclesiæ immunitate excluſus. ibid
32. An qui ad Ecclesiam armatu confugit: priuatus sit eius immunitate.
93. An homicida, vel mutilator debeat in Ecclesia delinquere scb spe immunitatis, vt immunitate priuari censeatur. p.15
34. An si quis in Ecclesia existens alium extra commorantem sagitta, vel scetoplo occidat, priuetur immunitate. ibid.
35. An qui existens extrà Templum, in eo morantem occidat, immunitate priuetur. p.16
36. An si quis mandat, aliquem in Ecclesia interimi, priuatus sit immunitate. ibid.
37. An qui vi, aut dolo aliquem ex Ecclesia abstrahit, & extra occidit, priuetur immunitate. ibidem.
38. An qui mutilat aut occidit propè Ecclesiam inimicum, & mox se ad illam recipit, priuetur immunitate. ibidem.
39. An ex homicidio, vel mutilatione facta in Templo, priuetur delinquens immunitate quoad alia delicta ante, vel post commissa. pagina 17.
40. An qui inimicum suum dormientem,

mientem, vel alio modo incautum per insidias occidit, excludatur immunitate. ibid.
41. An qui proximum suum per industriam occidit, sed non vsus fuit, ad id præstandum, insidiis, fruatur immunitate. ibid.
42. An qui per industriam insidiosam proximum vulnerat animo occidendi, tametsi mors non sequatur, priuetur Templi immunitate. p. 18
43. An proditorie infidelem interimens, priuetur immunitate. ibidem.
44. An reus assassinij spectato iure communi excluſus sit ab Ecclesiæ immunitate. ibid.
45. An qui sicario promittit, se ei daturum aliquam in vxorem, vt alium occidat: illeque occidit, perpetret crimen assassinij, cui est immunitas denegata. p. 19
46. An res, seu pecunia promissa ei, qui patraturus sit crimen debet necessario, esse in magna quantitate, vt assassinus ille sit, immunitateque ideò priuetur. ibid.
47. An occidens pretio conductus infidelem committat, assassinij piaculum, cui est immunitas denegata? ibid.
48. An si quis accepit pecuniam ad occidendum, sed postmodum non occidit; sed tantum vulnerauit, sit assassinus, cui Templi negatur immunitas. pagina 20.
49. An Reus læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis excludatur ab immunitate. ibidem.
50. An ratione consuetudinis alij, præter exceptos in iure, casus excipiantur, ab hac immunitate. ibidem.
51. An ex identitate rationis excipiantur alij casus ab Immunitate. pag 21,
52. An raptores virginum sint immunitate priuati. ibid.
53. An sodomita, spectato iuris rigore sit ab immunitate excluſus. ibidem.
54. An sacrilegio denegetur Templorum immunitas. ibid.
55. An periurus qui eo crimine cauſa fuit, vt aliquis morte esset damnatus, aliàs non damnandus priuatur immunitatis indulto? pagina 22.
56. An Incendiarijs negetur Ecclesiæ immunitas. ibid.
57. An iudices, aliique Ministri violenter extrahentes confugientem ad locum sacrum: ob huiusmodi delictum priuentur & ipsi immunitate. ibid.
58. An fabricantes falsam monetam sint ab immunitate excluſi. ibidem.
59. An delinquentibus in criminibus exceptis prosit immunita Ecclesiæ quoad alia crimina non excepta p. 23.
Cap 9 Circa Immunitatis Templorum Effectus. ibid.
60. An qui blanditijs, ac dolosis verbis inductus a loco sacro exiuit, sit ei restituendus, vel capi possit. ibidem.
61. An in casibus non exceptis possit Prælatus Ecclesiasticus facultatem impertire, vt quis ex Ecclesia ad quam ritè confugit, à iudice sæculari extrahatur. ibid.
62. An delinquens fugiens ad Ecclesiam inibi alligari, vel alia via custodiri possit dum examinatur ab ordinario causa, an debeat frui immunitate. p. 24.
63. An sæcularis Iudex extrahens iniustè ab Ecclesia reum, teneatur ad damnorum restitutionem. ibid.
64. An extrahentibus indebitè delinquentes ab Ecclesia possit pœna pecuniaria de iure Canonico imponi. p 25.
65. An extrahentes indebitè reum ab Ecclesia ex constitutione Gregorij incurrant excommunicationem ipso facto. ibid.
66. An Episcopus possit ab excommunicatione, quam extrahens iniustè delinquentem à loco sacro contrahit absoluere? ibid.
67. An in casibus non exceptis tradendi sint à Clericis iudici sæculari delinquentes, recepto prius iuramento de pœnæ corporalis securitate, si repugnent ipsi delinquentes. p. 26

Index Capitum,

SECTIO I.

De Rerum Ecclesiasticarum Immunitate. p. 27.

Cap. 1. De rerum Ecclesiasticarum immunitate quoad locationem. pag. 27

C. 2. De bonis Ecclesiasticis immunitate alienationis gaudentibus. ibidem

C. 3. Circa Ecclesiasticorum immunitatem in locatione rerum. p. 29

1. An locatio rerum Ecclesiæ possit ad vitam alicuius geri si vero simili coniectura putetur, longo tempore non esse victurum? ibid.
2. An constitutio Extrauag. Pauli II. qua incipit, *Ambitiosæ*, præscribens, res Ecclesiasticas non posse vltra triennium locari, sit vbique recepta. pagina 30,
3. An qui Ecclesiæ res locat alicui ad sex, vel nouem annos clausula adiecta, vt tot sint locationes, quot sunt triennia, vt transacto primo triennio pro tunc rem denuò locet procedat, aduersus Extrauag. *Ambitiosæ* Constitutionem. ibid.
4. An Ecclesiæ possessio, quæ secundo, vel tertio anno solet fructum reddere, possit, & vltra triennium locari stante Pauli II. constitutione. ibidem.
5. An facta locatio vltra triennium, firma sit, qua parte triennium comprehendit, licet sit infirma, & irrita qua parte excedit. p. 31
6. An mandatum ad locandum, vltra triennium possit extendi? ibidem.
7. An fructus, & prouentus beneficiati quorumcũque ipse habet dominium possit locari in longum tempus, verbi gratia tota sua vita stante Extrauag. *Ambitiosæ*. p. 32

Caput 4. Circa Ecclesiasticorum bonorum Immunitatem alienationis. ibidem.

8. Pecunia, quæ ab aliqno destinata est ad emptionem bonorum stabilium, intelligiturne sub nomine boni stabilis non alienandi? ibidem.
8. Pecunia in banchis campsorum apposita potestne ab Ecclesia alienari. p. 33
9. An reliquiæ Sanctorum comprehendantur sub bonis mobilibus pretiosis alienationi non subiectis ibidem.
10. An legatum Ecclesiæ relictum, si acceptetur, & refundatur in Ecclesiæ bonum, non possit alienari: & Ecclesia vel Monasterium possit illud non acceptare. ibidem.
11. An si res aliqua pretiosa mobilis Monasterio relinquatur, poteritne vendi, & in Religiosorum sustentationem, aliosue vsus conuerti. ibid.
12. An iurans bona Ecclesiæ non alienare peccet contra iuramentum, si ea tradat in pignus, vel hypothecã, vel in feudũ, & emphyteusim, aut in longi temporis locationem. p. 34.
13. Iurauit quis Prælatus se non alienaturum vlla Ecclesiæ bona, nisi Pontifice consulto: Hoc iuramentum extenditurne ad quamlibet alienationem etiam iure permissam. ibid.
14. Conditiones à iure præscriptæ ad rerum Ecclesiæ alienationem seruandæne sunt in legato relicto ea clausula, vt quoties Ecclesia voluerit illud alienare, & in proprios vsus conuertere, non seruata illa solemnitate possit? ibidem.
15. An legatum relictum ea conditione, vt nunquam alienetur: possit seruatis solemnitatibus à iure præscriptis alienari. pagina 35.
16. Licitane est permutatio, quæ fit vnius Calicis, verbi gratia huius Ecclesiæ pro alio æque pretioso alterius Ecclesiæ ornamento absque prædicta solemnitate. ibid.

LIBER

LIBER LV.

Beneficium, ac Pensio.

SECTIO I.

De Beneficio ac Pensione, Receptiores sine pugna Sententiæ.
pagina 36.

Caput 1 QVID, ac quotuplex Beneficium? ibidem.

2. De modis, queis Beneficia acquiruntur. pagina 37.

3. Conditiones præscriptas in iure, vt quis ad Beneficium idoneus censeatur. recenseo. p.38

4. De Beneficiorum pluralitate. pagina 39.

5. De Beneficiorum Collatoribus. pag. 40.

6. De his, quibus Beneficia sint conferenda. ibid.

7. De modis, quibus Beneficia amittantur. p.41

8. De Pensione. p.42

SECTIO II.

De Beneficio, ac pensione Dubia.
pagina 44.

Caput 9. CIrca Beneficiorum Ecclesiasticorum naturam, conditiones, & affectus? pagina 44.

Dub. 1. An quælibet prælatura curam animarum habens comprehendatur, sub nomine dignitatis Episcopalis, ad quam Regularis absque vlla dispensatione potest promoueri. ibidem.

2. An Regularis possit, sine dispensatione eligi ad præfecturam Ecclesiæ collegialis, quæ curam animarum non habet? ibid.

3. An ad eligendum Religiosum ad Beneficium curatum in casu necessitatis, dispensatio necessaria sit. ibidem.

4. An ad acceptationem summi Pontificatus indigeat, Religiosus Prælati licentia. p.45

5. An Manualia Beneficia ita ad nutum & voluntatem conferentis reuocari valeant, vt possit id, sine legitima causa valide geri. ibidem.

6. An reuocatio Beneficij manualis possit sine legitima causa licitè fieri, si Prælatus promiserit, se non reuocaturum? ibidem.

7. An beneficium manuale possit fieri perpetuum, præscriptione, vel consuetudine? p.46

8. An conferri possit, capellania clerico minorum Ordinum si fundator xit, vt Presbytero conferatur? ibidem.

9. An coadiutor teneatur, inseruire pro coadiuto ex vi coadiutoriæ assumptæ? ibidem

10. Si absens sit vel infirmus coadiutus, potestne coadiutor choro assistere, vocemque in Capitulo habere, etiam coadiuto nolente? pagina 47

11. Si coadiutus infirmus sit, vel aliàs legitimè impeditus, habenduſne est, pro præsenti, licet coadiutor non inseruiat? ibid.

12. Debeturne coadiutori proprietarij sedes? ibid

13. An coadiutor habeat ius ascendendi ad superiorem sedem, ita vt præcedere possit Canonicos proprietarios nouiter ingressos? pag. 48

14. Coadiutor studens, vel legens in Vniuersitatem, vel in seruitio Episcopi occupatus, vel officium Inquisitoris exercens, habeturne, pro præsenti, vt fructus, ac distributiones coadiuto lucretur, ac si personaliter resideret. ibid.

Caput Circa Beneficij prouisionem, & acquisitionem. ibidem.

15 An per electionem antè acceptationem acquirat electus, ius in Beneficium? ibidem.

16. An

16 An valida sit præsentatio illius, qui se per litteras, aut procuratorem iustituenti repræsentat. ? pagina 49.
17. In dotatione facta Ecclesiæ ædificatę, & consecratæ acquiriturne, Patronatus. ibid.
18. An iuspatronatus possit præscriptione acquiri, vel consuetudine? ibid.
19. An iuspatronatus hæreditarium transeat ad fideicommissarium, vel vsufructuarium vniuersalem. pagina 50.
20. An si quis iuspatronatus vendat contra iuris ordinem, vendat inualidè. ibid.
21. Casu quo plures patroni existant alicuius Ecclesiæ, potestne vnus alteri iuspatronatus cedere absque Ordinarij consensu. p.51
22. An spurius, irregularis, aliave inhabilitate affectus, incapax sit iuris patronatus. ibid.
23. An iura patronatus annexi vxoris bonis in dotem datus, transeant in maritum. ibid.
24. An non tantùm bis, sed ter, vel quater possit patronus laicus variare in præsentatione cumulatiua. ibid.
25. An Patronus, qui iuramentum, vel promissionem non variandi gessit possit variare. p.52
26. An patronus præsentans indignum, priuetur ea vice potestate eligentis. ibidem.
27. Si præsentati ad beneficium non æquè digni sint, sed vnus alio notabiliter dignior, teneturne Episcopus, digniorem instituere. pagina 53.
28. Si duo sint à diuersis patronis nominati, nec appareat excessus, Episcopus potestne alium tertium instituere. ibid.
29. An ob peccatum mortale reddatur quis indignus, qui ad beneficium eligatur. ibid.
30. Ex vi institutionis Beneficiorum & spectata eorum natura, debentne sub graui obligatione digniori-bus conferri. p.54
31. Si ante electionem fuit electoribus denunciatum, vt digniorem eligerem, sint minus ex tunc à tali electione appellari, cassandane est talis electio. ibid.
32. Si in Beneficiis parochialibus, quæ per concursum prouidentur, eligatur dignus, omisso digniori, electio estne ipso iure irrita. pagina 55.
33. An eligens dignum, prætermisso digniori, quem eligere tenebatur debeat aliquid digniori ipsi relicto restituere. ibid.
34. Si Antonio digno quidem Beneficium collatum est, quod Petro digniori ex obligatione erat conferendum, teneturne Antonius Beneficium in fauorem Petri resignare. p.56.
35. Cum Pontifex in sex alternatiuæ concessæ Ordinario Beneficia vacantia prouidet, teneturne ei iuri concesso derogare. ibid.
36. An Prouisio Beneficiorum, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, competat Capitulo Sede vacante. ibid.
37. Potestne Capitulum sede vacante, beneficia permutata prouidere. pagina 57.
38. An Vicarius generalis, cui ab Episcopo commissa est facultas Beneficia conferendi, debeat esse generalis Vicarius non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. ibidem.
39. Ex facultate absoluta conferendi Beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, potestne Vicarius lectiones, ac præsentationes beneficiorum Episcopo competentes facere. pagina 58.
40. An Vicarius possit extra Diœcesim potestatem sibi datam ab Episcopo conferendi Beneficia, exercere. ibid.
41. An procurator generaliter constitutus, possit possessionem Beneficij acceptati apprehendere. pagina 59.
Caput 11. Circa formam, & conditiones seruandas in Beneficiorum prouisione. ibid.
42. An in electione Beneficij reprobetur quælibet conditio, si Beneficio in sit. ibid.
43. An finito edicti tempore ante finitum examen oppositorum, detur locus subscriptioni, vel oppositioni aliorum in Beneficio parochiali. ibidem.
44. Elapso anno designationis examinatorum.

natorum Ecclesiarum parochialium, quàm præscribit Concilium, & synodo non celebrata, potestne Episcopus cum Capituli consilio examinatores designare, quibuscum examen legitimè celebretur ? pagina 60.

45. Cum ad synodalem examinationem designatur in genere Canonicus Magistralis verbi gratia Doctoralis, vel Prior talis Monasterij, aut talis Collegij Rector, intelligunturne in hac assignatione, successores in illis præbendis aut officiis subrogati. ibid.

46. Examen factum ab Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus, alio non synodali concurrente, estne irritum. p. 61

47. Valetne examen factum ab examinatoribus synodalibus, qui iuramentum non præstitere, suum munus fideliter exequendi ? ibidem.

48. Debentne examinatores renunciare non solùm qui idonei sibi visi fuerint, sed etiam qui inter ipsos digniores existant. ibid.

49. Repertis pluribus æquè dignis, potestne Episcopus eligere, quem maluerit, in Beneficiis iure patronatus exemptis. p. 62

50. An legitimus oppositor sit in Hispania Canonicatuum Magistralis, & Doctoralis &c. qui graduatus præuio rigoroso examine in vniuersitatibus Galliæ Borgiæ, Aragoniæ, incorporetur, & admittatur, in aliqua Vniuersitate Regni Castellæ, & Legionis. ibid.

51. An si quis ante electionem suum votum manifestet, quod secretum esse Pontifex imperat, irrita sit electio tota. p. 63

52. An locum habeant sortes in electione præbendæ affectæ, quando oppositores paria vota habent. ibidem.

53. An Canonicus, qui præsens non fuit eligendorum examini, possit in hac electione suffragium impertire. ibid.

54. Quando sit devolutio præbendæ ad superiorem, verbi gratia Archiepiscopum, potestne ipse illam prouidere, non seruatis eisdem qualitatibus, & oneribus, quibus cum inferior prouidere tenebatur. pagina 64.

54. Prælatus, cui est facta devolutio teneturne ex oppositoribus examinatis in tempore semestris ab Ordinario, electionem facere ? ibidem.

55. Examen pro beneficiis simplicibus estne necessarium, si persona sit nota. ibid.

Cap. 12. Circa qualitates ad Beneficia ex parte suscipientium requisitas. p. 65.

56. An filius natus ex parentibus solutis voto simplici castitatis ligatis, censendus sit spurius. ibid.

57. Si coniuges ex communi consensu votum castitatis emiserint, & illo non obstante, filium procreassent, illene est illegitimus & spurius. ibidem.

58. An Filij expositi, quorum parentes ignorantur, sint vt legitimi reputati, ad Beneficia obtinenda. pagina 66.

59. An pater possit obtinere Beneficium in illa Ecclesia, in qua filius illegitimo concubitu natus (etiam dispensatus) actu beneficiatus est. ibidem.

60. An stante Tridentini decreto, absque dispensatione vlla, possit quis, ad quaslibet Ecclesiasticas dignitates inferiores eligi, si vigesimum secundum compleuerit annum. pagin. 67.

61. An Ætas viginti duorum annorum requisita sit non solùm pro dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, sed & pro Collegiatæ Ecclesiæ ? ibidem.

62. An annus vigesimus secundus pro dignitatibus requisitus debeat necessario esse completus ? pagina 68.

63. An pro Canonicatu, cui est subdiaconatus annexus, sufficit, quem habere vigesimum annum completum, & inceptum vigesimum primum. ibid.

64. Si quis corporis vitio laboret impediente celebrationem poteritne minoribus Ordinibus insigniri, & Beneficium simplex recipere ? ibidem.

65. An defectus probitatis morum ad Beneficium requisitæ, reddat ipso iure inhabilem, & collationem irritam. p. 69

66. Si ille, qui tempore collationis Beneficij illiteratus fuit, postea litteras discat, & conferens non pœniteat, illum eligisse: re validaturne pristina collatio. ibid.
67. An illiteratus possit Beneficium simplex, aliquem Canonicatum obtinere. ibid.
68. An ex summi Præsulis dispensatione possit Beneficium prorsus illiterato conferri? p.70.
69. Si quis Beneficiũ suscipiat cum animo dubio, seu hæsitans, an susceпturus sit Ordinem vel non: vel cũ animo conditionato Presbyterium scilicet suscipiendi, nisi sibi aliquid felicius contingat: peccatne cum restituendi obligatione. ibid.
70. Si quis absque animo sacerdotij suscipiendi, Beneficium accepit, & postea mutauit voluntatem, & sacerdotio initiatus est: debetne fructus perceptos eo tempore, quo debita intentione caruit. p.71
71. Recepit quis Beneficium curatum animo promouendi intra annum, sed postea voluntate mutata, promotus non fuit: teneturne fructus eo anno perceptos restituere. ibid.
72. An Recipiens Beneficium simplex absque animo recipiendi Ordinem Sacrum ei annexum: obligatus sit fructus perceptos restituere, nulla expectata sententia. ibidem.
73. An sit peccatum mortale Beneficium simplex accipere animo fruendi eius fructibus aliquo tempore, & postmodum, relinquendi, transeundo ad coniugalem statum? pagina 72.
74 An coniugatus capax sit Beneficij ex Episcopi dispensatione? ibidem.
75. An bigamus possit ex Episcopi dispensatione Ordines minores, & beneficium simplex accipere. ibidem.
76. Illegitimus propinquior fundatori, estne eligendus, legitimis relictis, si fundator disposuit, vt consanguineus proximior præferatur. ibid.
Cap. 13. Circa Beneficiorum onera, & vtilitates. p 74
77. An spectato iure naturali beneficiatus curam animarum habens si non resideat, teneatur ante vllam sententiam fructus restituere. ibidem.
78. An Episcopus teneatur, aduersus Parochos non residentes remedia, quæ à iure adhibentur, eo ordine tentare, quo sunt ibi præscripta, p.75
79. In citatione personali Clerici non residentis, estne necessarium expectare semestre post terminum citationis ad executionem pœnæ. ibidem.
80. An Cardinales Episcopi ob assistentiam in Romana Curia excusentur à residentia in suis Diœcesibus. ibidem.
81. An ad absentiam trium illorum mensium in Episcopis honestandam sufficiat, si fiat animi recreandi causa. p.76.
82. An parochi debeant pro absentia bimestri sibi à Concilio concessa, coram Ordinario concessa legitimam probare. ibid.
83. An si quis absit ex legitima causa à superiore approbata, faciat suos fructus Beneficij, si in scriptis approbationem non habeat. pagina 77.
84. Si beneficiati culpa contracta sit irregularitas, aut aliud iuris impedimentum quo promoueri ad Ordines non valeat, de quo nequit dispensationem obtinere, priuaturne Beneficio. ibidem
Caput 14. Circa Beneficiorum vacationem, amissionem, diuisionem, extinctionem, erectionem, vnionem p.78.
85. Viginti dies quibus debet resignans Beneficium superuenire à die quo resignationi á superiore approbatæ præstitit consensum, debentne naturaliter computari. ibid.
86. An minori resignanti Beneficium detur restitutio in integrum. ibidem.
87. An Religioso nouitio interdicatur beneficij resignatio. pagina 79.
88. An possit etiam seruatis conditionibus à Concilio præscriptis admitti Religiosi nouitij Beneficij resignatio si non habeat vnde viuere possit, & si ad illius titulum fuit ordinatus

natus. ibid.
89. Si quis procuratorem constituit, ad resignandum beneficium reseruatis omnibus fructibus, ipse verò, reseruata parte fructuum, vel pensione, resignationem fecit: tenetnere signatio p.80
90. Si quis mandatum dedit ad resignandum purè, & simpliciter beneficium coram Pontifice, & procurator resignauit reseruatis fructibus, vel pensione; validane est resignatio? ibid.
91. An beneficium resignatum vacet in loco, quo resignatio fit per procuratorem? ibid.
92. An resignatio Beneficij ex metu cadente in constantem virum facta sit ipso iure irrita. ibid.
93. An resignatio Beneficij dolo, seu fraude facta sit ipso iure nulla? p.81.
94. An mutua & reciproca beneficiorum resignationis admissio sit tacita illorum collatio. ibid.
95. Si Vicario concedatur potestas admittendi resignationes Beneficiorũ ex causa permutationis potestne beneficia ea conferre. ibid.
96. Dispensatus ad vnum beneficiũ potestne id cum alio simili permutare. p.82.
97. An in resignatione ad permutationem coram Pontifice, facienda sit mentio beneficiorum obtentorum de rigore iuris? ibidem.
98. An matrimonium per verba de præsenti inducat ipso iure vacationem beneficij. ibid.
99. Ex matrimonio, quod nullum est vacantne beneficia? pagina 83.
100. An nouitius Religiosus debeat vocari ad electionem ratione beneficij competentem. ibid.
101. An crimen læsæ Maiestatis humanæ priuet ipso beneficio delinquentem? p.84
102. An homicidium inducat ipso iure Beneficij priuationem? ibidem.
103. An periurium inducat ipso iure beneficij priuationem. ibid.
102. An capitulum sede vacante habeat potestatem beneficia vniendi. p.85
103. Potestne Vicarius Episcopi beneficia vnire. ibid.
104. Legatus à latere potestne beficia prouinciæ sibi demandatæ vnire. ibid.
105. Abbates, & alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, fruunturne beneficia vniendi potestate. p.86
Cap. 15. Circa Pensionis impositionem. ibidem.
106. An pensio spiritualis sit beneficium. ibid.
107. An pensio à Pontifice imposita sine causa legitima sit valida. pagina 87.
108. Episcopus in illis casibus quibus ei datum est pensionem imponere, potestne eam imponere in beneficiis, quæ sunt iurispatronatus absque patroni consensu. pagina 88.
109. Validane est Pensio Ecclesiastica data laico. ibidem
110. Sufficitne septem annorum ætas, vt quis Ecclesiastica pensione donari valeat. ibid.
111. An illegitimus sit Clericalis Pensionis capax, absque dispensatione speciali, licet ad Clericatum sit dispensatus. p.89
112. An irregularis sit pensionis accipiendæ capax. ibid
113. An illegitimus dispensatus ad beneficium obtinendum, censeatur, ad pensionem dispensatus. ibidem.
114. An dispensatus ab Episcopo ad Beneficium absolutè possit quamcumque pensionem obtinere. pagina 90.
115 Si temporis successu minuantur centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, quæ libera debent manere, pensione soluta: teneturne Beneficiarius integram soluere pensionem si tempore reseruationis, & gratiæ integra centum pro Rectore, & mille pro Episcopo remanebant? ibidem.
116. Si Beneficiarius qui pensioni consensit, intendit ab onere soluendi Pensionem se excusare, quia non sibi remanent centum libera ipsine competit onus id probandi? ibidem.
117. Cum de Beneficiarij consensu pensio

pēsio imponēda sit Beneficio vacante constituendusne est, Beneficij defensor, qui loco beneficiarij futuri Pensioni consentiat. p 91
118. Si beneficio resignato Pensionem imponere credens liberum esset, validane est Pensionis impositio? ibidem.
119. Cum de Pensione est facienda mentio, debesne eius valerem exprimere? p. 92
Caput 16. Circa Beneficiarij, & Pensionarij in Pensionis materia obligationem. ibid.
120. Succedens in beneficio grauato Pensione teneturne soluere Pensionem decursam antecessoris tempore soluram. ibid.
121. Si Beneficiarius nullos fructus, vel diminutos collegit casu aliquo fortuito belli, inundationis, vel sterilitatis: potestne Pensionem imminuere, vel non soluere. p. 93
122. Ab Antonio Beneficiario anticipatis solutionibus pensionem trium sequentium annorum recepisti, & pensionem in Petrum transfers ex potestate Pontificia, quam habes transferendi: Petrusne potest, ab Antonio Beneficiario pensionis solutionem exigere. ibid.
123. An pensionarius agere possit hypothecaria actione siue aduersus Beneficiarium siue aduersus hæredem: id est, aduersus quemcumque beneficij grauati possessorem? ibidem.
124. An pœnas, quæ beneficiario non soluenti pensionem præfixo tempore imponuntur, incurrat eo ipso quo pensionem non soluit? pagina 94.
125. Declaratio pensionarij circa excommunicationem à Beneficiario incurrendam potestne fieri, quin executione reali, vel personali prius compellatur Beneficiarius soluere. ibidem.
126. Excusaturne Beneficiarius non soluens Pensionem ab excommunicatione incurrenda, aliisque pœnis; si cedat bonis, assignata sibi congrua sustentatione iuxta textum in *Cap. Odoardus* ibid.
127. An possit pensionarius de fructibus perceptis libere testari. pagina 95.
Caput 17. Circa translationem ac extinctionem pensionis. p. 96
128. An Pensio transata eadem sit in transfatario, ac erat in transferente. ibidem.
129. An Filius illegitimus capax sit, vt in eum patris Pensio transferatur? ibidem.
130. Data est Antonio facultas vno anno retinendi Pensionem post matrimonium contractum, sed antequam annus elaberetur suscepit Officium militis Lauretani, cui conceditur facultas Pensionem retinendi: poteritne Pensionem retinere, sicut si matrimonium non contraxisset. ibid.

LIBER LVI.

Simonia.

SECTIO I.

De Simonia Receptiores sine lite Sententiæ. pagina 98.

Caput. 1. VID, ac quotuplex Simonia. p. 98.
Cap. 2. De triplici Simoniaco pretio. p. 99
Cap. 3. De Simoniæ Materia quæ est rei spiritualis. ibid.
Cap. 4. De Simoniæ materia, rerum scilicet; quæ spiritualibus sunt annexæ. p. 101
Cap. 5. Sex Titulos à Simoniæ labe excusantes annumero. p. 102
Cap. 6. Contra Simoniacos pœnas latas recenseo. ibid.
Caput 7. De obligatione restituendi ea, quæ Simoniace accipiuntur. p. 103.

SECTIO

SECTIO II.

De Simonia Dubia. p.104.

*Cap.*8. CIrca Simoniæ constitutionem, seu essentiam. ibidem.

Dub. 1. An Simonia sit crimen contra iustitiam. ibid.

2. Si constituat ex bonis propriis quis alicui ordinando titulum, seu patrimonium, recipiatque ab illo promissionem de nihil postulando ad sustentationem, committitne simoniam. ibid.

3. Si spirituale principaliter detur ob munera, & obsequia temporalia, propter spirituale consequendum impertiantur: Sufficitne ad contractum simoniæ constituendum. p.105.

4. An sit aliqua donatio gratuita, vel onerosa temporalis pro spirituali iure Ecclesiastico prohibita sub simoniæ specie. ibid.

5. An gratuita donatio temporalis pro spirituali prohibita sit vt simoniaca in decreto Tridentini *Sess.* 24. *c.* 18. p.106

6. Committiturne, simonia siquis promittens dare spirituale pro temporali non habeat implendi intentionem. ibid.

C. 9. Circa obiectum seu materiam simoniæ. p.107

7. An in casu vrgentis, vel extremæ necessitatis possit pretium pro Sacramenti administratione offerri. ibidem.

10. In casu vtilitatis potius quam necessitatis, potestne quis sine simoniæ piaculo pretium offerre pro sacramenti administratione, licèt exprimat, se pecuniam in sacramenti commutationem non tribuere. ibidem

11. An sit simonia, vendere Sacramentalia permanentia nempè Calicem consecratum, Corporale, Capellam, Ecclesiam. p.108

12. An possit sine simoniæ labe pro Ecclesiastica sepultura pretium recipi. ibidem.

13. An pro cuiusuis virtutis exercitio Clerici obligati committant simoniam, si stipendium non debitum exigant. p.109

14. An simonia sit exigere pecuniam ab ingredientibus Religionem pro ingresso, etiamsi ad sustentationem eorum exigatur? ibidem.

15. An pro officio docendi Theologiam pretium dare, vel recipere sit simonia. ibid.

16. An simonia pro casuum conscientiæ responsione, pretium accipere. p.110.

17. An pro labore operibus spiritualibus intimè coniuncto, & ab illis inseparabili, possit sine simoniæ labe pretium recipi. ibidem

18. An simoniæ perpetret crimen, qui accepto pretio omittit denunciare peccatum, si ad id ex officio obligetur. p.111

19. An Beneficium Ecclesiasticum inuendibile esse procedat ex iure diuino. p.112

20. An pensio possit sine simonia propria authoritate redimi. ibid.

21. An ius patronatus inuendibile sit ex iure diuino. ibid.

22. An ad permutationem Beneficiorum sina simoniæ piaculo faciendam sufficiat approbatio Prælati inferioris, si non habeat ad id præscriptam consuetudinem? pagina 113.

23. An ex Ordinarij consensu sine simonia in permutatione Beneficiorum inæqualitas fructuum spiritualium, scilicet, Decimarum, primitiarum, & obligationum per impositionem pensionis possit compensari. ibid,

24. An resignatio Beneficij sub conditione, seu pacto, manibus Episcopi contineat simoniam. pagina 114.

25. An committat simoniam resignans liberè Beneficium in manibus Ordinarij, & ab illo supplicans, vt alicui certę personæ conferat, vel ea intentione id resignans? ibidem.

26. An si quis resignet Beneficium cum intentione, vt resignatarius iterum conferat nepoti resignantis; perpetret simoniam conuentionalem. p.115

27. Qui

27. Qui beneficium resignat, conditione adhibita, vt sibi pensio soluatur, perpetratne simoniæ confidentialis piaculum? ibidem.
28. An ob litem componendam in causa beneficiali, possit Ordinarius applicare vni beneficium, cum onere soluendi alteri pensionem, sine simoniæ periculo, & an pensio huiusmodi duret, solùm pro vita soluentis? pagina 116.
29. An possit quis sine simonia pecunia redimere vexationem, casu quo vexatio sit precibus, vel muneribus electori factis, ne illum eligat. ibidem.
30. An quis possit sine simoniæ piaculo pecunia allicere electores, vt dignissimum eligant, casu quo in aliquo concursu, aut electione timeat vehementer, indignum, vel minus dignum esse eligendum: p. 117.
31. Si ad beneficij electionem vnus solùm appareret idoneus liceretne tibi pretium offerre directè, vt ille eligeretur, si electores vellent in alios inclinare. ibidem.
Caput 10. Circa pœnas Simoniacis à iure impositas. p. 118
32. An qui recipit rem spiritualem, nempe ordinem, aut beneficium sub promissione pecuniæ soluendæ, quam tamen non soluit, incurrat pœnas simoniacis præscriptas. ibid.
33. An Episcopus possit dispensare cum simoniaco occulto in inhabilitate propter simoniam contracta. ibid.
Ad Deiparam Dominam meam Epilogus. p. 120

LIBER LVII.

Religiosi status Essentia, Ingressio, Egressio, Fuga.

SECTIO I.

De Religiosi status Essentia, Ingressu, Egressu, Fuga, receptiones sine pugna sententiæ. p. 121.

Cap. 1. DE Status Religiosi Natura? pagina 121.
Caput 2. De iis, qui possint, vel teneantur, Religionem ingredi. p. 122.
Cap. 3. De Religiosis eiectis, & fugitiuis. p. 123
Cap. 4. De Nouitiis. ibid.

SECTIO II.

De Religiosi status Natura, Ingressu, Egressu, &c. Dubia. p. 125.

Caput 5. CIrca essentiam Religiosi status & votum emissum eum suscipiendi? pagina 125.
Dub. 1. Ad Religionis essentiam requirituine vt vota sint absoluta, & perfectæ paupertatis, & obedientiæ. ibid.
2. An ad Religionis essentiam votum Castitatis debeat necessariò esse absolutè, & omnimodæ Castitatis. ibidem.
3. Votum quis moriendi in Religione emittit: obligaturne, quam primum possit, illud implere. pagina 126.
4. Repulsus absolutè à Religione quam quis vouit, si postea ad ingressum

ingressum inuitetur, teneturne, ingredi. ibid.
5. Teneturne quis cum ad Religionem admitti postulat, manifestare, se voto Religionis esse adstrictum, si credat ea manifestatione esse admittendum. p. 127
6. An voto Religionis satisfaciat qui Religionem init, licèt sine iusta causa eam deserat. ibid.
7. Peccatne venialiter qui sine voto Religionem suscipiens, eam absque causa rationabili deserit. p. 128
8. Si quis voto Religionis superaddat votum in illa perseuerandi, licetne ei, eam nec ex rationabili causa relinquere, valido, & non valido voto. ibid.
9. De facto, quoties totum perseuerandi in Religione quis emittit. Obligatusne est, in ea perseuerare, tametsi Religio ei incommoda, ac difficilia valde appareat. ibid.
10. Qui ligatus voto perseuerandi, ob causam iustam è Religione exit, vel expellitur, eadem causa cessante, tenetur denuò Religionem inire. p. 129.
11. An voto Religionis satisfacias, si in Episcopum eligaris ibid.
12. Qui ligatus voto Religionis Episcopatus electionem acceptauit, vnde obligatus est petere à Pontifice renunciandi licentiam, teneturne votum, quo arctatur, ei manifestare, si simpliciter petita non conceditur. p. 130
Caput 6. Circa eos qui capaces sunt, & non sunt ingrediendi Religionem. ibid.
13. An Pontifex debeat, licentiam impertire Episcopo petenti Præsulatum pro Religione communitare, nulla alia causa allegata præter studium religiosæ vitæ. ibid.
14. Vt Parochus Religionem ineat, teneturne licentiam à suo Episcopo postulare. p. 131
16. An in Tridentino prohibeatur puellis habitum Religiosum suscipere ante annos pubertatis. ibidem.
16. An valida sit habitus susceptio, & nouitiatus initus à coniuge post matrimonium consummatum, licet tunc non adsit alterius coniugis facultas. ibid.
17. Si vltra biennium, vel triennium quis speret, debitis satisfacturum, & antea absque graui difficultate, potestne Religionem ingredi. p. 132
18. Nepos impediturne à Religionis ingressu ob extremam aui necessitatem in sæculo succurrendum. ibid.
19 An innodentur excommunicatione impedientes ingressu fœminarum ad regularem probationem. p. 133.
C. 7. Circa Nouitiatum Religionis. ibid.
20. Episcopus domicilij nouitiorum, à quo ipsi possunt ordinibus initiari estne Episcopus loci illius, in quo Monasterium residet. ibid.
21. Annus probationis, estne ad professionis validitatem necessarius. p. 134.
22. Coniux, qui ante matrimonium consummatum ad Religionem transit potestne anno probationis non exacto, professionem emittere. ibid.
23. Vnius ordinis professi ad alium transeuntes possuntne omisso probationis anno profiteri. ibid.
24 Moniales ordinis D. Dominici, possût in mortis articulo professionem ex priuilegio emittere: at Monasterium potestne, in bonis sic professæ in præiudicio venientium ab intestato succedere. p. 135
25. Cum probationis annus integer esse debeat ad huiusmodi integritatem requiriturne necessariò, vt de momento ad momentum computatio fiat. ibid.
26. Ex priuilegio Pij II. Religioni Minorum, & reliquis cum ea communicantibus ordinibus concesso, potestne ex duplici parte interpolata compleri. p. 136
27. Si nouitius laboraret amentia, quæ per mensis duraret spatium, deberetne anno probationis suppleri id tempus. ibid.
28. Nouitiatus continuatio debetne esse vsque ad professionem. p. 137
29. An probatio nouitij possit ante annum decimum quintum inchoari. ibid.
30. An necessariuum sit nouitij probatio in Monasterio fiat. pag. 138.
31. Si extra Monasterium nouitius i vagetur

vagetur sine licentia superioris habitu dimisso, licet non adsit animus è Religione egrediendi: eo ipso eius probatio cessatne. ibid.

32. An nouitiatus possit existere absque habitus nouitiorum gestatione. ibidem.

33. Dispositio bonorum via testamenti à nouitio facta validane est in Religione succedendi capaci. pag. 139.

34. Constitutio Tridentini irritantis omnem renunciationem, & obligationem circa bona propria à Religioso factam, nisi intra duos menses professioni proximos, & de licentia Ordinarij fiat, locumne habet in testamentis. ibidem.

35. Donatio inter viuos sub conditione, si professus donans fuerit, validane est, non seruata Tridentini forma. p. 140

36. Nouitius, qui ante ingressum Religionis sua bona renunciat, debetne leges communes Regni in ea dispositione seruare. ibid.

37. Quando nouitius de testamento non condito, nec renunciatione facta: succedat in illius bonis Monasterium, seclusis hæredibus ab intestato. p. 141

38. Renunciatio, obligatio, seu donatio interdicta à Tridentino, compreditne eos, qui ante Religionis ingressum, eo intuitu de bonis suis disponunt. ibid.

39. Decretum Tridentini annullans solummodo nouitiorum renunciationem extenditurne tantum, ad nouitios sexdecim annis minores. ibid.

40. Ex bonis nouitij potestne mutuum dari monasterio, præstita sufficienti cautione de redditu, si Religionem deserat. p. 142

41. Si quis ex Pontificis dispensatione ante decimum sextũ annum, & ante annum probationis expletũ professionem emitteret estne dispensatus, vt bimestri proximo professioni renunciationem faciat. ibid.

42. Facta legitima hac renunciatione bonorum nouitij in fauorem Monasterij possuntne ea bona Monasterio tradi ante professionem, Monasteriumque recipere. p. 143

43. Vt renunciatio hæreditatis patris viuentis in alicuius extranei fauorem facta à nouitio habeat effectum debetne Monasterium cedere, præter supradictam solemnitatem. ibid.

Cap. 8. Circa Religiosi Viri Clausuram. p. 144

44. Religiosus debetne in depositione habitus alium accipere, vt censeatur verè ac propriè habitum dimittere. p. 144

45. Si quis habitu propriæ Religionis retento, sæcularem exterius induat inciditne in excommunicationem. ibid.

46. An à Monasterio egressus Religiosis interdicatur naturali iure. pag. 145.

47. An fœminis fundatricibus Monasterij virorum interdictum sit ingredi. & an Religiosi possint admittere. ibidem.

Caput 9. Circa Monialium clausuram. ibid.

48. An Episcopi possint, Monasteriis exemptis ab eius iurisdictione subiectisque prælatis Regularibus clausuram Monialibus indicere, & indictam instare, an obseruetur. ibidem.

49. An Episcopo competat approbatio causæ, vt Monialis Monasterij exempti claustro egrediatur. pag. 146.

50. Ob causas similes illis, quæ à Pontifice assignantur, vt Moniali licentia egressus impertiatur, potestne ei licentia concedi. p. 147

51. Ob morbum lethalem quidem Moniali si in Monasterio persistat, reliquis autem Monialibus non contagiosum, potestne egrediendi licentia concedi. ibidem

52. Pœnæ scriptæ Monialibus clausuram violantibus, afficiuntur Monialem legitimo titulo egressam è conuentu, sed inique extra claustra commorantem. p. 148

53. Excommunicatio hæc, & officiorum, dignitatum, ac administrationum priuatio efficitne, Episcopum comitantem Monialem, vel inique licentiam impertientem, seu approbantem egressum? ibidem.

54. Monialis, quæ ex vno Monasterio

rio in aliud remeat, si in via accidat, vt ad locum accedat, in quo aliud Monasterium ex quocumque ordine existat: potestne inibi hospitio recipi. p. 149

55. An Prælatus conuentus possit vices suas Abbatissæ committere, vel confessario, vt ipsi ingrediendi in Monasterium aliis licentiam expediant. ibid.

56. Licentia exhibenda à superiore in scriptis, vt quis monialium claustra ingrediatur, proceditne in casibus frequenter occurrentibus, & à iure concessis. p. 150

57. Si casu, quo à superiore expectari licentia nequeat, vt quis necessarius ingrediatur claustra, nec licentia, aut arbitrium Abbatissæ commissum sit: huius consensus estne expostulandus. ibid.

58. An legitima sit ingrediendi claustra Monialium causa exhortatio facienda, suscipiendaque in electione. p. 151

59. An famulæ possint admitti pro priuato Monialis ministerio directè. ibidem,

60. Frequens accessus ad colloquendam Monialem prohibitus, inducitne, duobus solùm actibus. p. 152.

61. Sub accessu prohibito comprehenditurne litterarum immissio. ibid.

62. Si Religiosi illi, quibus præcipit Gregorius sui ordinis Monialibus non scribere, vel Romani ciues contra Vicarij Pontificis decretum epistolam ad Monialem immittunt, quæ tamen ad eius manus non peruenit: Hi inciduntne, in pœnas eis decretis præscriptas, p. 153.

63. Accessus ad Monialium Conuentus, vt quis cum eis colloquatur estne per se sub his pœnis prohibitus, secluſis extrinsecis circunstantiis. ibid.

Cap. 10. Circa actus iudiciales Religiosis interdictos. p. 154

64. Religiosus, qui in Cathedrali Ecclesia dignitatem non habet potestne esse iudex conseruator. ibidem.

65. Quando Religiosus propriam causam defendit, si peculium non habeat, expensæ suntne à Monasterio exhibendæ, ibid.

66. Licitumne est, Religiosis in vna, vel altera causa aduocare, vel procurare in iudicio. pagina 155.

67. Si Religiosus constituatur simplex nuncius, ad constituendum Procuratorem: indigetne ad hoc superioris licentia. ibid.

68. An Religiosus possit permittere se instrumentalem testem scribi in aliquo instrumento, nisi habita prius à superiore facultate. pagina 156.

69. Officium iudicis à Religioso susceptum ab ipsoque exercitum absque Prælati sui licentia, nullum est. ibid.

70. An Aduocati, & Procuratoris munus exerceat valide Religiosus sine Prælati facultate. ibidem.

71. An nullum sit officium Tabellionis à Religioso sine licentia superioris exercitum. p. 157

72. Religiosi testimonium præstitum in iudicio sine superioris licentia, estne validum. ibid.

Cap 11. Circa actiones extraiudiciales Religiosis specialiter, interdictas. ibidem.

73. Validane est acceptatio, & executio testamenti à Religioso, sine superioris licentia. ibid.

74. Officium commissarij ad condendum testamentum, ad eligendos executores, nominandas personas, quibus legata distribuenda sunt, præbendúmque consilium executoribus, vt iuxta testamentum exequantur: potestne gerere Religiosus absque speciali superioris licentia. p. 158

75. Potestne Religiosus ex commissione testatoris executores testamenti, seu testamentarios eligere absque superioris facultate. ibidem.

76. Nominatio pauperũ, quibus Eleemosyna in testamento assignata, impertienda sit, fierine potest à Religioso sine superioris facultate. p. 159

77. Præcipit testator executoribus testamenti, vt Religiosorum consilium eõ in munere sequantur: Habentne hi executores obligationem id consilium à Religiosis petendi. ibid.

78. Re-

78. Religiosus testamẽtarius ex superioris facultate factus potestne bona in pauperes distribuenda, sibi applicare. p.160
79. An Religiosis minoribus sit executio testamenti omninò interdicta etiam ex Prælati facultate, si distributio facienda sit inter Minores ipsos, aut D. Claræ Moniales. ibidem.
80. Electio pauperum, quibus pia legata sunt distribuenda, estne Fratribus minoribus interdicta. ibidem.
81. Licitumne est Religiosis, officium Medici, vel Chirurgi citra incisionem, vel adustionem exercere. p. 161.
82. An Religiosus delinquat lethaliter vna vel altera vice negotiationi prohibitæ operam exhibendo. ibidem.
83. An negotiatio per interpositam personam sit Religiosis prohibita sub lethali, ideoque ex ea debeatur gabella. p.162
84. Prælatus videns Regularem subditum in obseruatione depositi delinquentem nec corrigens teneturne de depositio. ibid.
85. Excusaturne à mortali Religiosus, qui prohibito ludo ex consuetudine vtitur, si non principaliter ob lucrum, sed causa recreationis id agat. p.163
86. Hæc ludendi prohibitio Clericis, & Religiosis in sacris constitutis facta, extenditurne ad Religiosos laicos, seu conuersos. ibid.
87. An Religiosus possit gradu doctoris, vel Magistri in iure ciuili, vel Medicina insigniri. ibid.
88. An Religiosi sint capaces suscipiendi tutelam *legitimam*, ex Prælati licentia. p.164
89. Si superior permittat Religioso subdito sepulturam eligere, eritne licita, ac valida electio. ibidem.
90. Prælati inferiores Regulares possuntne, sibi sepulturam eligere. ibidem.
91. Prælatus potestne subditis Religiosis sepulturam eligere. p.165
Caput 12. Circa Religiosi fugam, Apostasiam, & expulsionem. ibidem.
92. Apostata estne Religiosus, qui è Religione fugit animo diù extra commorandi. ibid.
93. Censendusne est apostata, qui à propria aufugit Religione, aliam, inualidè quidem, assumens. pagina 166.
94. An Prælati Regulares teneantur, subditum fugitiuum, seu apostatam licet noxius Religioni sit, reuocare siue ad reducendum diligentiam adhibere. ibid.
95. Si quis Religiosi alicuius apostasiæ cooperetur absque vlla vi vel fraude, contrahitne obligationem restituendi Religioni omnia damna ex tali fuga prouenientia. pagina 167.
96. Religiosus potestne à Religione expelli. ibid.
97. Licitumne est, Religiosum professum ex ordine expellere, si ipse expulsioni repugnet, & correctioni consentiat. p.168
98. Vt quis iuste è Religione expellatur, debetne necessariò semper post trinam monitionem reincidisse. ibid.
99. Tacuisse in professione impedimentum, quo cognito, quis nullatenus in ordinem admittendus esset: estne sufficiens causa, vt professus expellatur. p.169
100. Religiosus per sententiam definitiuam perpetuò à Religione expulsus: teneturne ad illam redire. ibidem,
101. Vt ab vno ordine eiectus possit in alio recipi, debetne litteras testimoniales Prouincialis vel Generalis deferre, at si hæc conditio deficiat, estne validus ingressus. p.170. p.171
102. Expulsus à Religione eximiturne ab obedientiæ voto. ibid.
C. 13. Circa Religiosi facti Episcopi, vel ad Parochialem Ecclesiam promoti, quoad vota obligationem.
103. Religiosus assumptus ad Episcopatum, teneturne vota obseruare, quæ votis tribus constituentibus Religiosum statum in aliquibus ordinibus solent annecti? ibidem.
104. Si Episcopus Regularis, habitu suæ Religionis dimisso sæcularis Episcopi

Episcopi habitum induat, incurritne excommunicationem. ibid.
105. Religiosus in Episcopum assumptus, teneturne Religionis regulas obseruare. p. 172
106. Debitum morale, quod gerit Regularis Episcopus seruandi Ordinis regulas inducitne sub veniali piaculo obligationem. ibid.
107. An regularis Episcopus possit feria sexta vel sabbatho, in quo natalis Domini incidit, carnibus vesci, si ex regulæ præscripto id sit prohibitum. p. 173
108. Episcopus Regularis fruiturne priuilegiis, gratiis, & indulgentiis sui Ordinis Religioso concessis. ibidem.
109. Religiosus ad parochialem Ecclesiam promotus, teneturne ad Regulares obseruantias, & vota ex præscripto regulæ emissa. p. 174
110. Monachus translatus ad Ecclesiam Regularem, vel secularem pleno iure Religioni non subiectam, exemptusne est, ab obligatione graui habendi socium sui Ordinis. ibidem.
C. 14. Circa transitum Religiosi ex vno in alium Ordinem. p. 175
111. Eo ipso, quo Religio sit perfectior, estne strictiore seuerior. ibid.
112. Moniales possuntne ex laxiori Religione ad strictiorem transire. ibidem.
113. Conuersis, & oblatis licitumne est è Religione laxiori ad strictiorem transitum agere. p. 176
114. Sufficitne vt quis, ad strictiorem Religionem transeat, licentiam per literas postulare. ibid.
115. Defectus trium conditionum, quas ius præscribit, vt Religiosus ad strictiorem ordinem transeat, ceditne in validam in strictiori Ordine professionem. p. 177
116. Prælatus Monasterij potestne licentiam impertire, vt quis ad Religionem æquè strictam, vel ad laxiorem transitum agat. ibid.
117. Ad transitum ex vno Ordine ad alium in æque, vel minus strictum, estne necessarius consensus Religiosorum Monasterij. p. 178
118. Transitus ex vno gradu ad alium in eadem Religione potestne fieri ex Prælati immediati Monasterij consensus. ibid.
119. Assumptus ex ordine Mendicantium ad Episcopatum, Episcopatu deposito in ordinem non Mendicantium transfertur: comprehenditurne in Gregorij XIII. constitutione. ibid.
120. Qui ex ordine Mendicanti in non Mendicantem transfertur, si in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia obtinuerit administrationem, Prioratum, aut regimen quodcumque priuaturne voce ac loco in Capitulo. p. 179

LIBER LVIII.

Professio Religiosa.

SECTIO I.

De Professione Religiosa, Receptores sine lite Sententiæ.
pag. 180.

Cap. 1. Vænam, requirantur ad Professionis Religiosæ valorem. p. 180.
Cap 2. De iis, ad quæ Religiosus suæ professionis vi tenetur. p. 181
Cap. 3. De Paupertatis voto. ibidem.
Caput 4. De voto Castitatis, ibidem.
Cap. 5. De voto Obedientiæ. pagina 183.

SECTIO II.

De Professione Religiosa Dubia.
pag. 184.

Caput 6. Circa Religiosi susceptionem status per professionem? pagina 184.
Dub. 1. Si Professio fiat sub conditione honesta de futuro; requiriturne nouus

consensus, conditione purgata ibidem.
2. Professio tacita inducitur ne ex vsu, & exercitio actuum professorum ibidem.
3. Vt actus professorum exercitatio inducat Professionem tacitam, requiriturne triduana saltem in eo perseuerantia. p. 185
4. Qui Religionem ingressurus in re aliqua graui accidentali decepit: potestne expelli, post emissam professionem. ibid.
5. Validane est, Professio à seruo emissa sine domini consensu. ibidem
6. Qui sine coniugis licentia professionem emisit, potestne coniuge non petente, Religionem propria authoritate deserere? p. 186
7. Episcopus, qui absque Pontificis facultate Religionem ingreditur: emittitne professionem validam. p. 187
8. In necessitate graui teneturne Religiosus parenti succurrere, etiamsi opus sit habitum deserere. ibid.
9. Generalis, vel Prouincialis Religionis, potest potestatem inferiori traditam ad acceptandum professuri traditionem ita restringere, vt eo inconsulto, irrita sit receptio. pagin. 188
10. Religio potestne compellere Religiosum qui tentauit Professionis nullitatem, nec probauit, vt illam ratificet ibid.
11. Ad ratificationem Professionis inualidæ, nouitiatus estne repetendus. p. 189
12. Quinquennium, intra quod licitum est Religioso ex nullitate Professionis reclamare, computaturne à Professionis die. ibidem
13. Si quis certo dignoscat, suam Professionem esse nullam, nec ratificasse: peccatne lethaliter, habitum dimittens, & fugiens absque sui superioris, & Ordinarij licentia. pagin. 190.
14. Si sublatum sit impedimentum professionis, & nulla adfuit impotentia intra quinquennium reclamandi, potestne Religioso illi dari in integrum restitutio. ibid.
15. Ad votorum commutationem quæ fit virtute professionis, opusne est, speciali vouentis voluntate. p. 191
16. Religiosis illegitimis concediturne posse vlla Beneficia Ecclesiastica habere, cum irregularitas ex defectu natalium ob Professionem auferatur. ibid.
17. Illegitimè natus, & sine dispensatione ordinatus, si Religionem ingrediatur: potestne in susceptis Ordinibus ministrare. p. 192
18. Irregularitas ex defectu natalium orta tolliturne & non tollitur nouitiatus ingressu. ibidem
19. Fœminæ illegitimæ excludunturne à Prælatura Monialium. ibid.
Caput 7. Circa Castitatem, ac Paupertatem Religiosam. p. 193
20. Differentia voti solemnis Castitatis à voto simplici, estne necessario in confessione exprimenda? ibidem.
21. Si Religiosus Iesuita post vota biennij de facto via testamenti, donatione, aut renunciatione de suis bonis, inscio superiore, disponat, an dispositio hæc proculdubio illicita, erit valida? ibid.
22. Statuto ciuili potestne Monasteriũ, aliàs capax successionis, ab ea excludi. p. 194
23. Religioso professionem emittente, competitne vsusfructus bonorum illius Monasterio. p. 195
24. Monasterium succeditne in maioratu habente clausulam expressam, vel tacitam excludentem Religiosos: si Religosus eum ante professionem possideat. ibid.
25. Emphyteusis concessa ea conditione, ne ad Ecclesiam, aut personam potentiorem transferatur, transitne adhuc ad monasterium succedendi capax. p. 196
26. Hæreditas, & legatum Monacho post professionem delatum, deferturne ipsi immediatè. ibid.
27. A Tridentini tempore interdictitne est Religiosis peculium. ibid.
28. Si Fratres Minores non absolute hæredes instituantur, sed adiecta clausula, vt hereditas vendatur, & in ipsorum vilitatem pretium cedat, valetne institutio. p. 197
29. Si quis instituat non minores ipsos, sed eorum Ecclesiam, vel sacristiã valetne institutio. p. 198
30. Quis hæredem, vel legatarium instituit sub obligatione reddendi annis singulis pensionem Minoribus: valetne legatum ibid.
31. Professis habentibus descendentes legi-

legitimos licitum cum sit bona inter eos diuidere, talis diuisio habetne testamenti rationem. p. 199.
32. Patre professo debeturne statim filiis legitima, licet professus adsit in Ordine successionis capaci. ibid.
33. Religiosus contrahens sine facultate superioris obligaturne naturaliter, licet non ciuiliter obligetur. p. 200
34. In contractibus temporalia respicientibus contrahens cum Religioso obligatusne est stare contractui, expectareque superioris consensum. ibid.
35. Religiosus teneturne soluere mutuum malè consumptum. ibidem.
36. Cum Religiosus ex vno Ordine in alium transit, secundus ordo hæreditatem, quæ delata fuit religioso illi eo tempore, quo in primo morabatur, & prima religio non adiit, potestne adire. p. 201
37. Bona delata priori religioni in consequentiam personæ, Religiosus translatus in aliam, potestne in eam deferre. ibid.
38. Bona quæ ex liberali donatione quis detulit religioni priori, translatus in alium secumne transfert ordinem. p. 202
39. Religiosus absolutè, seu in perpetuum è religione expulsus sibi non acquirens, bona potestne tamen administrare? ibid.
40. Religiosus expulsus habetne ita liberam administrationem bonorum vt valeat ea expendere etiam in vanos, vel illicitos vsus: validaque sit distributio, sicuti à Clerico sæculari facta. p. 203
41. Grauis, vel leuis materia in voto paupertatis desumiturne absolutè ex proportione ad leuem, vel grauem furti materiam. ibid.
42. An delinquere possit Religiosus aduersus iustitiam, quin peccet aduersus votum paupertatis. pagina 204.
43. Violaturne paupertatis votum, si Religiosus res vsu non consumptibiles palam habeat: ita tamen cũ aliis rebus ex superioris licentia possessis immixta, vt vix superior distinguere possit, vel inuenire? ibidem.
44. Vt Religiosus à transgressione voti paupertatis excusetur, necessarione debet, licentiam à superiore absque iniustitia habere pag. 205
45. Vt Religiosus votum paupertatis non transgrediatur, sufficitne præsumpta superioris licentia. ibidem.
46. Sufficitne probabilis cognitio voluntatis superioris futuræ circa licentiam impertiendam, vt præsumptio illius liberet Religiosum à piaculo proprietatis, p. 206
Cap. 8. Circa Regularem Obedientiam ibidem.
47. Episcopus habetne potestatem compellendi Religiosos non exemptos ex vi voti obedientiæ ab eis emissi, ad obseruantiam regularem- ibid.
48. Estne in peccato lethali Religiosus ex consuetudine violans regulas sub mortali non obligantes. p. 207
49. Prælatus Regularis potestne subditis præscribere expeditionem ad Indos, vel hæreticos, aliosvè infideles, eorum conuersioni daturis operam. p. 208.
50. Religiosus ex vi Professionis factæ ante regulæ reformationem teneturne eam reformatam obseruare? ibid.
51. Abbatissa, vel Priorissa potestne, in virtute sanctæ Obedientiæ suis Monialibus præcipere. pagina 209.
52. Religiosi ob delicta ad perpetuum carcerem vel ad triremes damnati possuntne aufugere. ibid.
53. Casu quo fas sit Religioso ex sententia inferioris Prælati ad superiorem appellationem interponere: potestne (si occasio non suppetit appellandi) ad superiorem licentia ab inferiori non petita, iter arripere? p. 210

Index Capitum,

LIBER LIX.

Religio Societatis IESV.

SECTIO I.

De Societatis Iesu Religione, eiusque obligationibus, receptiores sine lite Sententiæ. p.211.

Caput 1. DE iis, qui ab ingressu in Societatem ob substantialia, & accidentaria præscripta in constitutione impedimenta excluduntur. ibid.

Caput 2. De Societatis Iesu Nouitiatu. p.212.

Caput 3. De dispositione bonorum, renunciationeue eorum à Societatis Nouitio facienda. pagina 213.

Caput 4. de obligatione ingrediendi Societatem tribus substantialibus votis annexa. p.214.

Caput 5. De obligatione specialis curæ in puerorum eruditione Professis, ac Coadiutoribus formatis annexa ibid.

Caput 6. De quarto Professorum voto circa specialem summo Pontifici obedientiam. ibid.

Caput 7. De obligatione Professi quatuor aut trium votorum circa paupertatem non relaxandam. pagina 215.

Caput 8. De Voto simplici non ambiendi Prælationem intra Societatem. p.216

Caput 9. De voto nullam prælationem aut dignitatem extra Societatem procurandi, acceptandiue illam, quin à summo Præsule obligentur. ibid.

Caput 10. De voto ambitientes Prælationem manifestandi. ibidem.

Caput 11. De voto audiendi Præpositi Generalis consilium, idque exequendi, si Professus in Episcopum assumatur. pagina 217.

Caput 12. De Dimissione è Societate. ibidem.

Caput 13. De transitu è Societate in alium Ordinem. ibid.

Caput 14. De capacitate Societatis eiusque Religiosorum ad hæreditariam successionem ex testamento, & ab intestato, & ad quodlibet legatum. p.220

Caput 15. De prohibitione, quam Iesuitæ habent recipiendi pro Missis concionibus, aliisque ministeriis stipendia. ibid.

Caput 16. De Iesuitarum ratificatione Professionis, reclamatione, ad mutatione habitus. p.221

Caput 17. De promotione Iesuitarum ad Doctoris, vel Magistri gradus. p.222.

SECTIO II.

De Religione Societatis Iesu eiusque obligationibus Dubia. p.223.

Cap. 18. CIrca eos, qui ab ingressu Societatis specialiter exclnduntur. p.223

Dubium 1. Vt abnegatio fidei à Societatis excludat ingressu, debetne esse publica. ibid.

2. Quis per sententiam declaratus fuit hæresis suspectus, cum tamen verè in errores non inciderit: Estne à Societatis exclusus ingressu. ibidem.

3. Casuale homicidium sufficitne, vt quis à Societatis excludatur ingressu. p.224.

4. Constitutio prohibens homicidæ Societatis ingressum, intelligendane solùm est, de homicidio publico ibid.

5. Receptus est, quis in Societate in quatuordecim annorum completorum ætate antequam quindecim expleret valetne receptio. pagina 225.

6. Si quis aliquo ex impedimentis secundariis à regula præscriptis illigatus, in Societate recipiatur ab

ab eo,qui potestatem habet in eis dispensandi, validane est, receptio,si malitiose opertum fuerit? ibid.

Caput 19. Circa Societatis Iesu Nouitiatum. pag.226

7. Si Prouincialis ex consensu nouitij ante biennium probationis expletum, cum ad vota simplicia scholasticorum admittat,eritne valida admissio. ibid.

8. Nouitij Societatis possuntne testamentum concedere validè. ibidem

9. Renunciatio facta iuxta Societatis constitutiones ab eius nouitiis, vel ab eis, qui vota biennij emiserunt estne absoluta, & independens à professione, seu votorum emissione, ita eis dimissis à Societate nulla sint bona restituenda. p.227.

20. Si nouitius Societatis in consanguineos, vel extraneos non egentes, aliave opera profana renunciationem faciat, eritne iuxta Tridentini decretum valida renunciatio. ibid.

21. Nouitius societatis,vel sui biennij vota gessit, hæreditati paternæ renunciauit in fauorem societatis, & viuente patre professionem vel vota coadiutoris formati emisit: postmodum vero: superstite filio, pater obiit: Societas,potestne in huius hæreditatem succedere. p.228.

Caput 20. Circa professorum, ac coadiutorum formatorum spiritualium obligationes. ibid.

22. An peccabit qui contra votum quartum (scilicet ingrediendi Societatem) si ob repugnantiam, quam habet,in suscipiendo coadiutoris formati gradu, superior mutet, vel suspendat absolutam illum obligandi voluntatem. ibidem.

23. Post receptum gradum coadiutoris spiritualis formati potestne quis, ex voto illo quarto simplici obligari, ad gradum professi recipiendum. p.229

Quæst.inc. An quartum votum quod à professis nostris emittitur circa missiones pontifici,sit superfluum, inutile,& non solemne. ibid.

24. Votum simplex primum, quod professi emittunt de non relaxanda paupertate, obligatne, cum Pontifex proprio motu relaxationem eius facit absolutè, & independenter à Religione. pagina 231.

25. Cessatne, obligatio voti de paupertate non relaxanda, si Pontifex concedat relaxationem paupertatis non absolutè, sed dependenter à Religionis acceptatione. p.232.

26. An contra votum non ambiendi Prælationem, Professus Societatis peccet, si aliquam actionem exerceat externam(remotè quidem)ad dignitatem obtinendam,eo animo & intentione. ibid.

27. Ex voto, quod Professi Societatis emittunt, manifestandi ambientes prælaturam, vel dignitatem teneturne denunciare eos iudicialiter, cum renunciatio iudicialis fieri potest. p.233

28. Professus Societatis teneturne ex huius voti vi denunciare, non solum Professos ambientes dignitatem, vel prælaturam, sed etiam scholares,ac coadiutores formatos. ibidem.

29. Professus ex voto denunciandi ambientes,delictum emendatum tam quoad culpam, quam quoad eius effectum teneturne denunciare. ibidem

30. Gratia petendi consilij delectum ambitionis cuidam Societatis professo est reuelatum. Teneturne ex voto illo, superiori denunciare delinquentem? pagina 234.

Caput 12. Circa dimissionem è Societate,& ad alium Ordinem translationem. ibid.

31. Religio si Societatis non professi possunt nulla intercedente causa è religione expelli. ibid.

32. Quis iniquis mediis dimissionem extorsit & obligatus ad Religionem redire,Prouinciali veritatem manifestans,vt iterum admittatur, repulsam patitur, manetne liber à votis. p.235

33. Præpositus generalis potestne facultatem concedere ad strictiorem ordinem transeundi eum, qui

qui casus expulsione dignas non commisit, sed à Societate digne, ac iustè retinetur. ibid.
Caput 22. Circa capacitatem Iesuitarum hæreditariæ possessionis, & mysteriorum sine stipendio exercitamentum. p.236
34. Si aliquid stabile domui professæ relinquatur quod quidem debet quam primum venditum opportunitas ad id expectatur, potestne locari, aut conduci, redditusque in professorum conuerti vtilitatem. ibidem.
35. Quis testamentum condens, grauat hæredem, vt singulis annis domui professæ certam tribuat pensionem pro sustentatione Religiosorum, vel pro fabrica, vel pro sacristiæ ornatu: Valetne legatum. p.237
36. An ex voto teneantur, sed solum ex regula, Societatis Religiosi nullum stipendium pro nostris ministeriis accipere? ibid.
37. Ille, cui à superiore concessum est, pecunias recipere, peccabitne lethaliter contra votum, si eas in Missarum, vel concionum stipendium recipiat. p.238
38. Estne contra paupertatis votum, si quis Societatis Antonio obligetur, Sacra peragere ea conditione, vt consanguineo eius stipendium concedat. ibid.
39. Si quis è Societate sacra ob stipendium fecit, & id retinet: teneturne, non lege iustitiæ, sed vi voti paupertatis danti illud reddere. ibidem.
40. Qui post biennij vota contraxit (inique quidem) obligationem iustitiæ faciendi sacra ex stipendio accepto, debetne. Missas ex Religionis præscripto dicendas iis præferre. p.239
Caput 23. Circa professionis inualidæ ratificationem, & Religiosi gestationem habitus. ibid.
41. In Societate potestne esse ratificatio professionis, vel incorporationis inualidæ. ibid.
42. Religiosi Societatis tam professi, quam non professi, si teneare habitum dimittant, incurruntne, & non incurrunt excommunicationem. ibid.
Ad Deiparam Dominam meam Epilogus. p.240

LIBER LX

Iudicium Forense.

SECTIO I.

De Iudicio forensi, Receptiores sine lite Sententiæ. p.241.

Cap. 1. DE Legitimo Iudicio. p.241
Caput 2. De Iudice. p.242.
Caput 3. De Accusatore. p.245
Cap 4. De Teste. ibid.
Cap. 5. De Reo. p.247
Cap. 6. De Aduocato. p.248
Caput 7. De Referente, Secretario, Notario, ac Procuratore. pagina 249.

SECTIO II.

De Iudicio Forensi Dubia. pag.250.

Caput 8. CIrca Iudicis obligationes. p.250
Dub. 1. Iudex, qui officium petiit, sciens alium adesse aptiorem, cui munus esset iniungendum, & illud accepit: teneturne ad restitutionem. ibid.
2. Valentne acta Iudicis, qui quando iudicat, excommunicatione etiam toleratus illigatur. ibidem.
3. Iudex excommunicatus toleratus potestne valide alios excommunicare. p.251
4. An Iudex excommunicatus toleratus peccet lethaliter, si suum munus, quamdiù non obtinet absolutionem, exerceat. ibidem.

5. Iudex

5. Iudex excommunicatus non toleratus teneturne ad restitutionem, si aliquem alias dignum ea pœna condemnauit ad soluendum certam pecuniæ summam, vel capitali sententia affecit. ibid.

7. Estne valida sententia iudicis existimati, cuius defectus est occultus, si non habeat titulum coloratum, hoc est, si non acceperit potestatem ab illo, qui dare illam poterat, licet ipse propter defectum occultum capax accipiendi eam non esset. p. 252

8. Iudex existimatus licet eius impedimentum occultum sit, & habeat titulum coloratum, peccatne exercendo iurisdictionis actus, si ipsemet Iudex suum defectum agnoscat. p. 253

9. An validæ sint, sententiæ, & alij actus iudicis qui inuasit iniustè Principatum. ibid.

10. An ille inuasor peccet ius dicendo, illudque peccatum addat malitiam suprà peccatum præcedens vsurpationis Principatus? ibidem.

11. An qui petunt ab iniusto inuasore ius, & sententiam in suis causis, præcipuè criminalibus, delinquant? ibid.

12. An iudex extrahens ab Ecclesia delinquentem eius violator immunitatis, si postea eum puniat iuxta delicti grauitatem, esne infert iniuriam restitutioni obnoxiam pro damnis omnibus sequutis. pagina 254.

13. Si aliquis priuatus per vim: vel dolum reum ab Ecclesia extraxit: potestne iudex postea illum licitè, ac validè comprehendere, ibidem.

14. Iudex inferior iniustè extrahit reum ab Ecclesia: Princeps superior, qui illum iam inuenit extra Ecclesiam potestne eum capere. & iudicare manente iudice inferiore obligato ad restituenda damna propter iniuriam ab ipso commissam. ibid.

15. Licetne iudici, condemnare reum, qui per testes legitimè probatur crimen patrasse, si iudex certo scit, esse innocentem, pagina 255.

16. Iuxta secundam quæstionis præcedentis sententiam, quæ probabilissima est, iudex prius, quam iuxta allegata, & probata innocentem condemnet, teneturne Præfecturam vel officium relinquere ibidem.

17. Iudex supremus, seu Princeps potestne condemnare eum, quem certo scit, deliquisse, licet probetur innocens, vel saltem non probetur esse nocens. p. 256

18. An Princeps quem scit certo, sed occultum crimen grauem admisisse possit sine strepitu iudiciali occidere. ibid.

19. Damnandane est praxis iudicum sæcularium, qui nulla præcedente infamia ex simplici alicuius delatione, ad specialem inquisitionem contra aliquam personam procedunt. p. 257

20. Infamatus, & conuictus de vno crimine potestne à iudice de aliis occultis interrogari, de quibus infamatus non est. ibid.

21. Conuictus de crimine, potestne à iudice de sociis occultis, qui infamia non laborant interrogari. pag. 258

22. In crimine Sodomiæ potestne iudex de socijs haud infamatis interrogare. ibid.

23. In crimine quolibet potestne iudex de socio interrogare, si non admoneat prius reum, ne occultum detegat. ibid.

24. Prælatus Regularis potestne inquirere specialiter de subdito, cuius infamia non præcedit. pagina 259.

25. Iudex potestne vnquam condemnare, & punire reum sine accusatore. p. 259.

26. Vtrùm possit iudex inferior aliquando accusationem non acceptare, & acceptatam rescindere sed alia via satisfacere, & ad remedium procedere? ibidem.

27. Vtrùm possit quis iuridicè denunciare peccatum secretum, etiamsi vale t illud probare, nisi tale sit, quod redundet in Reipublicæ, vel in alicuius innocentis incommodum? pagina 260.

28. An

28. An denunciator teneatur antequam iuridicè denunciet, correctionem fraternam præmittere. ibidem.

29. Iudex seu superior potestne à denunciatione paterna ad iudicialem transire. p. 261

30. Prælatus quamdiù in foro paterno, & ante processum iudicialem procedit potestne subditum rebellem excommunicare. ibid.

31. An Prælatus possit adhuc vt pater excommunicare subditum contumacem, si nulla adsit emendationis spes. p. 262

32. Quando denunciatio iudicialis necessaria non est ad impedien dum graue malum publicum, vel priuatum alicuius innocentis: Prælatus Regularis, cui tanquam patri aliquis delictum subditi denunciauit, potestne validè ei præcipere, vt hoc ipsum iudicialiter denunciet. ibidem.

33. Iudex inferior potestne imminuere pœnam à lege præscriptam, quando reus est vir publicus, & bono communi valde necessarius. ibidem.

34. Quando pœna imponenda pro delicto est arbitraria, potestne Iudex pœnam capitalem imponere. p. 263

35. Licetne apud Iudices pro delinquentibus intercedere? ibidem.

36. Iudex, qui sine sufficienti causa pœnam pecuniariam relaxauit, vel imminuit, teneturne ad restituendum illi, cui pœna illa deberet applicari. p. 262

37. Apparitores qui noctu inueniunt aliquem arma gestante, & illa auferunt redduntque illi, vel pretio accepto, vel gratis, debentne æstimationem fisco, vel aliis, ad quos pertinet, restituere? ibidem.

38. Iudex in ferenda sententia teneturne opinionem magis probabilem sectari. ibid.

39. Quando est æque probabile ius vtriusque partis: Iudex potestne pro illa iudicare, & an debeat, vel litigantes componere, vel rem inter illos diuidere, &c. pagina 265.

40. Iudex, qui sine rationabili causa sententiam profert pro parte probabili, contra probabiliorem, teneturne ei, aduersus quem tulit sententiam restituere. ibid.

41. In causa, quæ vtrinque est dubia, & nemo possidet: Iudex potestne rem indiuiduam, cui voluerit applicare. p. 266.

42. Iudex, qui accepit aliquid à Petro, ne Antonium occideret, quem occidere iniustè volebat teneturne restituere. ibid.

43. Acceptio munerum, quæ non tanquam pretium dantur, sed ad alliciendum animum iudicis in alteram partem, illicita estne ex iure naturali prohibita. pagina 267.

44. Acceptio munerum à iudice quæ ex iure naturæ sit prohibita obligatne ad restitutionem? ibidem?

45. Quando obligant leges iudicem, ad munera malè accepta restituenda, intelligendæne sunt de obligatione ante condemnationem, vel declarationem. ibid.

46. Quando non habetur probatio plena, sed tantum præsumptiones, & iudicia vrgentia, potestne iudex mitiori extraordinaria pœna reum punire. pagina 268.

47. Quando reus confessus est delictum, verb. grat. homicidium, sed dixit, se id gessisse in sui defensionem, illa confessio sufficitne, vt iudex imponat illi ordinariam homicidij pœnam? ibidem.

48. Iudex contrà ius aliquid nouit à reo, vel à teste, potestne ex tali notitia reum punire in aliquo casu. p. 269

49. Personæ, quæ ob sexus, ætatis vel corporis fragilitatem, & periculum non possunt, possuntne terreri terrore propinquo, & leuiter torqueri ad terrorem magis, quam ad dolorem. ibid.

50. Ij, qui ob nobilitatem, vel dignitatem torqueri non possunt ex priuilegio legis, licet non valeant vel leuiter torqueri, possuntne tamen verbis terreri. pag. 270.

51. Licetne

51. Licetne iudici illum damnare, qui crimen confessus est spe veniæ, & impunitatis sibi à iudice promissæ. ibid.

52. Peccatne Iudex, qui informationem sibi traditam ab vno litigante dat alteri parti videndam ob amicitiam. p. 271.

53. An famuli Iudicum, vel auditorum delinquant, qui occultè accipiunt, vel transcribunt informationem datam iudici vel auditori, vt eam parti contrariæ tradant pro pecunia. ibid.

Caput 9. Circa Accusatoris, ac Denunciatoris obligationes. ibid.

54. Hæredes hominis occisi tenenturne homicidam accusare. ibidem.

54. Promisit Antonius sub iuramento Petro delinquenti, eum non accusare, vel denunciare; potestne eum accusare, vel denunciare, non obstante iuramento. p. 272

55. Apparitores, & Tabelliones, qui vt habeant occasionem lucrandi, accusant vel denunciant in iudicio Peccatum occultum, peccantne grauiter cum obligatione restituendi. ibid.

56. Accusator in causa criminali, si accusatio est iusta, potestne ab ea desistere. ibid.

57. Clericus ob acceptam iniuriam in causa sanguinis possuntne propriè accusatoris personam gerere. pag. 273.

58. Quando Clericus denunciat delictum pœna sanguinis dignum cum protestatione, si sequatur sanguinis pœna, ideone ab irregularitate excusatur: quod possit Clericus causam proximi prosequi, sicut suam potest. ibid.

59. In delictis, quæ adhuc sunt in fieri vel conseruari contra bonum commune, vel priuatum, teneturne quis, ex vi edictorum denunciare? quando non potest in iudicio probare illud delictum? pagina 274.

60. Filius teneturne patrem hæreticum denunciare. ibid.

61. Illi, quibus aliquod delictum dictum est petendi consilij, vel remedij causæ excusantnrne à denunciando ex vi edicti, etiamsi delictum in alicuius damnum non vergat, pag. 275.

62. Quando edictum obligans ad manifestandum vel denunciandum delictum, fundatur in præsumptione, & quis scit præsumptionem in eo casu deficere, teneturne denunciare. ibid.

63. Prælati in huiusmodi edictis debentne ea limitare, vt denuncientur ij, qui possunt, (v.g. & debent, nolunt tamen restituere. p. 276

Caput 10. Circa Testium obligationes. ibid.

64. Si quis tenebatur aliquem proximo inferentem iniuriam accusare, teneorne me testem in illius auxilium delicti denunciati conscius offerre, ne ob defectum probationis patiatur accusator. ibid.

65. Estne grauis obligatio ex charitate te offerendi in testem, etiamsi proximus indigens testimonio tuo extrema necessitate laboret. ibidem.

66. Quando testis negatiuè se habet celando vel non aperiendo veritatem, & ea de causa aliquis iniustè læditur ab aduersario, peccatne contra iustitiam cum onere restituendi. p. 277.

67. Quando non imminet graue damnum publicum, vel priuatum obligatne secretum commissum, antecedente iudicis præcepto. ibidem.

68. Quando crimen est publicum sed delinquens est occultus, testis debetne eum Iudici manifestare ex inquisitione præcedenti. p. 278

69. Habet quis verum ius ad rem, ad hanc autem obtinendam, aliquam circumstantiam falsam probare oporteret, quam testis, quem inducere intendit, putat esse veram: potestne eum ad testificandum inducere. ibid.

70. Licetne testi pro testimonio vero ferendo aliquid accipere. p. 279

71. Testis qui per ignorantiam testificatus est bona fide falsum teneturne ex iustitia, sed solum ex charitate, suum testimonium retractare. ibidem.

72. Testis, qui dum testimonium aduersus Petrum dicit, Iudex intellexit de Ioanne, teneturne ex ō iustitia

iustitia(non solum ex charitate) dictum retractare seu declarare se de Ioanne minimè locutum. ibid

*Cap.*11.Circa Rei obligationes.pagina 280.

73. Vt reus obligetur ad respondendum, debetne prius certificari de probatione contra ipsum, ostensis ei meritis in processu, vel alio modo ibid.

74. Quodlibet mendacium in iudicio à reo prolatum estne peccatum.ibidem.

75. Potestne deferri reo saltem iuramentum calumniæ, non ostensa ei contra ipsum probatione. ibid.

76. Quoties probatio semiplena præcedit,vel iuridice reus interrogatur, teneturne ipse rogatus,contra se veritatem fateri. p.281

77.In iis casibus, in quibus reus tenetur veritatem fateri,qui semel illam rogatus negauit, teneturne postea etiam non interrogatus, eam confiteri, retractando quod dixerat, si sit adhuc sub iudicis potestate. ibidem.

78. Non obstante delicti negatione, reus conuictus est, & damnatus, vltimum ducitur in supplicium,in mortis articulo obligandusne est à Confessario, crimen suum quod negauerat,fateri, p.282

79. Estne peccatum contra iustitiam occulta crimina accusatoris,& testium detegere, vt reus infirmet illorum testimonium, quando alia via possit infirmari. ibid.

80.Si testis ordinem iuris seruauit, & debito modo contra reum testatus est veritatem, poterit reus adhuc ad tollendam ei fidem eius crimina detegere. p.283

81.Quando crimen, quod opponitur testi, non sufficit ad reum defendendum, quia alioquin delictum est sufficienter probatum, adhuc reus potestne crimen testis detegere,vt eius infirmet testimonium. ibidem.

82.Per se, & præscindendo à malitia mendacij,& periurij, estne contra iustitiam imponi a reo crimen falsum testi,qui falso, vel contra iuris ordinem aduersus eum testificatus est,vt se possit ab eius calumnia defendere. ibid.

83.Quando reus dubitat de sententiæ iustitia, potestne licitè appellare.p. 284.

84. Licetne reo appellare, quando constat iudicem secundum minus, vel æquè probabilem Doctorum sententiam iudicasse,vt experiatur, an iudex superior fortasse contrariam sententiam amplectatur. ibidem.

85. Licitumne est eos in causis ciuilibus appellare,quando iudex secundum magis probabilem opinionem sententiam tulit. ibid.

86.Reus condemnatus ad pœnam pecuniariam soluendam,& appellans ex falsa causa,si admissa appellatione postea absoluatur, debetne in conscientia pœnam illam pecuniariam soluere. p.285

87. Quando sententia est iusta secundum allegata, & probata, licet in veritate reus sit innocens,potestne licitè resistere. ibid.

88. Reus timens mortis,vel mutilationis, vel alius pœnæ similis executionem, potestne è carcere fugere. p.286.

89.Reus,qui est in triremibus,potestne oblata occasione inde fugam accipere. ibid.

90. Quando reo licitum est fugere,licetne etiam ei rumpere, vel effringere carcerem,fodere parietem,& similia. ibid.

91.Reus effringens carcerem, teneturne damnum ruinæ parietum, vel rupturam carceris reparare.p. 287.

92. Cum reus ex iuramento præstito tenetur fugere è carcere,vel redire si ex custodis licentia exit, estne ei relaxatio iuramenti concedenda, quando timet mortis pœnam. ibidem.

93.Si iniustè quis carceri addicitur, & pœna iniusta timet se afficiendum, obligatne iuramentum præstitum de non fugiendo: vel redeundo ad carcerem ibid.

94.Qui iudicis sententia damnatur ad manendum in carcere perpetuo propter delicta, potestne licitè fugere. p.288

95.Religiosus damnatus iustè ad triremes,potestne ab eis licitè fugere sicut sæcularis potest. ibid.

96.Reo

96. Reo, qui potest licitè fugere, possuntne alij, qui iustitiæ Ministri non sint, instrumenta ei ad fugam exhibere. p. 289
Caput 12. Circa Aduocati obligationes. ibid.
97. Qui in vna causa Aduocatus fuit, potestne in eadem iudex existere, sit, vel non sit Iudex ordinarius. ibidem.
98. Aduocatus potestne semper in causa dubia patrocinari. pagina 290.
99. Quando causa vtriusque clientis probabilis est, alterius tamen probabilior, Aduocatus potestne sine distinctione, minus probabilem defendere. ibid.
100. Quando cliens habet bonum ius in causa possessionis, non tamen in proprietate, Aduocatus potestne eum defendere in ceusa possessionis, interim dum non vertitur causa circa proprietatem. p. 291
Caput 13. Circa Notariorum obligationes. ibid.
101. Notarij peccantne contra sui numeris debitum, tradendo partibus, vel earum solicitatoribus, aut Procuratoribus processus originales, vel scripturas originales habentes. ibid.
102. Notarij, qui protocollum impleri non curant delinquuntne lethaliter. p. 292
103. An delinquant grauiter Notarij, vel Secretarij, facientes processus, & causas ad alios Iudices, vel Relatotores, vel receptores venire ad quos iuxta ordinem Curiæ venire non debeant, & ad teneantur ad restitutionem. ibid.
104. Notarius, qui gessit instrumenta falsa in damnum tertij, si constitutus in mortis articulo vnde restituere possit non habeat, nec parti, cui fauit, valet persuadere vt restituat, teneturne schedulam apud Confessarium subscriptam relinquere, in qua scripturæ illius falsitatem declaret. p. 293
105. Notarius teneturne restituere, quod accepit vltra pretium à lege noua taxatum, ob instrumenta quæ conficit. ibid.
106. Notarius faciens scienter instrumentum pro contractu vsurario, illum explicans obligaturne ad restitutionem, si fiat in eo loco, vbi Iudices solent ad soluendas vsuras obligare. p 294

LIBER LXI.

Tributa.

SECTIO I.

De *Tributis Receptiores sine lite Sententiæ.* p. 295.

Caput 1. Quid sit Tributum, Vectigal. p 295
Cap. 2. De iis, qui iustè possunt tributa imponere. ibidem.
Caput 3. De conditionibus requisitis, vt Tributa, seu Vectigalia iustè imponantur. ibid.
Caput 4. De rebus, quibus possunt iustè imponi Tributa. pagina 296.
Caput 5. De soluendi Tributi obligatione. ibid.
Caput 6. De iis, qui sunt à Tributorum solutione immunes. pagina 297.

SECTIO II.

De Tributis Dubia. p. 298.

Cap. 7. Circa eos, à quibus Tributa possint, iustè imponi. pag. 298.
Dub. 1. Potestas imponendi Tributa competit ex natura rei solis Principibus supremis. ibid.
2. Ciuitas, vel communitas Principem superiorem habens, potestne aliquando Principis faculiate contributiones ad publicas necessitates imponere. ibid.
3. Consuetudine potestne acquiri ius noua Tributa imponendi. pag. 299.

4. Princeps infidelis potestne Tributa imponere à Christianis per eius Regnum transeuntibus soluendi, licèt Regnum illud Princeps infidelis à Christicola Rege vsurpauerit. ibid.

Cap 8. Circa conditiones necessarias ad Tributi iustificationem. pagina 300.

5. Princeps, qui sua culpa in paupertatem peruenit, quia prodigis elargitionibus, luxu, vel alio abusu consumpsit ærarium, potestne Tributum, ad egestatem subleuandam. imponere. ibid.

6. Estne iustum Tributum, quod ex rebus quæ communiter ad vsum vitæ humanæ emuntur soluendum imponitur, vt ex pane, vino, oleo, carnibus. ibid.

7. Pauperes, qui defraudant tributa imposita in his rebus communibus, quas ad proprium vsum emunt, vel asportant suntne peccati mortalis damnandi, & obligandi ad restitutionem, pagina 301.

8. Gabellarius seu exactor Tributi Regij potestne tuta conscientia illud exiger, quando iniustum præsumitur ob aliquam ex tribus conditionibus non seruatam. ibid.

9. Assium (vulgo *Sisa*) impositum propter ipsius ciuitatis, vel loci vtilitatem, in quo imponitur, exigiturne iustè ab exteris illuc confluentibus. ibidem.

10. Procurator, qui ciuitatis nomine adest comitiis, vbi de imponendo tributo agendum est, si certum sit rem esse iniustè concludendam, nec illius suffragium esse profuturum nisi ad odium sibi conciliandum, teneturne adesse, & pro veritate loqui. p. 302

11. Si is, ad quem spectat ius suffragij probabiliter iudicium formet de iustitia tributi, sed probabilius iudicet esse iniustum, potestne licitè tributo consentire? ibidem.

12. Iudicandumne est iustum illud tributum, quod imponitur huic Regno, vt Rex alia Regna suæ ditionis defendat. p. 303

Caput 9. Circa obligationem Tributa soluendi. ibid.

13. Estne obligatio in conscientia soluendi Tributa. ibid.

14. Leges tributorum suntne de facto tales quæ exigant tributa dari à subditis ex se ipsis sine alia petitione, & leges petentes tributa suntne ita iustæ vt obligent in conscientia subditos cum onere restituendi, si non obediant. ibid.

15. Si gabellarius, vel custos simpliciter interrogat de mercibus, quas aliquis adfert vendendas, & minorem esse quantitatem sine iuramento respondet: obligaturne ad restitutionem. p. 304

16. Si postquam cessauit omninò causa tributi iustè exigendi, transiit tempus, de cuius initio non constat, & semper Tributum solutum fuit: idne sufficit ad Tributi iustitiam. ibidem.

17. Quando Princeps non præstat ea, ad quæ tributum impositum, ac concessum fuit, subditi teneturne soluere. p. 305

18. Princeps non præstans ea, ad quæ Tributum concessum fuit, teneturne illud restituere. ibid.

19. Mercator, qui ex venditione debebat gabellam soluere, occultò rem Petro vendidit, ad gabellam defraudandam, Petrus tenetur restituere, eo quod fraudationi fuerit cooperatus. ibid.

20. De iure Hispano emptor (*cui lege* 32. præcipitur, retinere partem pretij, vt gabellam soluat) si id omittat, tenebiturne restituere. pagina 306.

21. Quando gabella alioquin est iusta, & omninò debetur, excusaturne is, qui ob necessitatem (id est coactus) vendit, à gabella ex venditione debita. ibid.

22. Ex mercibus prohibitis debetne quis gabellam soluere. ibidem.

23. Debeturne gabella ex rebus, quæ non ad negotiationem, sed ad proprium vsum deferuntur, vel emuntur. p. 307

24. Creditor Regis, qui nequit debitum ab eo recuperare, potestne non soluere vt sibi pro debito compenset, si eam gabellam Rex locauit alicui, in cuius præiudicium eiusmodi compensatio videtur

tur resultare. ibid.
25. Compensatio potestne fieri à Regis creditore, quando debitum contractum fuit à Rege postquam gabella absolutè debebatur. ibidem.
26. Dubium negatiuum de iustitia Tributi, excusatne ab eo soluendo. p. 308.
27. In dubio positiuo, quando adsunt rationes probabiles pro iustitia, & pro iniustitia Tributi, potestne subditus illud non soluere? ibidem.
28. Gabellarius dubitans de Tributi iustitia exigens id peccatne si subditus Regis non sit, nec ad exigendum compellatur. pagina 309.
Caput 10. Circa personas à Tributis, & gabellis soluendis exemptas. ibid.
29. Potestne Princeps exemptionem à Tributis soluendis vendere. ibidem.
30. Quando is, cui Rex vendidit, vel locauit ius Tributi exigendi postea illud alteri vendidisset, vel locasset iste venditor vel locator debetne secundo emptori, vel conductori Tributum soluere, quod alioquin soluere debuisset, si ius ad Tributum id non accepisset à Rege. p. 310.
31. Exemptio à tributo soluendo concessa à Rege alicui, seruandane est à successore, quando concessa est in perpetuum? ibidem.
Caput 11. Circa res, vel contractus, ex quibus gabella est soluenda. ibidem.
32. Debeturne ex permutatione gabella quando quis debebat pecuniã tibi, & postea pro debito triticum (v. gr.) soluit? ibid.
33. Debeturne gabella ex emphyteusi, seu locatione ad longum tempus? p. 311
34. Debeturne gabella ex transactione, quæ fit ad litem terminandam. ibidem.
35. Petrus debetne gabellam, si donet omnia sua bona Antonio, eo pacto, vt obligetur ad eius debita soluenda, & eum alendum. ibid.
36. Quando consanguineus retrahere potest ex *Lege* 70. *Tauri* rem aliquam alicui venditam eodem pretio: si tempore intermedio prior emptor alteri extraneo vendidit, & hic alteri, à quo postea consanguineus intra debitum tempus retrahit, debeturne gabella ex illis intermediis venditionibus? pagina 312.
37. Quando res dotales dantur marito æstimatæ, ex eis debeturne gabella. ibid.
38. Quando cohæredes diuidunt inter se hæreditatem, & quia fundus indiuisibilis est alter alteri dat pecuniam, debeturne gabella pagina. 313.
39. An in permutatione ex iure Hispano saltem debeatur gabella ante traditionem, quando ex permutatione debetur. ibid.
40. Venditio inducitne obligationem soluendi gabellam ante traditionem. ibid.
41. Debeturne gabella ex venditione, antequam pretium sit solutum, si res tradita sit. ibid.
42. Fit venditio cum pacto de retrouendẽdo seu de redimenda re, reddito pretio intra certum tempus ad arbitrium venditoris, & tunc gabella soluitur: Porro debeturne noua gabella, quando venditor reddito pretio rem suam redimit. pagina 314.
43. Cum rescinditur contractus à minori factus, gabellarius debetne restituere ei gabellam, quam ex venditione soluerat? ibidem.
44. Debeturne gabella ex censu vitalitio, quando imponitur, vel si alius possessor alteri vendat pag. 315.
45. Qui solum debet soluere gabellam ex negotiatione, qualis est Clericus, debetne illam quando aliquid emit ad suum vsum & postea, mutato consilio, illud maiori pretio vendit. ibid.
Caput 12. Circa locum soluendi Tributi. p. 316
46. Si res, circa quam fit contractus, & quę tradenda est, sit in Hispania, & contractus fiat in Gallia, an Tributum soluendum sit in Hispania? ibidem.

47. Quando contractus fit per curatorem, debeturne Tributum vbi Procurator contrahit. ibid.
48. Quando contractus fit per litteras hinc inde datas, debeturne gabella in loco, vbi secundus contrahens, acceptis litteris alterius, consentit. p. 317
49. Contrahentes possuntne ante contractum conuentiones facere cum gabellario vt partem gabellæ debitæ remittat, vt inibi contractum efficiant. ibid.
Caput 13. Circa alias res, ex quibus Tributum debeat solui. ibidem.
50. Cum res aliqua centum aureis verb. gr. venditur, sed pro venditione facienda venditor decem aureos insumpsit, vt proxenetæ, præconi, & aliis solueret: Gabella debetne ex centum aureis integrè solui. ibid.
51. Si gabella tota à Venditore soluenda, sit, & emptor assumat in se onus illam soluendi tunc ad Gabellæ solutionem solumne computandum est, quod datur venditori, sed etiam ipla gabella? p. 318
52. Ad gabellam soluendam, computandumne est, quod licitatori datur, pretium mercis augentis. ibid.
53. Debeturne gabella ex onere, quod vltra pecuniam emptori imponitur. p. 319
54. Qui vendit triticum pretio ex lege taxato, potestne reiicere in emptorem ipso consentiente onus soluendi gabellam, quando venditor deberet soluere. ibid.
Caput 14. Circa Ecclesiasticarum personarum à Tributis, seu gabellis soluendis immunitatem, p. 320.
55. Immunitas à solutione tributorum prouenitne Ecclesiasticis, etiam à iure diuino completè, ac proximè. p. 320
56. Clerici minorum Ordinum non coniugati Beneficium Ecclesiasticum non habentes suntne à soluendis tributis immunes. ibidem.
57. Clerici minorum Ordinum coniugati, mortua vxore, quam virginem, & vnicam duxere, recuperantne exemptionem à tributis, si habitum, & tonsuram non deferant. p. 321.
58. Laicus habens in sua familia vnum, vel plures filios Clericos, vel etiam beneficiarios, potestne extrahere ex gabella partem iuxta id, quod Clerici illi consumunt. ibid.
59. Nouitij Religionum debentne de bonis propriis, quæ retinent gabellas soluere. ibid.
60. Regularium Coloni debentne gabellam soluere. ibid.
61. Emphyteuta sæcularis habens in emphyteusim rem Ecclesiæ, libernè est à gabellæ solutione. pagina 322.
62. Ecclesiasticus debetne ex bonis patrimonialibus gabellam soluere. ibid.
63. Quando bona ad Ecclesiasticam personam venirent habebant onus, vel tributum annexum, quod Clericus soluere proculdubio debebat, & non soluit: potestne ad soluendum id à iudice sæculari cogi. ibid.
64. Potestne lege imponi obligatio realis omnibus fundis, vt etiamsi ad Ecclesiam deueniant, tributum soluat Ecclesia. p. 323
65. Equites Ordinum Militarium participantne hanc à gabellis soluendis exemptionem, ex iure communi. ibid.
66. Imponentes vel exigentes gabellas à personis Ecclesiasticis, incurruntne excommunicationem latam in clausulæ 5. Bullæ Cœnæ. ibidem.
67. Vt Clericus negotiator immunitatem à gabella soluenda amittat, requirituine trina monitio. pagina 324.
68. Potestne ab Ecclesiasticis exigi gabella pro communibus necessitatibus, vel commoditatibus, etiam consequenter Clericorum in commodum redundantibus. p. 325
69. Vt Clerici ad communes necessitates vel vtilitates contribuant, requirituine, quod ad id laicorum bona non sufficiant. ibid.
70. Vt verba Concilliorum illa. *Quod laicorum bona non sufficiant*, verificentur

ficentur sufficitne facultates communes ciuitatis non sufficere, licèt priuatorum sufficerent facultates. ibidem.

71. Quando petitur iudicium Episcopi, & Clerici, vt Ecclesiastici gabellas ad necessitates communes soluant, nomine Cleri, intelligiturne solum Capitulum Ecclesiæ. p.326

72. Cum iam nunc ad hoc, vt in his communibus necessitatibus Clerici tributa soluant præter Episcopi ac Cleri consensum Pontificis summi consensus requiratur, validusne est consensus Cleri, Pontifice inconsulto, ad hunc effectum. ibid,

73. Vt Clerici tributũ, soluãt ad ea quę immediatè concernunt bona eorum & non solùm consequenter, requirunturne eędem conditiones, ac requiri dixi ad contributionem in communi vtilitate, seu necessitate. ibid.

74. In iis casibus, in quibus Clerici possunt, vel debent contribuere si reluctentur, possuntne à laicali cogi potestate. p.327

75. Quando Clericus ex negotiatione debet Tributum vel ob negotiationem (post monitionem trinam) continuatam perdit exemptionem à Tributis, bona illius possuntne à iudice sæculari capi, quæ ad solutionem debiti tributi sufficiant pag. 328.

76. Si mercatores laici in ipso ciuitatis ingressu aliquod Tributum soluunt ex mercibus, quas vendendas afferunt, estne indirectè contra Ecclesiasticam immunitatem?, ibid.

77. Si gabella exigenda sit à venditore, vel emptore laico, estne contra immunitatem Ecclesiasticorum, si hæc gabella ab eo exigatur, quando vendit etiam Clerico, vel ab illo emit. p.329

78. Si animo seu intentione grauandi Ecclesiasticos statuta circa Tributa fiant læditurne eorum immunitas cum obligatione restituendi. ibid

79. Estne contra Ecclesiasticam immunitatem, quando lege communi augetur aliquantulum pretium carnium (v.g.) vini, & oleiita vt illud augmentum non maneat penes venditorem, sed ad aliquam necessitatem, vel vtilitatem publicam applicetur. p.330

80. In prædictis casibus excusanturne imponentes illas gabellas generaliter, quando protestantur se in anni fine reddituros Clericis quod per modum gabellæ soluerunt. ibidem.

81. Quando non ex fine exigendi à Clerico indirectè, nec hoc intuitu gabella imponitur, estne contra immunitatem Ecclesiasticam exigere gabellam à venditore laico, etiam quando Clerico vendit. ibidem.

LIBER LXII.

De Personis Ecclesiasticis Religiosis, ac Sæcularibus, Receptiores Doctorum communes sententiæ.

PARS PRIMA.

Ecclesiastica Personæ. p.332.

Caput 1. DE Clericis in communi? ibidem.

Caput 2. De Summo Præsule. p.334

Caput 3. De Archiepisco. ibidem.

Caput 4. De Episcopo. p.335

Caput 5. De Cardinali. p.336

Caput 6 De Canonico. ibid.

Caput 7. De Capitulo. p.337

Caput 8. De Parocho. p.338

PARS

Index Capitum, & Dubiorum.

PARS SECVNDA.

Religiosæ Personæ.

SECTO VNICA.

De *Personis Religiosis, Receptiores sine pugna Sententiæ.* pag. 339.

Caput 1. DE Prælato Regulari? pagina 339.
Caput 2. De Abbate. p. 340
Caput 3. De Abbatissa. pagina 341.
Caput 4. De Monialium Clausura. ibid.

PARS TERTIA.

Personæ sæculares.

SECTIO VNICA.

De *Personis Sæcularibus, Receptiores sine pugna Sententiæ.* p. 344.

C. 1. DE Principibus supremis, p. 344.
C. 2. De Communitate, seu Vniuersitate, Collegio. ibid.
C. 3. De Vrbium Regimine. p. 345
C. 4. De queisdam Reipublicæ Ministris. p. 346
C. 5. De Medicina. ibid.
C. 6. De Militia. p. 347
C. 7. De Agricultura. ibid.
C. 8. De Mercatura. p. 348.
C. 9. De Artificio. ibid.
Ad Deiparam Dominam nam Epilogus. p. 350

R.P.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES SINE LITE

Sententiæ, Dubiæque Disceptationes.

STATVS ECCLESIASTICVS.

LIBER LIV.

ECCLESIASTICA IMMVNITAS.

De Templorum Immunitate.

DE Ecclesiastico Statu Tractationem suscipiens primùm de Templorum Immunitate plura præmittam, expendens quid nomine Templi ad hunc intelligatur effectum, qui gaudeant, qui non huiusmodi Ecclesiæ priuilegio, queisque pœnis sacrilegi Ecclesiæ violatores efficiantur.

SECTIO PRIMA.

De Immunitate Ecclesiæ Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

Quid sit Ecclesiastica Immunitas, & quid nomine Ecclesiæ ad hunc effectum intelligatur?

1 *Quid sit, & quo iure?*

ECclesiastica immunitas quoad locum, est exemptio seu priuilegium Ecclesiæ seu Templo concessum, vt ibi existentes sint tuti à laica potestate, & delinquẽtes ad ea loca confugẽtes per vim extrahi non possint. Profectò huiusmodi immunitas non est introducta iure naturali, aut diuino, sed Ecclesiastico, seu Canonico. *Cap. Inter alia de immunit. Eccl. Bulla Gregor. XIV. Cum alias nonnulli.*

2 *Ecclesia Episcopi authoritate fundata, licet non benedicta, licet diruta, &c. immunitate gaudet.*

Ecclesia fundata Episcopi authoritate, siue benedicta sit, siue non quamuis in ea nondum officia diuina fuerint celebrata, gaudet immunitate, licet polluta, vel interdicta, vel diruta sit, modo non sit dirura authoritate Episcopi sine spe reædificandi. Hoc enim in casu immunitatem amitteret. Quia priuilegium hoc est veluti accidens morale, accidens verò destruitur destructo subiecto. Sylvest. & Angel. *v. Eccles.* Suar. *to.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 2.

3 *Quid hic nomine Ecclesia intelligatur?*

Ecclesiæ nomine, quoad hunc effectum non solùm venit interius Ecclesiæ corpus, verùm etiã tota fabrica, vt tectum, partes parietũ exteriores, campanile, Sacristia, Templo coniuncta, Cæmeterium. Imò immunitas iure cõmuni extenditur ad fines, siuè confinia Ecclesiæ vsque ad quadraginta passus si Ecclesia fuerit Maior, seu Matrix, & Metropolitana. Si verò fuerit Minor vsque ad triginta passus protenditur, præcisa tamen consuetudine in contrarium exceptis Ecclesiis in ciuitate constructis, in quibus ob locorum angustiam hoc nequit asseruari. *Cap si quis in atrio. Cap. Id constituimus*, 17. *q.* 4. *Cap sicut antiquitus* 17 *q.* 4. Suar. *tom.* 1. *de Rel. tr.* 2. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 7 *&c.*

4 *Immunitate gaudent domus Regulares, Palatium Episcopi, oratoria, &c.*

Immunitatis Ecclesiæ priuilegio ex constitutione Gregorij XIV. *Cum alias* gaudent Monasteria Extenditur immunitas ad totum clanstrum, seu habitationem Religiosorum, etiam ad viridarium. Quia totus ille locus est sacer. Præterea extenditur ad hospitale Episcopi authoritate fundatum, & ad seminarium. Quia loca pia ac religiosa reputantur. Palatiũ, seu domus Episcopi eodẽ potitur indulto, modò sit intra quadraginta luæ Ecclesiæ passus constructa. Quia sic locus sacer reputatur. Alias non, nisi in ea erectum sit oratorium, vbi diuina celebrentur. Denique oratoria authoritate Episcopi li cõstructa, & perpetuo diuino cultui dicata, locus sacer censentur. Secus si priuata authoriate sint constructa. *Cap. Ad hæc, de relig. domib. Cap. Id constituimus* 17. *q.* 4. Couar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 4. & 5. Suar. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 20.

CAPVT II.

Quinam Ecclesiæ Immunitate gaudeant?

5 *Immunitas hæc quinque parit effectus.*

IMmunitas hæc quinque parit effectus. Primus est, vt reus capi in Ecclesia nequeat. Secundus, vt non apponatur impedimentum quo existenti in loco sacro non adferantur alimenta, vestitus, & alia, quæ ad vitam necessaria sunt. Tamen Iudici sæculari licebit extra locum sacrum delinquentem obsidere, vt eum capiat, dum extra loca sacra progrederetur. Tertius, vt existenti in loco sacro nulla vis vel damnum inferatur. Quartus, vt dum reus in Templo existit, damnari nequeat ad mortem, vel ad corporalem pœnam: imò actus facti à laico iudici erga delinquentem per vim extractum à loco sacro, irriti sunt, vtpotè facti sine iurisdictione. Quintus, vt delinquens per vim extractus ab Ecclesia eidem, vel alteri restituatur, in qua eque tutus ac liber esse valeat. Couar. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 5. & 24. *Cap. definiuit* 17. *q.* 3. *cap. Inter alia, de immun.* Sylvest. *v. Immunitas* 3. *q.* 7.

6 *Reus Sacerdotem Eucharistiã deferẽtem amplexans capi non potest.*

Profectò reus amplexans Sacerdotem Eucharistiam deferentem non potest à fællitibus capi ob tanti Sacramenti reuerentiam, præcipia in contratiũ consuetudine, Cõcors tamen ferè omniũ Doctorum sententia est talem gaudere immunitate. Couar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 6. Diana *p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 28. de quo *sect.* 2. *sermo recurret.*

7 *Omnes fideles baptizati & infideles si velint Christiani protegendi sunt priuilegio Ecclesiæ immunitatis.*

Omnes fideles baptizati quãuis interdicti, & excõmunicati (præter hæreticos in hæresis delicto) immunitate potiũtur. Imò & infideles, si fieri velũt Christiani protegendi sunt priuilegio Ecclesiæ. Quia par est, vt Ecclesia cũ recipiendat, qui se eius gremio cõmittere non recusat. Verũ hæc immunitas prodest in omnibus causis tã ciuilibus quã criminalibus, exceptis casibus in iure, ac constitutione Gregorij XIV. expressis. Quia iura indistincte, ac indefinite loquuntur, & solũ nonnulli casus excipiũtur: exceptio autem firmat regulã in casibus non exceptis. Couar. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 11. Tanner. 2. 2. *d.* 5. *q.* 8. *dub.* 1. *n.* 16. Sylu. *v. Immunitas* 3. *q.* 3. Suar. *to.* 1. *de Rel. tr.* 2. *l.* 3 *c.* 10. *n.* 13. Nauar. *sum. c.* 25. *n.* 21.

8 *Et debitores, blasphemi, & adulteri.*

Debitores in loco sacro ex stẽtes gaudẽt priuilegio, quãuis suspecti sint de fuga, vel sint obstricti debito publico. Imò & blasphemi, modo non sint hæresi infecti. Et adulteri in Ecclesia existẽtes capi nõ possũt à sæculari Iudice. Quia hi casus in cõstitutione Gregorij nõ excipiũtur. Suar. *de Rel. to.* 1. *tr.* 2. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 3. Diana *p.* 1. *tr.* 1. *resol.* 32. Bonac. *to.* 2. *d.* 3. *q.* 7. *§.* 4. *n.* 3.

Clerici

Clerici non possunt expellere confugientes ad Ecclesias,& alia loca immunia,sed debent suscipere defensionem confugæ. *Cap. Miror Cap. Reum, Cap. Definiuit. Cap. Sicuti antiquitus. 17. q. 4. C. Inter alia, de immun. Eccl.* Quia dans alicui loco immunitatem , dat etiam ius omnibus, qui indigent ad ipsum confugere. Ergo qui expellit, priuat confugam iure suo, agitque contra iustitiam.

9 *Clerici non possunt confugientes ad Ecclesiam expellere.*

Si tamen rei ad Monialium Monasteria confugiant,haud sunt admittendi. Quia dedecet earum statum & sexum,id agere. Si verò ipsi vi ineant clausuram(pro vt iustè id aliquando facere possunt,si sibi timeant mortem,aut aliquid magnum malum) cessante periculo,nequeunt ibi manere. Si autem nolunt inde exire,& immunitate Ecclesiastica non gaudeant, curiæ ecclesiasticæ tradi possunt iuxta modũ in constitutione Gregoriana præscriptum. At si illa gaudeant , ad minus extrahi debent à clausura Monasterij,& in alio sacro loco collocari. Sanch. *Decal. l. 6. c. 16. n. 59.* Bonac. *de claus. q. 4 pun. 4. num. 13.* Lezana *to. 2. sum. v. clausura. n. 31.*

10. *Quid si rei ad Monialium Monasteria confugiant.*

CAPVT III.

Quinam Ecclesiæ Immunitate non potiantur ?

NOn violatur ecclesiæ immunitas, si reus extra locum sacrum comprehensus ad carcerem per cæmeterium aut ecclesiam deducitur,etiamsi per vim extrahatur , & inde exire recusset. Quia non dicitur capi in loco sacro , cum libet ad ecclesiam,vel cæmeterium non confugerit. Idem dixerim, dũ reus capitur se ipsum voluntariè offerens , nolensque loci immunitate potiri. Quia licet priuilegiũ immunitatis immediatè concessũ loco sacro sit,tamẽ mediate redũdat in fauorem hominum , quia possunt cedere iuri suo Nec violatur immunitas , dum reus blanditiis aut deceptione,aut premissionibus sine coactione extractus à loco sacro extra eũ capitur. Quia immunitas solum per violentam extractionem violatur. Con. *l. 2. var. 6. 20. n. 13.* Suar. *l. 3. c. 13. n. 2.* Nau *sum. c. 25. n. 21.*

11 *Quando Ecclesiæ immunitas non violetur, reique in non habent, vt eo priuilegio potiantur.*

Immunitate non fruuntur publici latrones, hoc est,qui palam, & publicè prædantur,vel publicas obsident vias,vel castra tenent , vt transeuntes spolient. Depopulatores agrorum, quamuis nocturni non sint, idest,qui diripiũt alienos agros,vt qui segetes,seu fructus surripiunt,vineas vastant. Cõmittentes homicidia sui mutilationes in ecclesiis,aut cæmeteriis earum. Quia par nõ est,vt immunitate ecclesiæ fruatur,qui in Ecclesia delinquit,Hoc ampliandum,etiamnis delictum in alia ecclesia cõmiserint siue sine spe immunitatis, siue cum spe commissa fuerint:imò sine extra ecclesiã exstat,qui occidit , vel mutilauit, modò occisus vel mutilatus fuerit in Ecclesia. Qui vulnerauit in Ecclesia eum,qui extra ecclesiam mortuus est,immunitate priuatur. Quia delictum homicidii censetur in Ecclesia commissum. *C. Escob. & M. nd. Theol. Mor.* Tom. VII. *Inter. alia, de immun. Bul. Greg. XIV.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9.* Nau. *c. 25. n. 20. & 21.*

12 *Non gaudent immunitate publici latrones.*

Qui proditoriè proximũ occidit, priuilegio hoc destituitur. Proditorẽ dico eũ,qui amicitiam simulabat cũ eo quem interemit,seu qui dolosè aliquẽ seduxit, vt occidat, seu qui hominem interficit nil tale præuidentẽ. Qui verò occidit inimicũ,non dicitur proditor in rigore loquẽdo,quamuis illum à tergo percutiat,aut dormientem perimat. Quia hic mortem præuidere , ac præcauere poterat. *Cõsl. Greg.* Gom. *var. res. §. de hom. c. 3. n. 5.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 12.* Dian. *p. 1. tr. 1. res. 31.*

Nec qui proditoriè proximum occidunt.

Et rei assassini, vt patet in *Bull. Greg.* Assassini dicuntur propriè,qui pecunia, aut pretio alio accepto,vel promisso cõducti, præuio mãdato,occidũt homines incautos, seu nil tale ab eis cogitãtes Et qui tradita pecunia;mãdata aliquẽ per assassinos interimi. Porrò ad assassinium requiritur, vt Christianus occidatur, & in dubio est præsumendum,Christianum fuisse occisum, si nex in Christicolarum terris acciderit. Con. *l. 2. var. c. 20. n. 9.* Suar. *l. 3. c. 11. n. 15* Iul. Clar. *§ assassinium, n. 13.*

14 *Nec assassini.*

Hæresis rei immunitate omnino priuantur. Rei verò hæresis dicuntur nõ solũ ij, qui cõtrà fidem cũ pertinacia sentiunt: verum etiam ij, qui auxilium, aut refugium præbent hæreticis. Tamen in illis locis, vbi hæretici impunè habitare permittuntur,nec ob hæresim puniuntur , aliqui sentiunt in criminibus non exceptis,gaudere vti cæteri , immunitate. *Const. Greg. XIV.* Bon. *to. 2. d. 3. q. 7. §. 4. n. 21. & 22.* Diana *p. 1. tr. 1. res. 29.*

15 *Nec hæresis rei.*

Demiq;ea nõ fruuntur rei criminis læsæ Maiestatis in Principis personã. Sed ad hoc crimẽ requiritur,tũ vt ipsamet persona Principis offendatur,tũ à suo subdito. Dian *p. 1. tr. 1. res. 6*

16 *Nec rei læsæ Maiestatis in Principis personam.*

CAPVT IV.

De peccato , & pœnis violantium Ecclesiæ Immunitatem.

SAcrilegium committitur contra loci sacri immunitatem,dum à satellibus fori sęcularis capitur delinquens, qui facto carcere se se in ecclesiam vel oratorium,vel Hospitale authoritate episcopi constructum, vel in Monasterium Religiosorum,vel in Palatium Episcopi , vel vbi vsu receptum est,in domum Parochi,aut Canonicorum aliorúmue Ecclesiasticorum non distantibus triginta passibus ab Ecclesia. Idem dixerim si ad hæc loca confugiat,postquã se è satellitum manibus eximit, etiamsi tunc ad capitis supplicium duceretur;vel dum satellites ipsum insequerentur ad capiendum. Vnde non potest capi reus, qui clausas Ecclesiæ ianuas,vel seras,vel quid simile apprehẽdit,vel qui suprà tectũ,seu regulas ecclesiæ existit. Et satellites reũ,capientes super tectum existentem,aut hærentem valuis loci sacri , contra eius immunitatem delinquunt. Quod ampliandum,etiamsi delinquens capiatur per eã pallij, vel corporis partẽ quæ extra valuas,aut extrà alium locum sacrũ prominet. graf. *p. 1. l. 2. c. 48. n. 7.* Fagund. *l. 4. n. 63.* Diana *p. 1. tr. 1. resol. 73.*

17 *Sacrilegi sunt immunitatis Ecclesiæ violatores.*

Bonac.*to.*2.*d.*3.*q.*7.§.2.*nu.*10.Azor *to.*1.*l.*9.*c.* 9.*q.*9.Suar.*l.*3.*c.*9.*nu.*8.Conar. *l.*2.*var.c.*20. *n.*3.& 18.

18. *Non solum peccat crimine sacrilegij,sed & iniustitiæ.*

Extrahens igitur delinquentem è loco sacro primò peccat crimine sacrilegij.Quia grauem iniuriam loco sacro gerit,in cuius reuerentiam conceſſum eſt immunitatis priuilegium.Deinde graviter delinquit peccato iuſtitiæ.Quia iniuria afficit delinquentem habentẽ ius reſiſtendi.Vnde qui per vim delinquentem extraxit , tenetur ad reſtitutionem omnium dãnorum, quæ inde paſſus eſt delinquẽs. Quia ex crimine cõtra ius alterius reſtituendi cõſurgit obligatio.D.Th.2.2.*q.*62.*a.*2. Suar.*l.*3 *c.*13.*n.*4 & 9.Val.*to.*3.*d.*6.*q.*15.*pu.*1.

19. *Pœnæ ex iure ciuili.*

Varias pœnas incurrit immunitatis Eccleſiæ violator:de iure ciuili incidit in crimen læſæ Maieſtatis,*l.*2.*C.de his.qui ad Eccleſiam.* Et alibi decernitur puniendum eſſe capitali pœna,& vltimi ſupplicij.Sed hæc pœna non eſt in vſu.Suar.*l.*3.*c.*13.*n.*6.

20 *Pœnæ ex iure Canonico.*

Iure autem Canonicopœna excommunicationis ferendæ,non latæ. Sed in conſtitutione Gregorij XIV. eſt excommunicatio lata , vt conſtat ex textu.Imò hanc excommunicationem incurrunt mandantes extrahi reum à loco ſacro , & iudices, qui nec mandauerunt extrahi,nec extraxerunt,ſed extractum Eccleſiæ reſtituere noluére,aut morti adiudicarunt. Clar.*in prac.*§.*finali,q.*30.& alij communiter.

Prælati locorum immunitate gaudentium, tenentur delinquentes confugientes ad locum immunem , conſignare ſæculari curiæ illum requirenti,ſi cognouerint , aliquod delictum ab eis commiſſum fuiſſe , propter quod immunitatis priuilegium amiſere. Conſtat ex *Gregorij conſtit.* Tamen antequam delinquens, qui ad locum ſacrum confugerat,curiæ ſæcularis tradatur, obtinenda eſt primò ab Epiſcopo, vel ab eius vicario facultas expreſſa capiendi,& extrahendi delinquentem, & debet aſſiſtere aliqua perſona Eccleſiaſtica ad hoc deputata,dum extrahitur : Epiſcopus autem non tenetur ſtare proceſſui à laica poteſtate facto , quo oſtenditur reum priuandum eſſe immunitate:ſed debet ipſe nouas probationes recipere,vt certo de rei delicto conſtet Diana *p.*1.*tr.*1.*reſol.*14.Fill.*tr.*15.*n.*48.

21. *Quandoũ teneantur Prælati locorum immunitatis priuilegium amittere. Ex iure diuino, ex Gregorij conſtit. ex iure ciuili. ſæculari curiæ delinquentem.*

SECTIO SECVNDA.

Dubia de Templorum Immunitate.

CAPVT V.

Circa ea quibus Templum polluitur.

DVBIVM I

An per coniugalem copulam polluatur Templum?

22. *Nonnulla recolo,*

REcolo , Templum pollui per homicidiũ. *Cap.Propoſuiſti,de conſecr.Eccl.*Per vulneris grauis & iniurioſi inflictionem.*C.vni. de conſecr. Eccl.* Per ſuſpenſionem rei in Eccleſia factam.Quia eſt actio iudicis nimis loco ſacro iniurioſa. Fagund. *de prec.Eccl.l.*4.*c.*4.*n.*17.Nau *ſum.c.*25.*num.*85. Per ſepulturam excommunicati denunciati, aut percuſſoris manifeſti Clerici.*C.conſuluiſti, de conſecr. Eccl.* Per ſepulturam infidelis,in quo comprehendo puerum nondum baptizatum.*Cap.Eccleſiam* 1.& 2.*de conſecrat.diſt.*1. Per effuſionẽ ſeminis mortaliter peccaminoſam.*C.vni.de conſecr Eccl.in* 6.Quæſierim verò,an per copulam coniugalem polluatur?

Pollui quidẽ videtur. Quia ratione loci ſacri eſt peccatũ ſacrilegij.Sic palud.*in* 4.*d.*18.*a.*4. & *diſt.* 31.*q.* 3.*d.*2.D.Anton.*p.*3.*ti.*1.*c.*20.§.3. Caiet.*ſum.v.matr.c.vlt.*Tol.*l.*5.*c.*8.*n.*14.Graf. *deciſ.c.*48.*n.*16.Val.*to.*4.*d.* 10.*q.*6 *pun.*2.§.7.

23. *Polluitur quidem.*

24 *Non polluitur.*

Non polluitur.Quia ſeminis effuſio non poteſt Eccleſiã polluere,niſi ſit ſacrilega,& peccaminoſa:At copula maritalis non eſt peccaminoſa nec ſacrilega,etiamſi abſque neceſſitate fiat :Ergo non polluit Eccleſiam. Minorem probo. Quia non eſt ſacrilega iure naturæ,vel diuino, vt de ſe conſtat : neque etiam poſitiuo , nullibi enim talis copula, ſcandalo excluſo,prohibetur.Ita Gloſ. *ad Cap.Eccleſia v.ſemine,de conſecr.diſt.*1.Vaſq.1.2.*d.*98.*n.*6. Sà , *v.Eccleſia,num.* 14.Baſil Legion. *l.*10.*de matr.c.* 10.*n.*13.alios citans.

25 *Mediam tero viam.*

Mediam tero viam:ſi copula neceſſaria ſit alteri coniugum ad periculum incontinentiæ vitandum , eo quod diu cogatur in Eccleſia habitare,ſacrilega non erit, nec per illam Eccleſia polluetur. Secus ſi ad hunc finem neceſſaria non ſit.Priorem partem probo, quia non eſt credendum velle Eccleſiam coniugem ſic periclitantem ſuis legibus obligare, eſſet enim nimis dura obligatio. Secundam partem probo. Quia ſeclusa hac neceſſitate, iure naturali videtur prohibita talis copula in illo loco , eſt enim eius graue vilipendium, ea vti ad actum ita materialiter turpem ſine neceſſitate.Mecum.Sayr.*l.*5.*de cenſ.c.*16.*n.*19. Azor.*p.*1.*l.*10.*c.*26.*q.*15.Suar. *to.* 1.*de Relig. l.*3.*c.*8.*n.*3.

DVBIVM II.

An actiones (quibus Eccleſiam diximus pollui) ſint ſacrilegia,ſi occultè fiant?

26 *Non ſunt ſacrilegia.*

SAcrilegia non ſunt. Quia in tantum videntur ſacrilegia eſſe , in quantum

ipsis Ecclesia polluitur : sed non polluitur Ecclesia, nisi publicæ sint: ergo, cessante hac publicatione, non sunt sacrilegium. Sic Graf. *dec. p. 1. c. 48. n. 26.* Coninch *de sacram. q. 83. a. 3. dub. 1. n. 2.* Vasquez *1. 2. d. 9. n. 6.* Basil. Leg. *l. 10. ae matr. c. 10. n. 5.* Tol. *l. 5. c. 8.* & alij.

27. *Sacrilegia sunt.*

Sunt planè sacrilegia. Quia manere Ecclesiam pollutam effectus est sacrilegij, & quasi pœna illius: Ergo non potest esse sacrilegium per ordinem ad illam pœnam. Profectò si ob illas actiones Ecclesia interdiceretur, illæ actiones peccata, & sacrilegia non essent, quia causant interdictum, sed potius causant interdictum, quia sacrilegia sunt: Ergo prius sacrilegium præsupponitur. Ita Nau. *sum. c. 16. nu. 32.* Sanch. *l. 9. de matr. d. 11. n. 11.* plures citans. Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 2. n. 7.*

28. *Cum his sentiens, opinor,*

Cum his sentiens, nego esse sacrilegia, quatenus per ipsas actiones Ecclesia polluitur, sed quia in honorem, & reuerentiam loci sacri prohibitæ sunt. Nam si sacrilegium non esset, nisi quatenus de facto Ecclesia illis actionibus polluitur, sequeretur, sæpe Ecclesiam absque sacrilegio pollui. Ponamus namque te homicidiũ occultè patrasse in Ecclesia, postea verò illud in iudicio fassus fuisti. Dic mihi, quandonam illud homicidij habet sacrilegij rationem? Quando commissum est, non habet, quia non polluit Ecclesiam; quando facta est illius confessio, tunc non committitur, & tamen tunc polluitur Ecclesia: Ergo polluitur Ecclesia absque sacrilegio. Quapropter dixerim, illas actiones sacrilegas esse, & Ecclesiam in habitu polluere: vt tamen in actu polluta maneat, debent illę actiones manifestari. Imo iuxta probabilem sententiam debet sententia declaratoria criminis accedere.

DVBIVM III.

An Homicidium, vulneratio, vel seminis effusio sint sacrilegia (si in Templo fiant) independenter ab Ecclesiæ prohibitione?

29. *Sacrilegia sunt.*

SAcrilegia sunt. Quia seclusa prohibitione Ecclesiæ, attentâ solùm loci sanctitate indecentissimum est, copulam coniugalem sine necessitate in Templo habere. Ergo hæc indecentia prouenit ex loci sanctitate: Ergo est sacrilegium. Ergo à fortiori est Sacrilegium vulneratio, homicidium, seminis humanis illicita effusio. Sic Syluest. *v. Confessio 1. q. 10.* Corduba *sum. q. 190.* Medina *Cod. de confess. q. de circunst. loci sacri.* Suar. *to. 1. de Relig. c. 7. an. 6.*

30. *Non sunt sacrilegia.*

Non sunt sacrilegia iure positiuo excluso. Quia excluso hoc iure intantum peccata in Ecclesia commissa possent esse sacrilegia quatenus eius consecrationi, & benedictioni opponuntur. Sed nullum peccatum ex iure naturæ, seclusa lege positiua, opponitur consecrationi, aut benedictioni, cùm nullum sit, quod consecrationem, aut benedictionem tollat, seclusa lege positiua id statuente: Ergo nullum est peccatum sacrilegij. Ita Cietan. *2. 2. q. 99. ad 5.* Sotus *l. 2. de iust. q. 4. artic. 4.* Nauar. *sum. c. 6. num. 11.* Sanch. *l. 9. de matr. d. 15. n. 4. & 5.* Basil *l. 10. c. 10. nu. 9.* Vasq. *1. 2. d. 98. à n. 4.* Valen. *2. 2. d. 6. qu. 15. pun. 1.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 31. q. 3.* & alij.

Cum his probabilius opinor. Nam si seclusa lege positiua, seminis, vel sanguinis effusio sacrilegium constituunt, ob indecentiam, quam in locum sacrum continere videntur: etiam tactus impudici, murmuratio, testimonium falsum, alapæ inflictio, & reliqua omnia peccata sacrilegia esse deberent. At in fere omnium sententia hoc generaliter non admittitur. Ergo non est admittendum sacrilegium in ilil peccatis Ecclesiam polluentibet seclusa lege positiua. Nec ideo fit quælibet peccata facta in loco sacro non habere aliquam malitiam grauiorem. Habent equidem, sed intrà eandem speciem vti Caiet. *2. 2. q. 7.* & alij docent. Sicut peccata commissa in die festo grauiora sunt commissis die feriato, non tamen mutant speciem necessario cnnfitendam.

31. *Eiusdem mentis sum.*

DVBIVM IV.

An Concilia, confabulationes, contractus politici, & similia in loco sacro fieri prohibeantur vera, & rigorosa prohibitione?

32. *Status quæstionis.*

IN *Cap. docet, de immunit. Eccl. in 6.* omnes hæ prohibentur actiones dubium autem est, nùm vera, ac rigorosa sit prohibitio, seu an sit præceptum Ecclesiasticum de illorum vitatione.

33. *Non vetantur præceptiua prohibitione.*

Non vetantur vera, ac rigorosa prohibitione, ideóque eorum transgressio mortalis non erit nisi ex contemptu, vel cum notabili diminorum officiorum impedimento fiant. Quia in eo *Cap.* nullum est verbum præceptiuum respectu subditorum, sed quid conueniens sit ibidem fieri declaratur. *Cessent* (inquit) *confabulationes, cessent turpia, cessent negotiationes, cessent parlamenta*, qui modus dicendi non videtur præceptum continere. Sic Nau. *de orat. & hor. canon. c. 5. n. 42.* Tab. *eodem*, & Syln. *q. 2. n. 5.*

34. *Præceptiua prohibitione vetantur.*

Vetantur vera, rigorosa ac præceptiua prohibitione. Quia textus præcipit ordinariis, vt subditos compescant authoritate illius Canonis, ad illa vitanda, si autem ille canon vim coactiuam non haberet, non possent Ordinarij authoritate illius subditos per censuras compescere. Ita Glos. *ad illud Cap.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 6. n. 3.* Palao *to. 2. d. vni. de immun. Eccl. pun. 4. n. 2.* & alij.

35. *Hoc longè probabilius.*

Huius sententiæ validum est fundamentum, vt subscribere cogar. Et quidem licet non sint textus verba præceptiua in actu signato: sunt tamen in actu exercito, siquidem verbo imperatiuo prohibentur. Profectò non omnia, quæ illo in *Cap.* prohibentur sub graui vetantur piaculo, sed aliqua sub veniali, quia materia leuiter hædit loci sanctitatem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DVBIVM V.

An prohibiti sint in Ecclesia contractus ab Ecclesiasticis celebrati?

36. *Quæstionis status.*

PRohibentur in Ecclesia fieri *negotiationes, & præcipuè nundinarum. Cap. Decet, de immun. Eccl. in. 6.* Quibus verbis satis constat, prohibitos esse quoslibet contractus emptionis, & venditionis vsum politicum respicientes. Non tamen semper grauis ibi interuenit culpa, sed quando adest negotiatio, ideſt, expositio ad pluries contrahendum vociferatione, & tumultu. Quæsierim verò, an contractus hi, si ab Ecclesiasticis celebrentur, sint prohibiti?

37. *Prohibiti sunt.*

Prohibiti sunt. Quia prohibetur fori cuiuscumque tumultus. Ergò tam tumultus tam ab Ecclesiastico, quam à sæculari factus. Et quia Ecclesiastici arctius obligantur, quam sæculares, Templis reuerentiam exhibere. Sic nonnulli Doctores non immeriti, nec immeritò.

38. *Non sunt prohibiti.*

Non sunt prohibiti. Quia si prolatio sententiæ Ecclesiasticæ in illo *Cap.* non prohibetur, neque contractus Ecclesiastici prohiberi debent Ita Nauar. *de orat. c. 5. n. 37.*

39. *Hoc teneo.*

Profectò rationes ab Authoribus primæ sententiæ connumeratæ, debere Ecclesiasticos in sacris locis a contractibus cessare profanis. At si de rebus Ecclesiasticis contractus sint, crediderim non obligari ab eis abstinere, nisi quantum diuinis officiis esse possunt impedimenta.

DVBIVM VI.

An loci sacri immunitas, ne ad eum confugientes vi, aut dolo extrahantur; sit latè explicanda?

40. *Quæstionis status.*

IVre Canonico, ac ciuili grauissima irreuerentia fit sacris locis si illud confugientes, nè securè existant vi, aut fraude quis extrahat. *Cap. Inter alia, de immu. Eccl. Cap. Frater. Cap. Minor. Cap Reum Cap. Desiuuit. Cap. Id constituimus.* Trident. *sess. 25. c. 20.* Quæsierim autem, an hæc immunitas latè sit interpretanda?

41. *Non est latè interpretanda.*

Latè interpretanda non est Quia derogat ius commune, imò & naturale, quo cauetur, delicta non debere impunita manere. Et quia hac immunitate freti audaciores improbi redderentur ad crimina perpetranda. Sic Couar. *l. 2. var. c. 20. n. 4.* Decian. *tr. crimin. l. 6. c. 25. n. 14. & c. 28. n. 6. & c. 29. n. 1.*

42. *Latè interpretanda est.*

Latè est explicanda. Quia est causa pia, & fauorabilis Ecclesiæ. Et quia est priuilegium per modum legis in iure communi insertum, quod latam recipit interpretationem. Ita Alex. Ambros. *de immun. Eccl. c. 10. n. 7.* Marc. Anto. *c. 22. prac n. 2.* Marian. Ital. *de immun. Eccl. l. 1. c. 2. § uni. n. 1.* Farin. *in append. immun. c. 2. n. 21.*

43. *Hos sequor.*

Hanc sententiam, communem quidem, defendendam existimo. Quia nemini in particulari eam video præiudicare.

DVBIVM VII.

An præfata communitas, ne confugientes ad loca sacra vi extrahantur, interpretatio facienda sit vbilibet iuxta ius Canonicum aut Ciuile?

44. *Facienda est iuxta ius Ciuile, non iuxta Canonicum.*

IVxta ius ciuile, & non iuxta Canonicum fieri debet interpretatio extrà Ecclesiæ loca in terris Imperiis. Quia in pluribus Pontificiis decretis, præcipue in *Cap. inter alia, de immun. Eccl.* & in *Cap. Id constituimus. 17. q. 4.* leges ciuiles de immunitate Ecclesiæ loquentes approbantur. Ergò saltem approbandæ sunt pro terris Imperij, & pro Iudicibus sæcularibus authoritatem iudicandi ab alio, quã à Pontifice recipientibus. Sic Additionat. ad Angelum *de mal. v. Quod fama publica, n. 59. lit. B.* Alciat. *de præsump. 33. n. 5.* & alij relati à Deciano *cons. 80. n. 3. lib. 3.*

45. *Facienda est iuxta ius Canonicum.*

Iuxta ius Canonicum hæc interpretatio est facienda. Ita Decian. *tract crim. l. 6. c. 25. n. 6.* Alexand. *con. 145. n. 2. & 10 l. 7.* Farinac. *in append. de immun. Eccl. c. 2. n. 28. & 31.* cum per ius Canonicum eam Immunitatẽ induxerit, quam deinde Principes suis legibus tuiti sũt.

46. *Authoris sensus.*

Moneo tamen cum Deciano *de carcerib. & carceratis q. 28. n. 6.* si dubium aliquod suboriatur super interpretatione iuris Canonici, illam interpretationem sequendam esse, quæ cum iure ciuili conueniat. Quia iura iuribus conuenire decet, iuriumque correctio, quoad fieri possit, vitanda.

CAPVT VI.

Circa loca sacra, queis hæc reuerentia debetur.

DVBIVM VIII.

An vt loco alicui immunitatis reuerentia debeatur, necessarium sit vt in eo Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum permanenter existat?

47. *Status quæstionis.*

ECclesię authoritate Episcopi erecte, etiãsi consecrata non sint, hęc reuerentia debetur. *Cap. Ecclesiæ, de immun. Ecclesiar.* Quęsierim verò nũ necessarium sit, vt in ea Eucharistiæ Sacramentum permanenter existat?

48. *Necessarium est.*

Necessarium est. Quia propter hoc Augustissimum Mysterium est hæc immunitas constituta. Sic Couar. *l. 2. var. c. 20. n. 4.* Anastas. Germon. *de sacror. immun. l. 2. c. 16. n. 26.* Tuschus *pract. concl. v. Ecclesia, concl. 9. n. 19.* Vbi, allegato Claro, testatur, ex consuetudine in plurions id locis asseruari.

49. *Non est necessarium.*

Non est necessarium. Quia in *Cap. Ecclesia,* & in aliis textibus de immunitate loquentibus non expostulatur. Ita Farinac. *append. de necessar. immun.*

immun. c. 7, n. 254. Palao *to. 12. d. vni. de immunit. Eccleſiar. pun. 6. n. 2.*

50. *Cum his ſentio.* Cum his ſentio. Nam ratio concedendi hanc immunitatem non eſt continua Chriſti Domini Sacramentalis præſentia ; ſed quod talis locus deſtinatus ſit Epiſcopi authoritate ad diuina inibi celebranda.

DVBIVM IX.

An vt locus ſacer immunitate gaudeat, ſit neceſſarium, vt inibi diuina celebrentur?

51. *Eſt neceſſarium* NEceſſarium eſt. Qua in *Cap. Eccleſiæ, de immun. Eccleſiar.* dicitur non adimi immunitatis priuilegium Eccleſiæ, in qua diuina myſteria celebrantur : Ergò à contrario ſenſu adimi debet hoc priuilegium Eccleſiæ , in qua diuina non celebrantur. Quouſque enim diuina celebrentur , non videtur Eccleſia , quæ nec conſecrata , neque benedicta eſt, diuinis obſequiis eſſe dicata Ita Gloſ. *ibi, v. celebrantur.* Zabarella *ibidem.* Butri *n. 2. & 3.* Innocent. *Cap. Inter alia, de immun. Eccleſiarum , v. ad Eccleſ.* Hoſtien. *ibi.* Decian. *tr. crimin. l. 6. c. 24. n. 24.* Alexand Ambroſ. *de immun. Eccleſ. 10. num. 2.*

52. *Neceſſarium non eſt.* Non eſt neceſſarium. Quia hic eſt locus Religioſus diuinis dicatus obſequiis. Quod verò in eo diuina non celebrentur per accidens eſt : ſufficit enim, quod celebrari poſſint. Nam ex hac aptitudine Eccleſia nominatur, vel ſaltem locus Religioſus dicitur. Ita Azor. *p. 2. l. 9. n. 2.* Farinac. *q. 28. n. 34. & in append. de immunit. c. 17. n. 258.* Bonac. *in 1. prac. decal d. 3. q. 7. §. 2. n. 2.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 9. n. 2.*

53. *Cum his opinor.* Exiſtimo, eo ipſo, quo Eccleſia authoritate Epiſcopi primum lapidem apponentis fuerit conſtructa , immunitate potiri. Nam ſi talis Eccleſia fuerit ſanguinis, vel ſeminis effuſione reconciliatione indiget, vt probat textus in *Cap. ſi Eccleſia, de conſer. Eccleſiæ.* Ergo erat locus Sacer. Ergo immunitate potitur.

DVBIVM X.

An extendatur loci ſacri immunitas ad Domum Epiſcopi cum vltra quadraginta paſſus à Templo Cathedrali non diſtat?

54. *Nonnulla de locis immunitate gaudentibus recolo.* REcolo extendi hanc immunitatem ad Eccleſias nondum perfectè conſtructas. Ad Templa interdicta , polluta , diruta, modo non ſit Epiſcopi authoritate , aut ſine ſpe reædificationis : extendi ad totam Eccleſiæ fabricam , vnde confugientes ad eius fores immunitate fruuntur: item ad clauſtrum, porticum , ambitum , dormitorium, ad cæmeterium Eccleſiæ, ad Hoſpitale Epiſcopi authoritate erectum ad conuentus Religioſorum, ſecundum totum illud, quod ſeptum eſt: ad oratorium Epiſcopi facultate erectum , ad tabernaculum Euchariſtiæ, ad Sacerdotemque, qui illam per plateas ad ægros apportat. Quæſierim verò , an extendatur priuilegium immunitatis ad Epiſcopi domum ? Certum eſt extendi ex *Cap. Id conſtituimus 17. q. 4.* ibi: *Ab Eccleſiæ atriis , vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omninò non liceat.* Quod verum habet etiamſi Epiſcopus abſens ſit , vel mortuus, modò non ſit alteri domus locata. Marian. Ital. *de immunit. l. 1. c. 4. §. 9. n. 4.* Farinac. *append. de immun. Eccl. c. 17. n. 270.* Dubitatur verò an hoc verum ſit, ſi domus quadraginta paſſus ab Eccleſia Cathedrali diſtet?

55. *Non extenditur , cum 40. paſſus diſtat.* Si diſtet quadraginta paſſus non extenditur ad eam immunitas. Quia conſuetudine, & vſu forenſi ſic eſt receptum. Et quia hæc immunitas ob locum ſacrum, qui eſt Eccleſia conceditur : Domus verò Epiſcopi adeò ab Eccleſia diſſita , neque eſt Eccleſia , nec illius confinis : Ergo. Sic Decian. *tr. crim. l. 6. c. 25. n. 14.* Bonac. *de immunit. d. 3. q. 7. §. 2. n. 8.* Cou. *l. 2. var. c. 2. n. 5.*

56. *Extenditur, etiamſi 40. paſſus à Cathedrali diſtet.* Extendi ur , tametſi vltrà quadraginta paſſus ab Eccleſia Cathedrali diſtet. Quia expreſſe, & abſque vlla limitatione in *Cap. conſtituimus* hoc priuilegium domui Epiſcopali conceditur. Ergo limitandum non eſt , cum ſauorabile ſit, ac pium. Et quia ſi intra quadraginta paſſus deberet domus Epiſcopalis exiſtere , vt hoc priuilegio gauderet: nulla ei ſpecialis prærogatiua conceditur , quæ non concedatur cuilibet alteri domui Eccleſiæ, vel Canonicorum *ibidem* exiſtenti : cum his omnibus in ſatis probabili ſententia hoc priuilegium ſic conceſſum. Ità Nauar. *ſum. c. 25. n. 18.* Suar. *to. 1. de Relig. c. 9. n. 9.* plures referens Farinac. *de carcer. q. 28. n. 38.* Tuſchus *pract. v. Eccleſia, concl. 9. n. 11.*

57. *Hoc defendo.* Dixerim ferè ex omnium ſententia, ſi domus Epiſcopi capellã, ſeu oratoriũ habeat, vt regulariter habet, gaudere immunitate, etiãſi vltrà quadraginta paſſus ab Eccleſia diſtet. Quia iã videtur ratione capellę locus ſacer , ac Religioſus eſſe. At ſi capella careat, etſi prima ſententia probabilis ſit, probabiliorem ſecundam eſſe reor. Quia domui Epiſcopi habenti capellã omnes fere conueniunt hanc prærogatiuam debitam eſſe, ſed ob capellam aut oratorium, priuatum, quale communiter Epiſcopi habent , non debetur, ſicuti nec ipſi priuato oratorio. Ergo aſſerendum eſt debitam eſſe ob Epiſcopalem dignitatem.

DVBIVM XI.

An Cæmeterium , quod Eccleſiæ contiguum non eſt gaudeat, immunitate.

58. *Quæſtionis ſtatus.* EXtenditur immunitas ad cæmeterium Eccleſiæ. *Cap. fin. de Eccleſ. immun.* Hoc certum. Dubium verò eſt , an hoc intelligendum ſit de cæmeterio Eccleſiæ contiguo, an etiam de ſeparato ?

59. *Non gaudet immunitate.* Cæmeterium , quod Eccleſiæ non eſt contiguum hac immunitate non gaudet, niſi conſtet conſecratum eſſe. Quia alias non eſt, vnde locus ſacer dici queat. Sic plures relati à Deciano *l. 6. c. 24. n. 28.*

60. *Immunitate gaudet.* Quodlibet cæmeterium separatum licet, hac fruitur immunitate. Quia eo ipso, quo fidelium sepulturæ sit destinatum præsumitur benedictum esse, & Episcopi authoritate sacratum. Ita Farinac. *append. de immunit. c.* 17. *n.* 264. Anast. Germon. *de sacror. immun. l.* 3. *n.*, 1. Marian. Ital. *de immun. Eccl. l.* 1. *c.* 4. §. 7. *n.* 28. *&* 29. Nauar. *sum. c.* 25. *v. cæmeterium*, & alij.

61. *Hoc verius.* Hoc verius longè esse puto. Nam textus absolutè cæmeteriis hanc præscribit immunitatem: ibi: *Vel earum cæmeteriis.* Omnia autem cæmeteria Ecclesiæ sunt, licet contigua ob aliquam causam non appareant.

DVBIVM XII.

An Domus Eminentissimorum Cardinalium gaudeant immunitatis priuilegio?

62. *Gaudent quidem* GAudent quidem non solum si in Vrbe existant, sed etiamsi extra. Quia si hæc prærogatiua Episcoporum domibus conceditur, & Cardinalibus Ecclesiæ Principibus potiori iure concessa esse videtur. Sic Nauar. *sum. c.* 25. n 18. Decian. *tract. crimin. l.* 6. *c.* 25. *n.* 15. Iul. Clar. *practic. §. fin. q.* 30. Tuschus *v. Ecclesia concl.* 9. *n.* 12. Marian. Ital. *de immun. Eccl. l.* 1. *c.* 4. § 9. *n* 22.

63. *Non gaudent.* Minimè gaudent. Quia cum hoc priuilegium non sit in iure fundatum debet ex consuetudine, vel ex speciali indulto haberi. At hæc consuetudo (si fortè aliquando viguit) constitutionibus Gregorij XIII. & Sixti V. sublata est. Ita Farinac. *de carcerib q.* 28 *num.* 48. *& in append. de immun. c.* 17. *n* 274. Palao *to.* 2. *d. vni. de immunit. Templ. pun.* 6. *n.* 23.

64. *Hoc dicendum existimo.* Hoc dicendum existimo. Quia licet illa consuetudo introduci meritò potuit ob similitudinem, quam habent cum Episcopalibus domibus: tamen sublata est ex Pontificum præfata constitutione.

DVBIVM XIII.

An Domus Clericorum, quæ intra 40. Cathedralis Ecclesiæ, vel 30. alius passus existunt, fruantur immunitate.

65. *Nonnulla suppono.* SVppono, extendi immunitatem hanc ad Ecclesiæ confines. *Cap. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. Quod si rogites, quæ nomine confinium intelligantur? Respondeo pro Ecclesia Cathedrali quadraginta passus per circuitum eius: pro minori Ecclesia triginta. *ibi. Statuimus, vt maior Ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat, capella verò, vel minores Ecclesiæ triginta.* Huiusmodi passus ab ostio Ecclesiæ debent annumerari, quod satis indicat verbum, *per circuitum.* Farinac. *append. de immun. c.* 18. *n.* 286. aliis relatis, probat, quemlibet passum quinque pedes, & & quemlibet pedem quindecim digitos continere. Iam requiro, num domus Clericorum (supponit enim Glossa citanda, intra illos quadraginta, vel triginta passus quomodocumque Clericorum domos contineri) quæ intra circuitum illum Ecclesiarum existunt, hac immunitate fruantur?

66. *Fruuntur immunitate.* Fruuntur equidem. Quia textus totum illum circuitum immunitate donat. Et quia *Cap. Quisquis inuentus* 17. *q.* 4. dicitur, committere sacrilegium qui infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus qui in circuitu Ecclesiæ fuerint, vel domos quæ intra prædictos passus extiterint: vbi Glossa dicit, *Domus Clericorum, nam aliæ non debent ibi esse* ex *Cap. Nullæ* 12. Sic Tuschus *v. Ecclesia concl.* 9. *n.* 3. *&* 4. Decian. *tr. crimin. l.* 6. *c.* 25. *n.* 9. Farinac. *append. de immun. c.* 18. *n.* 287.

67. *Non fruuntur.* Non fruuntur. Quia circuitus quadraginta vel triginta passuū debet intelligi de ambitu Ecclesiæ domibus particularibus non discontinuato. Quia talis domus, sicut & via publica, non potest dici Ecclesiæ circuitus, cum Ecclesiæ domus non sit. Audi textum in *Cap. Definiuit* 17. *q.* 4. *In hoc triginta passuū numero absque domorum extrancarū receptaculo progrediendi adytum obtinebunt.* Ex quo fit, non solum domus laicorum, sed etiam particularium Clericorum existentes intra triginta passus Ecclesiæ hac immunitate non gaudere, sed necessariò requiri vt domus illius Ecclesiæ sint: alias dici non possunt in circuitu Ecclesiæ existere. Ita Alberic. *leg.* 2. *vers. Ego credo, C. de iis, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Marian. Ital. *de immunit. l.* 1. *c.* 4. §. 2. *&* 3. Farinac. *append. de immun. c.* 18. *n.* 291.

68. *Cum his longè probabilius* Cum his longè probabilius opinor, si iuri standum. Nam textus in *Cap. Quisquis* pro prima sententia adductus, nihil circa immunitatem de domibus particularium definit. Dixi *si iuri standum* Nam si ad consuetudinē attendam, certum est, eam in contrarium iam esse, nec quadraginta, vel triginta passuum ad immunitatem attendi. Suar. *l.* 3. *de Reuer. debita locis sacris, c.* 9. *n.* 8. Conar. *l.* 2. *variar. c.* 20. *n.* 5. Nauar. *sum. c.* 25. *n.* 18. Farinac. *de carceribus q.* 28. *n.* 12.

DVBIVM XIV.

An Priuilegium immunitatis extenditur ex iure ad tabernaculum Eucharistiæ, & ad sacerdotem Eucharisti iam deportantem?

69. *Non extenditur.* NOn extenditur ex iure. Quia nullibi id textus statuere Castro Palao *to.* 2. *de immun. Templ. d. vni. pun. 6. n.* 24

80 *Ex iure extenditur.* Ex iure extenditur. Quia cum tota hæc ex iure immunitas Ecclesiæ ob reuerentiam Sanctissimæ Eucharistiæ ibidem existentis sit introducta: sequitur eam ipsi Eucharistiæ potius deberi: ac proinde illam amplexans, ideſt sacerdotem eam deferentem immunitate fruitur. Ita Farinac. *de carcerib. q.* 28. *n.* 11. innumeros referens Petr. Gregor *Syntag. iuris, l.* 33. *c.* 21. *n.* 14. Tuschus *pract. v. Ecclesia, concl.* 10. *nu.* 33. Anastas. Germ. *de sacror. immunit. l.* 3. *c.* 26. *n.* 51.

81. *Primum* Existimo, hoc priuilegium extendendum ad tabernaculum Eucharisticū, si actu illam habeat:

sententiam amplector. beat: vel ad Sacerdotem Eucharistiam deportantem per plateas. Attamen hoc priuilegium ex iure non haberi certum existimo, sed solum consuetudine esse introductum, & meritò; quia pietatem fouet, denotionem ac reuerentiam tanto Sacramento debitam excitat. Quare consuetudo vt vim legis obtinens expectanda est, & iuxta illam causæ decidendæ. Mecum Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 9. n. 10.* & Bonac. *ad 1. Decal. præc. d. 3. q. 7. §. 2. n. 11.*

DVBIVM XV.

An extendatur Immunitatis priuilegium ad Principis statuas?

71. *Extenditur quidem.* EXtenditur quidem. Quia Principum statuæ tanquam Ecclesiæ securos reddũt delinquentem, qui ad illas confugit, *Leg. vni. de iis, qui ad statuas confugiunt Leg. 1. C. de iis, qui ad Ecclesias confugiunt. leg. Capitulum, §. ad statuas ff. de pœnis.* Sic Petr. Gregor. *syntag. iuris l. 3. c. 21. n. 11. & 12.* Hostiens. Anchar. Ioan. Andr. *ad Cap. Ecclesiæ, de immunit.* & alij plures relati à Deciano, & Farinacio *citandis.*

72. *Non extenditur.* Non extenditur quia talis immunitas sacrà non est cum non sit à Pontifice introducta. Et quia non est in reuerentiam diuini cultus. Sed in humani Principis honorem. Ita Deci. *tr. crim. n. l. 6. c. 2. n. 5.* Farinac. *de carceribus q. 28. n. 49. & in append. de immun. c. 17. n. 278.*

Ego quidem existimo, hanc immunitatem (tametsi vigeat) Sacram non esse, neque inter immunitates Ecclesiæ annumerãdã. Immo videndũm vbiq; hodierni mores illã recipiãt.

CAPVT. VII.

Circa personas quæ huius Immunitatis priuilegio potiuntur.

DVBIVM XVI.

An interdictus ab ingressu Ecclesiæ fruatur hac immunitate?

73. *Certum suppono.* CErtum est, omnibus Christianis baptizatis cuiuscumque conditionis existant, (exceptis casibus in iure expressis) immunitatis Templorum priuilegium esse concessum. Si ad illa confugiant. *Cap. Inter alia, de immun. Eccl. Cap. Frater. Cap. Miner. Cap. Si quis contumax. 17. q. 4.* Vnde siuè liber sis, siuè seruus, siuè nobilis, siue ignobilis, siuè inuenis, siuè senex hoc priuilegio gaudes. Quæsierim verò, an inter dictus ab Ecclesiæ ingressu hac fruatur immunitate?

74. Non fruitur. Quia non debet Ecclesia eum protegendum recipere, quem à se per interdictum excludit. Porrò sic ingrediens videtur aduersus Ecclesiæ prohibitionem delinquere, cuius aditus est ei interd ictus. Ergò frustra eius auxilium implorat. Sic. Felin. *ad Cap. Anobis, de exceptionibus num. 5.* Sum. Confes. *tit. de immunit. Eccl. quæst. 5.* Fauet *Cap. Quia frustra, de vsur.* *Non fruitur.*

75. *Fruitur quidem.* Fruitur equidem. Quia interdicti censura non habet huc effectum priuandi personam interdictam hac immunitate. Et quia interdictus non priuatur ad ingressu Ecclesiæ materiali, sed formali, scilicèt, ab Ecclesiæ ingressu in ordine ad diuina officia exaudienda. Ita Farinac. *append. de immun. c. 2. n.* 44. Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 10. n.* 4. Alex. Ambrosin. *de immun. c.* 8. *n.* 12. Bonac. *de immun. d. 3. q. 7. §. 3. n.* 8.

76. *Hoc dicendum.* Hoc dicendum existimo. Nam contra censuram interdicti non delinquit, qui ob vitandam grauem pœnam ad Ecclesiam confugit, etiam tempore, quo diuina officia peraguntur; quia necessitate compulsus illuc confugit.

DVBIVM XVII.

An excommunicatus excludatur ab Immunitatis indulto?

77. *Excluditur planè.* EXcluditur planè. Quia non decet, Ecclesiam eis fauere, qui ipsi rebelles ostenduntur. Et quia excommunicatus ab Ecclesiæ ac fidelium participatione est exclusus; ergo excluſus est ab hoc priuilegio. Sic Felin. *ad Cap. Anobis, de exception. n. 5.* Sum. Confes. *tit. de immun. Eccl. q. 5.*

78. *Non excluditur.* Non excluditur. Quia excommunicatio non habet hunc effectum priuandi excommunicatum immunitate; & ex alia parte omnibus locis sacris est hæc immunitas concessa absque excommunitati exceptione. Ergo minimè excluditur. Ita Farinac. *apend. de immunit. c. 8. n. 12. & de carcerib. q. 28. num. 39. & 40.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 10. n. 4.* Bonac. *de immunit. d. 3. q. 7. §. 3. n. 9.* Tuschus *v. ecclesia concl. 10. n. 26.* Clarus *l. 5. §. fin. q. 30. num. 18.* Azor. *p. 1. l. 9. c. 9. post. v. Quid de pagano.* Conar. *l. 2. var. c. 20. n. 11.* & alij.

79. *Hanc sententiam vnicè veram esse crediderim.* Hanc sententiam vnicè veram esse crediderim. Cui non obstat excommunicatum indignum esse huiusmodi beneficio: tanto enim vberiorem pietatem Ecclesia ostentat, vere Mater, si illum tueatur, & defẽdat. Non enim cõsiderat ad illius defensionem praui filij delictum, & excommunicationem contractum, sed loci sanctitatem.

DVBIVM XVIII.

An hæreticus in aliis criminibus ab hæresi potiatur Templi immunitate?

80. *Quæstionis status.* CErtum est, hæreticum, quoad hæreseos punitionem minimè Ecclesiæ immunitate

tate gaudere, sed fugientem ad Ecclesiam posse & debere extrahi, ac recludi. Quæsierim autem num in aliis criminibus hac immunitate potiatur?

81 *Non potitur.* Non potitur. Quia hæreticus indignus videtur hoc esse beneficio, vtpotè Ecclesiæ hostis. Deinde ratione hæresis à priuilegio immunitatis est exclusus. Ergò est exclusus quoad omnia delicta: aliàs erit exclusus, & non exclusus. Sic Deciam *tr. crimin. l. 6. c. 26. nu. 4.* Fauet Alexand. Ambrosin. *de immunit. cap. 8. num. 9.*

82 *Potitur planè.* Potitur equidem. Quia respectu aliorum delictorum crimen hæresis semper accidens habet. Ergò non potest immunitatem, quam delinquens obtinet, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur, impedire. Ita Sylvest. *vers. Immunitas 3. num. 2.* Suar. *l. 1. de Relig. cap. 10. n. 13.* Bonac. *de immunit. d. 3. q. 7. §. 3.*

83 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc probabilius admodum esse crediderim. Nam lex priuans hæreticum immunitate, formaliter intelligenda est vt scilicet priuet eum quatenus hæreticus est, non quatenus homicida, aut fur, aut alio crimine infectus: alias qui delinqueret in Ecclesia priuatus esset immunitate, non solùm quoad illud delictum, sed quoad alia quælibet: quod est contra communem Doctorum sensum. Fateor autem hæreticum indignum esse hoc beneficio, sed Ecclesiæ benignitas vt pietatis thesauros ostendat, ab eo eum non excludit. Neque inde fit, hæreticum fore exclusum, & non exclusum absolutè: sed solum esse exclusum quoad hæresim, & quoad alia delicta admissum.

DVBIVM XIX.

An Infideles, Mauri scilicet, Turcæ, &c. gaudeant Immunitate?

84 *Non gaudent.* Minimè gaudent. Quia *C. de iis, qui ad Ecclesiam confugiunt*, dicitur, confugientes ad Ecclesiam à priuilegio immunitatis excludi, etiam si Baptismum petant. Simulant enim, se Christianæ legi velle coniungi. Et quia de his, qui foris sunt, non curat Ecclesia, neque eos potest iudicare. At si immunitatis priuilegium illis concederet, iudicare posset. Ergò non compehenduntur: Sic Farinac *de carceribus quæst. 28. num. 68.* Decian. *tr. crimin. l. 6. cap. 26. num. 2.* Couar. *l. 2 var. c. 20. num. 11.* Gutier. *pract. qq. l. 3. q. 7. n. 51*, & alij apud Farinac. *vbi suprà.*

85 *Gaudent quidem.* Gaudent omninò. Quia *Cap. Inter alia Cap. Minor. Cap. Frater. Cap. Si quis inuentus, & Cap. Si quis contumax* omnibus indistinctè conceditur hoc priuilegium: non enim propter personas, sed personis propter locum cõcessum est. At infideles capaces sunt huius benignæ, & vltroneæ concessionis. Ergò siue velint conuerti, siue fictè conuerti velle dicant, siue renuant, hoc priuilegio gaudent. Ita Glos. & Innocent. *ad cap. Inter alia de immun Eccles. v. extrahẽdus.* Sylvest. *v. Immunitas 3. num. 2.* Tabi. *eodem num. 7.* Armil. *n. 9.* Marian. Ital. *de immunit. l. 1. cap. 3. §. 1. per totum.* Heron. Tabal. *commun. contra commun. q. 269.*

86 *Media via procedo.* Media via procedam. Gaudet immunitate Iudæus, Sarracenus, & quilibet infidelis, ad Ecclesiam confugiens, si velit fidelis esse, secus si simulet se velle conuerti, aut renuat. Quia æquum est, vt Ecclesia faueat ei, qui ei inseruire cupit: secùs ei qui renuit. Mecum Azor. *p. 2. l. 9. c. 9. q. 9.* & Bonac. *de immun. d. 3. q. 7. §. 3. num. 5.*

DVBIVM XX.

An qui in carcere recluſi, fractis vinculis, ad Ecclesiam aufugiunt, fruantur Immunitate?

87 *Non fruuntur.* NOn fruuntur. Quia potestati Iudicum, & eorum iudicio subiecti sunt, qui carceri addicuntur: Ergò contra iustitiam à tali iudicio se eximunt: ergo ne videatur Ecclesia iniustitiæ fauere, his delinquentibus est immunitas abneganda. Sic Petr. Gregor. *Syntag. iuris l. 3. c. 22. n. 2.*

88 *Fruuntur planè.* Fruuntur planè. Quia priuilegium immunitatis omnibus ad Ecclesiam confugientibus conceditur, præter casus exceptos: At si fractis vinculis ad Ecclesiam confugiunt, non est delictum exceptum. Ergò. Ita Nauar. *sum. cap. 25. num. 19.* Decian. *tr. crim. p. 2. l. 6. c. 28. num. 13.* Farinac. *q. 28. num. 41.* Tuschus *pract. concl. v. Ecclesia, concluſ. 10. num. 30.* Bonac. *de immunit. d. 3. q. 7. §. 2. num. 20.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 11. num. 18. & 19.* Couar. *l. 2. variar. c. 20. n. 13.* & alij.

89 *Vnice hoc verum existimo.* Vnice hoc verum existimo. Nam Iudices solùm obtinent potestatem iudicandi reũ, dum ipse reus sua in iurisdictione existit: secus si extra illam exeat, dum ad Templum se recipit. Neque in hac fuga graue piaculum perpetrat. Quia suo iure vtitur, & posito gratis, quod illud committat, non est crimen ab immunitate exceptum.

DVBIVM XXI.

An si quis data fide custodi iuramento firmata ad carcerem redeundi, confugiat ad Ecclesiam: fruatur, Immunitate, si carceratio iusta fuit?

90 *Status quæstionis.* COnueniunt omnes, immunitate gaudere, si carceratio fuit iniusta, Quæsierim verò, an si carceatio esset iusta, immunitate fruatur?

91 *Non fruitur.* Non fruitur. Quia periurium tollit immunitatẽ. Sic Decian. *tr. crim. l. 6. cap. 28. num. 21.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 9. vers. Quid dicendum*, & alij relati à Farin. *append. de immunit. c. 15. n. 199.*

92 *Fruitur equidem.* Fruitur equidem. Quia periurium immunitatem minimè tollit. Nec enim crimen periurij exceptum inuenitur. Ita Farinac. *ibid. quidem num. 200.* Fagund. *p. 2. de præc. Eccl. l. 4. cap. 4. num. 58.*

93 His adhæreo. Quia præterquam quod periurium

His adhuc reo. inrium non tollit immunitatem, non erat ille incarceratus pro crimine excepto. Addo, facillimo negotio impetrari posse iuramenti relaxationem, & sic cessabit periurium, immo P. Suarez *to. 1. de Relig. l. 3. cap. 11. num. 20.* & Fagundez *citati* addunt, si nolit ille, ad carcerem redire, posse Prælatum impertire facultatem, vt ab Ecclesia extrahatur habita cautione de corporalis pœnæ immunitate: secus si subesset capitalis pœnæ periculum.

DVBIVM XXII.

An Clerici beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti gaudeant Immunitate comparatione iudicum suorum in criminibus non exceptis?

94 *Certa suppono.* CErtum est immunitate gaudere comparatione iudicum secularium. Quia ratione dignitatis ab eorum iudicio exempti sunt. Clerici verò in minoribus constituti, nec habentes beneficium, nec alicui Ecclesiæ specialiter addicti, quique iurisdictioni iudicum sæcularium subduntur, eodem modo ac de laicis dicendum est immunitate gaudere. Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 10. n. 7.* Nauar. *Sum. cap. 25. n. 22.* Quapropter quæstio est, num Clerici beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti, qui quidem à laicæ potestatis iurisdictione excludũtur, & Ecclesiasticæ sunt addicti, gaudeant immunitate Ecclesiæ comparatione suorum iudicum, sicut gaudent laici suorum comparatione? ET quidem non gaudere in criminibus exceptis certum omnino est. Quid autem in criminibus non exceptis?

95 *Non gaudent.* Non gaudent immunitate. Quia immunitas Ecclesiæ non debet Ecclesiæ ipsius potestati derogare. ERGÒ non debet impedire Ecclesiasticam potestatem suos subditos punidi. Sic Abbas *ad cap. inter alia, de immun. Eccles. num. 13.* Syluestr. *verf. Immunitas, num. 7.* Armil. *num. 10.* Rosel. *num. 9.* Decian. *tr. crim. l. 6. cap. 28. numer. 14.* Nauar. *sum. cap. 25. num. 22.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. cap. 10. n. 5.* Bonac. *præc. 1. Decal. d. 3. q. 7. §. 3. n. 7.* & alij apud ipsos.

96 *Gaudent sanè.* Gaudent profectò. Quia iura loquentia de immunitate, generaliter, & absque vlla limitatione loquuntur. *Cap. Inter alia cap. Id constituimus. cap. Definiuit. cap. Si quis contumax. cap. Si quis inuentus.* Ergo non debemus ad solos laicos priuilegium limitare. *leg. de pretio ff. de Publiciana* aliàs Clerici deterioris conditionis, quam laici essent, siquidem priuilegium laicis concessum ipsis denegatur. Ita Farinac. *de carceribus quæst. 28. numer. 7* Bernard. Diaz *pract. cap. 115.* Couarruuias *l. 2. variar. cap. 20. n. 16.* Clar. *in practic. §. fin. q. 30.* Decian. *tract. crimin. l. 6. cap. 26. num. 1.* Tuschus *pract. conclus. ver. Ecclesia, conclus. 9. numer. 17. & concl. 11. numer. 27.* Marian. Ital. *tr. de immun. l. 1. cap. 3. §. 1.* Ioan. Gutierrez *pract. qq. ciuil. q. 3. num. 1.* afferens, hanc sententiam in puncto iuris esse veriorem.

Ego autem existimo, spectato iuris rigore, vtramque sententiam probabilem. At, attenta consuetudine, crediderim, primam probabiliorem esse. Quia passim iudices Ecclesiastici delinquentes Clericos ex Ecclesia extrahunt, & vinculis illigant sine vllo scrupulo, nec vllus est qui immunitatem proclamare nitatur in sui defensionem. An non absque loci sacri reuerentia violata, sententia Ecclesiastica delinquentis pronunciari in Ecclesia potest ex Cap. Præceptum 2. *q.* 2. Glossa affirmante *ad cap. Nullus clericorum* 17. *q.* 4. ERGO signum est, comparatione Ecclesiastici iudicis non procedere immunitatem. 97 *Authoris resolutio.*

DVBIVM XXIII.

An seruus per respectum ad dominum fruatur Immunitate, si in delicto graui dominus iuramento præstito dat securitatem?

CErtum est, comparatione iudicis immunitate frui. Quia comparatione illius per accidẽs est seruitutis qualitas. Quæstio est respectu domini, an si hic prestito iuramento in graui piaculo de incolumitate serui, immunitate adhuc fruatur? 98 *Status quæstionis.*

Non fruitur, sed præstito Clericis iuramẽto de incolumitate serui, debet domino tradi etiã inuitus. Quia Sic deciditur *Leg. Præsenti § fin. C. de iis, qui ad Ecclesiam confugi.* Sic Innocent. *ad cap. Inter alia. § si verò seruus, de immun. Eccles.* 99 *Non fruitur.*

Fruitur planè. Quia legis allegatæ decisio procedit, cum delictum serui paruum, aut nullum fuit, tunc enim, iuramento præstito videtur sufficiens securitas seruo dari, & periculum immoderatę castigationis tolli. At si delictum graue sit regulariter iuramentum non sufficit, sed securitatem aliam debet dominus adiicere, ita Glos. ad *leg. Præsenti. verf. Aut propter delictum* Fatinac. *append. de immun. c. 4. n. 76.* Suar. *to. 1. de. Relig. l. 3. c. 10. n. 2.* Gutier. *pract. qq. ciuil. quæst. 1. nu. 1. & 18.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 9. q. 9.* & alij. 100 *Fruitur planè.*

Hoc verum esse longè, crediderim, addens, si dominus præfatam à Doctoribus his securitatem præstare nolit, aut non possit, compellendum esse seruum vendere nec antea debere illi tradi ex *§. Nin. institut.* Quibus alienare licet, vel non. Abbate *ad Cap. Inter alia, n. 23.* & Buttio *num. 17.* tradentibus. 101 *Hoc verum longè esse reor.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Circa casus, in quibus confugienti ad Ecclesiam debita sit Immunitas in causis ciuilibus, & criminalibus.

DVBIVM XXIV.

An debitor ad Ecclesiam confugiens, potiatur immunitate?

102 *Non potitur.* NON potitur. Quia immunitas Ecclesiæ à iure Ecclesiastico, non à ciuili promanat. At ius Ecclesiasticum solùm delinquentibus immunitatem concedit, non debitoribus. *cap. Inter alia, & cap. constituimus*, ibi *Non liceat reos ab Ecclesiis extrahere.* Rei autem propriè sunt delinquentes non debitores. Sic Orland. *cons.* 54. Abbas *ad cap. Inter alia, num.* 22. Boërius *decis.* 215. *num.* 7. Alberic. *p.* 1. *statutor. q.* 39. *& in Rubr. C. de iis, qui ad Eccles. confug.*

103 *Planè potitur.* Potitur planè. Quia hæc immunitas iure ciuili est concessa ex *lege Præsenti. Codic. de iis, qui ad Ecclesiam confug.* Sed Ecclesia approbat leges, & constitutiones ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statutæ non præiudicant, sed potius fauent, & augent. Trid. *sess.* 25. *c.* 20. Ergo huiusmodi leges ciuiles canonizatæ sunt. Ergo non solum à iure ciuili sed Canonico hæc immunitas debitoribus est concessa. Ita Farinac. *de carceribus q.* 28. *num.* 31. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 9. *q.* 9. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 3 *c.* 11. *num.* 3. Bonac. *præc.* 2. *Decal. d.* 3. *q.* 7. *§.* 4. *num.* 1. & alij.

104 *Hoc tenẽdum & defendo.* Cum his sentiens, iudico tenendam esse hanc communem sententiam tam in consulendo, quam in iudicando. Fateor enim expresse in iuribus solùm fieri mentionem delinquentium, & non debitorum; at concessa delinquentibus immunitate, debitoribus concessa manebat: eo quod absurdum erat nocentibus fauere, innocentibus exclusis. Addo, sub nomine reorum propriè nocentes intelligi: attamen etiam possunt intelligi debitores. Quia rei sunt in iudicio: & cum hoc sit priuilegium fauorabile, debet secundùm omnem suam latitudinem significationis accipi.

DVBIVM XXV.

An debitor tributorum possit ab Ecclesia extrahi?

105 *Extrahi potest.* EXtrahi potest. Quia *Authent. de mandatis Principum* id expresse habetur. Et quia debitori conceditur ab Ecclesia immunitas, quatenus approbat leges ciuiles immunitatem concedentes. At non est lex ciuilis, quæ his debitoribus immunitatem concedat: sed potius est lex, quæ illis immunitatem denegat, vt ex *Authent.* patet. Ergo non est immunitas tributorum debitori concessa. Sic Petr. Gregor. *syntag. iuris, l.* 33. *c.* 22. *num.* 2. Anchar. *ad cap. Inter alia, num.* 6. *&* 7. Anton. de Butrio *num.* 13. Orland. *cons.* 54. *n.* 2. Subdens, attendendam esse consuetudinem.

106 *Non potest extrahi.* Non potest extrahi. Quia immunitas Ecclesiastica omnibus delinquentibus, & reis concedatur, aliquibus casibus exceptis. Qua generali concessione & communi Doctorum sententia debitores quicumque, & qui rei in iudicio nominantur, veniunt intelligendi. Ita Conar. *l.* 2. *var. c.* 20. *num.* 14. Farinac. *de carceribus q* 28. *num.* 31. Bonac. *ad præc.* 2. *decal. d.* 3. *q.* 7. *§.* 4. *n.* 2. Suar *tom.* 3. *de Relig. l.* 3. *c.* 11. *num.* 3. Azor *p.* 2. *l* 9. *cap.* 9. *quæst.* 10.

107 *Cum his opinor.* Cum his probabilius opinor. Licèt enim primæ sententiæ validum fateor esse fundamentum: non ideo à communi sententia recedam, nec ecclesiæ immunitati derogabo. Quæ quidem omnibus delinquentibus, ac reis hanc concedat immunitatem generatim, aliquibus aliis casibus exceptis. Colligo à fortiori frui immunitate obligatum ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis. Nauarro *sum. c.* 25. *n.* 63. & Deciano *l.* 6. *c.* 28. *num.* 26. annotantibus.

DVBIVM XXVI.

An debitor suspectus de fuga, & ad Ecclesiam confugiens, possit inde fuga extrahi, & Iudici tradi, vt creditor securus reddatur?

108 *Extrahi potest.* EXtrahi potest. Quia suspecti de fuga possunt in die festo capi, & incarcerari, imò ab incompetenti Iudice ob tale periculum, teste Conar. *l.* 2. *var. c.* 20. *num.* 14. ex Baldo, Bartholo, Socino, Iasone, & alijs. Ergo potest in loco sacro. Argum. *Leg. vinum, ff. si certum petatur.* Et quia debitor de fuga suspectus, est suspectus de graui peccato, siquidem fugit debiti solutionem, & creditorem sine causa fraudat. Sed iustum est, vt Ecclesia hoc peccatum impediat, cum facile potest. Ergo tenetur iudici debitorem tradere. Sic plures relati à Conar. *citato*, & ab Anastas. Germon. *de sacr. immunit. l* 3. *c.* 16. *num.* 99.

109 *Non potest extrahi.* Non potest extrahi. Quia delictum debitoris commitendum nõ potest immunitatem loco sacro concessam impedire Præcipuè cum alia via fuga impediri possit absque eo, quod debitor ab ecclesia extrahatur: potest enim à Iudice custodia apponi. Ita Conar. & Anast. Germo. *citati.* Bonac. *præc.* 2. *Decal. d.* 3. *q.* 7. *§* 4. Suar. *l.* 1. *de Relig. l.* 3 *c.* 11. *n.* 3. Farinac. *append. de immun. c.* 3. *n.* 60. Alex. Ambros. *de immun. c.* 13. *n.* 3.

110 *Hanc* Hanc sententiam communiter à Doctoribus receptam eligo. Nam priuilegium immunitatis

tis non excludit de fuga suspectum. Porro argumentum de tempore festi ad locum sacrum non est firmum : si quidem malefactor puniri in die festo potest, non autem in loco Sacro.

DVBIVM XXVII.

An debitoribus fallitis sit immunitas concessa?

111 *Concessa immunitas his non est.*

DEbitoribus his, qui dum quæstuariam negotiationem exercent laute victitant, & tandem decocti versurâ faciunt, & ad Ecclesiam confugientes creditores plures miserrime fallunt, non est immunitas concessa. Quia si sunt Reipublicæ hostes, & quasi publici latrones, eaque de causa capitali pœna plectuntur. Et sic statutum est a Catholicis Regibus Fernando, & Elisabeth, & a supremo Cæsaris prætorio confirmatum anno 1530. Sic plures, quos refert ac sequitur Couar. *l. 2. var. cap. 20 num. 14.* Decian. *tr. crim l 6. c. 28. num. 34.* Bebuf. *tom. 2. ad Regias constit. Galliæ Et de mercator. à vlt. glos. vlt. num. 7. & 8.* Paz. *pract. tom. 1. p. 5. capit. 3. quæstion. 3. numer. 156.* Farinac. *de carcer. b. quæstion. 28. numer. 33.* Gutier. *pract. qq. ciuil l. 3. quæst. 1. num. 4. & 15.*

112 *Est his concessa immunitas.*

Concessa est his immunitas. Quia nec ratione debiti, nec ratione delicti hi immunitate privantur. Non ratione debiti: aliàs enim omnes debitores essent ab immunitatis privilegio exclusi. Non ratione delicti, quia hi non sunt depopulatores agrorum, ac latrones publici qui solum sunt exclusi ab immunitate : & licet publicis latronibus æquiparentur, non debet in privatione immunitatis æquiparari, quia pœnæ non sunt ad similia delicta extendendæ. Ita Navar. *sum. cap 25. num. 19.* Marian Ital. *de imm. l. 1. capit. 5.* Ambrosin *tract. de immun. capit. 13. numero quarto* Farinac. *append. de immunit. capit. 3. numer. 64.* Bonac. *prac. 2. Decal. d. 3. quæstion. 7. §. 4. principio,* Suar. *t. 1. de Relig. l. 3. cap. 11. n. 3.*

113 *Probabilius reor esse concessam.*

Existimo probabilius esse, concessam esse hisce debitoribus immunitatem : & stante constitutione Gregoriana vbi illa recepta est id omnino esse certum. Quia in illa constitutione reuocantur omnia privilegia, & indulta data Principibus extrahendi ab Ecclesia delinquentes; & nominatim fraudulentos decoctores.

DVBIVM XXVIII.

An diurnus agrorum depopulator excluſus sit ab immunitatis privilegio Gregorij constitutione?

114 *Status questionis.*

EXcipitur ab immunitatis privilegio agrorum depopulator nocturnus. *Cap. inter alia de immun. Ecclesiast.* Et ibi omnes Escob. & Mend. Theol. Mor. *Tom. VII.* Doctores. Quæstio autem est, an diurnus depopulator sit etiam excluſus ab Ecclesiæ immunitate.

Excluſus non est. Quia verbum *Nocturni* positum *in cap. inter alia* tacite diurnum excludit : & cum sit materia pœnalis non est extendenda. At dubitalis, an Gregoriana constitutione attenta, excluſus sit?

115 *Excluſus est.*

Excluſus quidem est. Quia ibi sine vllo limitatione dictum est, à privilegio immunitatis agrorum depopulatores esse excluſos. Ergo tam diurni, quam nocturni comprehenduntur. Sic Alexand. Ambrosin. *de immunit. capit. 4. numer. 5.* Farinac. *append. de immunit. cap. 11. num. 161.* Bonac. *prac. 2. Decal. d. 3. q. 7. § 4. n. 6.*

116 *Non est excluſus.*

Non est excluſus. Quia constitutio Gregoriana ad firmandum ius commune, & reuocanda privilegia illi contraria fuit expedita. Ergo eum solum dixit, *depopulatores egrorum*, intelligenda est iuxta ius commune, quod solum nocturnum excludit. Ita Castro Palao *tom. 2. de immun. Templ. d. vni punct. 9. num 5.*

117 *Hanc satis probabilem mihi eligo sententiam.*

Ego existimo hanc sententiam satis esse probabilem. Nam si Pontifex intendebat de populatores tam diurnos, quam nocturnos comprehendere, id debebat exprimere; quia ius commune non debet censeri correctum, nisi claris verbis innotescat. Verùm etsi diurnus agrorum de populator non videatur sub his verbis comprehendi : comprehenditur tamen sub exceptione publici latronis, si publice agros deuastauerit : secus si clandestine destruatur.

DVBIVM XIX.

An viarum grassator excludatur ab immunitate, si in viis publicis, & frequentatis viatores spoliet vulneret, vel occidat : sed alibi hæc exerceat?

118 *Plura supono de grassa inrè viarum.*

VIarum grassatorem ab immunitate excludi certum est ex *cap. inter alia. Qui dum* (ait textus) *itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis.* Et constitutio Gregorij XIV. ibi : *viarumque grassatores, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Clare itaque denotat Pontifex verba *cap. inter alia* ad Grassatores viarum referre, Farinac. *append. de immunit. capit. 12. numer. 162.* Dicitur autem viarum grassator, qui cum impetu graditur, vt viatores spolier, vulneret, vel interimat. Quæstio igitur est, an hoc patrari debeat in viis publicis, & itineribus frequentatis an sufficiat alibi hæc committere, vt grassator ab Ecclesiæ immunitate excludatur.

119 *Excluditur ab immunitate.*

Excluditur, si per insidias aggreditur, etsi non sit in loco publico, vel frequentata via. Quia textus *in cap. inter alia* exempli gratia dicta fuere illa verba, *Itinera frequentata, & publicas stratas*

obsident Nam hi viarum grassatores frequentius iisdem aggrediuntur. Sic Innocent. *Cap. inter alia col. 2. v. qui, de immunit Eccl.* Hostiens. *ibid. num 4.* Ioan. Andre, *numer. 6. v. insidiis.*

120 *Non excluditur.* Non excluditur, nisi grassator in viis publicis, & itineribus frequentatis. Quia expresse textus de his loquitur. Et quia nomen *Via* publicum iter denotat. Ita Ambrosin. *de immunit. cap. 3. n. 5.* Farinac. *append. de immun. cap. 12. n. 165.* & alij.

121 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam illa verba *Itinera, frequentata, &c.* non fuere apposita exempli gratia. Sed ad delicti declarationem.

DVBIVM XXX.

An quodlibet graue delictum in Ecclesia perpetratum priuet reum immunitatis priuilegio.

122 *Certa suppono.* CErtum est perpetrantem homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia, ab eius immunitate excludi. *Cap. fin. de immunit. Eccl.* & Bulla Gregorij XIV. ibi *Quòd homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs earumq; cœmeterijs committere non verentur.* Qua delinquens in Ecclesia indignus est eius immunitate frui, vt inibi dicitur. Et quia legis auxilium frustra inuocat, qui legem contemnit. *cap. quia frustra, de vsur.* Profecto ex hac ratione decidendi insurgit difficultas, an quodlibet graue delictum in Ecclesia commissum priuet illius immunitate?

123 *Priuat equidem.* Priuat equidem. Quia ratio illa decidendi æqua est in omnibus delictis; semper enim verum est, indignum esse delinquentem in Ecclesia, vt ab Ecclesia foueatur, Addo, spe immunitatis ibi delinquere censetur: indignus ergò est, vt ei concedatur. Sic Nauar. *Sum. cap. 25 num. 20.* Conar. *l. 2. var. cap. 20. n. 15.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. quæst. 1. numer. 17.* Bobadil. *polit. l. 2. cap. 4. num. 24.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 11. n. 6.*

124 *Non priuat.* Non priuat. Quia hæc priuatio immunitatis est pœna. Sed pœna extendenda non est vltrà legis verba: ergò non est extendenda immunitatis priuatio ad alia crimina quãtumuis grauia in Ecclesia commissa, præter homicidium, & mutilationem, cum de solis illis textus loquatur. Ita Boerius *decis. 109. num. 3.* Farinac. *append. de immun cap. 16. num. 208.* Bonac *prax. 2. Decal. d. 3. quæstion. 7. §. 5. num. 12.*

125 *Hoc probabilius esse credo.* Probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Cui quidem non obstat rationem illam decidendi æquè in aliis casibus procedere. Hoc enim solum probat, iustissime in aliis idem constitui potuisse: non autem probat, de facto fuisse constitutum.

DVBIVM XXXI.

An simplex fur sit ex consuetudine ab Ecclesiæ immunitate exclusus?

AB immunitate publicus latro excipitur, 126 *cap inter alia, & constitut. Gregorij* Ille *Nonnulla* autem dicitur latro, qui violenter aggreditur, *supponi.* & deprædatur: publicus, qui palam furatur. Decian *tr. crim. l. 6. cap. 28. num. 2.* Requiritur tamen quod non semel, sed bis vel ter fuerit hoc delictum commissum. Quia latronis nomen frequentiam dicit. Farinac. *append. de immunit.* Vnde infertur, simplicem latronem, seu qui vt publicus diffamatus non est, immunitate ex iure gaudere. Dubitatim autem, num ex consuetudine sit ab immunitate exclusus.

Exclusus est. Quia hæc consuetudo non est 127 contra Ecclesiæ immunitatem: nam ex Ec- *Exclusus* clesiæ consensu est interdicta, vt si delinquen- *est.* tes arceantur. Sic Conar. *l. 2. var. cap. 20. n. 16.* Iul. Clar. *pract. l. 5. §. fin. quæst. 30.* Farinac. *de carcerib. quæst. 28. num. 51.* Suar. *t. 1. de Relig. l. 3. c. 11. n. 4.*

Non est excluſus. Quia si constitutioni 128 Gregorianæ standum est, quæ ad vnam tan- *Non est* tum formam hanc immunitatem reduxit, *exclusus.* sublata qualibet alia, & sub clausula irritante: dicendum est hanc consuetudinem (si de facto fuisset introducta) sublatam esse. Vnde huiusmodi fur ab immunitatis priuilegio non excluditur. Ita Farinac. *append. de immun. cap 6. num 94.* Marian. Ital. *de immun. l. 1. §. 1. num 1* Toschus *v. Ecclesia, concl. 10. num. 23.* Bon c. *prac 2. Decal. d. 3. q 7. §. 4. num. 5.*

Sententiam hanc longè probabiliorem 129 esse non dubito. Nam per constitutionem *Hoc longè* illam consuetudo illa (si viguit) sublata est: *probabilius.* & post constitutionem rursum in præsenti introduci non potuit; quia nondum transiit tempus legitimum ad illius introductionem. Igitur ex consuetudine non sunt simplices fures ab immunitate exclusi.

DVBIVM XXXII.

An qui ad Ecclesiam armatus confugit, priuatus sit eius immunitate?

PRiuatos immunitate est. Quia *lex si ser-* 130 *vum, C. de tis, qui ad Eccles confug.* Id haud *Priuatus* obscure indicit. Etsi enim loquatur in seruo, *est immuni-* intelligenda venit de homine libero, vt annotauit Petr. à Pl. *za epit. delictor. l. 1. c. 8. n. 28.* In vtroque enim eadem est ratio: nam delatio armorum tam clericis, quam laicis est prohibita. Ergo illa ad Ecclesiam deferens, Ecclesiam offendit. Ergo indignus est eius immunitate. Sic Conar. *l. 2. var. c. 20. n. 18.* Decian. *de immun. l. 6. c. 26. n. 10. & l. 8. c. 3. n. 30. & 31.*

Non

131 *Non est priuatus immunitate.*

Non est immunitate priuatus. Quia licet Ecclesiam offenderit, non ob quamlibet offensionem in Ecclesia factam quis immunitate priuatur. Sed solùm propter occisionem vel mutilationem. Addo, non quamlibet armorum delationem esse grane crimen hac priuatione dignum: sed illam tantùm, cui capitalis pœna esset annexa. Ita Farinac. *append. de immunit. cap.* 16. *num.* 247. Alex. Ambrosin. *de immun. cap.* 5. *num.* 5. Palao *tom.* 2. *de immun. Templ. d. vni punct.* 9. *n.* 10.

132 *Cum his agitur.*

Existimo, ob solam delationem armorum, cui capitalis pœna esset annexa (vti bene Farinac *tit. de carcerib. quæst.* 28 *nu.* 66.) priuandum fore eum, qui armatus ad Ecclesiam confugit, casu, quo capitalis pœna indicta esset. At ob nullam priuatur, maximè stante constitutione Gregoriana, quæ solùm excipit ab immunitate homicidas & mutilatores in Ecclesia: vnde tacitè aliis delinquentibus indultum concedit.

DVBIVM XXXIII.

An homicida, vel mutilator debeat in Ecclesia delinquere sub spe Immunitatis, vt Immunitate priuari censeatur?

133 *Debet sub spe immunitatis delinquere.*

DEbet quidem. Quia textus *in cap. inter alia* hos tantùm sub spe immunitatis delinquentes voluit punire, vt constat ex principio textus. *Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, &c.* Et infertus. *Qui nisi per Ecclesiam, ad quam confugiunt, crederent se defendi, nullatenus fuerint commissuri.* Sed pœnæ non sunt ad alios extendendæ. Ergo priuatio hæc immunitatis extendenda non est ad eos, qui absque spe immunitatis occidunt, vel mutilant in Ecclesia. Sic Gutier. *practic. qq. ciuil. l.* 3. *quæst.* 1. *à num.* 3. Farinac. *append. de Immun. cap.* 16. *numer.* 238. Azeuedo *l.* 1. *tit.* 2 *leg.* 3. *num.* 24. Marian. Ital. *de Immun. l.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 1. Tuschus *practic. concl. v. Ecclesia concl.* 11. *num.* 13. & 14. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *q.* 9.

134 *Non debet, sed quomodocunque occidat, vel mutilet, priuatur indulto.*

Non debet, sed quomodocunque in Ecclesia occidat, vel mutilet, siue sub spe immunitatis, siue absque illa, immunitate priuatur. Quia esto Pontifex voluerit illorum audaciam coërcere, qui antè illam constitutionem sub spe immutaris in Ecclesia occidebant, vel mutilabant, non indè infertur priuationem immunitatis illos solùm comprehendere: siquidem generaliter pronunciat homicidas, & mutilatores immunitate priuari. Potuit ergo ex particulari causa ad vniuersalem prohibitionem gerendam moueri. Quod verò ita factum sit, inde constat, Quia postquam Pontifex retulerat, aliquos sub spe immunitatis in Ecclesia delinquere, subdit: *cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem: mandamus, quatenus publicè nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis priuilegio, quo faciunt se indignos.* En quomodo decisio absoluta est, & fundata præcipuè in ratione quadam communi ac generali, vt quis puniatur in eo, in quo deliquit. Ita Conar. *l.* 2. *var. c.* 20. *numer.* 15. Anastas. Germon. *de sacror. immun. l.* 3. *cap.* 16. *num.* 79. Bonac. *prac.* 2. *Decal. d.* 3. *quæst.* 7. §. 4. *num.* 7. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. Farinac. *de carcerib q.* 28. *n* 54. Nauar. *sum. cap.* 25 *n.* 20. Clarus *pract. §. fin. quæst.* 30.

135 *Probabilior sententiam esse putarim.*

Hanc sententiam probabiliorem esse crediderim. Nam si solùm delinquentes sub spe immunitatis, ea priuantur: redditur dispositio inutilis, & impossibilis. Nam posita hac dispositione nullus sub spe immunitatis peccare poterit; quia impossibile est, talem spem habere, cum videat eo ipso carere immunitate. Et in externo foro quisnam poterit comperire, an delinquens quisque sub spe immunitatis occiderit, vel mutilarit?

DVBIVM XXXIV.

An si quis in Ecclesia existens alium extra commorantem sagitta, vel scoplo occidat: priuetur immunitate?

136 *Non priuatur.*

NOn priuatur. Quia verè in Ecclesia non occidit, sed solùm inchoat occasionem necis. At pœnæ imponi æ sunt ob actum perfectum & non ob inchoatum. Alias priuandus quis immunitate esset, si sub orta in Templo rixa gladium euaginaret, & aduersarium insecutum extra interimeret, quod non est dicendum. Sic. Bonac. *prac.* 2. *Decal. d.* 3. *quæst.* 7. §. 4. *nu.* 8. Fagund. *p.* 2. *de prac. Eccl. l.* 4. *c.* 4. *n.* 17.

137 *Priuatur plane.*

Priuatur equidem. Quia verè ac propriè dicitur in Templo occidere, cum in ea causam necessariam occisionis apponit. Si enim in Ecclesia aliquem vulnerares, & vulneratus, extra Ecclesiam occumberet, homicidium in Ecclesia commississe diceretis, vt ipsemet Bonac. fatetur. Et hoc nulla alia ratione, nisi quia in Ecclesia causam necessariam mortis apposuisti. Sed cum ex Ecclesia sagittam immittis, qua existentem extra Ecclesiam interimis est in Ecclesia apposita necessaria necis causa: ergo censeris homicidium in Templo perpetrasse. Ita Bobadil. *l.* 2. *polit. cap.* 14. *num.* 26. Farinac. *de carcerib. quæst.* 28. *numer.* 61. Villagutier. *de extens. leg. cap. fin. num.* 61. Marian. Ital. *l. c.* 5. §. 3. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 14. Suar. *t.* 1. *de Relig. l.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. Nauar. *sum. capit.* 25. *num.* 21.

137 *Communem hanc eligo sententiam.*

Communem hanc eligo sententiam, asserens eum qui ex Templo sagittam emittit & vulnerat exitialiter extra morantem vere in Templo occidisse: secus autem esse, si euaginato in Templo gladio aduersarium insecutus extra Ecclesiam percuteret, & occideret. Quia non est in Templo apposita causa necis necessaria.

DVBIVM XXXV.

An qui existens extra Templum, in eo morantem occidat: immunitate priuetur?

139 *Non est priuandus.* PRiuandus non est. Quia ibi dicitur propriè delictum homicidij esse commissum, vbi apposita est causa necessaria mortis: sed hoc factum est extra Ecclesiam: ego extrà Ecclesiam dicendus est ille occidisse. Ergo non priuatur immunitate. Sic Villagutier. *de extens legum cap. fin. à n 50.*

140 *Priuandus est.* Est omninò priuandus. Quia in delictis potius executio, & perfectio illorum attenditur, quàm initium: ergò si ex initio dato in Ecclesia probatum est *Problem 34.* te verè esse in Ecclesia homicidam: à fortiori idem est dicendum ex fine, ac perfectione delicti. Ita Nauar. *sum. capit. 25. numer. 71.* Conar. *l. 2. var. cap. 20. num. 15. Suar. tom. 1. de Relig. l. 3. capit. 11. numer. 7. & 8.* Farinac. *de carcerib q. 28 n. 61.* Bonac. *præc. 2. Decal. d. 3 q. 7. p. 4 n 7.*

141 *Hoc tenendum reor.* Hoc tenendum reor. Nam homicidium formaliter consistit in priuatione vitæ: sed hominem existentem in Templo vita priuat qui extra Templum scoplum v. g. emittit: ergò verè ac propriè in Templo homicidium perpetrat ille. Secus dixerim, si existentem extra Ecclesiam quis vulneraret, vulneratusque ad Ecclesiam pergeret, inibi moriturus. Quia tunc causa non est mortis in Ecclesia, licet causa exiterit illius mortis.

DVBIVM XXXVI.

An si quis mandat, aliquem in Ecclesia interimi, priuatus sit immunitate?

142 *Priuatus est immunitate.* PRiuatus quidem est. Quia verè homicidij crimen committit, ac Sacrilegij. Secus esset, si existens in Ecclesia mandaret, aliquem extra Ecclesiam interimi. Nam ex Bulla Gregorij hic casus non excipitur. Sic Nauar. *sum. cap. 25. num. 21.* Gutier. *l. 3. qq. ciuil. quæst. 2. tota.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3 cap. 11. num. 7. & 26.* Azor. *p. 2. l. 9. cap. 9. quæst. 14.* Marian. Sal. *l. 1 cap. 5. §. 3. num. 48.* Farinac. *append. de immun cap. 16 num. 229. & 230.* Decian. *de immun. l. 6. capit. 28. num. 30.*

143 *Non est immunitate priuatus.* Non est immunitate priuatus. Quia nullus immunitate priuandus est nisi in casibus à iure expressis, vt habetur in *Constitit. Gregor.* & eximere ipso constat non enim pœnæ sunt extendendæ, præcipuè quæ libertati humanæ & Ecclesiæ immunitati obstat. At non est in iure expressum priuatum esse immunitate mandantem occidere, sed occidentem, vel mutilantem: sub occidente autem, aut mutilante mandans non intelligitur nisi in lata significatione, quæ in pœnalibus faciendo non est. Ita Bonac. *præc. 2. Decal. d. 3. quæstion. 7. §. 4. numero 2. no* Castro Palao, *tom. 2. d. vni. de Templ. immunit. pun. 9. num. 17.*

144 *Hoc videtur probabilius esse.* Hanc sententiam duorum solummodo Doctorum authoritate firmatam iudico esse probabiliorem. Nam licet ille, qui mandat aliquem occidi committit quoad Deum homicidij piaculum: non tamen de facto ac realiter occidit, at hæc pœna physicè occidenti imposita est, non moraliter occidenti. Scio Regulam illam 72. *de Reg. iuris, Quod facis per alium, per te ipsum facere censeris.* At hoc intelligendum est, non propriè, sed impropriè ac iuris interpretatione, quæ in pœnis non habet locum, nisi ab ipso iure facta sit extensio.

DVBIVM XXXVII.

An qui vi, aut dolo aliquem ex Ecclesia abstrahit, & extra occidit, priuetur immunitate?

145 *Immunitate priuatur.* IMmunitate priuatur. Quia in Ecclesia dedit causam occisionis, dum illum vi aut dolo fecit ab Ecclesia recedere. Sic Azor. *p. 2. l. 9. cap. 9. quæst. 14.* Farinac. *append. de immun. c. 16. n. 232.*

146 *Non priuatur.* Non priuatur immunitate. Quia non dedit in Ecclesia causam necis necessariam, cum liberè postmodum occidit. Palao *t. 2. d. vni de Templ. immun. pun. 9. n. 18.*

147 *Verius hæc nisi sæcedolo, aut vi extraxit, sed nec intendit in Templo occidere, nec actu interimit in Templo & postquam illum extraxit, non intulit extractio illa necessitatem interimendi illum cum potuit propositum reuocare.* Existimo sententiam hanc esse veriorem: licet enim in Templo gessit propositum occidendi, & ea intentione adueniatum ex eo

DVBIVM XXXVIII.

An qui mutilat aut occidit propè Eccl. siam inimicum, & mox se ad illam recipit, priuetur immunitate

148 *Priuatur quidem.* PRiuetur equidem. Quia sub spe immunitatis præsumitur perpètrare delictum. Ergo indignus sit indulto potiri, *cap. quando, de con. ecr. dict 4. cap. illud de Cler. excom. ministr.* Alias Ecclesia fiet spelunca latronum, eiusque immunitas occasionem perditis hominibus liberius viuendi exhibebit contra textum *in cap. est iniusta 24. quæstion. 4.* Sic Nauar. *sum. capit. 25. num. 22.* Farinac *append de immun. caput. 16 num. 210.* plures referens. Gigas *de crim. læsa maiest.* Rubr. *qualiter, & à quibus q 10. n. 7. & 9.* Conar. *l. 2. var. c. 20 n. 15.* Aliis placet, hoc esse intelligendum in homicidio vel mutilatione facta ex proposito propè Ecclesiam, secus si ex subitanea rixa, & casu factum fuerit. Quia in primo præsumitur delictum patratum sub spe immunitatis, secus in secundo. Sic

Decian.

Decian. *pract. crim. l. 6. cap. 28. num. 5.* Gutier. *pract. qq. l. 3 q. 1. num. 15.* Tutchus *v. Ecclesiæ, concl. 11. n. 4.*

149. *Non priuatur.* Non priuatur immunitate, quomodocunque extra Ecclesiam, eiu que Cæmeterium deliquerit. Qua à solùm ab immunitate exceptum est homicidium, & mutilatio in Ecclesia, *cap vlt. de immun. & constitutio Gregor.* In his autem exceptionibus vtpote odiosis & libertati humanæ immunitatique Ecclesiæ derogantibus, non est extensio facienda. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 11. num. 9.* Palao *tom. 2. d. vni de Templ. Immun punct. 9. num 21.* Bonac. *prac. 2. Decal. d. 3. qu. 7. §. 4. num. 13*

150. *Hoc mihi probabilius.* Probabilius hoc mihi nam fateor, indignum esse immunitate sic delinquentem, si cius delictum ac personam spectemus. At immunitas non ipsi propter ipsum, sed ipsi propter locum Sacrum conceditur, qui est omni priuilegio dignissimus: nec indè fit reddi asylum latronum, quia ibi non occidunt: & quia post patratum extra Templum delictum, in illo recepti poterunt delinquentes ab Ecclesiastico iudice corrigi.

DVBIVM XXXIX.

An ex Homicidio, vel mutilatione facta in Templo, priuetur delinquens immunitate quoad alia delicta antè, vel post commissa?

151. *Priuatur quidem.* PRiuatur profecto, si pro delicto commisso in Ecclesia punitus non est, secus si iam fuit supplicio affectus. Quia dum non est punitus, non est Ecclesiæ satisfactum: vndè illum à se Ecclesia expellit. Sic Farinac. *de carcerib. q. 28. num. 60.* Tuichus *v. Ecclesia num. 11.* Decian. *tr. crim l. 6. c. 28 n. 9.* Boerius *decis. 110. n. 10.* Et alij à Farinac. *citati.*

152. *Non priuatur.* Minimè priuatur. Quia nullibi constat hanc satisfactionem prius Ecclesiæ faciendam esse: at pœnæ non sunt extendendæ. Couar. *l. 2. var. c. 20. num. 15.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. q. 1. n. 18.* Et alij à Couar. relati.

153. *His adhæreo.* Ego his adhærens existimo, delictum in Ecclesia factum priuare immunitate illi aliàs debita: non verò priuare immunitate debita aliis delictis.

DVBIVM XL.

An qui inimicum suum dormientem, vel alio modo incautum per insidias occidit, excludatur ab immunitate?

154. *Non nulla præmitto.* CErtum est, excludi ab immunitate, qui proditoriè proximum suum occiderit, *c. 1. de homicid.* ibi *si quis per industriam occiderit proximum suum, & insidiis: ab Altari eum auelle, vt moriatur.* Ille dicitur proximum suum proditoriè occidere, qui occidit incautum, nil tale præcauentem, *leg. Propter insidias, C. qui accusare non possunt, leg. 4. ff. ad leg. Iul. maiest. Cap. Clericus dist. 46.* Et alibi. Quæritur autem, an si inimicum dormientem, vel alio modo incautum per insidias occidit, excluius sit ab immunitate.

155. *Exclusus est.* Excluius quidem est. Quia *in capit. 1. de homicid.* Ille dicitur proditoriè occidere, qui per industriam, & insidias occidit: sed non obstante inimicitia ille per industriam & insidias occidit: Ergò proditorie. Igitur ab Altari est auellendus. Sic Couar. *l. 2. var. cap. 20. num. 7.* plures citans Plaza *epit. delict. l. 1. cap. 21. num. 2.* Villagutier. *de extens. leg. c. fin. num 53.* Azeuedo *l. 11. tit. 2. num. 11. in constitut. Hispaniæ.* Bobadi. *polit. l. 2. cap. 14. num. 34. & 31.* Et alij relati à Farinac. *citando.*

156. *Non est exclusus.* Non est excluius, licet per insidias occidat inimicitiâ durante. Quia non quacumque insidiæ immunitate priuant, sed insidiæ, quæ proditionē constituunt. Si quidem Gregorius in sua constitutione solum dixit excludendos esse ab immunitate, qui proditoriè occidunt. At stante inimicitia, insidiæ non constituunt proditionem. Ita Farinac. *consil. 76. num. 7. & 15. & append. de immun. cap. 9. num. 143.* Ambrosin. *de immun. cap. 6. à num. 3.* Anton. Gom. *var. resolut. §. de homicidio, cap. 3. num. 5.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 11 n. 12.* Gutier *pract. qq. ciuil. l. 1. q. 2. & 3. n. 18.*

157. *Hoc verius esse puto.* Hoc verius puto. Nam qui inimicitias cum alio gerit, semper habet fundamentum se præcauendi; vndè sibi imputare debet, si incautè occidatur. At si per insidias (vti est certum durante inimicitia) non interemit, vndenam ab immunitate erit priuandus? Et quidem, si Farinacio *citato* credendum, hæc doctrina admissa fuit à Clemente VIII. in vna Panormitana, immunitatis Ecclesiæ, ob quam rationem Farinacius à priori sententia quam defenderat *quæst. 18. num. 76.* recessit.

DVBIVM XLI.

An qui proximum suum per industriam occidit, sed non vsus fuit, ad id præstandum, insidiis: fruatur immunitate?

158. *Non fruitur.* NOn fruitur. Quia *in capit. 1. de homicid.* dicitur euellendum esse ab Altari, & immunitate priuandum, qui *per industriam occiderit, & per insidias.* Sed an his verbis clare colligitur, occidentem per industriam, etiamsi non occidat per insidias, immunitate priuari: tùm quia copulatiua in qualibet illius parte vera esse debet: tùm quia alias superflue apponeretur verbum illud, *Per industriam*, siquidem sufficiebat dicere, *Per insidias* eo quod occidens per *insidias*, per industriam occidit. Sic plures Doctores, quos refert. Conar. *l. 2. var. c. 20. num. 7.* Iul. Clar. *pract. qq. quæst. 30.* Decian. *l. 6. c. 28. num. 15.*

Farinac. *de carceribus q.* 28. *n.* 23.

159 *Fruitur plane.* Fruitur equidem quantumcumque adhibita industria proximũ occidat, nisi adsint insidiæ quæ constituunt proditionem. Quia stante Gregorij constitutione id omninò patescit: nam solum ibi excipitur homicidium: qui autem ex industria, & animo deliberato occidit, si non occidat per insidias, proditor non est. Ita Couar. *citatus* Anton. Gomez *de delict. c.* 10. *num.* 2. Farinac. *consil.* 76. *n.* 17. plures referens, Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 3. *c.* 11. *num.* 13.

160 *Auctoris resolutio.* Fateor hanc sententiam probabiliorem planè esse spectata constitutione Gregorij. At si ius commune spectemus, rem difficiliorem esse. Attamen placet cum his Doctoribus sentire, id immerito fieri. Quia in pœnis non est extensio facienda, nec minuenda Ecclesiastica immunitas. Et quia Gregorij constitutio, quæ casus controversos decidere intendebat, apposuit verbum *Proditoriè*, vt sic innueret, in illis verbis *Per industriam*, & *Per insidias* idem esse significatum. Vnus enim terminus alterius est declaratio. Neque ibi est propositio copulativa. Sed simplex, reddit enim hunc sensum: *Qui per industriam insidiosam occiderit proximum, ab Altare euellatur.*

DVBIVM XLII.

An qui per industriam insidiosam proximum vulnerat animo occidendi, tametsi mors non sequatur: priuetur Templi immunitate?

161 *Priuatus est.* PRiuatus planè est. Quia licet textus in *Cap.* 1. *de homicid.* dixerit, *si quis per industriam & per insidias occiderit proximum suum, ab altari auelles eum.* At huiusmodi textus relationem facit ad locum *Exodi.* 21. vbi in principio dicitur: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur* Et subdit mox quasi hoc distinguens: *Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius habebit locum, ad quem fugere possit: si autem per industriam &c. ab Altari est euellendus.* Quasi diceret. Si quis in percussione hominis insidiis vsus non fuerit, locum habet refugij. At qui percusserit insidiosè volens occidere, vel occiderit, ab Altari est euellendus. Sic Nauar. *sum. c.* 25 *num.* 22. Conar. *l.* 2. *var. c.* 20. *pest. mm.* 7. Boërius *dec.* 109. Petrus à Placha *epit. delict. c.* 21. Farinac. *de carcer. q.* 28. *num* 45. Gutier. *pract. qq ciuil. l.* 3. *q.* 7. *num.* 55. Azeuedo *l.* 11. *tit* 1. *leg.* 3. *num.* 9. asserens esse opinionem communiter receptam. Bobadil. *l.* 2. *polit. cap.* 14. *num.* 34.

162 *Non est priuatus.* Non est priuatus immunitate. Quia lex illa cæremonialis Exodi vim non habet nisi quatenus ab Ecclesia recepta sit. At in *Cap.* 1. *de homicid.* solùm statuitur excludendum esse ab Altari hoc est, immunitate priuandum, qui per industriam insidiosam proximũ suum occiderit. Ergo non est dicendum vulnerantem insidiosè hac immunitate priuari, cum iex nullo Canonici iuris textu id constet. Ita Decian. *tr. crimin. lib.* 6. *c.* 28. *num.* 17. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 3. *c* 11. *num.* 14. Marian. Ital. *de immun. c.* 9. *n.* 145. & 146. Villagutier. *de extens. leg. cap fin. num.* 54. Bonac. *prac.* 2. *Decal. d.* 3 *q.* 7. § 4. *n.* 16.

Hanc teneo sententiam. Quia ob eam causam existimo, noluisse ius Canonicum totam Exodi legem in textu inserere, sed solum vltimam eius partem. Addiderim, constitutionis Gregorij vigore hoc esse manifestum, cum solum ibi excipiatur, qui proximum proditorie interemerit. 163. *Hanc sententiam.*

DVBIVM XLIII.

An proditoriè infidelem interimens, priuetur immunitate?

NOn priuatur. Quia infidelis non est propriè noster proximus, cùm nobiscum non communicet in fide, in sacramentis, in Ecclesia, &c. sed priuatio immunitatis imposita est, suum proximum proditorie occidenti: Ergò non est imposita fidelem necanti. Sic Ambrosin. *de immun. c.* 7. *n.* 12. Bonac. *prac.* 1. *Decal. d* 3 *q.* 7. § 4. *n.* 16. 164 *Non priuatur.*

Priuatur omninò. Quia infidelis sub nomine nostri proximi propriissimè comprehenditur: alias præceptum illud diligendi proximum sicut nos ipsos non extenderetur ad infideles, neque ex charitate eos diligere teneremur: quod est absurdum. Ita Marian. Ital. *de immun. l. c.* 5. § 4. *num.* 20. & 21. Farinac. *de immun. c.* 8. *n.* 120. & alij. 165 *Priuatur omninò.*

Hoc longè verius esse crediderim. Propriè namque infidelis noster proximus est. Ad quod non obest, nobiscum non communicare in fide, Sacramentis, &c. Alias hæreticus, & peccator posset à proximitate excludi: quia nobis cum in fide, & charitate non conuenirent. ergò non requiritur huiusmodi communicatio ad rationem proximi constituendam: sed ex eo solum, quod eandem nobiscum naturam participent, proximi nostri sunt effecti. 166 *Hæ longè verius esse iudico.*

DVBIVM XLIV.

An Reus Assassinij spectato iure communi excluſus sit ab Ecclesiæ Immunitate?

ASsassinus dupliciter accipitur. Primò ac præcipuè pro quibusdam infidelibus, qui ex mandato sui Principis infideles homines occidebãt. Per translationem autem communiter accipitur pro iis, qui pecunia aliove pretio conducti aliquem incautum interimunt. Certum itaque est, reum assassinij ab immunitate esse excluſum ex *const. Gregorij.* Quæsierim autem, num spectato iure communi, sit excluſus? 167 *Nouissima resolu.*

Non est. Quia textus in *Cap. Pro homani, de* 168

Non est excluſus.

de homicid. in 6. qui de hoc crimine loquitur, committi id ſolùm imponit excommunicationem ipſo facto, depoſitionem, & diffidationem: non tamen priuationem immunitatis. Ergò niſi aſſaſſinus proximum proditoriè occidat, immunitate non priuatur: & tunc non ob aſſaſſinium, ſed ob occaſionem proditoriam ex *Cap. 1. de homicid.* Addo *caput Pro humani*, locutum eſſe de iis, qui per quoſdam infideles patrio nomine *Aſſaſſinos* vocitatos Chriſticolas interficiebant, vt optimè aliis relatis probat Couar. *l. 3. v. c. 20. numero* 10. Ergò qui non per huiuſmodi infideles, ſed per fideles fidelem interimit aſſaſſinij pœnas in illo *Cap.* contéras non incurrit. Eego, iure communi ſpectato priuandus non eſt immunitate. Sic nonnulli minimè immerti Doctores. Quorum ſententiæ Caſtro Palao ſubſcribit. *tom. 1. d. vni. de Templ. immun pun. 9. n. 32.*

169 *Excluſus eſt.*

Eſt quidem priuatus. Quia ante, & poſt Gregorij conſtitutionem delictum aſſaſſinij à Iudicibus ex conſuetudine recepta vt indignum, cui Eccleſiæ faueat immunitas reputatum eſt. Ergo conſuetudo hæc quæ iuris communis vices exerit, ſufficit, vt poſſit affirmari aſſaſſinum ſpectato iure excluſum eſſe ab immunitate. Ita Farinac. *de carceribus q. 18. num. 16.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 11. num. 13* Bonac *præc. 1. Decal. d. 3. q. 7. §. 4. num. 18.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3 q 7. n. 50.*

170. *Auctoris ſententia.*

Ego quidem cum meo Caſtro Palao, ſpectato iuris rigore, cenſeo probabilius (ſi *conſtitutio Greg.* ſecludatur) priuatum non eſſe immunitate. At ſi conſuetudo recepta, & à Doctoribus approbata ſpectetur, etiamſi Gregorius aſſaſſinum ab immunitate non excluderet, excluſum eſſe quaſi ex communi iure affirmandum exiſtimo.

DVBIVM XLV.

An qui ſicario promittit, ſe ei daturum aliquam in vxorem, vt alium occidat: illeque occidit, perpetret crimen aſſaſſinij, cui eſt immunitas denegata?

171 *Non perpetrat.*

NOn perpetrat. Quia executio illius promiſſionis non eſt in promittentis voluntate: Ergò reputatur, ac ſi nihil promiſiſſet. Ergo aſſaſſinus non eſt, cum pretio ad facinus non conducatur. Sic Boſſi. *tit. de mandat. ad homicid. num. 35.* Farinac. *de carcerib. q. 123. n. 44.*

172 *Perpetrat planè.*

Perpetrat quidem aſſaſſinij piaculum. Quia talis promiſſio eſt pretio æſtimabilis, ſiquidem ex illa promittēs manet obligatus quoad fieri poſſit procurare, vt fœmina in vxorem promiſſa velit matrimonium inire: & ex alio capite ſicarius motus illa promiſſione crimen patrauit. Ita Decian. *tr. crim. l. 9. c. c. 3. num. 16.* Palao *to. 2. d. vni. de Templ. immunit. pun. 9. n. 34.*

173 *Probabilius hoc mihi.*

Sententiam probabiliorem eſſe reor. Quia non requiritur, vt de facto ſicarius pretium accipiat, vt patrans homicidium aſſaſſinus dicatur, ſed ſufficit, promiſſionem in futurum executioni tradendam fieri. At negari non poteſt præfatam coningij promiſſionem pretio eſſe æſtimabilem adeò, vt vere ad homicidium patrandum conductum illum eſſe dicatur.

DVBIVM XLVI.

An Res, ſeu pecunia promiſſa ei, qui patraturus ſit crimen debet neceſſario, in magna quantitate, vt aſſaſſinus ille ſit, immunitateque ideò priuetur?

174 *Debet eſſe in magna quantitate neceſſario.*

DEbet eſſe in quantitate magna, quæ animum mouere poſſit ad tale crimen patrandum: vnde aſſaſſinij crimen non committet, qui ob vile pretium perpetrauit homicidium. Nam id cauſa eſſe non poteſt tanti criminis, cum ex ſe apta non ſit animum excitandi: nec dici poteſt pretium tam diræ agreſſionis. Sic Farinac. *q. 123. num. 43.* Vulpel. *conſ. 143. numer. 9.* Alex. Ambroſin. *de immunit. c. 7. n. 9.*

175 *Eſſe non debet neceſſariò.*

Non debet neceſſariò eſſe quantitas magna, vt quis aſſaſſinium committere dicatur. Quia paruitas pretij non minuit delictum illius, qui ex eo ad graue facinus exequendum mouetur, ſed potius illud aggrauat. Ita Caſtr. Palao *to. 2. d. vni. de Templ. immun. pun. 9. num. 34.*

176 *Huic hæreo Doctori.*

Amiciſſimo Doctori hærens idem affirmo Nam qui ex contractu illius paruæ rei occidit, grauius planè deliquit. Vnde ſpeciali iure debet vt aſſaſſinus Templi immunitate priuetur.

DVBIVM XLVII.

An occidens pretio conductus infidelem committat, aſſaſſinij piaculum, cui eſt immunitas denegata?

177 *Committit quidem.*

COmmittit quidem. Quia eſſe fidelem, vel infidelem per accidens videtur ad aſſaſſinij crimen. Præcipuè cum infidelis (vti vidimus ſuprà) ſit verè proximus. Sic plures quos refert, & ſequitur Decian. *tract. crimin. l. 6. cap. 28. num. 18.* Marian. Ital. *de immunit. l. 1. c. 5. §. 4. num. 20. & 21.* Farinac. *append. de immun. c. 8. n. 120.*

178. *Non committit.*

Non committit, ſpectato iuris rigore. Quia textus in *Cap. 1. de homicid. in 6.* expreſsè dicit, *Quempiam Chriſtianum.* Ergo tacitè infidelem excludit. Præterea illa conſtitutio expedita fuit aduerſus Chriſtianæ Religionis hoſtes &c. vt conſtat ex eius proœmio, quod occidentibus infideles haud poteſt conuenire. Ita Maſcard. *de probationibus l. 1. concluſ. 137. num. 13.* Farinac. *quæſt. 123. num. 33.* plures referens Ambroſin. *de immunit. cap. 7. num. 12.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. q. 7. num. 8.* Couar. *l. 2. var. cap. 20. num. 10.* Inl. Clar. *pract. §. Aſſaſſinium, verſ. benè verum eſt.*

179 *Veriorem hanc sententiam credo.*

Hæc mihi verò videtur esse sententia. Nam licet infidelis verè sit proximus, non propterea quilibet proximus occisor hæc assissinij pœna intra tenetur: sed solo occisor hæc proximus Christianus. Secus verò est in hac assassinæ professione facta. Quia in *cap. 1. de homicid.* non fuit limitatum decretum ad proximum Christianum, sicut in hoc crimine assassinij limitatum est.

DVBIVM XLVIII.

An si quis accepit pecuniam ad occidendum, sed postmodum non occidit sed tantum vulnerauit, sit assassinus, cui tamen negatur immunitas?

180 *Assassinus est immunitate priuatus.*

Assassinus est, & immunitate non gaudet. Qui vere crimen assassinij committit, ad cuius malitiam solum videtur requiri, vt acceperit pecuniam ad occidendum, & per ipsum non stetit, quin occidat. Sic Ioan. Gutier. *pract. l. 3. q. 97. num. 59.* & alij.

181 *Non est assassinus.*

Non est propriè assassinus, ideóque ei immunitas non est abneganda. Quia immunitate non priuatur nisi propriè committentibus assassinij crimen: sed qui accepta pecunia alium vulnerauit, non tamen interemit, non patrauit verè assassinij piaculum. Nam textus in *Cap. 1. de homicid. in 6.* vbi hoc crimen declaratur, solum de mandante dixit, puniendum esse eisdem pœnis, siue mors sequatur, siue non; nihil autem tale de mandatario dicitur. Ego mandatarius, qui mortem non intulit, relinquitur in hac parte iuris communis dispositioni, quæ quidem est, neminem ob vulnerationem tantùm immunitati priuari. Ita Farinac. *de homicid. quæst. 123. num. 77.* & *de immunit. c. 8. num 123.* Muscard. *de probat. conclus. 138. num 2.* & 5. Heron. Zeuall. *commun. contra commun. q. 540. num. 5.* & alij plures apud Farinac.

182 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius opinor, adiiciens, etiam ab assassinij crimine ac pœna liberari, qui accepit pecuniam ad vulnerandum & non ad occidendum. Quia textus in *Cap. 1. de homicid.* de interficientibus Christianis loquitur, non de vulnerantibus. Et quia assassinius videtur dictus ab eo qui ex officio, vel contractu à corpore animam abscindit, vt defendit Decian. *tract. crim. l. 9. cap. 30. num. 41.* Farinacius *de immunit. c. 8. n. 134.*

***

DVBIVM XLIX.

An Reus læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis excludatur ab immunitate?

183 *Excluditur planè.*

EXcluditur planè. Quia in constit. Gregoriana expresè id imperatur. Sic Doctores communiter.

184 *Reiicitur alia sententia.*

Non excluditur. Quare reiiciendi sunt omnino, qui contrarium senserunt vt fuit Bossius *tit. de captura num. 3.* Gutier. *pract. qq. cum. l. 4. quæst. 4. num. 3. iuncto num 9.* Villagut. *de extens. leg. cap fin. num 5.*

185 *Authoris resoluit.*

Et hanc sententiam Gregorij constitutione, res est adeò plene controuersa, cum discretus veribis reus læsæ maiestatis in personâ Principis omninò excludatur. Et ius commune ita declarat ita pridem ipsa praxis & communis DD. sensus inuellexerat. Porrò nomine *Principis* intelligitur, qui supremam habet iurisdictionem, neminique est subiectus, qualis est Pontifex, Imperator, Galliæ, & Hispaniæ Reges.

DVBIVM L.

An ratione consuetudinis alij, præter exceptos in iure, casu excipiantur, ab hac immunitate?

186 *Excipiuntur quidem.*

EXcipiuntur quidem. quia consuetudo legitimè præscripta vim habet Ecclesiasticam legem derogandi. Et quia Bulla Gregorij non videtur consuetudines tollere, sed solùm priuilegia Principibus concessa: & casu quo consuetudines tolleret, adhuc possent denuo introduci, præcipue videntibus, ac tacentibus Prælatis. Et ita introducta est consuetudo extrahendi plures delinquentes à locis sacris per sæculares iudices. Sic Clarus *in pract. § fin. q. 30.* Petr. Greg. *synt. gm. iur. l. 33. c. 22. num. 3.* & alij relati à Farinac *de carceribus q. 18 n. 73.*

187 *Reiicitur aliorum sensus.*

Quoniam aliqui omnes consuetudines immunitati Ecclesiæ derogantes sublatas fuisse velint à Concilio Trident. *sess. 25 c. 20.* quare nus ibi reuocatur obseruantia immunitatis secundum Canones, & summorum Pontificum constitutiones. Bulla quoque Gregorij omnes consuetudines pariter sustulit, & per æquipollentia verba reuocauit, quia adest ibi decretum irritans, contra quod allegari non potest contrarius vsus. Ita Ambrosin. *de immunit. cap. 14.* Marian. Ital. *de immunit l. 1. c. 6. principio* Bonac. *prac. Decal. d. 3. quæst. 7. §. 6. num. 4.*

188 *Credo hæc vera.*

Primam tamen sententiam probabiliter longè esse credidi, propter communem illam DD. Principum constitutionem, & legi etiam Ecclesiasticæ derogare: quare vbi illa consuetudo inducta fuerit, seruanda erit, quamuis in ea inducenda operosum esset.

DVBIVM

DVBIVM LI.

An ex identitate rationis excipiantur alij casus ab Immunitate?

189. *Quæstionis status*

NEgari non potest, plures esse casus graviores & atrociores iis, qui ab Innocentio III. & Gregor. IX. ac XIV. excipiuntur, quales sunt Raptus, Adulterium, Sodomia, Incendium, Furtum, Sacrilegium, ac similia. Quæstio igitur est an ex identitate, vel ex maioritate rationis alij casus excipiantur ab immunitate?

190 *Excipiuntur quidē.*

Excipiuntur quidem. Quia si non excipereatur, daretur occasio perditis hominibus liberius viuendi, grauissimaque crimina perpetrandi freti ipse securitatis ab Ecclesiastica immunitate concessæ. Ergo ne immunitas Ecclesiæ, quæ in Dei honorem sint introducta, cedat in eius iniuriam immunitas in his casibus nō prodest. Sic Decian. *tr. crimin. lib. 6. cap. 28. num. 20.* asserens, ex identitate rationis constitutionem etiam pœnalem extendi posse ad alios similes casus: quid ad graviores? Quod maiorem vim habet quoties in legis dispositione ratio est scripta. Nam tunc non dicitur lex pœnalis extendi, sed comprehendi. Neque illa extensio, sed declaratio legis. Bald. *ad leg. Quamuis. C. de fideicommiss.* Oldrad. *cons. 185.* Calderin. *cons. 1. tit. vt lite pendente.*

191 *Non excipiuntur.*

Minimè excipiuntur. Quia facienda non est extensio ex identitate aut maioritate rationis quādo causæ favorabili qualis est Ecclesiastica immunitas, præiudicat. Præcipuè cum pœnæ locum non habeant, nisi in casibus expressis. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 11. num. 15. & 17.* Franc. Leo *in thesaur. fori Eccles. c. 3. Rubric. de immun. t. Eccles. post. num. 27.* Farinac. *append. de immunit. cap. vltim. num. 353.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. c. 13. num. 56.* Ambrosin. *de immunit. cap. 1. numer. 13.*

192 *Hoc dicēdum reor.*

Hoc dicendum existimo. Quia si vltra casus excepros liceret alios ob identitatem, vel maioritatem rationis excipere, regula assignata in *Capite Inter alia*, & tradita à Gregorio in sua Bulla, destrueretur, quia nihil firmum, & stabile esset constitutum. In his tamen omnibus attendenda erit consuetudo recepta, & praxis.

DVBIVM LII.

An raptores virginum sint immunitate priuati?

193. *Sunt priuati.*

SVnt priuati. Quia raptus est quædam rapina grauior quolibet alio latrocinio: vnde comprehendi potest in casu latrocinij excepto. Sic Angel. *de maleficiis, vers. Quod fama publica. num. 59. lit. B.* Boërius. *decis. 103.* Decian. *tract. crimin. l. 6. cap. 28. num. 20.* Anton. Butrio *Cap. inter alia, de immunit. Eccles. num. 18.* & Suar. probabile reputat *vbi infrà.*

194 *Priuati non sunt.*

Priuati non sunt immunitate. Quia non est casus expressè exceptus in iuribus citatis à primæ sententiæ Auctoribus, nempe in *Authent. de mandat. Princip.* & in nulla Gregorij. Et quia in *Cap. de Raptoribus 36. quæst. 1.* his immunitas conceditur. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 11. num. 17.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 9. vera. Quid vero de raptoribus.* Tuschus *verb Ecclesia concl. 11. n. 35. & 36.* Farinac. *de carceribus q. 28. nu. 17.* Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. quæst. 5. tota.* Bonac. *præ. 1. Decal. d. 3. quæst. 7. §. 4. num. 4.* & alij.

195 *Hoc verius esse credo.*

Veriorem hanc sententiam esse crediderim. Nam primæ sententiæ ratio solum probat ex iure ciuili raptores, & adulteros ab immunitate esse exclusos. Ius autem Canonicum illos textus corrigit, & in materia Ecclesiasticæ immunitatis Pontificiæ constitutioni standum. Quod si instent aduersarij obiicientes ex consuetudine huic crimini, & adulterio immunitatem denegari: respondeo, consuetudinem vbi ea viget seruari posse.

DVBIVM LIII.

An sodomita, spectato iuris rigore sit ab immunitate exclusus?

196 *Exclusus est.*

EXclusus est. Quia grauissimum est piaculum, adeò vt constitutionibus Regijs pœnam mortis habeat annexam: & ex constitutione Pij V. Curiæ sæculari Clerici delinquentes traduntur. Ergo decens non est, vt Ecclesia tam fœdo faueat delinquenti. Sic Marian. Ital. *de immunit. l. 1 c. 5. §. 3.*

197 *Non est exclusus.*

Non est exclusus. Quia nullibi hoc crimen excipitur, & in materia pœnali immunitatem derogante, non licet facere extensionem. Ita Farinac. *append. de immunitate capit. 6. num. 98.*

198 *Hoc verius*

Hanc sententiam credo esse longè veriorem adiiciens, quando in iure communi & secluſa contraria consuetudine, quæ illi derogarit, debet vero ille Reus si de pluribus actibus esset infamatus. Hoc enim requirit Pij V. constitutio, vti tradit Nauar. *sum. c. 27. num. 249.* Mecum Farinacius.

DVBIVM LIV.

An sacrilegio denegetur Templorum immunitas?

199 *Denegatur quidem.*

DEnegatur profecto. Quia grauissimum crimen est specialiter contra reuerentiam Deo debitam, ac proinde immunitati contrarium. Sic plures Doctores, quos refert, ac sequitur Ioan. Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. q. 1. n. 33.* Card. Tusch. *v. Ecclesia, concl 10. n. 19.* Petr. Greg. *syntag. iur. c. 22. n. 2.*

Minimè

200 *Non denegatur*

Minimè denegatur. Quia *Cap. inter alia, & constit.* Gregor. solum excipitur Sacrilegium propter homicidium, & vulnerationem in Templo vel sacro loco factam: Ergò alia Sacrilegia excepta non sunt. Ergo aliis Sacrilegiis infecto non est immunitas deneganda. Ita Pluur. *sum cap. 25. nu. 6.* Farinac. *de carceribus quæst. 28 num. 67.* Bonac *præs. 1. Decal. d. 3. quæst. 7. § 4. num. 3.* loquens *de blasphemia* Ambrosin. *de immun. c. 5. num. 6.* Marian. Ital. *de immun. l. 1. c. 5. §. 3. n. 75.*

201 *Cum his opinor.*

Cum his opinor longè probabilius. Vnde colligo, blasphemum, & superstitiosum immunitate frui, nisi de suspicione hæresis sit examinandus. Quia non sunt crimina excepta Sco, Farinacium contrarium docuisse: sed locutus fuit ante Gregorij constitutionem.

DVBIVM LV.

An periurus, qui eo crimine causa fuit, vt aliquis morte esset damnatus, aliàs non damnandus: priuatur immunitatis indulto?

202 *Status quæstionis.*

PEriurum fori Templi immunitate, certum esse reor. Quia non est crimen exceptum. Neque obstat periurium, & falsum testimonium homicidio æquiparari. *Cap fin. 22 q 1.* nam æquiparatur homicidæ voluntario, non proditorio, qui solum est ab immunitate exceptus. Dubito autem, si quis periurio causa fuit, vt aliquis mortis esset damnatus, aliàs non damnandus, num immunitate priuetur?

203 *Priuatur sanè.*

Priuatur quidem. Quia homicida proditorius esse censetur, cui Ecclesiæ immunitas denegatur. Sic Marian. Ital. *de immun. l. 1. c. 5. § 4. & § 5 num. 145.* Dubius est Farinac. *append. de immun. c. 9 num. 141.* asserens Pontificem esse consulendum.

204 *Non priuatur.*

Non priuatur. Quia moraliter, non physicè occidit. Vnde proditorio homicidæ moraliter solum debet æquiparari. Ita Ferdinandus de Castro *to. 2. d. vni. de Templor. immun. pun. 10. num. 9.*

205 *Verius hoc esse credo.*

Longè hoc verius esse credo. Nec enim occidenti moraliter proditori, sed physicè proditorie interimenti immunitas denegatur. Quia hic est, qui propriè occidit.

DVBIVM LVI.

An incendiarijs negetur Ecclesiæ immunitas?

206 *Negatur immunitas.*

NEgatur profectò. Quia incendiarij æquiparantur agrorum depopulatoribus, queis immunitas est abneganda. *Cap. Pessimam 23. q. 8.* Ibi enim datur facultas Regibus, ac Principibus eos puniendi, consultis Archiepicopis, & Episcopis, quod tamen consilium necessarium non esset, si incendiarij ad Ecclesiam non confugissent. Supponitur ergo in textu, eos ad Templum confugisse, & hoc non obstante, non negatur facultas Regibus, ac Principibus eos puniendi, consultis tamen Episcopis. Sic graues Doctores, quos præsto nomine affert Palao *citandus.*

207 *Non negatur.*

Non negatur eis immunitas, quia in *Cap.* Inter alias, aliisque iuribus, & in Bulla Gregorij XIV. non excipiuntur: sed omnibus delinquentibus immunitas conceditur nisi in casibus exceptis. Ergo incendiariis est concessa. Ita Palao *tom. 2. d. vni. de Templor. immunit. pun. 10. num 9.* Farinac. *append. de immunit. c. 6. n. 105.*

208 *Hanc sententiam defendo.*

Hanc sententiam defendo, cui minimè obstat, hoc crimen simile esse, agrorum depopulationi. Nam cum non sit idem, sed diuersum, exceptio vnius non est alterius exceptio: imò potius firmat regulam in casibus non exceptis. Nec constat ex præfato textu, incendiarios ad Ecclesiam confugisse. Nã consilium Episcoporum non petitur, qui ad Ecclesiam confugerint. sed vt cordatè Reges, ac Principes procedant in pœna his delinquentibus assignanda, cum iuxta ius antiquum variè sint constitutæ. Sic Glosa.

DVBIVM LVII.

An iudices, aliique Ministri violenter extrahentes confugientem ad locum sacrum: ob huiusmodi delictum priuentur & ipsi immunitate?

209 *Priuantur equidem.*

PRiuantur equidem, quia non debet prodesse immunitas eis, qui altari prodesse noluerunt: neque conqueri possunt, si mensura qua alios mensi fuêre, eis remetiatur. Sic Decian. *tract crimin l 6. c. 25. num. 7.* Anastas. Germon. *de sacror. immun. l. 3. c. 16. num 104.* Marian. Ital. *de immun. l. 1. c. 5. §. 15* Petr. Gregor. *syntag iur. l. 33 c. 21. num. 3. & c. 22. n. 2.*

210 *Non priuantur.*

Non priuantur, quia non est ex criminibus expresse exceptis. Ita Farinac. *append. de immunit. c. 6. n 106.* & alij.

211 *Hanc eligo.*

Hanc eligo sententiam plane probabiliorem. Fateor, huiusmodi iudices, & ministros indignos esse immunitate priuari. At id solum probat posse legem statui, qua priuentur: non tamen probat, de facto esse statutam.

DVBIVM LVIII.

An fabricantes falsam monetam sint ab immunitate excluſi?

212 *Sunt excluſi.*

SVnt equidem, qui a perpetrant insustitiam aduersus Rempublicam, & Regem, & *Sunt ex-* crimen lesæ maiestatis, & graue ac publicum *cluſi.* forum, cui quidem immunitas abnegatur. Sic Theologi quidam non immeriti.

Non

213 *Exclusi non sunt.*

Non sunt exclusi. Quia crimen hoc nec in *Bulla Gregoriana*, neque alibi excipitur. Ita Gutier. *pract. qq. ciuil. l. 3. q. 4. per totam.* Farinac. *append. de immunit. c. 6. n. 91.*

214 *Cum his opinor.*

Cum his sentio parum aut nihil probabilitatis in contraria sententia agnoscēs. Quia absolutè qui fabricandæ falsæ monetæ dat operam, non gerit publicum latrocinium, cum non fiat cum violentia, & publicitate. Nec item est crimen læsæ maiestatis in ipsiusmet Principis personam, sed in eius statum, ac proinde non est ex criminibus exceptis.

DVBIVM LIX.

An delinquentibus in criminibus exceptis prosit immunitas Ecclesiæ quoad alia crimina non excepta?

215 *Status quæstionis*

QVæstio est, num homicidæ proditorie (v. grat) prosit immunitas quoad crimen adulterij, stupri, simplicis, furti, &c. ita vt extrahi non possit ad horum punitionem? Et procedit dubitatio, quando Iudex non intendit punire homicidium: nam si illud punire intendat, & ob illius causam reum sacro extrahat à loco, certum est tunc reliqua crimina posse punire; quia tunc non censetur delinquentem extrahere à loco sacro ob alia crimina; sed iam iustè extractum punit. Quæsierim igitur, an si sola crimina Iudex non excepta intendat punire, reo prosit Ecclesiæ, è qua extrahitur, immunitas?

216 *Non prodest.*

Non prodest, sed potuit Iudex delinquentem è loco sacro extrahere. Quia ob aliud crimen exceptum, quod commisit, absolutè immunitate est priuatus. Sic quidam Doctores, quorum sententia videtur haud omninò improbabilis.

217 *Prodest quidem.*

Prodest equidem nec potest extrahi, ac puniri. Quia pœnales constitutiones immunitatem Ecclesiæ derogantes accipiendæ sunt in rigorosa, ac formali significatione. Ergo constitutio excludens delinquentem ab immunitate aliquibus in casibus accipiēda est in formali, ac propria eius significatione sine vllo ad alia crimina nō excepta respectu. Ita Dec. *tract. crimin. l. 6. c. 26. num. 6.* Farinac. *de carcerib. q. 28. n. 67.* Bonac. *prec. 1. Decal. d. 3. q. 7. § 4. n 23.*

218 *Hoc verū omninò*

Hoc verum omninò. Nam si constitutio excludens in aliquibus casibus delinquentem ab immunitate accipienda est in formali ac propria eius significatione: Ergò solum comprehendit delinquentes illos in criminibus exceptis, quatenus tales sunt, hoc est, quatenus talia crimina commiserunt. Igitur quoad alia crimina gaudent immunitate.

CAPVT IX.

Circa Immunitatis Templorum Effectus.

DVBIVM LX.

An qui blanditiis, ac dolosis verbis inductus à loco sacro exiuit, sit ei restituendus, vel capi posse?

219 *Nonnulla præmitto.*

PRÆMITTO, primum, & præcipuum immunitatis effectum esse, non posse à loco sacro extrahi inuitum, & contra Ecclesiæ voluntatem. Textus expressus in *leg. 2. C. de iis, qui ad Eccles. confug. & in Cap. Inter alia, de immunit. Eccl. Cap Frater. Cap. Reum: Cap. Definiuit.* & alij. Dixi *Inuitum*, nā si ipse liberè exeat, sic egressum poterit sæcularis Iudex capere. Quia immunitas personis conceditur ratione loci. Porrò extractus per violentiam restituendus est, quia omnis violenta extractio est nulla, & reo præiudicare non potest. Quæsierim verò, an si blanditiis, ac dolosis verbis inductus à loco sacro exiuit, sit restituendus, an capi licitè & validè possit?

220 *Restituendus est, nec capi potest.*

Restituendus est, nec potest capi, quia huiusmodi extractio violentię æquiparatur. Sed extractus per violentiam restituendus est. Ergo. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Castro Palao. *tom. 2. d. vni. de Templor. immun. pun. 11. n 3.*

221 *Non est restituendus, sed potest capi.*

Non est restituendus, sed capi potest, quia dici non potest, violenter fuisse extractum: blanditiæ enim & dolosa verba violentiam non inferunt sola autem violentia extractio illis in iuribus prohibetur. Ita Decian. *tr. crim. in l. 6. c. 26. num. 11.* Farinac. *append. de immun. c. 19. n. 302.* Suar. *to. 1. de Relig. l. 3. c. 18. num. 2.* Fagund. *l. 4. de prac. Eccl. c. 4. num. 56.* Bonac. *prec. 1. decal. d. 3. q. 7. §. 2. n. 6.*

222 *Hoc longè probabilius.*

Hoc longe probabilius esse reor. At si Iudex punitionis impunitatem reo promittat, & sub hac promissione è loco sacro exeat tenetur sua promissione, quia Reus. Quia priuilegio immunitatis cessit pro securitate à Iudice promissa. Mecum Nauar. *sum. c. 25. num. 22.* Farinac. *de carcerib. q. 81. n. 281.*

DVBIVM LXI.

An in casibus non exceptis possit Prælatus Ecclesiasticus facultatem impertire, vt quis ex Ecclesia ad quam ritè confugit, à Iudice sæculari extrahatur?

223 *Quæstionis status.*

HAnd dubium, quin in casibus exceptis posse Episcopum hanc facultatem exhibere, vt delinquens ex Templo extrahatur

trahatur à Iudice sæculari puniendus. Quia tunc delinquens nullum ius habet, ad immunitatem, nec Ecclesia eum tueri potest. At in casibus non exceptis est dubium, an possit Prælatus hanc licentiam concedere, & ex illius concessione Iudex sæcularis reum extrahere, & punire?

224 *Potest Prælatus hanc facul.* Potest Prælatus hanc licentiam impertire, accipio prius iuramento à Iudice de omni pœnarum securitate. Quia in *Cap. Id constitutum 17. quæst. 4.* dicitur, *Reos abstrahere non liceat, sed neque alteri consignare, nisi ad Euangelia datis Sacramentis, de morte debilitare, & omni pœnarum genere sunt securi.* Ergò data hac securitate, poterit Prælatus, si expedire iudicauerit, reum consignare etiam inuitum. Sic P. Suarez *to. 1. de Relig. l. 3. c. 13. num. 3.* adiciens, sæcularem Iudicem teneri promissum seruare, alias à Prælato Ecclesiastico per censuras esse compellendum.

225 *Non potest.* Non potest Prælatus huiusmodi facultatem impertire. Quia Bulla Gregorij solum in illis casibus exceptis hæc facultas concedituir. Ergò tacitè in aliis abnegatur: præcipuè cum ibi dicatur esse irritum & inane quod contra actum fuerit. Ita Farinac. *append. de immun. c. 19 nu. 304.*

226 *Authoris resolutio.* Ego existimo spectato iure cómuni primâ Suarij sententiam veram esse: tractentia Bulla Gregorij veriorem esse secundam vbi illa viget, & est in viridi obseruantia.

DVBIVM LXII.

An delinquens fugiens ad Ecclesiam inibi alligari, vel alia via custodiri possit dum examinatur ab ordinario causa, an debeat frui Immunitate?

227 *Status Quæstionis.* Secundus effectus immunitatis est, ne delinquens, in Ecclesia vinculis alligetur, quia hoc esset ex templo carcerem facere. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 12. num. 2.* Bonac. *prac. 1. Decal. d. 3 q. 7. §. 5.* Farinac. *de carceribus q 28 num. 9.* Quæstio verò est, num illigari possit vel alia via custodiri, dum decernitur ab Ordinario, an debet immunitate Ecclesiæ potiri?

228 *Potest quidem.* Potest quidem, quia dum examinatur causa dubium est, ad quam nam iurisdictionem delinquens pertineat. Ergo vt Iudex sæcularis se indemnem asseruet, poterit delinquentem ne aufugiat, ligare, & & in custodiam addicere. Sic Iul. Cal. *pract. § fin q. 30 vers. Quæro modo* Farinac. *de carceribus q. 28. n. 10.*

229 *Non potest.* Minimè potest, quia videtur expresse textum in *Cap Definitiuè 17 quæst. 4.* vbi cauetur, ne confugientibus ad Ecclesiam *aliqua vis, aut nocibilitas, damnumue inferatur, quin possint per triginta passus ab Ecclesia exire.* Ergò supponitur, inibi ligari non posse, aut recludi, sed addici. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. cap. 2. num. 2.* Fagund. *part. 2. de præc. Eccl. l. 4. c. 4. nu. 55.* Bonac *prac. 1. Decal. d. 3. quæst. septim. §. quinto in secund. effectu.*

230 *Hoc tenendum est.* Tenendum omninò existimo, nullatenus licere sæculari Iudici confugientem ad Ecclesiam in illa illigare, aut aliquo modo diuexare. Iudex sæcularis suam iurisdictionem aliter seruet indemnem, quemadmodum delinquens est in Ecclesia, est extra territorium Iudicis sæcularis.

DVBIVM LXIII.

An sæcularis Iudex extrahens iniustè ab Ecclesia reum, teneatur ad damnorum restitutionem?

231 *Plures.* Alios esse immunitatis effectus suppono: nempe confugientem ad Ecclesiâ non posse vitæ necessaria impediri: nec posse ad aliam mortem, fame in Ecclesia existit, vel ad pœnam damnari, bene tamen aliquando aliquatis pecuniaria mulctari pœna. Item ab Ecclesia extractum in casibus non exceptis, debere ante omnia Ecclesiæ restitui: nullamque esse extractionem delinquentis extra casus exceptos. Quæsierim verò, num Iudex iniustè extrahens delinquentem è loco sacro ad damnorum restitutionem teneatur?

232 *Non tenetur ad restitutionem.* Non tenetur, quia nullus est Iudex qui huiusmodi restitutionem faciat, cum plures sint, qui indebitè extrahant ab Ecclesia. Qui quidem iustè excusantur ex Doctorum authoritate asserentium non committi iniustitiam aduersus reum in huiusmodi violenta extractione sed solum Sacrilegium. Sic Diu. Thom. 2, 2. q. 99. a. 2. ad 3. quam sententiam probabilem esse docent Suar. *tom. 1. de Relig. l. 3. c. 13. num. 12.* & Bonac. *prac. 1. Decal. d. 3. q. 7. §. 5. n. 2.*

233 *Tenetur omnino.* Tenetur omnipo. Quia illa extractio non solum Ecclesiæ sed etiam delinquenti iniuria est; delinquens enim ius habet, ne in loco sacro capiatur: ergo peccat contra iustitiam commutatiuam illum extrahens: ergo ad restitutionem damnorum obligatur. Ita Suar. *ibi, num. 15.* Bonac. *§. 6. num. 1. & 2.* Farinac. *de carceribus. q 28. num 5* Valent. *2. 2. d. 6. & d. 15. q. 2. pun. 1.* Ambrosin. *de immunit. cap. 15. num. 7.*

234 *Hoc verius esse reor.* Hoc verius esse reor. Nec obest, D. Thomam citatum dixisse iudicem, qui extrahit delinquentem è loco sacro solùm peccatum habere sacrilegij in Ecclesiam; quia potest explicari habere sacrilegij malitiam per se, & primario, consecutiuè tamen habere malitiam iniustitiæ. Addiderim, D. Thomam ibi solum voluisse definire, esse aliqua peccata sacrilegij separata omni alia malitia, licet exemplum posuerit in iudice extrahente delinquentem è loco sacro, illi inhærendum non est, cum solum transeunter dixerit, & cum exemplorum veritas non requiratur.

DVBIVM

DVBIVM LXIV.

An extrahentibus indebitè delinquentes ab Ecclesia possit pœna pecuniaria de iure Canonico imponi?

235 *Nonnulla suppono.* CErtum est, extrahentes delinquentem ab Ecclesia iniustè, culpam mortalem perpetrare, & multiplicem pœnam ex iure Canonico, ac ciuili incurrere. Nam ex iure ciuili, pœna capitali puniuntur *leg. Præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ibi: *Pœna: capitali, & vltimi supplicij animaduersione plectendus.* Quia hoc crimen læiæ maiestatis reputatur, & diuinam Maiestatem offendit, qui eius domum profanat, & violat: & Pontificis vsurpat iurisdictionem Clar. *pract. quæstion.* 68. Farinac. *de carceribus quæst.* 28. *num.* 2. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *cap.* 13. *num.* 7. Verum hæc pœna non videtur vsu recepta. Porro de iure Canonico an pœna pecuniania possit illis imponi quæsierim?

236 *Non potest* Non potest. Quia iam huiusmodi pœnæ imponendæ potestas est antiquata. Sic plures Doctores, quos refert, ac sequitur Decian. *tractat. crimin. l.* 6. *capit.* 28. *el* 2. *numero quart.*

237 *Potest quidam.* Potest profecto. Quia per Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 20. & per Bullam Gregorij omnes pœnæ in antiquis Canonibus latæ aduersus immunitatis violatores renouantur. Ergo antiquata non est hæc imponendi pecuniariam pœnam facultas. Ita Tuschus *v. Ecclesia concl.* 8. *n.* 11. Farinac. *de carcerib. q.* 28 *num.* 5. Bonac. *prac.* 1. *Decal. d.* 3. *quæst.* 7. §. 6. *numero* 5.

238 *Hoc asserendum.* Hoc asserendum existimo. Nam præterquamquod à Concilio, & à Gregorio XIV. omnia antiqua decreta circa immunitatem innouata fuerint: hac pœna efficacius Ecclesiæ iniuriæ satisfit, si ad eius cultum pecunia applicetur, vt iure applicari debet. Ambros. *de immun. c.* 15. *n.* 1. & 2.

DVBIVM LXV.

An extrahentes indebitè reum ab Ecclesia ex constitutione Gregorij incurrant excommunicationem ipso facto?

239 *Nonnulla præmitto.* PRæter pœnam illam pecuniariam, & pœnitentiam publicam imponendam, excommunicationis pœnæ Iudices extrahentes ab Ecclesia delinquentem debitè feriuntur. *Cap. sicut antiquitus. Cap. Frater. Cap. Definiuit.* & aliis. In quibus tamen textibus non est excõmunicatio ipso facto lata, sed ferẽda. Vnde spectato iure communi plures Doctores censent, nullam censuram huic crimini esse annexam. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 3. *cap.* 13. *numer.* 7. Socin. Turrecrem. Gofred. & alij relati à Farinacio *append. de immun. cap.* 20. *numer.* 312. Solum est difficultas, num ex Gregorij constitutione hanc excommunicationem sic reum extrahentes incurrant?

240 *Non incurrunt ipso facto.* Non incurrunt ipso facto excommunicationem. Quia in ea constitutione dicitur. *Quod siquis quouis prætextu quidquam præter, aut contra huius nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit: declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas eadem incurrere, quæ contra libertatis iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones, Conciliorumque generalium, & nostrorum prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.* Ex quibus verbis solum constat, hos violatores incurrere excommunicationem, si per sacros Canones, & Concilia lata fuerit. At cum nullibi lata sit excommunicatio ipso facto ex Gregorij Bulla non videtur incurri. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse docet Castro Palao *to.* 2. *d. vni. de Templ. immun punct.* 12. *numero* 3.

241 *Ipso facto incurrunt.* Ipso facto excommunicationem incurrunt. Quia verba illa constitutionis *Ipso facto* aliquid operari debent, ne dicamus superfluè esse apposita. At si excommunicationem ipso facto non inferunt, nihil operabuntur. Nam in *Capit. sicut antiquitus* 17. *quæstion. quart.* & in aliis textibus excommunicatio ferenda iam habebatur. Ita Palao *citatus.* Farinac. *append. de immunit. cap.* 20. *à numero* 313. Marian. Italus *de immun. l.* 1. *c.* 6. §. 2. *n.* 29. Bonac. *prac.* 1. *Decal. d.* 3. *q.* 7 §. 6. *n.* 5.

242 *Hoc mihi longè probabilius.* Hæc sententia mihi longè est probabilior. Nam Pontifex dicit, hos violatores ipso facto incurrere censuras aduersus violatores immunitatis à sacris Canonibus promulgata, sed est promulgata censura excommunicationis aduersus eos: Ergò eam ipso facto incurrunt. profectò ita declaratum fuisse à Clemente VIII. & à paulo V. à sacraque Congregatione citati Doctores affirmant.

DVBIVM LXVI.

An Episcopus possit ab excommunicatione, quam extrahens iniustè delinquentem à loco sacro contrahit absoluere?

Episcopus non potest absoluere. NOn potest Episcopus, sed Pontificis solius est, ab hac censura absoluere. Quia in *Extrauag. Pauli II. de pœnit. & remissionib. cap.* 3. *inter extrau. communes* inter casus sedi Apostolicæ reseruatos apponitur offensa Ecclesiasticæ libertati facta. Et in decreto Clement VIII. prohibetur quibuscumque confessariis absolutio plurium casuum sedi Apostolicæ reseruatorum, & præcipue in casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini apponitur casus violationis

immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Gregorij XIV. quod decretum fuit à Pio V. innouatum, illius que meminit Quaranta *sum. Bullar. Glossa casus reseruati.* Et ita declaratum est a Sacræ Congregationis Concilij interpretibus anno 1617. mense Decembri. Sic Farinac. *append. immunit. c 20. n. 315.*

244 *Potest Episcopus.* Potest Episcopus, & quilibet confessarius ex illius facultate ab hac excommunicatione absoluere, casu quo fuerit incursa, quia nullibi inuenitur summo Præsuli reseruata. Ergo Ordinario conceditur absolutio ex *cap. nuper, de sent. excommun.* Ita Marcus Anton. Genuent. *pract. capit. 22. à numero tertio* Bonac. *pracept. 1. Decal. d. 3. quæstione 7. §. 6 numero octauo* Palao *tomo secunda d. uni. de Templor. immun pun 12. num 7.*

245 *Hæc sententia mihi verior est.* Hanc sententiam reor esse probabiliorem. In cuius robur propositionem illam: *quia nullibi inuenitur reseruata* veram esse ostendam. In Extrauag. Pauli II. solùm reseruatur generaliter libertatis Ecclesiasticæ violatio, sub qua in rigore immunitas non comprehenditur quia libertas reseruatur ad personas, immunitas ad loca: & ideo censuræ latæ contra libertatis Ecclesiasticæ violatores, violatores immunitatis minimè comprehendunt Couar. *I. secund. var. capit. 20. numero primo.* Villagutier, *de extens. legum, c. fin. numero tertio.* In decreto autem Clement. VIII. nulla est huius censuræ, vel criminis reseruatio: sed solum ibi interdicitur, quibusdam confessariis, vt virtute priuilegiorum à sede Apostolica concessorum, ab illis casibus absoluant, & ab aliis ab Ordinario reseruatis. Vnde in illo decreto non intendit Pontifex Ordinariis potestatem minuere; sed potius augere, & promouere: cum solum tollat priuilegia absoluendi à criminibus, à se concessa; alias nec poterit Ordinarius absoluere ab excommunicatione ob clerici percussionem. Minus verum est, quod de Bulla Cœnæ Domini dicitur in illa enim non fertur censura aduersus immunitatis violatores, sed libertatis, & non cuiuscumque, sed specialis. Et licet in Bulla Gregorij dicatur, violatores immunitatis ibi præscriptæ incurrere ipso facto censuras laias contra libertatis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores illis nominibus *libertatis, iuris* & *immunitatis* idem exprimitur, & claritatis gratia apponuntur. Plura mitto.

DVBIVM LXVII.

An in casibus non exceptis tradendi sint à Clericis iudici sæculari delinquentes, recepto prius iuramento de pœna corporalis securitate, si repugnent ipsi delinquentes?

246 *Tradendi sunt.* ETamsi repugnent delinquentes tradendi sunt, quia ita præscribitur *in cap. definitiuæ, 17. quæstione 4.* & ibi Glos. *sum.* & Archidiac. *Sic Suar. tomo primo de Relig. l tertio capit. 13. post numerum tertium* Azor. *p secunda l. nono capit. 9. quæstion. 10.* Sylueest. *v. immunitas 3. numero quarto* Alexand. *consil. 415. numero 3. lib septimo* Villagutier. *de extens. legum, c fin. à numero octauo vsque ad 14.*

247 *Non possunt tradi.* Minimè possunt delinquentes tradi, si repugnent etiam præstito de securitate iuramento, quia in illis casibus gaudent immunitate, Sed immunitas in eo consistit, vt non possit quis inuitus ab Ecclesia extrahi, ac iudicari. Ergo Ita Abbas *ad cap. inter alia, de immun. Eccles.* Farinac *append. de immun. c vlt. n. 344.*

248 *Hoc seruandum est.* Hanc sententiam sequendam esse credo, cuius ratio indubitanter procedit in terminis Gregorianæ constitutionis: inqua solùm in casibus exceptis extractio permittitur, & in casibus non exceptis omninò negatur. Quare quæ hactenus dabimus, spectato iuris Canonici rigore, & Constitutione Gregoriana dicimus; non enim agimus de consuetudine, & priuilegiis quæ fortassis alicubi indulta sunt; neque attendimus iura priuata siue Principum siue nationum, quibus pro doctrina hactenus à nobis tradita, nihil declaratum esse existimamus, neque detrahi volumus.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

De Rerum Ecclesiasticarum Immunitate.

CAPVT I.

De rerum Ecclesiasticarum immunitate quoad locationem.

1 *Res Ecclesiæ ad longum tempus locari non possunt.*

RES Ecclesiæ ad longum tempus locari non possunt. *Clement. 1. de reb. Eccles. non alienand.* & *cap. Nulli, eodem tit.* Quia hæc diuturna locatio reputatur alienatio esse, quæ in rebus Ecclesiæ omninò est prohibita, eo quod per ipsam vtile dominium in conductorem transfertur. *leg. 1. §. quod autem ff. de superficieb.* Couar. *l. 2. var. c. 16. n. 1.* Vasquez *opusc. de redditibus, c. 2. §. 1. n. 21.* Molina Iurista *l. 1. de primog. c. 21. n. 18.* Molina Theologus *tr. 2. de iust. d. 466.*

2 *Quodnam sit longum tempus.*

Iure antiquo spectato, longum tempus reputatur ad locationem rerum Ecclesiasticarum decennium, quia septennium pro modico tempore sumitur *cap. vlt. ne Prælati vices suas* & *Clement. 1. de reb. Eccl. non al. en.* Ex quo fit absolute inualidam esse locationem rerum Ecclesiæ factam ad vitam locantis, vel conducentis, quia hæc locatio ex natura sua longi temporis locationi subiicitur: *Clement. 1.* Glos. *ibi* Couar. *l. 2. var. c. 16. n. 3.* Vasquez *opusc. de reddit. c. 2. §. 2. num. 23.* Molina *de primog. l. 1. c. 21. n. 29.* Molina noster attenta verò Extrauag. Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosa, de reb. Eccl non alien* Non possunt res Ecclesiæ vltra triennium locari. Quia ita ibi sub excommunicatione, & grauissimis pœnis cauetur. Sed an hæc constitutio sit vsu recepta, *sect. 2.* disquirendum.

3 *Facta alienatione pro triennio si post secundum annum veretur locatio non irrita. Vasquez secus si ante coepti annum secundum.*

Facta locatione pro triennio, si ante illud finitum quis renouet locationem (suppono eam constitutionem esse vsu receptam, & obseruari debere) post secundum annum, credo valere contractum, quia tunc non præsumitur ex fraude procedere, nec primum contractum continuare, sed nouum efficere, & rem denuo locare: & consetur contractus finitus, cum paruum pro nihilo reputetur. At si antè cœptum secundum annum cum eadem persona contrahat, eidemque res Ecclesiæ conducat, probabile admodum credo, nullum esse contractum, tametsi pensio varietur: quia præsumitur ex fraude facta. Et quia iam verum est dicere, rem Ecclesiæ vni esse locatam ad quinquennium contra *Extrauag. Ambitiosæ.* Molina noster *tr. 2 d. 466.* Aluar. Valasc. *de emphyt. q. 29. n. 15.* Quando pensio non variatur. Secus (ait) *si non varietur.* Sed immeritò, quia variatio pensionis non tollit integrè præsumptionem fraudis, neque impedit rem vltra triennium eidem locatam esse.

4 *Prælatus potest spatium triennij concessi limitare.*

Profecto Prælatus potest sua constitutione triennium concessum per *Extrauag. Ambitiosa*, limitare quia in ea locationes triennales non expresè conceduntur, sed permittuntur, & longiores prohibentur. Ergo constitutio prohibens ne vltra biennium fiat, potius fauet *Extranaganti*, quam illi aduersatur. Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 95. n. 18.*

5 *Ad quæ bona Ecclesiæ extendatur hæc prohibitio locationis vltra triennium.*

Dubium autem non est, extendi hanc prohibitionem locationis vltra triennium ad omnia bona Ecclesiarum, Monasteriorum & piorum locorum, qui fuerint Episcopi authoritate erecti, tam immobilia quàm mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, quia de his omnibus Extrauagans loquitur. Dixi. *Episcopi authoritate erecti.* Nam hospitalia, Collegia, confraternitates, aliique pij loci, qui absque Episcopi authoritate erecti sunt, nullo modo gaudent priuilegio: sed possunt eorum bona locari vltra triennium, & alienari absque solemnitatibus à iure requisitis. Mascard. *de probationib. concl. 809. n. 11.* Tusch. *lit. H. concl. 163 à n. 9.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 75. n. 32. & 33.* Gamma *decis. vlt. n. 6.*

CAPVT II.

De bonis Ecclesiasticis immunitate alienationis gaudentibus.

6 *Quænam bona Ecclesiastica alienari nequeunt.*

ECCLESIASTICA bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, inalienabilia sunt nisi seruatis conditionibus à iure statutis, & in casibus à iure permissis, & consulto Romano Præsule, si constitutio Pauli II. in *Extrau. Ambitiosa, de reb. Eccl. nō alien.* vigeat.

7 *Quænam sint bona immobilia*

Bona immobilia sunt fundus, prædia, domus, & similia, quæ fixam radicem habent. Census verò quibus annui seditibus correspondeat, ius ad ipsos, & ad quaslibet alias seruitutes, cathedra, cōmenda, beneficiū Ecclesiasticum, ius patronatus: vsusfructus longi temporis inter immobilia debent computari, quia hoc ius de se perpetuum est. Anto Gommez *l. 2. var. c. 14. n. 14.* Sylueſt. *v. alienatio. q. 9.* Vasq. *opusc. de reditib. c. 2. §. 2. n. 44* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. all. 9. 96.* Et expresse traditur in *Clement. Exiui de paradiso. §. cumque annui redditus* Et innuit Glosa *v. iura, ex textu in cap. 2. de r. b. Eccles. non alien*

8 *Quænam sint mobilia pretiosa.*

Mobilia vero pretiosa, quæ seruando seruari possunt, quæq; inter immobilia ad hunc effectum computantur, sunt vasa aurea, & argentea,

argentea, gemmæ, vestes, quæ longè ab interitu absunt, & generatim omnia illa quæ fructum non afferunt, & triennio durant. Glos. *ad leg. 1 C. si adversus vsuras* Azor. *p. 2. l. 9. cap. 1. quæst. 5. & 7.* Bonac. *p. 2. de potest. Epis. alleg. 95. num. 38.* Plures referens. Porro vt res pretiosæ dicantur, debet earum pretium centum aureos (meo videri) attingere. Vndè colligo, mas res mobiles alienabiles esse, quæ valorem certam aureorum non æquant, quæque nec triennio durant, sed vsu consumuntur, & non fructificant, quales sunt vinum, triticum, oleum, lana, & his similia. Colligitur *ex leg. quæ lex, §. vlt. C. de administr. tutor. cap vestra, de locato.* Nauar. *de alienat. rer. Ecclesiastic. num 4.* Quaranta *sum. v. alienatio rerum Ecclesiast. n. 28* Molina *d. 465* Barbosa *de potest. Epis. p. 3. alleg. 95. n. 38. & 39.*

9 *Grex est mobile pretiosum.*

Grex ouium, caprarum, & similia inter bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, comprehenditur, quia per multiplicationem continuam fœtuum seruari potest. Molina *tr. 2. d. 459 fine.*

10 *Arbores.*

Arbores ita plæ tio necessariæ, vt illis sublatis, præ tium g. au ter deterius redderetur, inter bona mobilia pretiosa, quæ conseruando seruari possunt, computantur. Vnde Prælatus scindens arbores ex nemore, easque vendens in vtilitatem Ecclesiæ, vel Monasterium si ex tali scissione notabile damnum hæreditati proueniat, delinquit quidem: secus verò si non proueniat, dum relinquit arbores sufficientes. Quaranta *sum. v. alienatio. n. 37. lit. F.* Nauar. *l. 1 consil. cons. 6. de reb Eccl. non alien.* Manuel *qq. Regul. t. 1 q. 27. a 4.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 8. pun. 4. n. 18.*

11 *Domus, vineæ, &c. ecclesiæ Electa, si accepetur, non potest alienari.*

Domus, vineæ, prædium, census, &c. Ecclesiæ, vel Monasterio relictum absque expressa conditione, vt in perpetuum conseruetur, comprehenditur inter bonũ non alienanda, si acceptatum sit legatum, & per acceptationem factum Ecclesiæ, vel Monasterij bon equia cum generale sit, omnia bona Ecclesiæ immobilia, & mobilia pretiosa alienari non posse comprehendi illa debent sub generali prohibitione, cum per acceptationem sint iam Ecclesiæ vel Monasterij bona pretiosa. Palao *t. 2. de immunit. Eccl. d. vni pun. 15. §. 1. n. 9.*

12 *Legatum relictum Monasterio incapaci retinendi potest alienari Prælato.*

Legatum rei immobilis relictum Monasterio incapaci retinẽdi rem immobilem, à Prælato potest alienari, & in proprios Monasterij vsus conuerti: quia illa bona non sunt Monasterio ob eius incapacitatem corporata, *Clement Exiui, de verb signific.* Prohibitio autem alienationis est pro bonis Ecclesiæ incorporatis Riccius *prax. fori Eccles. decis. 56.* Quaranta *sum bullar. v. alienatio rer. Eccles. n 41.* Barbosa *p. 3 de potest Epis. alleg 95 n. 5.*

13 *Alienatio presse & latè sumpta prohibita est.*

Alienatio presse, & latè sumitur. Presse sumpta, est translatio dominij directi rei alienatæ, *leg. 1. C. de iure emphyt.* latè autem est translatio cuiuscumque iuris & dominij, *cap. Nulli. de reb. Eccles. non alien.* alienatio rerum Ecclesiasticarum non solum stricta, sed & lata prohibetur *cap. Nulli, & totus tit. de rebus Eccles. non alien.* Permittitur autem alienatio si in euidentem ecclesiæ cedat vtilitatem, & Pontifex consulatur.

14 *Venditio, permutatio, emphyteusis, &c.*

Non solum donatio, venditio, & permutatio, sed locatio ad longum tempus feudum, & emphyteusis est prohibita quia per hæc transfertur dominium vtile in feudatarium, emphyteutam, & conductorem & ab Ecclesia remouetur, Azor. *tom 2 l. 9. cap 1. q. 2.* Molina *tract. 2. d. 464.* Idem dicendum de pignoratitia actione, aut hypothecaria. Couar. *l. 2. var. cap. 16. num 7.* Vasquez *tract. de reditib. cap 2. § 2. num. 35.* Molin. & Azor. *citati.* At inrans non alienarum bona Ecclesiæ, non potest in feudum ea concedere quia iuramentum absolute sumptum intelligendum est iuxta materiæ qualitatem.

Permutatio, feudum etc. prohibetur.

Quatuor causas legitimas alienationis enumero. Prima est necessitas, vt si Ecclesia grauetur ære alieno nec soluendo sit, nisi bona alienet. Secunda, eudens Ecclesiæ vtilitas, vt si ager vendatur, vt ematur vilior. Tertia incommoditas seu inutilitas rei alienandæ. Quarta, pietas, vt si necessaria sit alienatio ad captiuorum redemptionem §. *Sacra, in tit. de rerum diuis.* Abbas *ad cap. Nullis de reb. Eccles. non alien. num. 15.* Sylu. *v. alienatio q 2.* Couar. *l 2. var. cap. 17. num. 2.* Molina *d 468.* Vasquez *opusc. de redit cap. 2. § 2. dubitat 9.* Nauar. *de alien. rer. com. num 3.* Azor. *p. 2 l. 9. capit. 1. quæstion. 3.* Barbosa *p. 3. de potest. Epis. alleg 95. nu. 23.* Bonac. *de contr. d. 3. q 8. pun. 4. n. 4.*

15 *Quatuor causæ legitimæ alienationis enumero.*

Consumptio seu transmutatio vnius rei in aliam absque alicuius dominij directi, vel vtilis translationem non est prohibita quia sine translatione dominij directi, vel vtilis in alterum nulla est alienatio. Vnde licitum est beneficiato, ex calice vetusto, Ecclesiæque non necessario crucem necessariam fabricare. Riccius, *dec. 136.* Nauar. *l. 3. consil. cons. 6.* Manuel *t. 1. qq Reg. q. 27. a 4.*

16 *Transmutatio vnius rei in alium non est alienatio.*

Pro alienatione rerum mobilium, quæ seruando seruari non possunt, nulla signata est à iure solemnitas. Vndè ille, cui est rerum necessitate ecclesiæ non integra administratio commissa, poterit hæc, si Ecclesiis, piisque operibus vtile fuerit, visum, alienare. Glos. *ad cap. Nulli, de reb. Eccles. non alien.* Panorm. *ibi num. 8.* Vasq. *opusc. de redit. cap. 2. §. 2. dub. 13. num. 44.* Molina *tract. 2. d. 468. concl. 1.* Barbosa *p. 3. de potest. Epis. all. 95. num. 37.* solùm de rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, à iure aliquot conditiones ad earum alienationem statuuntur. Prima est tractatus, seu communis examinatio de vtilitate, aut necessitate alienationis inter ipsos, ad quos res alienanda pertinet qui tractatus fit discutiendo rationes hinc indè propositas. *Clement. 1. de reb. Eccles. non alien*, & *cap. 1. & 2. eodem tit.* Secunda, post tractatum, & discussionem huiusmodi, requiritur Collegii consensus, hoc est, Canonicorum, si res Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ alienanda sit: & Religiosorum, si sit Regularis conuentus: & clericorum beneficiatorum, si sit Parochialis Eccles. plures habentis beneficiatos. Si verò beneficiatos non habeat, solus Rector de consensu Episcopi poterit alienare, *cap. 1. de reb. Eccl. non alien*: Tertia, superiorum consensus, *cap. Nulli, de reb. Eccl non alien cap. sine exceptione 12. q. 2.* Quarta, subscriptio Clericorũ in casibus à iure expressis, qui restantũ sũt, scilicet, vẽditio, permutatio ac donatio *c. de his, quæ fiũt à Prælato sine cõsensu cap.* Quinta,

Permutatio, feudum etc. prohibetur.

Quatuor causæ legitimæ alienationis enumero.

Transmutatio vnius rei in alium non est alienatio.

De solemnitate alienandi.

ta consensus Pontificis, vbi *Extrauagans Ambitiosæ* fuerit recepta; quia sic ibi cauetur. Alienationes itaque hisce conditionibus existentibus permissæ sunt: illis verò deficientibus, omninò prohibitæ. Lege P. Vasquez *tract. de redit c. pit. 2. §. 2. dub. 13.* Barbos. *de pot. Episcop p. 3. alleg. 95. n. 37.* Couar. *l. 1. var. capit. 17. numero primo* Bonac. *de contract. d. 3. quæstion. 8. punct. 4. numero septimo* Molinam *tract. 2. d. 468.* Azor. *p. 2. l. 9. cap. 1. quæst. 4.* Palao *t. 2. d. vni. de immunit. Eccles. punct. 15. §. 2. à n. 7.*

17 *Translatio, remissio, aut concordia fieri nequit absque præfata solemnitate.*

Translatio, remissio, aut concordia de rebus ab Ecclesia possessis fieri non potest absque quinque præfatis conditionibus, seu solemnitatibus. Quia tunc ius ab Ecclesia acquisitum alienatur. Secus verò si hæc de rebus, in quarum possessione Ecclesia non existit. Quia tunc non alienatur, quod Ecclesia habet: sed quod sperat sub dubio habere, remittitur pro alicuius rei certæ acquisitione. Rebuf. *in compend. alienat. numer. 21. Quæ tanta sum. bullar. v. alienatio num. 20. & 43. limit. 12.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 8 pun. 4. n. 20.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg 95. n. 63.*

18 *Quid in concessione feudi & Emphyteusis.*

Si autem de concessione feudi, & emphyteusis loquamur, si hæ concedantur primo, non est dubium, seruandas esse præfatas conditiones *cap. 1 de his, quæ fiunt à Prælato sine consen. Capitu.* Illis autem positis, dari potest feudum, & emphyteusis in perpetuum, etiam hæredibus extraneis. Couar. *l. 2. var. capit. 17. numer. 4. & 5.* Ioh. Clar. *l. 4. sent. § Emphyteusis quæst. 6. num. 4.* Molina *d. 469. concl. 1.* Constat ex *Authent. de alienat. & emphyt.* Porro pro feudo, & emphyteusi iam concessa renouanda, non sunt conditiones illæ necessariæ. Vt verò renouatio illius feudi, & emphyteusis continuatio prioris alienationis reputetur, & non nona alienatio tres requiruntur conditiones. Prima, vt eodem modo concedatur, ac prius fuit concessa. Secunda, vt adsit euidens Ecclesiæ vtilitas in hac renouatione. Sicut adfuit in concessione prima. Tertia, vt non sit res iterùm in Ecclesia incorporata, quia per incorporationem omninò extinguitur prima alienatio, & res facta est Ecclesiæ, ac si ab ea nunquam discessisset. Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 95. n. 33.* Praxis Episcopal. *c. 1. n. 32.* Molin. *d. 468. concl. 8.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 8 pun. 4. n. 30.*

19 *Quid de Iurepatronatus.*

Iuspatronatus inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa est computandum vnde si apud Ecclesiam existat, alienari à Rectore non potest, non seruatis illis quinque conditionibus: illis verò seruatis potest alienari quia nullibi specialis eius alienatio interdicitur: Moneo tamen per venditionem illius directe factam alienari non posse. Quia pretio adæquari non potest cum sit quid spirituale. Potest autem vendi indirectè, vendita hereditate, cui tale ius est annexum. Lambertin. *l. 1. de Iurepatron. p. 2. quæstion. 3. à 15. numer. 4.* Alienari etiam potest per donationem quia in hac nulla rebus Sacris irreuerentia irrogatur. Quæ quidem donatio si fiat Ecclesiæ, vel loco pio, non indiget Episcopi consensu: indiget vero, si laico fiat, *c. 1. quod autem, cap. illud de Iurepatron.* Lambertinus, *quæst. 1. a. 2. & 3.* Molina Iurista *de primogen l. 1. cap. 24.* *Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII.

num. 13. ius verò sepulchri vendi non potest, quia est quid spirituale. Excipe nisi vendatur tanquam alicuius prædij accessorium hoc ius habentis.

20 *Deficiente causa legitima, nulla est alienatio, & res Ecclesiæ restituenda. Quando Ecclesia debeat præstinm restituere emptori, & quando non debeat.*

Deficiente causa legitima alienandi Ecclesiæ bona, nulla est alienatio non solùm in foro externo, sed & in conscientiæ, *cap. sine exceptione 12. quæst. 2.* Profecto res alienata absque legitima causa, vel debita solemnitate, restituenda est Ecclesiæ cum omnibus eius fructibus, & prouentibus, expensis deductis quia contractus nullus fuit *cap. si quis, de reb. Eccl. non alien.* Molin. *d. 468 concl. 6.* Vasquez *epusc. de red. t. c. 2. §. 2. dub. 15.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 8. punct. 4. n. 12.* Ecclesia verò non tenetur pretium reddere emptori, si mala fide contractus est celebratus quia ob delictum commissum pretio priuatur in Ecclesiæ vtilitatem *leg. Iubemus,* & *Authent. qui res C. de Sacros. Eccles.* Et si ex eo contractu Ecclesia locupletior non sit facta, & si bona fide ex parte emptoris contractus fuerit celebratus quia tunc non Ecclesia, sed is, qui nomine Ecclesiæ contraxit, tenetur emptori pretium reddere, ac indemnem seruare. Secus verò si Ecclesia pretium retinet, vel locupletior ex contractu est facta: quia tunc ipsa tenetur. Molina, & vasquez *vbi s.* Emptor autem in tali casu retinere rem Ecclesiasticam, aut eius fructus potest titulo recompensationis pretij sibi reddendi, dum pretium sibi ab Ecclesia non redditur Vasquez, & Bonac. *citati.*

CAPVT III.

Circa Ecclesiasticorum immunitatem in locatione rerum.

DVBIVM I.

An locatio rerum Ecclesiæ possit, ad vitam alicuius geri si verosimili coniectura putetur, longo tempore non esse victurum?

VLtra triennium res Ecclesiæ locari non posse *sect. 1.* vidimus. Quia diuturna locatio videtur esse alienatio omninò prohibita. Vnde fit absolutè, locationem ad vitam locantis vel conducentis inualidam esse. Hæc enim ex natura sua longi temporis durationi subiicitur. *Clement. 1. de reb. Eccles. non alienand.* Quæsierim autem an geri possit locatio ad vitam alicuius si verosimili coniectura putetur longo tempore non esse victurum?

21 *Nonnulla recolo.*

Geri potest, v.g. si aliquis ita senex sit, vel adeò ob ægritudinem habitualem viribus debilis, vt prudenti cuique breui obiturus appareat: quia sic fit computatio, & consideratio *leg. Hæreditatum ff. ad leg. Falcidiam* Sic Couar. *l. 5. var. c. 16. n. 3.* Palao *tom. 2. d. vni. de immun. Ecclesiasticor. punct. 4. num. 1.* putat esse probabile.

22 *Potest geri huiusmodi locatio.*

23 *Geri non potest.* Minimè geri potest. Quia cum semper contingens sit, vitam illam longo tempore protrahi posse, & locatio cum vita pariter incedat, sic sanè extendi saltem sub dubio & contingentia pro longo tempore, quod nullo modo licet. Ita Palao *vbi sup.* Molina Iurista *l. 1. de primog. c. 21. n. 18.* Vasq. *opusc. de reditib. c. 2. § 2. n. 23.*

24 *Hoc longè verius esse credo.* Hoc longè verius putarim esse. Ponamus enim, vitam decennio durare, in tali casu locatio non subsistit: alias dicendum esset, validam esse locationem pro longo tempore factam contra expressam decisionem *Cap. Nulli, & Clement. 1. de reb Eccl. non alienand.* At quælibet locatio pro vita alicuius hoc periculum habet. Ergo quælibet est inualida, à principio enim debet inualidari, quia à principio totum illud tempus comprehendit.

DVBIVM II

An constitutio Extrauag. Pauli I. I. quæ incipit, Ambitiosæ, præscribens, res Ecclesiasticas non posse vltra triennium locari, sit vbique recepta?

25 *Status quæstionis.* ATtenta Extrauag. Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosæ, de reb Eccl non alien.* haud possunt res Ecclesiæ vltra triennium locari; ita enim ibi cauetur sub excommunicatione, & alijs grauissimis pœnis. Est autem inter Doctores controuersia, nùm hæc constitutio sit vsu recepta.

26 *Non est vbique recepta.* Vbique recepta non est, sed ex stylo cuiusuis diœcesis id est colligendum. Quia in aliquibus afflorent res Ecclesiæ vltra triennium locari. Sic Nauar. *sum. cap. 27. num. 150.* Vasq. *tr. de reditib. capit. 2. § 2. numer. 32.* Sylvest. *v. excommunicatio 7. numer. 83.* Couar. *l. 2. var. cap. 16 num. 6.* Azor. *p. 2. l. 2. c. 2. vers. quod attinet* & alij plures.

27 *Vbique recepta est.* Vbique est recepta quoad pœnam intrinsecam annullationis ibidem impositam, & quoad rem prohibitam: tamen quoad pœnas extrinsecas excommunicationis, & priuationis officiorum recepta non sit. Quia vsu hoc vbique comprobatur. Ita Molina Theol. *tr. 2. d. 466.* Rebel. *de iust. p. 2. l. 14. quæstion. 5.* Salcedo *pract. cap. 71. fine* Zenedo *collectan. 32. numer. 1.* Quaranta *v. Alienatio rer. Eccles. numer. 48.* Tolet. *l. 5. capit. 91.* Gutier. *canon. qq. l. 1 cap. 8. num. 9.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg 95. n. 49.*

28 *Hoc probabilius.* Hanc sententiam probabiliorem esse non dubito, quam video pluribus Sacræ Rotæ decis. omnibus esse firmatam.

Lege Augustinum Barbosam citatum.

DVBIVM III.

An qui Ecclesiæ res locat alicui ad sex, vel nouem annos clausula adiecta, vt tot sint locationes, quot sunt triennia, vt transacto primo triennio, pro tunc rem denuò locet: procedat, aduersus Extrauag. Ambitiosæ Constitutionem?

29 *Non procedit.* NOn procedit. Quia inibi dantur plures locationes triennales, nec vlla vltra triennium extenditur. Ergo non procedit contra prohibitionem. Sic Baldus *capit. 1. § si libellario, quibus modis feud. amittatur.*

30 *Procedit plane.* Procedit plane. Quia in Authent. *de non alienand. § quod autem, in fine* vbi agitur de emphyteusi, quæ ad vitam accipientis, & duas alias concedi poterat: dicitur, nullum esse pactum, quo concedens obligatur, sequentem successorem alijs præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere. *Quia hoc nihil aliud est* (inquit textus) *quam per reuolutionem, & machinationem perpetuari eis Emphyteuses, magis autem priuationes Ecclesiasticarum agi rerum.* Sed in nostro casu idem à fortiori militat, cum per illam machinationem multiplicatæ locationis res ecclesiastica ad longum tempus locetur, quid enim interest Ecclesiæ vnica locatione, an pluribus res Ecclesiæ longo tempore conduci? Ecclesia namque solùm intenait, ne locatio vltra triennium fiat, quod certe fit tametsi diuersis contractibus celebretur. Ita Cynus, Albert. Cardin. Anchar. Bartol. Alexand. & alij, quos refert. ac sequitur Couar. *l. 2. var cap. 16. numer. 4.* Valasc. *de iure emphyteut. quæst. 29. num. 15.* Molina *de iust. d. 466. fine* Azor. *p. 2. l. 9 c. 2. quæst. 3.* Vasquez *de reditib. c. 2. § 2. num 25.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 95. num. 17.*

31 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam huiusmodi contentio præsumitur fieri in fraude legis prohibentis conductionem vltra triennium: vndè irrita est, & inanis: sicuti sunt omnia pacta in fraudem legis facta.

DVBIVM IV.

An Ecclesia possessio, quæ secundo, vel tertio anno solet fructum reddere, possit, & vltra triennium locari stante Pauli II. constitutione?

32 *Non potest.* POtest quidem quia Pontifex non videtur intendisse signare triennium temporum, sed fructuum: trina enim fructuum collectio est, quæ conductorem poterat inuitare ad possessionem Ecclesiasticam locandam, vt sic sterilitas (si forte contingeret) vnius anni aliorum vbertate compensaretur.

retur. Sic Nauar. *comment. de alienat. rer. Eccles. num* 21. & 22. Couar. *l.* 2. *var. cap.* 16. *num* 6. Gutier. *l.* 1. *canon. qq. c.* 8. *num.* 12. Quaran. *v. Alienatio rer. Eccles. num.* 18. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 95. *num.* 4.

33 *Non potest.*

Non potest. Quia in *Extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien.* absolute dicitur res Ecclesiæ vltra triennium locari non posse, nec vlla apponitur limitatio. At non apparet inibi, vndenam coniectari possit, Pontificem non intendisse signare temporis, sed fructuum triennium: imo potius videtur temporis triennium intendisse signare, nam temporis longitudo proximior est alienationi, quam curat Pontifex prohibere. Et quidem si intenderet signare fructuum triennium proculdubio exponeret. Ita Doctores quidam, nec improbabiliter.

34 *Primam eligo sententiam.*

Primam tamen sententiam tot Doctorum placito roboratam mihi eligendã duxi. Quæ quidem emphytentæ confirmatur exemplo. Non enim hic cadit in commissum, si triennio non soluit pensionem annexam rei, quæ vnicos tantum fructus triennio reddit, vti ex Iasone, Baldo, & Alexandro probant Azorius & Couarruuias *citati*.

DVBIVM V.

An facta locatio vltra triennium, firma sit, qua parte triennium comprehendit, licet sit in firma, & irrita, qua parte excedit?

35 *Firma est.*

Firma est, qua parte triennium comprehendit, quia in hac locatione benè potest separari tempus permissum triennij ab alio tempore prohibito. Nam esto vnica locatio materialis sit, & vnicum pretium pro toto illo tempore expostulatum: diuidi tamen pro rata cuiuslibet triennij potest. At quoties vtile ab inutili potest separari, vtile per inutile non vitiatur ex *Regu. vtile, de Reg. iur. in* 6. Et *leg.* 1. *§. sed si mihi, ff. de verb. obligat.* Sic post Baldum docet. Paulus, & alios Molina *de primogen. l.* 1 *c.* 21. *num.* 28. Molina noster *tr.* 2 *d.* 467. Tuschus *v. locatio, concl.* 406. Rebel. *de iust. p.* 2 *l.* 14. *q.* 6. Quaranta *v. Alienatio rer. Eccles. num.* 18. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcop. alleg.* 95. *num.* 15. Gamma *dec.* 390. *n.* 3.

36 *Non est firma.*

Firma non est ex ea parte, sed in totum vitiatur, quia *Authent. de non alienand. §. emphyteusim* prohibetur dari emphyteusim vltra tres vitas, & subditur, *Aliter dari nullo permittimus modo, neque sic habere aliquod robur sximus.* At in *Extrauag. Ambitiosæ.* fatur Pontifex. Locationem vltra triennium factam *nullius omnino esse roboris, & momenti*: dictio autem illa *omnino* indistincte omnes annos comprehendi. Cum ergo locatio triennalis permissa sit à lege, & reprobata ea, quæ longior est: efficitur sanè vt ea, quæ tempus illud præscriptum excedit omnino sit irrita, vitians vtique triennalem permissam locationem. Ita Couar. *l.* 2 *. var. cap.* 16. *num.* 5. Valasc. *de iure emphyt. q.* 29. *n.* 15. Mantic. *de tacit. & ambig. conuention. to.* 1. *l.* 5, *tit.* 5. Cald. Perei *de resol. emphyt. c.* 2. *n.* 30 Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 10. *q.* 4. Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 8 *pun.* 4. *n.* 32. Valsq. *de reddit. b. c.* 2. *§.* 2. *n.* 28. & 29.

37 *Probabilius hoc esse defendo.*

Hanc sententiam probabiliorem esse iudico, in cuius probationem fortiori vtar argumento, nam ad rationem, qua Doctores hi nituntur, haud difficile potent responderi, textus relatos intelligendos esse non de toto tempore, sed de tempore inutili. Itaque hanc rationem efficacem aditio desumptam ex iis, quæ communiter in contractu locationis succedunt. Qui enim pro tempore diuturno possessionem conducit, minoris accipit, quam si pro breui tempore acciperet, vt experientia compertum est. At quoties contrahentes non celebrarent contractum eodem tempore permisso, ac celebrant, cum extra tempus permissum contrahunt, inualidus est contractus quoad totum tempus, vt ex Bart. & alijs probat Molina *de primog. c.* 21. *num.* 28. noster Molina *d.* 467. & Couar. *l.* 2. *var. c.* 16. *num.* 5. Ergò absolutè dicendum est contractum locationis rerum Ecclesiasticarum vltra triennium neque pro triennio valere. Et quidem vtile per inutile non vitiatur (ingenuè fateor) quando separabilia sunt: at in casu præsenti sunt separabilia; quia non eodem pretio locares ad breue tempus ac locas ad longum.

DVBVM VI.

An mandatum ad locandum, vltra triennium possit extendi?

38 *Non potest hoc mandatum extendi.*

NOn solum locatio vltra triennium, sed & mandatum ad locandum vltra triennium extendi non potest. Quia alias fieret fraus legi, si facultatem haberes ad res Ecclesiasticas vltra triennium locandas. Sic Couar. *l.* 2. *var. c.* 16. *n.* 6. Azor. *p.* 2. *l.* 9 *c.* 2. *q.* 5.

39 *Extendi potest.*

Potest extendi, valere, inquam, mandatum procuratori concessum, vt finita prima locatione, aliam, & aliam eiusdem possessionis, prout sibi videbitur, faciat. Quia non conceditur facultas locandi rem vltra triennium, sed ad plura triennia successiuè rem locandi, quod nullo iure prohibetur. Ita Molina Iesuita *tr.* 2. *d.* 466. *fine* Palao *to.* 2. *d. vnu. de Ecclesiasticor. immun. pun.* 4. *n.* 9.

40 *Verius hoc mihi.*

Hanc sententiam probabiliorem esse iudico. Nam si tu, qui rerum Ecclesiasticarum administrator es, potestatem habes locandi eas locationibus triennalibus successiuis: ita poteris alteri vices tuas concedere. Durum namque apparet, quolibet triennio te obligatum esse mandatum renouare. Valet ergo quoties illud non reuocas.

DVBIVM VII.

An fructus, & prouentus Beneficiati quorumque ipse habet dominium possint locari in longum tempus, v.g pro tota sua vita stante Extrauag. Ambitiosæ?

41 *Non potest.* NOn potest. Quia in ea *Extrauag.* prohibetur alienatio, ad locatio vltra triennium omnium Ecclesiasticarum rerum immobilium, & pretiosarum mobilium quæ seruando seruari possunt. At sub bonis Ecclesiasticis non solum bona Ecclesiæ, sed propria Beneficia comprehenduntur. Ergò ea non potest vltra tempus præscriptum locare. Ita enim particula *Quæ seruando seruari possunt*, non potest intelligi de fructibus beneficiorum nondum collectis, hi namque dici nequeunt, quod non possint seruari. Sic Gutierrez *l. prim. canon. qq. c. 8. num. 14.* Bonacin. *de contr. feudi, d. 3. q. 8. pun. 4. num. 32.*

42 *Potest omnino.* Potest omninò. Quia decisio. *Extrauag. Ambitiosæ* ex illius proœmio est desumenda: cum generale sit legi ex Rubrica, sub qua collocatur, accipere interpretationem, glos. *ad leg. 3. v. Pretorio C. Ne liceat tertiò prouocare* ibi. Bald. & pluribus exornat Alexand. *lege prima ff. si certum petatur num. 3.* At in proœmio manifestum est de solis bonis Ecclesiæ *Extranagantem* loqui, inquit enim *Immobilia, & mobilia pretiosa Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ regantur, & Ministri alimoniam vendicant.* En qualiter de bonis Ecclesiarum loquatur, non de reditibus propriæ beneficij, ac dignitatis. Ita Conar. *l 2 var. cap. 16. n. 6.* Molina *l. 1. de primog. cap. secund. num. 27.* Molina noster *tract. secund. d. 466. post medium* Vasquez *opusc. de redit. cap. 2. §. 2. num. 31. & 34.* Azor. *p. 2. l. 9 cap secund. quæst. 7.* Spectato iure communi, & alij plures.

43 *Verius hoc mihi.* Verior mihi sententia hæc, licet enim in decreto generalis prohibitio adiiciatur omnium rerum & bonorū Ecclesiasticorum per antonomasiam solum bona Ecclesiæ, bona Ecclesiastica nuncupantur. Profecto illa generalis prohibitio debet intelligi iuxta constitutionis proœmium, quæ est de rebus Deo dicatis.

CAPVT IV.

Circa Ecclesiasticorum bonorum Immunitatem alienationis.

DVBIVM VII.

Pecunia, quæ ab aliquo destinata est ad emptionem bonorum stabilium, intelligiturne sub nomine boni stabilis non alienandi?

44 *Non nulla recolo.* VIdimus *sect. 1.* Ecclesiastica bona immobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, inalienabilia esse, nisi in casibus à iure statutis. Porro pecunia sub rebus mobilibus pretiosis non computatur. Quia vsui quotidiano deseruit, & ad illum est destinata, neque seruata vllum fructum parit. Quæsierim vero, an si destinata sit à quocumque ad emptionem bonorum stabilium: verb. grat. censuum, prædiorum, vel pretiosorum mobilium, sub nomine boni stabilis, vel mobilis pretiosi intelligatur?

45 *Intelligitur quidem.* Intelligitur quidem nec alienari ab ecclesia potest. Quia in hoc casu ratione huiusmodi destinationis, loco rei stabilis, aut mobilis pretiosæ succedit. Sic Azor. *p. 2 l. 9. c. 1. quæst. 5.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 95. n. 41.* Bonac *d 3. de contr. locat. q. 8 pun. 4. numer. 2.*

46 *Non intelligitur.* Non intelligitur. Quia talis destinatio, quæ nondum, executioni est tradita, à destinantis voluntate pendet, quę mutari potest; & pecunia illa dum res stabilis aut mobilis pretiosa non emitur vsui quotidiano potest licitè deseruire, & absumi. Ita Doctiviri, quos consului. Palao *to. 2. d. vni. de Ecclesiasticor. immun. pun. 15. §. 1. n° 3.* Valq. *de redit. c. 2. §. 2. num. 47.*

47 *Auctoris resolutio.* Ego quidam existimo veram priorem sententiam esse solum, quando destinatio pecuniæ habet ortum ex eo, quod à testatore ad illum effectum relicta fuit vel ex re aliqua immobili processerit vel pretiosa ipsius Ecclesiæ, quæ vt renouaretur, vendita fuit. In iis ergo verum est subrogari pecuniam loco rei immobilis. Idem iuris est de pecunia, quæ Monialibus in dotem traditur. Quia ex voluntate donantium censetur data Monasterio, quæ pro Monialis sustentatione perseueret. Aliæ vero destinationes omnino videntur accidentariæ, neque pecuniæ conditionem mutant.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Pecunia in banchis campsorum opsita potestne, ab Ecclesia alienari ?

48 *Alienari non potest.* ALienari non potest. Quia tunc videtur negotiationi exposita, & vti bonum stabile, nempe census fructum habere. Sic Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. glos. 7. num. 214.* Bard. *ad Clarum, §. fin. q. 38. nu. 31.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. num. 44.* alios referens

49 *Potest alienari.* Potest alienari. Quia in banchis solummodo collocatur interim, dum sese offert illam consumendi necessitas: vnde accidentarium omninò est, quod fructus referat. Ita Castro Palao *to. 2. de Ecclesiasticor. immun. d. vni. pun. 15. §. 1. n. 6.* Leo *in thes. decis. 160.*

50 *Probabilius hoc esse reor.* Probabilius hoc esse reor. Primam sententiam veram esse iudicans solum in sensu *Dubio 37.* explicato. Nam pecunia collecta ex fructibus, seu redditibus rerum immobilium, vel pecunia, quæ ex testatoris voluntate ad sumptus quotidianos relicta est, non video, qua ratione debeat inter bona immobilia computari. Vnde enim est obligatio illam in banchis campsorum conseruandi ?

DVBIVM IX.

An reliquiæ Sanctorum comprehendantur sub bonis mobilibus pretiosis, alienationi non subiectis ?

51 *Non comprehenduntur.* NOn comprehenduntur. Quia hæ pretio æstimari nó possunt. Sic nonnulli Theologi non immerito.

52 *Comprehẽduntur.* Comprehenduntur sane si insignes sint. Quia esto pretio non æquentur sunt supra omne pretium. Ita Riccius *dec. 63. num. 6.* Bonac. *d. 3. de contr. feudi, quæst. 8. pun. 4. n. 17*

53 *Idẽ asseru.* Censeo sub mobilibus pretiosis contineri, nullatenusque alienari posse. Vocatem autem Reliquias insignes caput, pedem, manum alicuius Diui satis cogniti, & qui in magna apud omnes veneratione est.

DVBIVM X.

An legatum Ecclesiæ relictum si acceptetur, & refundatur in Ecclesiæ bonum, non possit alienari : & Ecclesia vel Monasterium possit illud non acceptare ?

54 *Quæstionis status* DOmus, vinea, prædium, census, aureum pretiosum Ecclesiæ, vel Monasterio relictum absque conditione expressa, vt in perpetuum conseruetur, si acceptatum legatum sit, inter bona alienationi non obnoxia computantur.

55 *Non potest legatum non acceptare.* At Ecclesia vel Monasterium non potest legatum nó acceptare, quia illa repulsa est quædam legati alienatio, siquidem, ea facta, transit ad hęredem. Et quia inter bona immobilia, seu mobilia pretiosa comprehenduntur intra, & actiones ad immobilia vel mobilia pretiosa. Et quia fauore Ecclesię hęc legata in Ecclesiã trãseũt ipso iure etiã ablq; traditione *leg. fin. C. de sacros. Eccles.* Sic Mol. *tr. 1 d. 468. n. 10.* Quarant. *sum. Bullar. v. Alienatio rer. Eccles. num. 23.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 95. num. 54.* Menchaca *de successu l. 3. §. 27. num. 23.*

56 *Potest non acceptare legatum.* Potest equidem non acceptare legatum, quia hæreditas delata, & Ecclesiæ non incorporata, non est ius quæsitum Ecclesiæ, sed quęrendum. ergò inter bona Ecclesiæ computandum non est. Et quidem reputatio non est alienatio, sed solum est non acquisitio *leg. Alienationis, ff. de verbor signif.* Alias debitor repudians legatum censeretur illud alienare in creditorum fraudem. Ita Riccius *prax. decis. 96.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 4. num. 12.* Bonac. *d. 3. de contr. feudi, q. 8. pun. 4. mm. 38.* Azor *p. 2. l. 9. c. 1. q. 12.*

57 *Communem ac probabilem magis hanc eligo sententiam.* Primam sententiam satis probabilem esse reor, sed secundam communem quidem, probabiliorem eligo. Fateor enim, facta repulsa ab Ecclesia, vel Monasterio, legatum ad hæredes transire : abnego tamen transire ex repulsa : transit enim ex successione, quæ ex legato facto impediebatur. Etiam concedo intra, & actiones absolutas sub bonis immobilibus propriis comprehendi : at ius ad legatum & hæreditatem non est absolutum, sed sub tacita conditione, si legatio placuerit : ac proinde est ius reuocabile, & imperfectum.

DVBIVM XI.

An si aliqua res pretiosa mobilis Monasterio relinquatur, poteritne vendi, & in Religiosorum sustentationem, aliosue vsus conuerti ?

58 *Minimè vendi potest.* MInimè vendi poterit, quia est iam ex ipsa receptione incorporata Monasterio. Ergò sicut mobile pretiosum Monasterij alienari nequit, sic res illa relicta. Sic Riccius *prax. decis. 53. num. 5.*

59 *Poterit vendi.* Poterit vendi, quia tota prohibitionis ratio alienandi res mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, est, quia inter bona immobilia computantur, quorum alienatio omninò est prohibita, non seruatis à iure solemnitatibus expressis. At hæc prohibitio non procedit in legato rei immobilis relictæ Monasterio incapaci retinendi : Ergò à fortiori nec procedere debet in legato relicto rei mobilis pretiosæ, tametsi longo tempore seruari possit ; quia non videtur obligatum id legatum conseruare in perpetuum ? Ita Palao *tom. 2. d. vni. de Ecclesiasticor. immun. pun. 15. §. 1. numero 13.*

Scio

60 *Idem affirmo.*

Sed primam sententiam probabilem satis esse, & ab August. Barbosa admitti *p. 3. de potest. Epis. allegat. 95. num. 5.* Sed secundam probabiliorem esse crediderim, dū video quotidie res pretiosas Monasterio relictas absque expressa retinendi, & in perpetuum conseruandi eas conditione vendi, & earum pretium in Religiosorum sustentationem, aliosue in vsus conuerti. Nec credo, apud perfectos posse huiusmodi vsum adeò vigere, si vllo circa hoc adesset scrupulo pungi deberent.

DVBIVM XII.

An iurans bona Ecclesiæ non alienare peccet contra iuramentum, si ea tradas in pignus, vel hypothecam, vel in feudum, & emphyteusim, aut in longi temporis locationem?

61 *Non peccat.*

NOn peccat. Quia in iis, quæ odiosa sunt, stricta debet interpretatio fieri. Ergò solum de alienatione propria, qualis est ea, per quam directum dominium transfertur, intelligendum est. Sic Couar. *l. 2. var. c. 16. n. 2.*

62 *Peccat quidem.*

Peccat quidem. Quia iuramentum absolutè sumptū intelligendum est iuxta materiæ qualitatem: ùm autem in hac materia alienationis bonorum ecclesiasticorum non sola venditio, donatio, aut permutatio: sed etiam quælibet actio, per quam vlle dominium transfertur, intelligatur: sit plane iurantem non alienare Ecclesiæ bona, & locantem ad longum tempus, & pignori, aut speciali hypothecæ subiicientem, Ecclesiastica bona alienare, ac proinde esse periurum. Ita Panormit. *ad Cap. Intellecto, de iureiur. n. 10.* Molin *tr. 2. d. 466.* Vasq. *de restit. c. 2. §. 2. dub. 3. num. 14.*

63 *Probabilitas hoc.*

Probabilitate non caret sententia prima, secundam tamen longe probabiliorem esse non dubito. Nā quando de legislatoris mente aperte constat, laxæ interpretationi non est locus. Constat autem aperte, non solam venditionem, donationē, aut permutationem: sed omnem aliam actionem, per quam vlle Ecclesiæ dominium transfertur, esse prohibitam.

DVBIVM XIII.

Iurauit quis Prælatus se non alienaturum vlla Ecclesiæ bona, nisi Pontifice consulto: Hoc iuramentum extendi turne ad quamlibet alienationem etiam iure permissam?

64 *Extenditur ad alienationem iure permissam.*

EXtenditur ad quaslibet alienationes siue iure siue probatas, siue ab eo permissas. Quia iuramentum aliquid debet operari, si autem ad illis alienationes prohibitas extenderetur, non appareret cuius vtilitatis sit. Sic Azor *p. 3. l. 9. c. 1. q. 9.* plures referens. Molina *tr. 2. q. 468.* Abbas *ad Cap. Vt super hiis.* Nauar. *comment. de alienat. rer. Ecclesiasticar. numer. 14.*

65 *Non extenditur.*

Non extenditur ad alienationes permissas à iure, sed solum ad illicitas & contra iuris formam. Quia iurans non infeudaturum bona Ecclesiæ inconsulto Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam deuoluto: quia hic est per se licitus, sed de noua feudi datione, quæ illicita est. Iurans non alienare res Ecclesiæ, potest alienare inutiles. Iuramentum factum de non alienandis rebus Ecclesiæ de alienatione illicita intelligitur. Vnde cum Præsul se perpetuo in Ecclesia cōmoraturum iurat, non obstante illo iuramento, potest ex causa necessitatis, aut vtilitatis abesse. Quia iuramentum factum in materia iuris ad iuris terminos restringi debet. Ergò iuramentum factum de non alienando bona Ecclesiæ nisi consulto Pontifice, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus Pontificis consensus à iure postulatur iuxta *Extrauag. Ambitiosæ.* Ita multi Doctores, quos refert presso, & aperto nomine Castro Palao *tom. 2. d. vni. de Ecclesiasticor. immun. pun 15 §. 2. n. 4.*

66 *Magis ista sententia placet.*

Hic dicendi modus mihi probatur. Nec vtget contrariæ sententiæ fundamentum. Abnego enim vllū iuramentum operari: operatur enim firmiorem reddi Prælatum in obseruandis à iure statutis.

DVBIVM XIV.

Conditiones à iure præscriptæ ad rerum Ecclesiæ alienationem seruandæne sunt, in legato relicto ea clausula: vt quoties ecclesia voluerit illud alienare, & in proprios vsus conuertere, non seruata illa solemnitate possit?

67 *Nonnullæ recedo.*

REcedo ex *sect. 1.* nonnullas solemnitates, seu conditiones à iure requiri, vt res Ecclesiæ immobiles pretiosæ possint alienari: nempè tractatum, consensum expressum collegij & in collegij formam, superioris consensum, subiectionem Clericorum in casibus expressis, & consensum Pontificis, vbi *Extrauagans Ambitiosa* fuerit recepta. Quæstio igitur est, an debeant hæ conditiones seruari in legato relicto ea clausula, vt quoties Ecclesiæ visum fuerit, illud possit alienare?

68 *Seruari debent.*

Debent seruari, quia illa conditio reiicienda est tanquam turpis, & habenda pro non apposita si quidem est iuri contraria. sic Armil. *v. Alienatio. n. 19.* Quaranta *Sum Bullar. v. Alienatio, n. 31. & 32.* Riccius *prax dec. 67.* Bonac. *d. 3. de contr. q. 8. pun. 4. n. 8.*

69 *Seruari non debent.*

Seruari non debent, validaque est illa clausula in legato apposita, quia tunc Ecclesia ex potestate recepta à testatore legatum alienare testator autem poterat suam rem absque ea solemnitate alienare. Ergo transferens rem Ecclesiæ potuit cum ea potestate conferre. Ita Palao *tom. secund. d. vni. de Ecclesiasticar. immun.*

immun. pun. 15. §. *secund. num.* 14.

70 *Hoc mihi probabilius*

Probabiliorem hanc sententiam esse credi-derim. Nam testator potuit relinquere Ecclesiæ hæreditatem ea clausula appositæ : vt post aliquot annos teneatur illam transferre in aliquem ex consanguineis testatoris, quem Ecclesia elegerit : sed ad hanc translationem nullus consensus Pontificius, nullusque tractatus est requisitus Argument. *leg.* 1. *& 3. C. Quando decreto opus non est*, & tradit Quaranta *v. Alienatio rer. Eccl. n.* 45. & Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 95. *nn.* 61. Ergo neque etiam in casu nostro requiritur, cum in eo etiam sit quoddam fideicommissum, & ex voluntate testatoris alienatio procedit. Abnego igitur illam clausulam rejiciendam esse tanquam turpem, ac iuri contrariam : cum ius solum prohibeat alienare res Ecclesiæ, quæ illius sunt absolutè, secus illas quæ non sunt absolutè, & perpetuo Ecclesiæ, sed quamdiu Ecclesiæ illas retinere placuerit.

DVBIVM XV.

An legatum relictum ea conditione, vt nunquam alienetur : possit seruatis solennitatibus à iure præscriptis, alienari?

71 *Alienari non potest.*

ALienari non potest, si Ecclesia alia bona habeat, quibus possit vtilitati, pietati, ac necessitati consulere, quia tunc seruari potest talis conditio, neque est contraria iuri concedenti alienationem rerum Ecclesiasticarum in casu vtilitatis, pietatis, vel necessitatis. Facit textus *Authent. de alienat. & emphyteus. collat.* 9. §. *Sanctissimus.* vbi inquit Imperator, res Ecclesiæ alienari posse pro captiuis redimendis, nisi eo pacto donatæ fuerint, ne alienari queant. Nec igitur hæc constitutio aliis iuribus concedentibus alienationem ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, contraria sit, dicendum videtur, prohibere alienationem, dum sunt alia bona, quibus satisfieri pietati, vtilitati, aut necessitati potest : secus cum non sit. Sic aliqui doctores, quos presso nomine memorat Palao *to.* 2. *d. vni. de Ecclesiastic. immun. pun.* 15. §. 2. *nu.* 15. quorumque sententiam probabilem esse docet.

72 *Potest alienari.*

Potest alienari tale legatum, licet Ecclesia alia bona habeat, quæ alienare queat, quia habere Ecclesiam bona alia quæ alienare possit, non impedit quominus legati alienatio ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis iuris solemnitatibus, fiat : sed quoties fit alienatio ex causa pietatis, vtilitatis, vel necessitatis, & seruatis illis conditionibus, à iure permittitur : Ergò non potest testator contrariam conditionem apponere : non enim potest iuri derogare. Ergò si appositæ est, vt turpis erit reiicienda. Ita Sylvest. *v. Alienatio, q.* 28. Azor. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 2. *q.* 9. Graf. Innocent. & & Panormitâ Sylvestro *cuati* Palao *suprà.*

Probabilius hoc esse iudico respondens ad textum in *Authent. de alienat.* non posse legatum alienari pro captiuis redimendis, si eo pacto donatum fuit, vt non alienetur, nisi captiui extremam, aut valde grauem necessitatem patiantur. Id enim operatur conditio, vt non pro quacumque necessitate alienari illud legatum possit.

73 *Cum his probabilius opinor.*

DVBIVM XVI.

Licitane est permutatio, quæ fit vnius Calicis, v. gr. huius Ecclesiæ pro alio æque pretioso alterius Ecclesiæ ornamento absque prædicta solemnitate?

74 *Nonnulla suppono.*

COnstat, permutationem alienationem esse, quia est translatio dominij, quod in vnam rem habet, & alterum illius loco acquiris, ac proinde fieri nequit sine præfata solennitate *Cap.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.* Solum est dubium, an licita sit permutatio Calicis, v. g. pretiosi pro aliquo ornamento : vel vnius hæreditatis pro hæreditate alterius Ecclesiæ absque præscripta illa solemnitate.

75 *Licita non est.*

Non est licita, Quia in *Cap. Catellas* 10. *q.* 2. & clarius in *c. sine exceptione* 12. *q.* 2. & in *Extravag. Ambitiosæ* eodem modo prohibetur permutatio, ac venditio, & donatio prohibetur : sed apud omnes constat, venditionem, & donationem rerum vnius Ecclesiæ celebrari non posse cum altera absque prædicta solemnitate : Ergò nec permutationem. Sic Quaranta *sum. Bullar. v. Alienatio, n.* 15. Bonac. *d.* 2. *de contract. feudi, q.* 8 *pun* 4. *n.* 20.

76 *Est licita*

Licita est, spectato iuris rigore. Quia in eiusmodi Ecclesiasticis permutationibus omnino cessat ratio prohibitionis alienandi res Ecclesiæ quæ est, nè res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & profanis vsibus applicentur : quod constat ex procemio *Extravag. Ambitiosæ*, ibi : *Profanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum, aut diuini cultus detrimento exquisitis modis vsurpare præsumunt.* Ita Reccius *prax. dec.* 74. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. allegat* 95 *n* 55.

77 *Eiusdem sum mentis.*

Cum his opinor. Non enim me retardat, aliquos textus eodem modo prohibere permutationem, ac prohibet donationem & venditionem. Quia sufficit, quod in aliis textibus permittatur permutatio inter Ecclesias, non tamen donatio : & textus, quantum fieri possit debent esse conformes, neque admittenda est illorum correctio sine claro fundamento. Hoc spectato iure : ex consuetudine autem eadem solemnitas ac in venditione requiritur.

LIBER LV.

BENEFICIVM, AC PENSIO.

DE Beneficiis Ecclesiasticis acturus, expendam, quid sit, aut quotuplex Beneficium; modum, quo acquiritur, conditiones requisitas, vt quis ad id censeatur idoneus; licitam eius pluralitatem. Præterea indicabo ad quos pertineat Beneficia conferre, queisnam sint conferenda, quibusque modis amittantur? Demùm de Pensionibus plura attexam.

SECTIO PRIMA.

De Beneficio, ac Pensione Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

Quid, ac quotuplex Beneficium?

1 *Beneficium quid: Tria in eo distinguo.*

BENEFICIVM est *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum.* Tria in beneficio distinguo. Primum est, ipsum officium, seu obligatio, qua quis tenetur, aliquam spiritualem functionem obire. Secùdum, ius percipiẽdi certos ex bonis Ecclesiasticis reditus, & hoc ius dicitur *Præbenda.* Tertium, ipsi fructus, qui sunt quid tẽporale. *Cap. Relatum, de præbend.* Sylu. *v. Beneficium, initio.* Tolet. *l. 5. c. 76.* Fillinc. *tr. 41. n. 3 & 4.* Malder. *1. 2. tr. 9 cap. 2. dub. 1.*

2 *Aliud beneficium est Regulare, aliud sæculare.*

Aliud beneficium est *Regulare*, aliud *sæculare.* Regulare est, quod solum Regularibus confertur, vt Abbatia regularis, prioratus, Canonicatus regularis. Sæculare est, quod non est pro Regularibus institutum, vel eis peculiariter annexum: & huius generis beneficium Regularibus sine Præsulis summi dispensatione conferri non potest, nisi cutatum sit. *Cap. cum singula, de præben. in 6.* Les. *l. 2. c. 34. dub. 2.* Azor. *p. 2. l. 3. cap. 1. quæst. 4.* Omne vero beneficium sæculare esse præsumitur, nisi Regulare esse probetur Sanch. *l. 7. Decal. c. 26. num. 14.*

3 *Aliud simplex alia qualitate affectum: Duplex.*

Præterea aliud est *simplex*, quod nullam habet administrationem, nec est vlla iuris qualitate affectum: sed tantum institutum ad Horas Canonicas recitandas, vel alia diuina officia persoluenda, vt Canonicatus etiam Cathedralis Ecclesiæ, Sacella, Altaria, Capellæ. Aliud *Duplex*, quod est cum administratione: vnde maximum est Papatus: deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus. Item beneficia, quæ dicuntur *Dignitates*, vt Præpositura, Decanatus, Personatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis, quæ est in nonnullis Ecclesiis instar Decanatus. Abbatia Regularis, Prioratus conuentualis, & claustralis sunt etiam Duplicia. Fillinc. *tr. 41. num. 6.* Less. *l. 2. c. 34. num. 9.* Rebuf. *de benefic. c. 4.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 4.*

4 *Aliud titulare, aliud Manuale, aliud Electiuum, aliud collatiuum, aliud Missum.*

Aliud est *Titulare* simpliciter, quod scilicet in titulum perpetuum confertur, & beneficiati sine graui causa iusta nequit auferri. Aliud est *Manuale*, quod in Titulum confertur, sed reuocabiliter; quia ad nutũ Prælati, vel Patroni a beneficiato auferri potest: vt est beneficium Regulare, quod nec curatum, nec electiuum est, vt Prioratus, Custodis officium, Sacristæ, &c. Aliud est *Electiuum*, quod præcedente electione à Canonicis facta, & accedente postea confirmatione & consensu superioris confertur. Aliud *Collatiuum*, quod libera, ac simplici superioris conceditur voluntate. Aliud *Missum*, quod præsentante Patrono, Episcopo instituente datur. Sanch. *l. 7. Decal. c. 29. num. 18.* Fillinc. *tr. 41. n. 6.*

5 *Aliud Incompatibile, aliud compatibile.*

Aliud dicitur *Incompatibile*, *Compatibile.* aliud Incompatibile est id, quod per se vel naturali iure, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuam postulat residentiam: vnde quis non potest aliud simile possidere, vt duos Episcopatus, duas Abbatias, duas Parochias, duas

dnas dignitates, seu Personatus. Item beneficia vniformia sub eodem tecto incompatibilia censetur: vt duo Canonicatus eiusdem ecclesiæ. Reliqua autem beneficia compatibilia sũt. Laym. *l.4.tr.2.c.8.n.2.& 3.* Les. *l.2.c.34.dub.27.n.140.*

CAPVT II.

De modis, queis Beneficia acquiruntur.

6 *Sex modis beneficium acquiritur.*

BENEFICIVM sex modis acquiritur. 1. *Præsentatione* Patroni præmia, & institutione subsequenti: hæc solum fit per Ecclesiasticos, illa vero potest per laicos fieri, si ius patronatus habeant. 2. *Electione*, & confirmatione. 3. *Postulatione*, & confirmatione, quę habet tantum locum in Prelaturis. 4. *Collatione* libera. 5. *Permutatione* 6. *Resignatione* in fauorem cum collatione sequuta. Rebuf. *in praxi, tit. Quot modis acquir. nn.* 17. Les. *l.2.c.34.dub.3.*

7 *Quid præsentatio, Patronus, & ius patronatus.*

Præsentatio est exhibitio quædam personę per Patronũ Episcopo, vel alteri, ad quẽ institutio pertinet, legitimè facta. *Patronus* est, qui ius patronatus, ideſt, beneficium onerosum, & & vtile, conueniens alicui ob aliquod meritũ, vel obsequium Ecclesiæ collatum. Est autem hoc ius duplex: aliud ius patronatus Ecclesiastici, aliud laici. Ius patronatus Ecclesiastici dicitur non quod Ecclesiasticus possidet, sed quod competit alicui ex eo, quod ex bonis ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit: vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, vel dignitatis ecclesiasticæ. Ius autẽ patronatus laici dicitur, quod alicui competit, quia ex bonis patrimonialibus, seu sæcularibus Ecclesiam fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum causam habuit. Panormit. *Cap. Ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prælat.* Azor. *p.2.l.6.c.19.q.1.2.4.& 5.* Malder. *2.2.tr.9.c.2.dub.2.* Filliuc. *tr.41.n.8.* Lessi. *l.2.c.34.dub.4.5.6.& 7.*

8 *Quid Institutio?*

Institutio est concessio beneficij facta legitima Episcopi, vel alterius authoritate Clerico præsentato à Patrono. Vnde institutio solum fieri potest per Ecclesiasticos; horũ enim est, beneficia ecclesiastica conferre, non laicorum. Institutio sine Patrono facta est ipso iure irrita. Si verò Patronus sit in præsentando negligens, ad Episcopum deuoluitur, vel ad eum, ad quẽ iurisdictio pertinet. Azor *p.2.l.6.c.22.* Ioan. Andre. *c.2. de offic. in 6.* Les. *l.2.c.34.n.12.* Fil. *tr.41.n.9.*

9 *Quid Electio?*

Electio est alicuius personæ ad Ecclesiam Pastore destitutam canonicè facta vocatio: non fit nisi de Ecclesia vacante. Dignitas & canonicatus, quæ conferuntur cõmunibus clericorum suffragijs, non dicuntur conferri per electionem. Beneficia enim electiua ea tantùm dicũtur, quæ per electionẽ conferri debent: & habẽt solũmodo locum in iis, qui Ecclesiarũ Pastores sunt, vel Monasteriorum, habentes in his supremam iurisdictionem. Per electionẽ verò non acquiritur ius in re, sed ad rem. Hostiens. *sum. de elect.* Azor. *p.2.l.6.c.14.* Escob. & Mend. Theol. Mor. *Tom. VII. q.2.& 4.* Les. *l.2.c.34.dub.7.n.13.* Omnis electio indiget confirmatione, superioris consensu, & authoritate facienda. Quia id constat ex *Cap. Nihil est, & cap. cum dilectus, de elect.*

10 *Quid Postulatio?*

Postulatio est supplex quædam à Collegio Canonicorum facta apud superiorem petitio, qua postulatur, vt aliquis certæ vacanti præficiatur Ecclesiæ, non obstante aliquo defectu, quem patitur; qui non debet esse moralis sed naturalis tantùm, nempè quia non sit legitimè natus, non habeat ætatem sufficientem, nõ esset ordinatus. Debent verò in postulatum duæ saltem partes Capituli consentire. Hostiens. *sum. tit. de postulat.* Sylu. *v. Postulatio.*

11 *Quid Collatio?*

Collatio est concessio beneficij vacantis siue per obitum, siue per resignationem, siue deuolutionem, liberaliter facta ab habente potestatem, vt à Papa Legato Ordinario. Iure autem communi beneficia conferenda sunt purè, liberè, palam, sine diminutione vacantia, & in perpetuum: Et ideo in collatione nequit adiici pactum, aut conditio, seu modus: neque debet per vim, aut metum fieri: cõditio autem potest inesse in collatione, quando ipso iure, vel statuto, vel consuetudine, vel fundatione, aut institutione beneficij posita est. Azor. *p.2.l.6.c.26.q.2.& 3.* Filliucius *tr.41.n.10 11.& 12.*

12 *Quid Permutatio?*

Permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit legitima superioris authoritate Septẽ ad eam requiruntur. Primò, vt permutantes sint suorum beneficiorum domini; nemo enim potest cum alio rem non suam permutare. Secundò, debet permutatio esse libera, non autẽ vi, aut metu extorta. Tertiò, debet vterque suũ beneficium in Ordinarij, cui beneficiũ subest siue is vnus sit, & idem, siue alius, & alius, manus resignare. Quartò, beneficia sunt conferẽda permutantibus, non aliis; alioqui irrita erit permutatio. Quintò, requiritur consensus illorum, ad quos electio, vel præsentatio spectat. Si autem Patronus requisitus nolit consentire, potest Episcopus ina approbatione consẽsum supplere, si permutationem Ecclesiæ iudicet expedire. Sextò, si permutãs infirmus sit, debet superuenire viginti post resignationem dies, alioquin censebitur beneficium per obitũ vacare. Septimò, si permutatio in Curia Romana fiat, debet fieri publicatio in loco beneficij intra sex mẽses à die supplicationis oblatę cõputãdos, si sint beneficia citra montes, si verò vltra mõtes, intra nouem. Porro si permutatio fiat extra Curiã, intra mensem Ordinarius debet conferre: permutantes verò intra tres publicare, idque in loco beneficij. lege *Cap. vnic. de rer. permut. in 6. Clement. vnic. de rer. permut. Glos. ibi Reg. Cancel. de infirm. & eandem, de publicand.* Rebuf. *in praxi benef. §. de permut.* Les. *l.2.c.34.n.195.* Az. *p.2.l.7.c.24.q.2.*

13 *Quid Resignatio?*

Resignatio vel renunciatio generatim sumpta, iuris proprij spontanea, & libera dimissio, seu cessio. Prestè verò, est libera beneficij dimissio facta cum causa coram legitimo superiore. Hæc fit tacitè, vel expressè. Tacitè fit ex iuris dispositione, absque expressione verborum, vt matrimonium contrahendo. Expressè fit, cum quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario legitimè dimittit. Rebuf. *de resig* Lessi. *l.2.c.34.n.179.*

CAPVT III.

Conditiones præscriptas in Iure, vt quis ad Beneficium idoneus censeatur, recenseo.

14 *Primacon-ditio est Torus legi-timus.*

NOVEM ad idoneitatem beneficij conditiones annumero. Prima est *Legitimus torus.* Legitimus nempe est incapax Episcopatus, & cuiuslibet beneficij curã animarum habentis, nisi per Pontificem cum eo dispensetur. Item est incapax cuiuscumque dignitatis, aut personatus etiam sine cura. Episcopus verò cum tali dispẽsare potest ad beneficium simplex, & ad Canonicatum etiam Cathedralis Ecclesiæ, & præsertim si ille à sede Apostolica ad sacros Ordines esset admissus. Præterea illegitimus etiam cũ Episcopi dispẽsatione nequit habere vllum beneficium vbi pater est, aut fuit Præfectus, aut etiam Canonicus. Legitimi autem Presbyterorũ filij possunt beneficia habere in Ecclesiis, vbi eorum parentes præsident, non tamen illud ipsum, quod proximè parens habuit. Si tamen inter parentem & filium alius intercesserit, censebitur species illa successionis hæreditariæ absersa, & ita filius legitimus poterit sine dispẽsatione illud obtinere. *Cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.* Glos. *ibi.* Sylu. 2. 2. *q.* 63 *a.* 2. *quæst.* 1. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 3 Filliuc. *tr.* 41. *n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. *n.* 3 Les. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 86. 87. & 88.

15 *Secunda Clericatus.*

Secunda *Clericatus* seu prima tonsura à proprio Episcopo collata & *Habitus Clericalis*, siue talares vestes. Ex epicheia satis esset vestes, quæ ad media crura extenduntur: præsertim vbi talis est consuetudo. Si beneficium ex institutione certum ordinem requirat, qui eo caret, ad illud est inhabilis beneficium: consuetudo tamen longa potest illum rigorem mitigare. *Cap. cum contingat, de ætat. Cap. cum ideo de rescript.* Filliuc. *tr.* 41. *num.* 21. & 22. Sanch. *de matrim. l.* 7. *d.* 46. Ad Episcopatum verò iure antiquo requiritur subdiaconatus: iure autem nouo, adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses non susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur: si per tres alios menses id non egerit, est Episcopatu priuatus, post sententiam. Trid. *sess.* 23. *c.* 2.

16 *Tertia Ætas.*

Tertia, *Ætas*, & quidem ad Episcopatum ætas triginta annorum exactorum requiritur. Ad dignitatem Ecclesiasticam Episcopatu inferiorem, habentem tamen animarum curam, ætas viginti quinq; annorum saltẽ inchoatorũ præscribitur. Ad alias dignitates, vel personatus, quibus non subest animarũ cura, exigitur, vt quis nõ sit viginti duob. annis minor, & hi anni debent esse cõpleti. Ad beneficium Parochiale viginti quinque anni, inchoati saltem, requiruntur. Ad alia quæcumque requiritur vt minimũ quatuordecim annorum inchoatorum ætas; licet ratione ordinis, quam Tridentinum statuit, sæpè maior ætas exigatur. *Cap. cum in cunctis, de elect.* Trident. *sess.* 24. *c.* 12. *capit. licet canon, de elect. in* 6. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14 *n.* 1.

17 *Quarta Scientia.*

Quarta, *Scientia*, & quidem tanta, quanta, ad munus beneficio annexum ritè obeundum, sit necessaria. In particulari autem ad beneficium simplex exigens primam tonsuram, requiritur vt beneficiarius sciat legere, scribere, ac construere, ac fidei rudimenta calleat. Ad simplex exigens minores Ordines, necessaria est latinæ linguæ scientia, & vt habeat bonum testimonium à Parocho, & Scholæ, vbi educatus est Magistro. *c. cum in cunctis, de elect.* Nau. *de orat. miscel.* 43. *n.* 3. Trident. *sess.* 23. *c.* 5. & 11. qui Quidem *sess.* 22. *c.* 2. statuit, vt qui futurus sit Episcopus, sit Doctor, vel licentiatus in Theologia, vel iure Canonico; aut saltem publico alicuius Academiæ testimonio, ad alios edocẽdos idoneus ostendatur. Eædem qualitates requiruntur in creandis Cardinalibus, & Archidiaconis: in cæteris verò nil certi præscribitur, sed quisque debet esse instructus scientia suo muneri necessaria: quæ nũ adsit, iudicabit Episcopus, & examinatores, quia nemo sine examine ad quodcumq; beneficiũ debet admitti. Vnde collatio beneficij omnino illiterato facta, est irrita. Qualis nullatenus quit suo muneri satisfacere. Fil. *tr.* 41. *c.* 5. *q.* 8. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 6. *cap. cum nobis de elect. cap. licet canon, de elect. in* 6.

18 *Quinta Probitas morum.*

Quinta, *Probitas morum*, hoc est, vt non sit beneficiarius grauibus criminibus innodatus, nec infamis, quia iure naturali minister Dei & Ecclesiæ maximè probus debet esse, cum monitis, exemplo, & pijs precibus alios debeat in pietate promouere. Non est autem ipsoiure irrita collatio beneficij criminoso, seu infami facta, modo crimen non habeat annexam excommunicationem aut irregularitatem, quia nullus adest textus continens prouisionis nullitatem: licet sit irritanda ab eo, qui ad id habet potestatem ex *cap. Inter electos, de excessibus Prælat.* lege *cap. cum in cunctis, de elect.* Trident. *sess.* 24. *c.* 12. Nauar. *sum. c.* 27. *n.* 251. Azorius *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7.

19 *Sexta Cœlibatus.*

Sexta, *Cœlibatus*: coniugati enim capaces nõ sunt beneficiorum, quia prohibiti sunt ordines susscipere. Tamen si quis duxerit virginem, & consentiente vxore, castitatem voueat, posset ad beneficiũm admitti: & tunc si vxor sit iuuenis debet antè Religionem inire; si autem prouectior, saltem vouere in sęculo castitatem. Hinc si Clericus minorum ordinum habens beneficium, contrahat valide matrim. ipso inre illud amittit: si vero contrahat tantũ sponsalia non amittit ipso iure, quãuis priuari eo mereatur si autẽ Clericus sit in sacris, & contrahat, non amittit ipso inre, sed est priuandus, quia matrimoniũ est irritum, *cap.* 1. & 2. & 8. *de cleric. coniug.* Nauar. *sum. c.* 25. *n.* 120. Les. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 115. Filliuc. *tr.* 41. *c.* 5. *q.* 5.

20 *Septima sine censura impedimento.*

Septima, *vt non sit vlla censura irretitus.* collatio enim beneficij facta excommunicato maiori excommunicatione, aut suspenso, aut interdicto, est nulla: imo etiam electio, præsentatio, & postulatio excommunicati, suspensi, & interdicti, resignatioque in eius fauorem facta, est irrita; quod intelligo in omnibus beneficiis præter papatum, *cap. Postulastis, de cleric. excom. cap. cum dilectis, de consuet. cap.* 1. *de postulat. Prælat.* Couar. *ad cap. Alma mat. p.* 1. §. 7. *num.* 1. & 2.

Octava

21 *Octaua, Habilitas ex parte corporis*

Octaua *Habilitas ex parte corporis*, quæ necessaria sit ad decenter præstandum officium, Vnde impotentes ad munia ordinum exercenda, sunt iure naturali beneficiorum incapaces. Tales sunt, qui manibus carent, vel cœci, vel muti, vel perpetuo amentes. At si debilitas aliqua superueniat, per quam quis ineptus ad officium reddatur, non ideo beneficio antea obtento priuatur, sed potest eo libere potiri. *cap. Nisi, de renunciat.* Azor. *p.2.l.6.c.2.* Filliuc. *tr. 41.c.5.q.2.*

22 *Nona, Intentio Ecclesiastici status.*

Nona denique, *Intentio determinata Ecclesiastici status*, & ordinis requisiti in tali officio. Quia absurdum esset dari Ecclesiastica beneficia iis, qui adhuc fluctuant, nec decreuere, se se Ecclesiæ ministerio dicare. Satis autem existimo, si quis sincere, ac bona fide fide proponeret statum Ecclesiasticum inire, nec velit ab eo resilire proposito, nisi causa aliqua iusta inciderit. Hinc qui accipit beneficium eo tantum animo, vt eius alatur fructibus, donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, cum animo tunc illud deserendi, peccat mortaliter, nec retinere potest; non tamen ad restitutionem obligatur fructuum, si muneri suo satisfecit, nec est ipso iure priuatus, nisi sit Parochiale beneficium. Nau. *sum.c.25.n.118.* Azor. *p.2.l.6.c.9.* Filliuc. *tr.41. n.42.* Sotus *de iust.l.10.q.5.a6.*

CAPVT IV.

De *Beneficiorum pluralitate.*

23 *Pluralitas beneficiorum conceditur ipsem ob causas.*

Septem ex causis iure Canonico pluralitas beneficiorum conceditur. Prima est, quando exiguos reditus habent. Secunda, quando vnum beneficium est alteri coniunctum, & vnitum. Tertia, quando Clericus idoneus non inuenitur. Quarta, quando vnum in titulum, alterum in commendam datur. Quinta, quando vnum habet animarum curam actu, aliud habitu tantùm, quia ob aëris intemperiem, vel bellum populus abscesserit. Sexta, quando ex consuetudine duo beneficia simul possidétur. Septima ratione iustæ ac debitæ indulgentiæ videtur superioris authoritas ex causa dispensare. *Cap. vnio 10.q.3. Cap. Eam te, de etate. Cap. Clericus 21. q.1. Cap. Qui plures 21.q.1. Cap. licet canon, de elect. in 6. Cap. Sanctorum, dist.70.*

24 *Quæ sint beneficia incompatibilia primi generis*

Aliqua beneficia sunt iure compatibilia, alia incompatibilia. Compatibilia dicuntur, quæ vel iure communi, vel saltem consuetudine simul haberi queunt. Incompatibilia verò, quæ nec iure, nec consuetudine simul quis habere potest. Talia sunt quę habent animarum curam siue in foro conscientiæ tantum, vt Parochiæ, siue in foro contentioso, vt Episcopatus, Archiepiscopatus Patriarchatus, &c. Et beneficia, quæ dicuntur dignitates, personatus, vel officia, quæ requirunt residentiam, ac personarū distinctionem. Et Canonicatus, ac portiones in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis sæcularib. vel Regularibus Et alia sunt incompatibilia ex conditione, nimirum sub eodem tecto, hoc est, beneficia, quæ in eadem Ecclesia haberi nequeunt. Hæc beneficia incompatibilia primi generis vocitantur. Trident. *sess.7.c.4:* Azor. *p.2.l.6.c.10.q.1. Cap. Quia in tantum, de prabend. Cap. Gratia, de rescript. in 6. Cap. Quia nonnulli, de Cleric. non resid. cap. litteras, de concess. præben.*

25 *Quæ secundi generis?*

Incompatibilia secundi generis sunt, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, tamen non ita pugnant, vt alterum vacet, altero obtento. Talia sunt ea quæ beneficia residentiam postulátia, quæ sine graui peccato simul retineri non possunt. Less. *l.2. c.34.n.140.* Filliuc. *tr.41.num.43.*

26 *Papa potest in plusralitate beneficiorum dispensare.*

Papa in pluralitate beneficiorum potest dispensare, libere quidem, vbi tantum esset contra ius cómune. Quia est supra illud. Vbi autē est in pluralitate iustis de causis; huic enim iuri Papa subiicitur. beneficiorum dispensare. Profectò tres dispensandi iustas causas annumero prima est, iusta Ecclesiæ necessitas. Secúda, pia eiusdem vtilitas. Tertia, euidens prærogatiua meritorum, quæ in maius commodū, ac vtilitatem Ecclesiæ cedat. Per prærogatiuam meritorum intelligo generis nobilitatem, dignitatem personæ, egregiam litteraturā, industriam, prudentiam, virtutem. *cap. dudum 2. de elect. cap. de multa de prabend.* Nau. *sum.c.25. n.125.* Azor. *p.2.l.6.c.12.* Sylui. *2.2.q.63.a.2. quæst.3.concl.7.*

27 *Legatus aliquando potest & Episcopus.*

Papæ Legatus potest etiam in pluralitate beneficiorū dispensare, sed cū limitatione. primò, vt Episcopatus non sint, dignitates, aut curata. Secundò, vt congruam sustētationem non excedant. Tertiò, vt sub eodem tecto non adsint. *cap. de multa, de prabend.* Filliuc. *tr 41. n. 38.* Episcopus potest etiā dispensare cū eisdem tribus limitationibus. Præterea si duo beneficia sub eodem tecto dissimilia sint, & vnum non sufficiat ad congruam sustentationem, poterit dispensare: si vero similia sint sub eodem tecto, nec Legatus, nec Episcopus poterit. Et ita refert declarasse sacram Cardinalium congregationem Garcia *de benef. p.11.c.5.n.377.* Lege *cap. sanctorum, dist.70.* Ioan. Andr. *c.1. de consuet. in 6.* Azor. *p.2.l.6.c.12.q.6.*

28 *In conscientia scientia nō est tutus qui plura beneficia curata possidet.*

Qui autem per dispensationem plura beneficia curata obtinuit, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare, si non putetur subesse legitima dispensandi causa, & sequatur animarum damnum ex prælati absentia, etiamsi per vicarios administretur: vel detur ob id scandalum populis. Vnde talis absoluendus non esset, nisi vno retento, reliqua dimittat. Idem dixerim de eo, qui, causa iusta non existente euidenter, obtinuit plures dignitates, personatus, Canonicatus, & alia huiusmodi, quæ residentiam requirūt. D. Tho. *quodlib.9.a.15.* Caiet. *v. Beneficiorum multiplicatio,* Tolet. *l.5.c.81.n.4.* So. *l.1. de iust. q.6.a.3:* Less. *l.2.c.34.n.151.* Qui vero obtinuit alia beneficia simplicia, secluso scandalo, potest a Cōfessario absolui, cui quidem lib rum est probabilem Canonistarum doctorum opinionem sequi Azor. *1.6.c.12.q.11.* Filliuc. *tr.41.n.40.* Less. *l.2.c.34.n.151.*

CAPVT V.

De Beneficiorum Collatoribus.

29 *Pontifex generalis est beneficiorũ collator, qui tribus modis potest ea conferre.*

PRÆSVL sũmus est generalis collator habens generalem potestatem conferendi omnia beneficia in quacumque Diœcesi. Quia est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, & omnium Episcoporum, & ecclesiasticorum superior, atque adeo Ordinariorum orbis totius Ordinarius. Triplici autem modo potest beneficia conferre. Primò, iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiam expectatiuam ad beneficium primò vacaturum. Secundò, concurrendo cum aliis collatoribus. Necesse autem est, vt in hoc casu reseruet, vel conferat beneficium ante ordinarium: alioqui collatio ordinarij valida erit; & hac ratione etiam legatis à latere solet concedi, vt beneficia conferant. Tertiò, iure deuoluto, vt quando ratione criminis, v. grat. ob simoniam confidentiæ, vel ratione negligentiæ collatoris, ius conferendi deuoluitur ad pontificem ex canonum dispositione. Eodem iure sæpe confert Episcopus, quando inferiores collatores sunt negligentes. Glos. *ad Cap. Felicis, §. sit. de pœnis in 6. Cap. Per principalem 9. q. 3 Cap. Dudum, de prab. in 6.* Rebuf. *in praxi, §. de deuolut. num. 46. Cap. Quia de concess. præben.* Fillinc. *tr. 41. n. 12.* Pius IV. *in Bul. Ad Romanum Pont.*

30 *Quæ beneficia debeãt intra sex menses conferri?*

Dignitates infrà Episcopatum & Abbatiã & alia beneficia regulariter conferri debent intra sex menses, alioquin deuoluuntur ad superiorem. Similiter Patronus laicus intra quatuor menses non præsentet, & Ecclesiasticus intra sex, beneficium efficitur liberum, cuius que dispositio ad eum, cuius est instituere, deuoluitur. *Cap Nullus, de concess prabenda cap. vni. de iure patronat in 6.*

31 *Episcopus in propria Diœcesi est omnium beneficiorum collator.*

Summus Præsul rarius vtitur iure præuentionis, & concursus, ad vitandas confusiones, ac lites: ideoque in multis Ecclesiis sibi certos menses reseruauit, quibus confert, reliquis ordinario relictis. Quapropter nisi ex fundatione beneficij, vel ex legitima præscriptione ius conferendi alteri competat, vt capitulo, decano, præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico, in quacũque Diœcesi Episcopus est proprius omnium beneficiorum collator. Quia hic sua in Diœcesi est Sacrorum moderator. vnde ad eum spectat omnes Ecclesiæ Ministros constituere, & officia sacra conferre. *Reg. 8. Cancel. Cap. omnes Basilicæ 16. q. 7. C. Nullus 16. q. 7.* Fillinc. *tr. 41. n. 24.*

32 *In curia Romana si adsit, ea nequit conferre, sed pertinet ad Papam illatio.*

Est consuetudine receptum, vt Episcopi in Curia Romana existẽtes, non possint vlla beneficia cõferre in propria Diœcesi vacãtia, sed necessarium esse, vt Curiam exeant ad ea conferenda. Possunt tamen in Diœcesi aliena; quæ autẽ in Curia vacauerũt, pertinent ad Pontificis dispositionẽ. Talia sunt eorũ, qui de Curia sũt Romana: & eorũ, qui Romę moriũtur, aut propè Romã ad duas dietas, id est, quadraginta miliaria Italica: & eorũ qui ibi resignant. *Reg. 1. Can el. Extrau. Ad regimen. de prabend.* Fillinc. *tr. 41. n. 10.* Malder. *2. 2. tr. 9. a. 2. dub. 4.*

33 *Capitulum sede vacãte non confert beneficia libera, sed necessaria.*

Et si Capitulum sede vacante vice Episcopi fungatur in iis omnibus, quæ iurisdictionis ordinariæ sunt, non tamẽ ei succedit in libera & gratiosa beneficiorũ collatione, sed in necessaria, & debita. Vnde non potest cõferre beneficia spectantia ad solum Episcopum, vel ad ipsum ex consensu, ac consilio Capituli. Nec potest præsentare, nec eligere, quando præsentatio, aut electio ad Episcopũ spectabat. potest tamen instituere, & cõfirmare electos, & præsentatos, & gerere alias collationes necessarias, vt quæ debitæ sunt certis personis, vel certo personarum generi ex fundatione, vel dotatione. *Cap. Illa, ne sede vacante. cap Si ad Episcopũ, resid. vac. in 6. c. 1. de instit. in 6* Mald. *2. 2. tr. 9 c. 2 dub. 4.* Azor. *to. 2. l. 3 c. 38.* Lel. *l. 2. c. 34, dub. 10. n. 50.*

34 *Quid vicarius generalis possit in beneficiis conferendis, non possit.*

Non potest Vicarius generalis episcopi beneficia cõferre nisi de speciali mandato. Quia ea, quæ sunt iustitiæ, & necessitatis, eaq; quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non tamen, quæ sapiunt gratiam potest expedire: At collatio beneficiorum est mera gratia, cum sit donatio quædam. Mandatum autem speciale habere dicitur, si in eo adiecta sit generalis clausula, *Et ad omnia alia, etiam si mandatum exigatur speciale.* Licet vero Vicarius præsentare non possit, potest tamen electos, & præsentatos cõfirmare, ac instituere. Quia hoc est iustitiæ, ac necessitatis. *cap fin. de offic. vicar. in 6* Azor. *p. 2. l. 3 c. 44. q. 1. 4 & 5.* Fillinc. *tr. 41. n. 48. & 49.*

35 *Quid laicus, vel femina?*

Denique laici ius non habent beneficia conferendi, nec instituendi, nec confirmãdi; nec id possunt comparare præscriptione, vel consuetudine, quamuis immemorabili. Possunt tamen Papæ priuilegio, quod fuit aliquando nonnullis Imperatoribus ac Regibus concessum. Laicus verò habet ius præsentandi ad beneficia vacantia, quod ius vocatur *Ius patronatus*, de quo superius. Quod quidem ius potest acquirere, & habere fœmina, & si sit hereditarium, in illam etiam transit: sicut etiã relictum his, qui sunt de familia, saltem vbi fœminæ succedunt *cap cum ex eo, de elect in 6. c. vni. de iure patronat. in 6* Azor. *to. 2. l. 6. c. 15. q. 19. a. fin. de concess præb. cap. Ex literis, de iure patron.*

CAPVT VI.

De his, quibus Beneficia sint conferenda.

36 *Dum dignus adest, non potest beneficium indigno conferri. Quis dignus? quis indignus? quis iure sit?*

NVNQVAM beneficium indigno est conferendũ quãdo dignus adest. Indignus autẽ dicitur, qui vel est irregularis ex ignorãtia, seu insipientia, ex morbo, vel infamia; vel non putatur futurus vtilis, nec aptus officio. Vnde collator ad conscientiæ securitatẽ debet scire, eũ, cui confert, esse dignũ: nec satis est nescire, indignũ esse. Quia ex officio tenetur dignũ illud conferre. Dignus autẽ dicitur, qui omnib. cõsideratis, putatur optimè satisfacturus Ecclesiæque vtilis futurus. Potro in

in cap. cum in cunctis, de elect. Tria requiruntur, vt quis beneficio curato dignus censeatur, nempe *ætas* conueniens, *probitas* morum, ac debita *scientia*. Et ipso iure suspenduntur ab electione, pro illa vice, eligentes indignum, & triennio a suis beneficiis. Filliuc. *tract. 4. c. 4. qu. 7.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 12. cap. Graue nimis, de prabend.*

37 *Quinque in casibus licet beneficia digno conferri præmisso digniore.*

Licitum est in quinque casibus prætermisso dignitori, digno conferre beneficium. Primo, si Patronus laicus præsentet dignum, huic debet conferri si vero beneficium curatum, & Patronus Ecclesiasticus, tunc dignissimo est dandum, *cap. Monasterium, 6. q. 7.* Tridentin. *sess. 24. c. 18.* Secundò, si beneficium sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido, vel si Canonum decreto sit eligêdus aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, tunc aptissimo inter eos dandum est, non aliis etsi aptis, *cap. Nullus, cap. obitum, dist. 61.* Conar. *Reg. peccatum p. 2. §. 7.* Sylu. *2. 2. q. 63. a. 2. quæstiunc. 4. c. 5.* Tertiò, si aptiores reseruandi sunt beneficiis parochialibus, eo quod pauci bene idonei ibi reperiantur, tunc beneficia sine cura quamuis optima debent minus digni conferri. Filliuc *tract. 41. n. 176.* Lessi *l. 2. c. 34. nu. 59.* Quarto si plures sunt electores, & paucorum suffragia in dignissimum inclinent, tunc si meum suffragium nihil esset dignissimo profuturum, vt non eligatur indignus, vel minus dignus: teneor, omisso dignissimo, conferre illud in digniorem, vel saltem in dignum Filliuc. *tr. 41. n. 176.* Diana *p. 3. tr. 5. resol. 110.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 60.* Quintò denique, resignans in fauorem alterius, satis est, vt quærat dignum, & sic fert recepta consuetudo qua cum resignans non sit distributor, si iure permittatur in fauorem resignare, potest cuicumq; digno voluerit. Diana *p. 2. tr. 1. resol. 41.* citans Reginaldum, & Malderum.

38 *Beneficia conferenda dignissimis.*

Electores, præsentatores, & collatores semper tenentur, quantum in ipsis est, procurare, vt dignissimis beneficia conferantur quia primario instituta sunt ad cultum Dei, & Ecclesiæ vtilitatem: secundario vt sint præmia virtutis: at si omittatur dignior, contra vtrumque finem delinquetur. D. Th. *2. 2. qu. 63. a. 2, & 7. 185. a. 3.* Nauar. *ad cap. si quando, de rescript. except. 16. n. 10.* Vnde in beneficiis curam animarum habentibus, vel aliam magni momenti in Ecclesia functionem, eligere, postulare, aut præsentare dignum, omisso digniore, qui in promptu adest, est lethale peccatum, imo qui digniorem omittit, agit in re grauissima contra fiduciam ex officio Ecclesiæ debitam. Triden. *sess. 24. c. 1.* Conar. *ad Reg. peccatum, p. 2. §. 7.* Filliuc. *tr. 41. n. 178.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 64.* Az. *1. p. 2. l. 6. c. 15. q. 1.*

39 *Papa & Reges non tenentur, digniores diligere, nisi in promptu sint.*

Qui habet ius conferendi beneficia per prouisionem liberã, vt sunt Papa, & Reges, non tenentur digniores eligere, nisi in promptu sint; sed sufficit eligere dignos: quia alioquin sæpe tenerentur digniorẽ quærere, quod a sũmo præsule, & a Regibus duorũ esset exigere. Regin. *l. 30. n. 179.* apud Dian. *p. 2. tr. 1. resol. 40.*

40 *Quid in beneficiis simplicibus.*

In beneficiis verò simplicibus, vt canonicatibus, capellaniis, & aliis præter dicta, non censetur peccatum mortale, semel aut bis prætermittere digniorem, eligendo dignum si verò passim fieret nullo delecto, vt digniores assumantur, lethale quidem esset. Quia quod semel vel iterum dignior prætermittatur in huiusmodi beneficiis, non censetur notabile Ecclesiæ incõmodum; paucorum enim mediocritas poterit aliorum integra sufficientia compensari (scio à doctis absolutè censeri peccatum lethale nunquam esse, si in huiusmodi beneficiis, quæ curam animarum non habent, dignus, relictè digniore, assumatur, de quo *sect. 2.* Nauarra *2 de rest. c. 2. n. 148.* Sà *v. Beneficium n. 42.* Arag. *2. 2. q. 63. a. 2.* Angel. *v. Electio. n. 20.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 66.*

41 *In beneficiis quæ dantur per concursum mortale est cum obligatione restituendi, dignioremomittere.*

Profectò in beneficiis, quæ per oppositionem, & in concursu dantur, digniorem omittere, lethale est cum obligatione ad damni restitutionem, prudentum iudicio, quia tunc dignior habet ius strictum ex Triden. *sess. 24. c. 8.* & aliquorum Canonum lege: ergo si illi iniuria. Attamen debet esse talis notabiliter dignior arbitrio prudentum. Nauar. *sum. c. 17. n. 74.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 75.* In aliis verò beneficiis non est agenda restitutio, quia dignior non habet ius strictum ad illud, sed largum duntaxat, consistens solùm in maiore aptitudine, vndè non fit ei propriè iniuria. Si autem beneficiarius idoneus non sit, tenebitur is, qui procurauit, ad restitutionem, non quidem digno, sed Ecclesiæ, quæ debito ministro caruit, vel etiam damnum accepit. Quod si nullum damnum accepit, ad nihil author tenebitur. Conar. *ad Reg. peccatum p. 2. §. 7. n. 7.* Sotus *l. 4. de iust q. 6. a. 3.* Filliuc. *tr. 41. n. 185 & 184.* Nauar. *c. 17. n. 72.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 76.*

CAPVT VII.

De modis, quibus Beneficia amittantur.

42 *Beneficium amittitur per mortem naturalem, aut ciuilem. Et per alterius incompatibilis affectionem.*

EX iuris dispositione quatuor ex causis beneficium amittitur. Prima est sine delicto beneficiarij, nempe per naturalem ipsius obitum, per mortem ciuilem, id est, per ingressum & professionem expressam, vel tacitam in approbata Religione emissam: & per matrimonium validum, licet consummatum non sit. *cap. beneficium, de reg in 6.* Lessi. *l. 2. c. 34. n. 187.* Layman. *l. 4. tr. 2. c. 17. n. 1.* Per matrimonium vero inualidũ, non priuatur ipso iure contrahens, sed priuandus est per sẽtentiam. Secunda amittitur propter alterius beneficij incompatibilis assecutionem. Azor. *p. 2. l. 7. c. 16.* Paris *de resignat. l. 1. q. 6. n. 118.*

43 *Et per vnũquodque ex quatuor delictis.*

Tertio admittitur ipso iure ob crimina sequentia. Ob hæresim, nec prodest triennalis possessio. Ob schisma. Ob Episcopi Cardinalis percussionem. Ob homicidium qualificatum, nempe per sicariũ pretio conductũ. Ob falsificationem litterarum Apostolicarum. Ob sodomiam sæpius exercitam. Ob Rectoris vel alius clerici Ecclesiæ, in qua beneficium adest, per se, aut per alium occisionem. Ob acceptum aliquid ab examinatoribus pro examine ad parochiale. Si obtinens Episcopatum, non accepit consecrationem intra tres menses à pacifica possessione, si ob id non Parochiale non fuerit promptus ad sacerdotium intra

annum. Si quis duo incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit absque dispensatione, amittit etiam secundum, si Prælatus, vel administrator bona Ecclesiæ, vel Monasterij alienet absque forma à iure præscripta, vel Romano Pontifice inconsulto. Denique si quis vi posessionem fuerit ingressus. In his, ac similibus casibus, vbi hæc iura non sunt vsu abrogata, beneficium impetrari potest tanquam vacans: sed crimen est probandum. Ipse tamen beneficiarius non tenetur sua sponte antè sententiam beneficium dimittere. Azorius *p. 2 l. 7. c. 17.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 34.* Filliuc. *tr. 41. num. 15.* Laym. *l. 4. tract. 2 cap. 17. à num. 1.*

44 *Et per Iudicis sententiam.*

Quintò vacare potest per Iudicis sententiam: Propterea ob quinque crimina meretur quis per Iudicem suo beneficio priuari. Primum est, quia non residet. *Cap. conquerente de Cler.* Secundum, si sit homicida. *Cap. Cleric. ne Cleri. vel.* Tertium, si sit publicus concubinarius. Trident. *sess. 25. nu. 14.* Quartum si sit periurus. *Cap. Querela de iureiur.* Quintum, si blasphemus in Deum, vel sanctos. *Cap si quis per capillum 22 q. 1.*

CAPVT VIII.

De pensione.

45 *Quid pensio, & in quo à beneficio differat?*

PEnsio est *ius certæ ad tempus exigendæ vel soluendæ portionis ex determinato beneficio, aut à beneficiario Ecclesiasticum beneficium possidente.* Differt à beneficio maxime in duobus. Primò, quod pensio sit pars quædam iuris beneficialium redituum alteri constituta, & designata. Secundo, quod beneficium in perpetuum ministrorum vsum suapte natura constituitur: quamobrem morte, vel renunciatione beneficiarij vacat, & alteri conferri debet; pensio autem ad tempus decernitur, ita vt vel renunciatione, vel morte pensionarij omninò finiatur, sicuti vsusfructus vsufructuarij morte. Azor. *p. 2. l. 8. c. 5. q. 1.* Sylui. *2. 2. q. 100. a. 4. concl. 1.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 37.* Filliuc. *tr. 42. n. 2.*

46 *Duplex est Laica & Clericalis, & Clericalis etiam est duplex*

Duplex est pensio *Laica & Clericalis.* Laica dicitur, quæ ob aliquam temporalem causam constituta, laico etiam competere potest, vt quæ datur Ecclesiæ Oeconomo, Cantori, Patrono, Defensori. Clericalis vocatur quæ solis Clericis confertur. Hæc rursum est duplex, vna simpliciter spiritualis, quæ Clerico ob spirituale ministerium datur, vt concionatori, Parochi Vicario. Altera media, siue mixta, quæ in Clericali statu fundatur, tamen non ob spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, eamque vel lucrosam, vt quæ Clerico pauperi, vel Parocho seni, loco alimentorum assignatur; vel onerosam, vt quia aliquis lite beneficiatia cedat; vel quia beneficium alteri resignat, seruata sibi authoritate Episcopi, pensione: vel quia beneficium suum cum altero tenuiore permutat. Bonac. *de simon. d. 1. q. 4. §. 13. num. 1. & 2.* Filliuc. *tr. 42. n. 5. & 6.* Azor. *tom. 2. l. 8. c. 3. q. 5.* Tolet *l. 5. c. 82.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 18. n. 2.*

47 *De iure communi Pontifex solus Episcopus in nonnullis casibus potest pensiones imponere.*

Nullus potest de iure communi pensiones imponere, nisi summus Pontifex in certis tamen casibus, consuetudine iam præscripta, & ex iusta causa Episcopi eam constituere possunt. Primò, si assignetur seni Parocho non valenti amplius deseruire, vt alatur. Secundò, si causa transactionis in lite. Tertiò, si causa permutationis ob fructuum inæqualitatem. Causa vero simplicis resignationis Episcopo id non concesserim, nisi resignans esset senex, & ad præstandum officium ineptus: vel nisi aliqua rationabilis causa intercederet. In his verò casibus non potest eam constituere nisi ad vitam eius, cui assignatur: obligatio tamē pēsionis solnēdæ ad successorē tranit, quamdiu pensionarius est superstes. Nauar. *l. 5. consil. 22. num. 4.* Laym. *l. 4. tr. 2. cap. 18 num 3.* Filliuc. *tr. 42. n. 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 24. n. 37.* Sa *v. Pensi., n 5.*

48 *Et legans à laico.*

Possunt etiam legati à latere, eodem modo, quo Episcopi, pēsiones imponere; nec sēper requiritur causa iusta, hoc est, qua fit ex iustitię debito, requiritur tamen semper iusta, idest, æqua, & rationabilis in ponente. Quinimo vt inferior summo Prælati validè pensiones imponat, debet semper causa iusta interuenire, idest legitima, qualem scilicet leges præscribunt, quæ in Pontifice, cum sit supra legem, non requiritur tamen in eo iusta, idest, rationabilis, vt non peccet imponendo. Vnde pensio ex falsa causa concessa nulla est, si fuit motiua, & principalis; secus si impulsiua solùm & mere accessoria. Azor. *to. 2. l. 8. c. 6. q. 2.* Filliuc. *tr. 42. à n. 6.*

49 *Quinam ad pensionem obtinendam inhabiles.*

Summi Prælatis respectu haud datur exceptio personarum non habilium ad pensiones; sed omnibus personis tam veris, quàm fictis possunt ab illo conferri, vt fœminis, infantibus, irregularibus, &c. Regulariter tamen inhabiles sunt ad pensionum obtinendam, Clericalem præsertim, quicumque sunt inhabiles vel absolutè, vel durante impedimento, ad Clericalē statum: & qui habiles non sunt ad officium recitandum. A pensione verò laicali nulla persona lege positiua excluditur. Flam. *de confid. q. 3. & 27. num. 167* Azorius *par. 1. secund. l. 8. cap septim quæst. 12.* Gracia *de benef. p. 1. c. 5. n. 134.*

50 *Obligationes pensionarij recusantis.*

Pensionarij accipe obligationes. Sine causa pensionem exigens tutus est in conscientia, si pensio sit à summo Præsule imposita: si verò ab inferioribus, non poterit illam exigere. Tenetur tamen parum Deiparæ officium recitare: quod si illud omittat, fructus suos non facit, & ad restituendum tenetur. Debet pro rata pensionis soluere onera superuenientia beneficij fructibus ab eo, qui potest imponere, nisi pensio sit reseruata, libera, & ab omni onere exempta; tunc enim tantum titularis ad illa tenebitur. Obligatur demum ad tonsuram, & habitum Clericalem ex constitutione Sixti V. si pensionem exigit, & pensio sexaginta excedat. Filliuc. *tr. 42. n. 1. & 2.* Nauar. *c. 25. n. 122.* Gracia *de benef. p. 1. c. 5. n. 142.*

51 *In materia pensionis potest contrahi.*

Ad quatuor placula reduxerim, quæ in materia pensionis possunt committi, nempe ad *iniustitiam, iniquitatem, simoniam, & confidentiam.* Contra iustitiam itaque potest ratione

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mitti peccatum iniustitiæ.

laris peccata omnia patrare; quæ potest in solutione debiti debitori: quæ quidem ad duo capita reducuntur, nempè calumnioſam negationem debiti, ac moroſam illius ſolutionem. Penſionarius etiam contra iuſtitiam delinquit; ſi exigat ſine iuſto titulo, vel ſi cauſa non verificata ob quam data fuit penſio; vel ſi non verificata narrata conditione, & id in titularis præiudicium: vt cum narratur, beneficium grauatum maioris valoris eſſe, quam vere ſit. Filliuc. *tr.* 42. *n.* 1. & 2.

52 *Et iniquitatem interuertere.*

Peccat contra æquitatè penſionarius, ſi, beneficiario omnino grauato, vel exiguos fructus colligente, integram penſionem velit exigere, quod ſit in omni caſu integrè reſeruata. Delinquit etiam, ſi ſuper quotidianis diſtributionibus penſionè cõſtitutã pergat integram exigere, licet beneficiarius nullos alios fructus ex aliquo caſu percipiat, quam quos ſolutioni penſionis impẽdit. Filliuc. *tr.* 42. *n.* 2.

53 *Et ſimonia inesse.*

Simoniacè peccare poteſt poſt Pij & Sixti V. conſtitutionem latam contra eos, qui putant penſionem eſſe quid mere temporale, proindeque circa eam non poſſe ſimoniam interuenire. Sayr. *de cenſur. capite quinto num.* 15. Aragon. 2. 2. *queſt.* 100. *articul.* 4. Simonia autem hæc in penſionibus interueniens illicita eſt, quia prohibita non è contra; per Papam enim poteſt auferri; quod non eſſet, ſi prohibita eſſet, quia illicita. D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a* 4. Verum ſimonia hæc in penſionibus commiſſa nullas pœnas inducit, quoties pure committitur circa penſiones, non circa beneficia, cum ſcilicet de illis paciſcitur quis ſine vlla ad beneficia relatione. Nauar. *c.* 23. *num.* 111. Corduba *l. prim. quæſt.* 21. Filliuc. *tr.* 42. *n.* 6. & 7. Penſio autem, quæ datur ad officium aliquod ſpirituale, non poteſt pretio vendi abſque vitio ſimoniæ, nec etiam redimi: talis eſt penſio quæ datur Concionatori, vel adiutori Epiſcopi. Penſio verò illa, quę fundatur in titulo merè temporali poteſt redimi, & vendi pretio ſine ſimonia. Quia nec in titulo ſpirituali fundatur, nec ad ſpiritualem functionem refertur. Bonac. *de ſimon. d.* 1. *quæſt.* 4. §. 3. *num.* 3. & 4. Leſſius *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. *num.* 122. Vict. *relect.* 1. *de ſimo. num.* 4. & 5. Non habens facultatem transferendi, nullatenus poteſt de penſione, quoad ius exigendi fructus, contrahere, illã vendendo, permutãdo, &c. Vnde qui ſic transfert, peccat cõtra iuſtitiã, & cõtra Religionẽ. At cõmoditas, quæ ex penſione oritur, poteſt vendi, & aliter in commercium deduci. Quia hæc commoditas non eſt ſpiritualis, eo quod ſit ſpirituali penſioni annexa, nam penſio non eſt ex ſe ſpiritualis, ſed quia annexa ſpirituali: acceſſorium enim acceſſorij non ſequitur principalis naturam, ſed tantum principalis acceſſorium. Leſſi *l.* 2. *capit.* 35. *dub.* 22. Nauar. *de ſimon. conſ.* 6. Flam. *de conſid. q.* 24. Qui verò poteſt transferre penſionem, non poteſt id agere, accepto pretio ſine ſimonia: Quia verè dat aliquid ſpirituale pro temporali recipiendo. Vnde peccat, qui transfert penſionem, reſeruata ſibi, dum vixit, omnium fructuum exactione: aut qui penſionem transfert, accepta quacumque pecunia in pretium, & ex pacto, ſiue pro ſe, ſiue pro aliis. Tolet. *l.* 5. *cap.* 81. & 92. Valent. *tom.* 3. *d.* 6. *quæſt.* 16. *pun.* 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 47.

Quando denique penſio ceditur, transfertur, conferturve cum confidentia vitioſa, interueniente pacto de exactione omnium, vel partis fructuum in fauorem confidentis, aut alterius non eõmittitur confidentia ſimoniaca prohibita Pij, ac Sixti V. conſtitutionibus, quia illæ ſolum loquuntur de confidentia beneficiali. Quando autem penſio conſtituitur in caput vnius ad fauorem, ac commodum alterius, ad illum ſpectat obligatio vitæ Clericalis, & officij recitandi, quia verè eſt penſionarius, nempe qui habet ius penſionis, & non commodum. Filliuc. *tr* 42. *c.* 9. *quæſt.* 12. & 13. Flam. *de conſid. q.* 23. & 24. Leſſius *l* 2. *cap.* 35. *dub.* 12.

54 *Conuenit vitioſa interceſſio, non ſemper delinquitur.*

Penſio debet eſſe moderata, vt tantum maneat beneficiario, præſertim Eccleſiæ Rectori, quantum neceſſarium ſit, vt commode ſe poſſit ſuſtentare, officiumque miſericordiæ erga pauperes, & hoſpitalitatis erga peregrinos valeat exercere, aliaque ſibi incũbentia onera præſtare. Conſuetudine autem iam fere eſt introductum, vt nomine penſionis ex beneficio tertia reditus pars extrahatur. Corduba *l.* 1. *q.* 21. *d.* 2. Leſsius *l.* 2. *c.* 34. *num.* 206. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 18. *nu.* 6. Sylui. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *concluſ.* 5.

55 *Penſio debet eſſe moderata, non excedens.*

SECTIO SECVNDA.

De Beneficio, ac Pensione Dubia.

CAPVT IX.

Circa Beneficiorum Ecclesiasticorum naturam, conditiones, & effectus.

DVBIVM I.

An quælibet prælatura curam animarum habens comprehendatur, sub nomine dignitatis Episcopalis, ad quam Regularis absque vlla dispensatione potest promoueri?

56 *Nonnulla præmitto de beneficiis Regularibus.*

PRÆMITTO, sæculares incapaces esse Regularis beneficij, iure antiquo spectato, *cap. cum beneficio, de prabend. in* 6. Attento autem Tridentin. *sess.* 14 *cap.* 10. Sæcularibus conferri posse beneficia Regularia, quæ administrationem non habent si acceptando beneficium, habitum illius Religionis suscipiant, seque obligent professionem emittere. Item beneficium Regulare dari non esse sæcularibus neque Religiosis alterius Ordinis ab eo, cuius est beneficium. Et si beneficium per Religiosos vnius Ordinis administratur, nō posse alij eiusdem Ordinis concedi quoad beneficia verò sæcularia simplicia certum est, non posse Regularem assumi: ad dignitatem vero Episcopalem posse, *cap. Quorundam, cap. si Religiosus, cap Nullus Religionis, de elect. in* 6. Quæsierim autem, an nomine dignitatis Episcopalis comprehendatur quælibet prælatura curam animarum habens.

57 *Comprehenditur.*

Comprehenditur communiter quia procedit in his eadem ratio ac in Episcopatu. Sic Glos. *ad Clement. 1. de elect. ibi* Imola *n.* 4. & 41. Ioan. Andr. *cap. si Religiosus, & ibi* Franc. *num.* 1. *notab.* 2. Dominic. *numer.* 6. Anchar. *num.* 2. Abbas *ad cap. quod Dei timorem n* 5. & 6. Sanch. *l.* 7. *decal. c.* 29. *n.* 33. Gregor. Lopez *leg.* 25. *tit.* 7. *par.* 1.

58 *Non comprehēditur.*

Non comprehenditur quia Episcopatus à beneficio sæculari ac Regulari abstrahit: eaque de causa *in Clement. 1 de electione* dicitur: *per hoc autem non intendimus prohibere, quin Religiosus in Episcopum sæcularis Ecclesiæ licitè possit eligi.* Ergò tacitè insinuatur, respectu prælatiæ sæcularis, quæ Episcopatus non sit, prohibitionem manere integram. Ita plures Doctores relati à Panormit. *ad cap. quod Dei timorem, de statu Regular.* Mandosius *de signatura grat. tit. dispensatio pro obtinend. benef.* Suar. *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *cap.* 19. *num.* 27.

59 *Verius hæc mihi.*

Veriorem hanc puto esse sententiam. Nam in Episcopatu est specialis ratio propter eius dignitatem, ob quam Episcopus dicitur Monacho rel. gioſior, vt tradit Glos. *ad cap Nullus Religiosus, de elect. in* 6. et colligitur ex *cap. ex multa, de voto.* In diget igitur dispensatione.

DVBIVM II.

An Regularis possit, sinè dispensatione eligi ad præfecturam Ecclesiæ collegiatis, quæ curam animarum non habet?

60 *Potest eligi.*

ELigi potest quia licet nec habeat in foro interno nec externo iurisdictionem: sed solum œconomicam gubernationem, scilicet conuocare collegium, & simul cum illo de rebus ad collegium pertinentibus disponere: tamen curam habet eorum, qui sunt in collegio, eaque de causa potest sicut ad Episcopatum sine dispensatione eligi. Sic Sanchez *l.* 7. *Decal. cap.* 29. *n.* 72. & 71. plures afferens.

61 *Eligi non potest.*

Non potest eligi quia *dicenda non est* prælatura, cum iurisdictione prorsus careat. Ita alij Doctores à Sancio *vbi supra citati.* Palao *tom.* 2. *d.* 1. *de benef. p.* 3 §. 1. *n.* 8.

62 *Probabiliùs.*

Verius existimo concessionem factam pro dignitate Episcopali Religioso ad hanc præfecturam extendi non posse. Addo, certum esse *rem hanc* Religiosos Mendicantes non posse absque *sententiam* expressa dispensatione Pontificis ad Ecclesias *esse ver.* Cathedralibus inferiores promoueri. *Extranag di, pendetis, de postulat. Prælator.*

DVBIVM III.

An ad eligendum Religiosum ad Beneficium curatum in casu necessitatis, dispensatio necessaria sit?

63 *Non est suppona.*

SCio, iure antiquo Regulares eligi potuisse ad beneficium Parochialis Ecclesiæ non solum ad tempus & in commendam, sed in titulum, *cap. quod Dei timorem, de statu Monachor.* Iure autem nouo Tridentin. assumi non posse nisi in casu necessitatis, quando

quando non inueniuntur Clerici sæculares idonei: tunc enim præfici potest Regularis: sicut è contra cum non inueniuntur Regulares apti pro regulari beneficio, præfici possunt sæculares, quia necessitas caret lege. *cap. si quis fortè, de furtis.* Quæsierim verò an dispensatio episcopi requiratur, ad eligendum Religiosum ad Ecclesiam Parochialem dum hæc urget necessitas.

64 *Est necessaria.* Necessaria est quia non potest Regulari beneficium Parochiale conferri, quin simul concedatur facultas extra claustra viuendi, & fructus beneficij administrandi, de illisque disponendi: sed ad hæc omnia necessaria est dispensatio. Ergo. Sic Gonzal. *Reg. 8. Cancel. glos. 7. num. 52.* Alexand. *cons. 70. numer. 13. vol. 3.* & alij relati a Sanchez *l. 7. Decal. c. 29. num 34.*

65 *Necessaria non est.* Non est necessaria quia si aliqua licentia necessaria esset, maximè quia Religiosus incapax est viuendi extra Monasterium, & disponendi de beneficij fructibus: sed hanc incapacitatem nullus alius tollere potest nisi Religiosi Prælatus: ergo non Episcopus, cui Religiosus non subditur. Ita Nauar. *l. 3. consil. consil. 12.* Couar. *cap. de testament. n. 3.* Sanchez innumeros referens *vbi s. n. 35.*

66 *Probabilius esse non debito.* Non dubito hoc probabilius esse adiiciens tamen, etsi dispensatio Episcopi necessaria non sit. Prælati proprij licentiam esse omninò necessariam, *cap. Religiosus, de elect. in 6.* Porro licentia Prælati Monasterij sufficit, nisi in aliqua Religione aliter fuerit statutum, vel constitutione, vel priuilegio.

DVBIVM IV.

An ad acceptationem summi Pontificatus indigeat, Religiosus Prælati licentia?

67 *Indiget quidem.* INdiget quidem quia Pontificatus est summa Prælatura: Ergò ad illius acceptationem præcipue requiritur Prælati licentia. Nec excusari potest ex eo, quòd Pontifex secum dispenset, & superiorem non habeat; quia ante acceptationem non est Pontifex, sed suo Prælato subiectus. Sic Gregor. Lopez. *l. 25. v. Iglesias, tit. 7. part. 1.* Manuel *Regul. qq. tom. 1. q. 34. a. 5.* & alij plures, quos refert Sanch. *l. 7. decal. c. 29. n. 58.*

68 *Non indiget.* Non indiget quia ab ipsomet iure est iam hæc licentia concessa: si quidem *in cap. licet, de elect.* cauetur, nullum impedimentum opponi posse aduersus electum à duabus partibus Cardinalium præter hæresim. Ergo neque impedimentum omissæ licentiæ. Ita Sanchez *citatus*, & plures apud ipsum Doctores.

69 *Hoc dicendum existimo.* Hoc dicendum existimo. Nam per ipsammet electionem constitutus est omnis ecclesiæ superior, & consequenter ab obedientia exemptus. Ergo non indiget suprioris licentia ad acceptandum.

DVBIVM V.

An Manualia Beneficia ita ad nutum & voluntatem conferentis reuocari valeant, vt possit id, sine legitima causa validè fieri?

70 *Nonnulla suppono.* PRæmitto, præcipuam beneficij perpetui qualitatem esse, vt nequeat amoueri à beneficiato nisi ex causis à iure expressis: è contra qualitatem manualis beneficij esse, quod amoueri valeat ad nutum, & voluntatem conferentis, *cap. cum ad Monasterium § tales de statu Monachor. cap. 1 § fin. de priuileg. in 6.* Dubito autem an manualia beneficia ita ad nutum, & voluntatem conferentis reuocari, vt absque vlla legitima causa id fieri possit.

71 *Non potest.* Minimè potest quia qui beneficiatum absque causa legitima remouet, malitiosè procedit: sed non est credendum malitiis iura fauere. Ergo nec est credendum hanc à iure remotionem approbari. Sic Zeual. *com. contra com. q. 425. fine.* Tusch. *lit. B concl. 55. num. 8.*

72 *Potest quidem.* Potest omninò quia beneficiatus possidere non potest id beneficium nisi pro tempore, quo non fuerit ab eo reuocatus: solum enim pro illo tempore fuit illi concessum. Ergo facta reuocatione etiam sine vlla causa, iam non habet ius possidendi. Ita Gonzal. *ad Reg. cancel. 8. glos. 5. §. 6. num. 46.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. 29. num 111* Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 12. num. 98.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 9. qu. 8.* Garcia *hic, p. 1. c. 2. à n. 87.*

73 *Hoc verum esse puto.* Existimo verius esse valere reuocationem absque causa, neque posse talem beneficiatum aduersus remouentem conqueri. An non possessio pro tempore limitato, illo transacto, cessat. *leg. imperator. leg. statuliberi 25. ff. de legat. 2.* id decernitur. Sed beneficij manualis possessio solum conceditur pro tempore, quo conferens non reuocauerit. Ergo facta reuocatione possessio cessat.

DVBIVM VI.

An reuocatio Beneficij manualis possit sine legitima causa licitè fieri, si Prælatus promiserit, se non reuocaturum?

74 *Status quæstionis.* SVppono, validè reuocari posse, quia per hanc promissionem non mutatur beneficij manualis natura, quæ est, vt pro voluntate conferentis valeat remoueri. Sanch. *l. 7. Decal. c. 29 n. 125.* Quæsierim autem, an licite huiusmodi reuocatio fiat.

75 *Non fit licitè.* Licitè non fit, quia hæc promissio vpotè naturæ beneficij manualis contraria nullas vires habet; sicuti si fieret promissio non reuocandi testamentum, vel precarium, nulla est talis promissio; quia est contra naturam testamenti,

testamenti, vel precarij. Sic Sanchez *citatus*. Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancel. glos.* 5. §. 6. *num* 4.

76 *Licitè sit.* Fit licitè quia ex illa promissione obligatur Prælatus saltem naturaliter beneficiato tametsi Religiosus sit. ergò peccat violans promissionem. Ita Nauar. *l.* 3. *consil. tit de Regular. cons.* 20 *n.* 12. 13. 14. Manuel *Regular. qq. tom.* 3 *q* 29 *a* 9.

77 *Distinguendum existimo.* Distinguendum existimo. Si fieret promissio non revocandi absolutè, tametsi causa honesta intercederit, quæ alias revocationem honestare posset: nulla est talis promissio; quia esset contraria beneficij manualis naturæ. At si promissio fieret non revocandi absque causa legitima: licita esset, & valida talis promissio, quia est iuri conformis; vnde si non obstante tali promissione, fit revocatio, illicita est, sicut esset, non apposita promissione.

DVBIVM VII.

An beneficium manuale possit fieri perpetuum præscriptione, vel consuetudine?

78 *Non potest.* NOn potest quia ex actibus merè facultatiuis induci nō potest consuetudo, *leg. qui iure familiaritatis, ff. de acquirenda posses. leg. viam publicam ff. de via publ. cap. Ioannes, de Cler. coniug.* Ergo induci non potest consuetudo ex eo quod Prælatus nunquam reuocauerit; quia semper ei liberum fuit reuocare. Sic Abbas *cap. ad nostram, n.* 11. Decius *num.* 22. Rebuf. *tr. de pacif. possess.* re, *num.* 177. Sanchez *l.* 7. *Decal. capit.* 29. *num.* 117.

79 *Potest quidem.* Potest quidem manuale fieri perpetuum & è contra, consuetudine, & præscriptione; quia *cap. cum de beneficio, de prabend. in* 6. præscriptio quadragenaria sufficit naturam beneficij immutare, & de sæculari Regulare reddere: & è contra. ergo etiam sufficit, de temporali perpetuum reddere. Ita Melius *repet. v. Religiosus non potest consentire*, & *v. Beneficia manualia an possint. n.* 9. Gambacur. *tr. de offic. legati l.* 4. *c* 1. *n.* 19.

80 *Consilio sententias.* Placet vtramque conciliare sententiam, scilicet, vt prima procedat, quoties consuetudo non est contraria manualitati: secunda verò cum consuetudo manualitati contraria inducitur. Hanc autem consuetudinem non inducit carentia reuocationis, & alias libera esset: beneficium enim manuale non petit reuocationem sed expeditam reuocandi potestatem: ergò dum conferens hanc potestatem habet, tametsi per mille annos nullam faciat reuocationem, non potest induci consuetudo manualitati contraria. Secus esset, si tentans reuocare impediretur; quia iam inducitur consuetudo manualitati contraria, nempe potestati reuocandi: debet autem hoc impedimentum ab alio, quam à beneficiato apponi; si enim solus beneficiatus per potentiam remotioni resisteret, præscribere non posset; quia bona fide careret.

DVBIVM VIII.

An conferri possit, capellania clerico minorum Ordinum si fundator dixit, vt Presbytero conferatur?

81 *Potest conferri.* COnferri potest, quia illa verba non actum, sed aptitudinem videntur significare quod inde colligi potest: quia ex vsu fori, lorum verborum solum colligitur, illam Capellaniam Ordinem sacerdotalem habere annexum, ac proindè sacerdotalem esse. Sed ex hac annexione non infertur, capellanum tempore institutionis debere Presbyterum esse. sed solum debere esse in ea ætate, & dispositione, vt infra annum sacerdos fiat. Secus esset si testator per verba affirmatiua procederet, vt si diceret: *instituatur Capellanus sacerdos, qui Missus celebret, &c.* Sic Roland. à Valle. *cons.* 47. *num.* 6 *vol.* 1. Spino *in speculo testament. glos.* 4. *num.* 68. Quaranta *sum. bular. p.* 2 *v. seruitium Capellania.* Perez de Lara *de capel. l.* 2. *capit.* 5. *numer.* 16. & alij plures.

82 *Conferri non potest.* Non potest conferri, quia præsentandus debet habere qualitates à fundatore requisitas: at vna ex qualitatibus est, quod sit sacerdos: Ergò si hac caret, inhabilis est. Neque valet dicere, habere illam aptitudinem, quia hoc non est propriè illam habere. Ita Riccius *in prax. resol.* 339. Praxis Episcoporum *p.* 1. *v. Beneficium*, § 7. *col.* 5. *princip.* 8. Barbosa *p.* 2 *de potest. Episc. alleg.* 24. *num.* 37. & 42. Garcia *p.* 7. *cap* 1 *num.* 58. qui pluribus id decisionibus comprobant.

83 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia aliud est, beneficium habere annexum Ordinem Sacrum, aliud Ordinem Sacrum beneficio præsupponi, & ad illud disponere quando beneficium secum trahit Ordinem Sacrum, vt qualitatem subsequentem, illum non requirit actu collationis tempore: sufficit, si aptitudine insit. At quando beneficium Ordinem præsupponit, vt dispositionem, actu Ordo habendus est, cum confertur. Ergò cum ex fundatione habeatur, vt clericus nominandus sacerdos sit, iam sacerdotium vt dispositio ad nominationem requiritur.

DVBIVM IX.

An coadiutor teneatur, inservire pro coadiuto ex vi coadiutoriæ assumptæ?

84 *Status quæstionis.* SI coadiutoria expedita est cum clausula, quæ hanc illi obligationem imponat (vt communiter expediri solet) dubium non est, obligatum esse. At si solum in coadiutoria dicatur vt possit inservire, Quæritur, an ex vi coadiutoriæ, volente coadiuto, teneatur coadiutor inservire.

85 Non teneatur, quia Pontifex ei hanc obligationem

Non tenetur. gationem non imponit. Et quia si ex vi coadiutoriæ assignatæ eam obligationē contraheret, non vteretur Pontifex verbo *Posset*, quod indicat liberam potestatem, sed vteretur verbo *Debet* obligationem significante. Sic Nauar. *cons. 1. de Cler. ægrot. n. 5. & 4.*

86 *Tenetur plane.* Tenetur planè quia coadiutoria assumitur, vt coadiutus se possit ab obligatione assistendi excusare: at si coadiutor obligationem assistendi non haberet, coadiutus, assumpto coadiutore, non esset excusatus, neque satis sibi prouideret: ergo vt excusatus sit, sibique prouideat assumens coadiutorem, indicandus est, transferre in coadiutorem obligationem quam ipse habebat. Ita Garcia *de benefic p. 4. c. 5. n. 55.*

87 *Primo hoc nubi.* Ex istimo probabilius, volente coadiuto, obligatum esse coadiutorem ex vi coadiutoriæ inseruire. Licet enim Pontifex non expresserit, hanc in coadiutore obligationem inesse, ex assumpta coadiutoria satis erat hæc obligatio significata. Vsus autem est Pontifex verbo *Posset*, vt significaret facultatem esse pro alio inseruiendi, quod præcipue in coadiutoria conceditur: obligationem tamen inseruiendi indè resultare indicat. Cui obligationi non obstat, quod coadiutus non habeat obligationem sustentandi coadiutorem, quia ipse coadiutor ei cessit obligationi: & loco illius concedit ei Pontifex futuram successionem.

DVBIVM X.

Si absens sit vel infirmus coadiutus, potestne coadiutor choro assistere, vocemque in Capitulo habere, etiam coadiuto nolente?

88 *Non potest.* NOn potest, quia coadiutori prohibetur perceptio fructuum, & præbendæ administratio, nolente coadiuto: sed sub præbendæ administratione continetur assistentia in choro, capitulo, aliisque Canonicatus actibus: ergo. Sic Garcia *p. 4. c. 5. n. 59.*

89 *Potest quidem.* Potest equidem, quia assistentia in choro, aliisque capitularibus actibus videtur à Pontifice independenter à voluntate coadiuti concessa coadiutori: siquidem loquens de iis actibus, nullam voluntatis coadiuti fecit mentionem: fecit tamen cum de regimine, & administratione præbendæ loqueretur. Ergo coadiutor, nolente coadiuto, non poterit præbendam regere, & administrare (hoc est iurisdictionem forensem, si quam habet, exercere) benè tamen poterit choro, aliisque capitularibus actibus assistere. Ita Nauar. *cons. 1. de cler. ægrot. n. 5. & 6.*

90 *Auctoris resolutio.* Censuerim ex qualitate voluntatis coadiuti, controuersiam esse decidendam, si enim coadiutus inique ageret, nullo impedimento ligatus, neque coadiutorem habens si non assisteret: inique etiam procedit impediens coadiutoris assistentiam: Ergo talis iniqua voluntas est repellenda. Verùm in actibus capitularibus à quorum assistentia rationabili causa ductus se posset coadiutus excusare existimo, posse coadiutoris assistentiam impedire: in hoc enim iustè videtur procedere? Hi actus sunt, qui propriam vtilitatem coadiuti respiciunt, vt est perceptio fructuum præbendæ, aliaque temporalis illius administratio, vel ex quibus aliquod damnum coadiuto, vel tertio euenit, vt est prana electio, & suffragium nociuum. At actibus, qui Ecclesiæ vtilitatem spectant, & Religionem promouent, vt est assistentia in choro, processionibus, aliisque religiosis actionibus, haud potest coadiutus impedire coadiutorem, nè assistat, si ipse assistere nolit, vel non possit.

DVBIVM XI.

Si coadiutus infirmus sit, vel aliàs legitimè impeditus, habendusne est, pro præsenti, licet coadiutor non inseruiat?

91 *Pro præsenti non habendus.* SI impedimento huiusmodi affectus vult coadiutorem inseruire, hicque non inseruiat: non est habendus pro præsenti, quia coadiutoria assignatur, ne Ecclesiæ seruitium deficiat ob infirmitatem, & impedimentum coadiuti: qui finis omninò cessaret, si coadiutor deobligatus esset à seruitio, quoties coadiutus inseruire impeditus esset. Sic Garcia *p. 4. c. 5. n. 54.*

92 *Habendus pro præsenti.* Pro præsenti est habendus coadiutus legitimè impeditus, siue velit, vt coadiutor inseruiat, siue non velit, quia ægrotante, aut legitime alias impedito assistendi debentur beneficiis fructus independenter à coadiutoris assistentia ex *cap. vni. de cler. non resid. in 6.* Ergo ob omissam coadiutoris assistentiam coadiutus illis priuari non debet. Ita Gonzalez *de Regul. mens. glos. 5. §. 9. n. 120.* Nauar. *cons. 1. de cler. ægrot. n. 6.*

93 *Hoc probabilius teneo.* Hoc teneo probabilius. Nam si ita non esset, deterioris foret conditionis coadiutorem habens, quam qui illo careret: & priuilegium illi concessum in sui indamnū cederet, cū legitime impeditus coadiutorem non habens, pro præsenti haberetur. Porro id esset contra textum *in cap. ad Apostolicam de Regular.* & in *cap. quod ad gratiam 61. de reg. iur. in 6.*

DVBIVM XII.

Debetur ne coadiutori proprietarij sedes?

94 *Debetur quidem.* DEbetur quidem quia subrogatus sapit proprietarij naturam, in cuius locum subrogatur *leg. si cum, §. qui iniuriarum ff. si quis cautionibus.* Sed coadiutor subrogatur in locum proprietarij: ergo frui debet prærogatiuis ei concessis Et quidem in gratiā coadiutoriæ habetur, vt coadiutor gaudeat omnibus præeminentiis, & honoribus tam extra chorum quam intra, quos proprietarius ratione Canonicatus, & præbendæ habet: sed ratione

Canonicatus

Canonicatus obtinet locum honorificum in choro : ergo illum coadiutor debet obtinere. Sic Nauar. consuluit. *c. 1. de cler. ægrot.*

95 *Non debetur.* Non debetur, sed vltima post omnes proprietarios, quia sedes honorabilior non debetur præbendato ratione præbendæ, sed ratione illius antiquæ possessionis, vt constat : ergò cum coadiutor solum in præbenda subrogetur, & non in illius antiquitate, locus possessionis ei debitus non est, sed locus præbendæ: vnde sedere debet, vbi sedent præbendati proprietarij, non autem illos præcedere. Ita Gonzalez *de regul. mens. glos. 5. §. 9. num. 99.* Garcia *p. 4. c. 5. num. 66* Qui adducunt Rotæ decisionem. Farinac. *tom. 2. decis. nouissimar. dec. 657. n. 3. & dec. 456.*

96 *Placet hæc resolutio.* Placet hæc resolutio. Æquum enim non erat, vt fictus canonicus veros præcederet, & aliena dignitate fulgens eos, qui propriam haberent. Porro hoc in omnibus Hispaniæ ecclesiis praxi haberi comperio. Et quidem coadiutor subrogatur loco coadiuti in præbenda, non in illius antiquitate : fruiturque omnibus prærogatiuis præbendæ debitis, non illis quæ antiquitatis ratione debentur.

DVBIVM XIII.

An coadiutor habeat ius ascendendi ad superiorem sedem, ita vt præcedere possit Canonicos proprietarios nouiter ingressos?

97 *Ius habet ascendendi.* ESto coadiutori non debeatur propretarij sedes : habet tamen ius ascendendi, quia coadiutori conceduntur omnes prætogatiuæ, & honores qui conceduntur coadiuto ratione præbendæ : sed ei ratione præbendæ conceditur, vt vltimo loco sedens, paulatim ascendat : ergo idem ius concedendum est coadiutori. Sic Rota in causa Salmant. Et Tiraquel. prout refert Garcia *p. 4. cap 5. num. 552.* Asserens, illam sedem, quam obtinet coadiutor tempore obitus coadiuti, illi esse assignandam.

98 *Ius ascendendi non habet.* Ius ascendendi non habet, quia nunquam est admittendum, fictum vero præferri : & alieno iure fulgentem ei, qui proprio gaudet. Ita Gonzalez *de reg. mens. glos. 5. §. 9. num. 99.* Garcia *citat.* Nouissimè traditur à Rota *decis. 456. apud Farinac. in nouissimis.*

99 *Hæc defenda.* Hoc sentio ex praxi annotans. Nam semper coadiutor Canonici vltimo loco sedet post omnes Canonicos proprietarios, neque durante coadiutoria locum obtinet superiorem, quia hæc potestas ascendendi ad superiorem locum non ratione præbendæ in potentia conceditur, sed illius possessione, quam cum coadiutor non habeat, nequit locum superiorem obtinere : eaque de causa, mortuo coadiuto, illi vltima sedes assignatur ; quia est vltimus, cui possessio præbendæ est concessa.

DVBIVM XIV.

Coadiutor studens, vel legens in Vniuersitate, vel in seruitio Episcopi occupatus, vel officium Inquisitoris exercens, habeturne, pro præsenti, vt fructus, ac distributiones coadiuto lucretur, ac si personaliter resideret?

100 *Habetur quidem.* HAbetur quidem quia coadiutus ex qualibet harum causarum à residentia excusatur, & fructus præbendæ lucratur in absentia : ergò idem est coadiutori concedendum. Et quia coadiutori conceditur tempus recreationis, quod coadiuto impetitur : ergò à fortiori concedi ei debet priuilegium studendi, legendi, ac seruiendi Fidei Tribunali. Sic aliqui Doctores. Et probabile reputat Castro Palao *t. 2. d. 1. de benef. punct. 10. n. 40.*

101 *Non habetur.* Non habetur quia hæc priuilegia conceduntur iis, qui ratione beneficij obligati sunt residere : iis enim conceditur vt studentes, vel legentes in Vniuersitate, vel seruientes Episcopo, aut inquisitioni, fructus suorum beneficiorum lucrari. At coadiutores non obligantur residere ex beneficio, sed ex officio, & munere coadiutoriæ acceptæ, & quasi ex contractu : ergo ea priuilegia illis competere non possunt Ita Garcia *p. 4. c. 5. n. 139.*

102 *Hoc probabilius. non dubito.* Hoc probabilius longè esse non dubito cum Palao *citato.* Coadiutus namque illa priuilegia habere potest; quia habet beneficium, & percepit fructus, & ratione beneficij obligatur residere, à qua residentia ob illas causas ex priuilegio excusatur. At coadiutor nec habet beneficium, nec sibi, sed alteri, scilicet coadiuto fructus lucratur : nec ex beneficio, sed ex officio ad residentiam tenetur : ergò excusari nequit ex præfatis priuilegiis. Bene tamen excusari potest ex ægritudine, vel alio simili impedimento; quia non censetur ex officio & munere ad residentiam impossibiliter obligari.

CAPVT X.

Circa Beneficij prouisionem, & acquisitionem.

DVBIVM XV.

An per electionem antè acceptationem acquirat electus ius in Beneficium?

103 *Non acquirit.* NOn acquirit, quia præsentatio ius non tribuit præsentato, quousque ipse consentiat : ergò neque electio tribuit ius electo in beneficium, donec ipse acceptet.

accepter. Sic Mandos. *reg. 32. quæstion. 15. numero 6.* Zerola *prax. Epise. p. 1. v. ius ad rem §. 2. & p. 2. v. electio, §. 2.*

104 *Ius acquirit.* Acquirit quidem quia *capit. cupientes, §. cæterum, & capit. quam sit, de elect. in sexto* Electus priuatur iure, quod per electionem acquirit, si infra mensem à die habitæ notitiæ suæ electionis non præbuerit assensum: Ergo supponit textus ante consensum aliquod ius per electionem concedi. Ita Felin. *ad capit. cum Bertoldus, de re iudicata numero secundo & tertio* Dominic. *capit. quam sit de elect. §. 1. in 6.* Azorius *p. 2. l. 6. cap. 19. quæst. 2.*

105 *Probabilius mihi.* Probabiltorem hanc sententiam esse reor quia electio est dimidiata beneficij collatio, quæ confirmatione, ac approbatione completur: ac proindè electio actus est spiritualis potestatis: secus verò præsentatio, & nominatio.

DVBIVM XVI.

An valida sit præsentatio illius, qui se per litteras, aut procuratorem instituenti repræsentat?

106 *Non est valida.* NOn est valida, quia præsentatus verbi gratia ad Parochiale ministerium examine præuio est admittendus, quod exigit Tridentin. *sess. 24. capit. 18.* Ergo eius præsentatio per procuratorem, vel per litteras admitti non potest. Sic Barbosa *p. tertia de potest Episc. allegat. 72. n. 118.*

107 *Valida est.* Valida quidem est. Quia nullus subest textus, ex quo hæc obligatio corporalis præsentiæ colligatur. Ergo imponenda non est, præcipuè cum sit contraria *reg. iuris, Quod per alium facit, per te ipsum facere censeris.* Antecedens probo. Nam textus *in cap. cum & plantare, & Clement. dubium, de sepult.* vbi instituendi ad beneficia curata debent Prælatis præsentari, non probant corporalem præsentiam requisitam esse pro præsentatione, seu nominatione patroni; sed pro institutione facienda. Ita Azorius *p. secunda l. sexto capit. 21. quæstion. sexta.* Abbas *p. secunda cons. 76.* Lambertin. *de iure patronat. l. secunda quæstion. 11. a. secundo.* Garcia *p. 4. cap. 1. num. 18. & 25.*

108 *Verius hoc mihi.* Existimo veriorem hanc esse sententiam, quia esto, in Parochialibus requisitum sit examen præsentati pro forma, & in aliis beneficiis prout institori visum fuerit: hoc examen non ad præsentationem, sed ad institutionem expostulatur, vti notauit Garcia *numero 25.* ergo ex necessitate examinis inferri non potest necessitas in præsentato se necessariò personaliter Ordinario præsentandi. Profecto in Hispania, Gallia, & Flandria à Regibus præsentatos non se personaliter Pontifici instituendos præsentare, recepti simum est. Cæterum *in cap. accedens 24. de præbend.* absens inuestitur de beneficio Ecclesiastico: ergo à fortiori præsentari seu nominari poterit.

DVBIVM XVII.

In dotatione facta Ecclesiæ ædificatæ, & consecratæ acquiriturne, Patronatus?

109 *Non acquiritur.* NOn acquiritur, quia rebus Sacris nulla seruitus potest imponi, *leg. seruitutes, tertio §. vlt. ff. de seruit.* Ergò Ecclesiæ ædificatæ & consecratæ nequit seruitus patronatus imponi. Sic Glos. *ad cap. Pia mentis 16. quæst. 7.* Felin. *ad cap. cum venerabilis, de except. num. 57.* Fauet decisio Sacræ Congregationis *sess. 21. cap. 4.* quam adducit Garcia *p. 5 c. 9. num. 122.*

110 *Acquiritur patronatus.* Patronatus acquiritur quia absolutè Ecclesia dolatur, & dotationem maximè necessaria. Dos autem subsecuta Ecclesiæ constructionem, fauore Ecclesiæ reputatur, ac si illius constructionem antecederet, quia retrotrahitur. Et hoc videtur definitum à Triden. *sess. 24 cap. 12.* ibi: *Nemo cuiusuis dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit, & construxerit, seu iam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare, aut obtinere possit, & debeat.* Ita Abbas *ad cap. quoniam de iure patron. num 9.* Rochus de Curte *de iure patron. v. Et dotauit. quæst. 2. & 3.* Selua *de benef p. 1. quæst. 5. num. 181.* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 19 quæstion. 8.* Garcia *p. 5. capit. 9. num. 54.*

111 *Hæc sententia verior mihi.* Verior mihi hæc sententia videtur, cui non obstat Cardinalium declaratio, quæ loquitur quidem de parochia erecta ob necessitatem populi cui Ecclesia matrix tenetur prouidere: neque hæc prouisio loco dotis liberalis est computanda, cum debita sit. Fateor autem, rebus Sacris nullam profanam seruitutem imponi posse benè tamen Ecclesiasticam, & ex patronorum Ecclesiæ consensu. Alias probaret hæc ratio, neque ex constructione, neque ex dotatione antecedenti patronatum acquiri posse.

DVBIVM XVIII.

An ius patronatus possit præscriptione acquiri, vel consuetudine?

112 *Potest equidem.* NOn potest quia huius iuris vtpote spiritualis, vel saltem spiritualibus annexi incapaces sunt laici quatenus tales sunt, nisi ex speciali priuilegio, vel iuris communis ob fundationem, & dotationem Ecclesiæ eis fuerit concessum. *c. Quanto, de iudiciis c. de iure, de iure patronat.* Sed in priuilegiis, vtpote ex libera concedentis voluntate pendentibus non datur præscriptio: ergo nec potest dari præscriptio iuris patronatus. Sic Archidia.

Abbas, Alexand. Felin. Decius, & alij apud ipsos, vt refert Conar. *reg. possessor. mala fidei. p.2.§.10.à n.2.*

113 *Potest æquidem.* Potest, equidem quia esto hoc ius spirituale sit, laicis conceditur ob aliquam temporalem ab ipsis præstitam, scilicet fundationem, constructionem, vel dotationem Ecclesiæ, aut alia ei obsequia temporalia impensa: sed in his dari potest, à laicis præscriptio: quia non præscribitur in aliquo spirituali, sed in temporali: ergò. Ita Conar. *citatus, num.3.* Ioan. Andr. *ad cap. querelam, de elect. in 6.* Azor. *p.2 cap.19.qu.11.* Barbosa *p.3.de potest. Episc. allegat.70.n.19.*

114 *Distinguendum esse reor.* Distinguendum existimo de ecclesia libera, vel de ea, quæ seruituti est subiecta: de Ecclesia Collegiata, de Cathedrali, vel Parochiali. Si de Cathedrali & Collegiali loquamur, spectato iuris tigore, præscribi non potest à laico ius patronatus, quoad præsentationem rectoris; quia ille rector non per præsentationem, sed per electionem constituitur. *c. nobis, de iure patronat.* Sed laicus, esto Ecclesiam fundet, non acquirit ius eligendi: hoc enim ius solum competit illis, qui sunt de Collegio, *cap.1. de elect.* Ergò hac in parte nulla potest esse à laico præscriptio, quo ad ius præsentandi rectorem, bene tamen alios beneficiatos, qui non per electionem, sed per præsentationem constituuntur. Idem dixerim de aliis ecclesiis, in quibus mihi probabilius apparet, aduersus Ecclesiam liberam non posse præscribi à laico ius patronatus, nisi quadragenaria præscriptione cum titulo, vel immemoriali sine titulo ob rationem prioris sententiæ. Si verò loquamur de præscriptione ecclesiæ subiectæ, & quæ olim habuit patronos: communis sententia tenet, ius patronatus à laicis præscribi posse; quia non aduersus Ecclesiam, sed aduersus alium laicum præscribitur.

DVBIVM XXI.

An ius patronatus hæreditarium transeat ad fideicommissarium, vel vsufructuarium vniuersalem?

115 *Transit quidem.* TRansit quidem quia in fideicommissarium, & vsufructuarium vniuersalem transit hæreditas: ergò transire debet ius patronatus hæreditati annexum. Sic Ludouic. Roman. *leg. si patroni, ff. ad Trebell.* Molina *de primog. capit.24. numer.7.* Gutier. *de iur. p.3. capit.19.n.15.* Inclinat meus Molina *t.1 tr.2.d.18. fine.*

116 *Non transit.* Minimè transit quia *leg. quia perinde, §. restituta, ff. ad Trebell.* restituta hæreditate iura sepulchrorum apud hæredem remanent. Ergò idem dicendum de iure patronatus antiquo hæreditario: tum quia hoc ius patronatus antiquum & hæreditarium hæredem videtur sequi, non alium. Ita Couarru. *cap. Raynutius, de testament. §.9. numero octauo* Anton. Gomez *tomo primo var. capit. quinto numero 29.* Manu. Acosta *ad cap. si parte. p. secunda v. Trebellianica. numero quarto* Barbosa *p. tertia de potest. Episc. alleg. 71.num 9.*

Media procedam via. Si ius patronatus reale sit, hoc est, annexum alicui villæ, *Media via.* aut castro, quod castrum in fideicommissarium vel vsufructuarium transferatur, transfertur etiam ius patronatus; quia est accessorium: At si ius patronatus personale sit, quale est relictum Titio, eiusque successoribus, nequaquam in fideicommissarium vel vsufructuarium transfertur; sed penes hæredem, & successorem remanet; quia transferri non potest contra institutoris voluntatem. At institutor solum Titio, eiusque successoribus patronatum applicuit: ergò vsufructuarius excluſus manet: non enim est eius hæres, nec hæredis successor. 117 *Media via. præcedo*

DVBVM XX.

An si quis ius patronatus vendat contra iuris ordinem, vendat, inualide?

SI contra iuris prohibitionem quis ius patronatus hæreditarium vendat, vendi- 118 *Venditio valida.* tio valida erit, quia nullo textu inuenitur ipso iure irrita. Nam licet in concilio Tridentin. *sess.25. capit. nono.* Dicatur, vt nullus ius patronatus transferre in aliquem contra Canonicas sanctiones præsumat, alioquin ipso iure priuatus patronatus existat: non indè infertur, translationem esse nullam, sed esse annullandam. Sic Suarius *l.4. de simon c.57.n.13.*

Non erit valida venditio quia patronatus 119 transferri non potest in vllum, in quem *Non omnis valida.* Ecclesia non consenserit; nam ex voluntate Ecclesiæ hoc ius spirituale communicatur, & non aliter: at ecclesia translationem simoniacam reprobat, ac detestatur, omnesque eiusmodi pactiones irritat, & annullat. *capit. quamuis pactum, de pactis, capit. Præterea, de transactionib. capit. ea quæ, primo quæstion. tertia.* Ergo talis venditio nulla est, & consequenter ius patronatus non est ex illa translatum, Ita Azorius *p. secunda l. sexto capit.20. quæstion. octauo* Garcia *p. quinta. capit. nono numero nono.*

Probabilius credo, venditionem inualidam 120 esse, neque posse emptorem patro- *Verius videtur mihi.* natum retinere, sed manere penes vendentem, quousque sententia declaratoria criminis simoniaci accedat

DVBIVM.

DVBIVM XXI.

Casu quo plures patroni existant alicuius Ecclesiæ, potestne vnus alteri ius patronatus cedere absque Ordinarij consensu?

121 *Non potest.* NOn potest, quia hæc iuris cessio quædam est donatio, *cap. veniens, de testit.* Sed nullus laicus alicui laico donare patronatum potest: ergo neque hoc ius cedere. Sic Hostiens. Panormit. Ioan. Andr. & alij, quos refert Lambertin. *l. 1. de iure patron. p. 2. q. 2. a. 12.*

122 *Potest pla.* Potest equidem, quia hac cessione non constitutur nouus patronus, sed potius ex iis, qui antea erant, vnus extinguitur, alio integre constituto quod Ecclesiæ regulariter damnosum non est: potius enim expedit Ecclesiæ vni, quam pluribus subiici. Ita Lambertin, *supra* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 20. quæstion. 6.* Praxis Episcopor. *p. 1. v. ius patronatus*, §. 2. Decisio Rotæ apud Farinac. *in nouissimus, p. 1. tom. 2. decis. 707. numer. 4.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat 71. n. 28.*

123 *Hic probabiliori sententia.* Conueniens procul dubio est, consensum Ordinarij in hac cessione intercedere, at non reputo, esse necessarium maxime cum ille, cui ius ceditur, notus iam sit, neque præsumi potest, Ecclesiam vexaturum; nam si Ecclesiam vexasset, cum dimidiatum patronatum haberet, non enim Ecclesia in patronatu conseruasset. Est ergò hæc cessio vtilis Ecclesiæ, vndè absque expresso Ordinarij consensu geri potest.

DVBIVM XXII.

An spurius, irregularis, aliaue inhabilitate affectus, incapax sit iuris patronatus?

124 *Ex incapax.* ESt incapax quia incapax est beneficij, & pensionis: ergò & iuris, quod ad illa disponit. Et quia exclusus est ab officiis publicis, & honoribus: ergo & à iure præsentandi. Sic plures Doctores, quorum, nomine presso, meminit Castro Pal. *t. 2. d. 3. de benef. pun 4. n. 24.*

125 *Incapax non est.* Non est incapax quia spurius potest Ecclesiam ex propriis bonis fundare, & dotare, sed cuilibet fundatori Ecclesiæ absque vlla exceptione patronatus conceditur *cap. Piamentis, cap. quicumque, cap. Filij. 6. q. 7.* & Trid. *sess. 23. c. 9.* Item potest villam, aut castrum, cui est patronatus annexus, emere. Idem dixerim de irregulari, &c. Ita Roch. *tr. de iure patron. v. competens, q. 2.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. quæst. 15.* Palao *citatus.*

126 *Capacem esse iudico.* Existimo capacem iuris patronatus esse. Nam esto, incapacem esse beneficij, & pensionis Ecclesiasticæ: non tamen id obest; quia hæc Ordinem requirunt, & solum Clerico communicantur; at ius patronatus laico competit. Neque idem obest, esse inhabilem ad publica officia quia iuris patronatus exercitium non est officium publicum, sed primatum: nec semper exercendum, sed cum beneficium vacat.

DVBIVM XXIII.

Vn iura patronatus annexi vxoris bonis in dotem datus, transeant in maritum?

127 *Transeunt quidem.* TRanseunt quidem quia maritus dominus fit rerum dotalium: vnde marito, & non vxori iura competunt patronatus; nam hæc iura sunt illis bonis accessoria. Sic Glos. *ad leg in rebus, v. Natura li. C. de iure dotium* Tiraq. *post. leg connubial. glos. vlt. n. 5.* Gutier. *p. 3. de tutel c. 29 n. 3* Bacza *n. 18. 19. 30. & 33.* Garcia *p. 5. c. 9. num. 177.* Molina de *primog l. 1. c. 24. n. 3*

128 *Non transeunt.* Non transeunt quia maritus non est dominus dotis; sed vxor. *leg. in rebus. C. de iure dotium* ibi: *cum eadem res & ab initio vxoris fuerint, & naturaliter in eius permanserint potestate.* Ita Abbas *ad c. fin. de concess. prebend. n. 8.* & ibi Imola, & Butrius. Felin. *c. cum olim n. 2. de maioratu, & obedientia* Iason. *ad leg. Diuortio, § si vir in fundo, num. 7. ff. soluto matrim.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 21. q. 16.* & alij.

129 *Verius hoc mihi.* Cum his opinor. Nam esto, Maritus sit bonorum dotalium administrator, & ipsi debeantur illorum fructus ac commoditates. At hoc intelligendum est de fructibus, & commoditatibus, quæ ad sustinenda matrimonij onera possunt deseruire; nam ad hunc finem dos conceditur. Iura verò patronatus ad hunc finem nequeunt deseruire. Ergò marito non conceduntur.

DVBIVM XXIV.

An non tantùm bis, sed ter, vel quater possit patronus laicus variare in præsentatione cumulatiua?

130 *Nonnulla suppono.* POst institutionem factam neque patrono Ecclesiastico, neque laico permissum est variare, quia iam beneficium collatum est præsentato, & ius acquisitum, *c. quod autem, de iure patron.* Ante institutionem verò, patronus laicus variare potest. Ecclesiasticus verò non potest, quia Ecclesiastico datum est, qualitates, & dignitates nominatorum intelligere: non tamen laicis. Hæc autem variatio in eo sita est, vt facta præsentatione, possit patronus laicus alium nominare, non excludendo alium nominatum, sed illi alterum adiungendo. Nam si primum præsentatum excluderet, nulla esset secunda præsentatio, *c. cum autem, de iure patron.* Quæritur iam, an non tantum bis, sed ter, vel quater possit patronus laicus variare in præsentatione cumulatiua.

131 *Non potest.* Non potest, quia variare sententiam, & mutare consilium odiosum est ac temeritatem sapit, vt ait Baldus *leg. ius ciuile, ff. de iust. & iure*: ergo est restringenda variatio. Et quia facultas simpliciter data primo actu finitur *leg. datis promissio. ff. de iure dotium.* Quod intelligendum venit de facultate odiosa, & restringenda. At hæc facultas patronis laicis concessa, vt variare possint, est odiosa, *Clement. cum illusio de renunciat.* Non igitur nominatio ad plures est extendenda. Sic Gregor. Lopez. *leg 6. tit. 15. part. 5 glos. 1.* Garcia *p. 5. capit. 9. numer. 24.* Barbosa *p. 3. de potest. Episcop. alleg. 72. numero 172.* Nauar. *cap. Placuit, de pœnit dist. 6. num. 167. & 171.*

132 *Potest sane.* Potest profecto, quia hæc accumulatiua præsentatio vtilis est Ecclesiæ, siquidem plures offeruntur, vt Ordinarius valeat ex illis eligere, quem Ecclesiæ compererit aptiorem. Ita Glos. *in Clement. plures, de iure patron. §. fin. v. Plures, & v. Præsentare.* Abbas *ad cap. Quanto. de iudiciis, numero secundo.* Decius *ibi numer. 31.* Cardinalis *ad cap. Pastoralis de iure patron. fine.* Spino *de testam. glos. 4. numer. 75.* Azorius *p. secunda l. 6. capit. 21. quæst. 13.*

133 *Hæc placet opinio.* Magis mihi hæc opinio placet, cum nullum ex tertia, aut quarta variatione inconueniens refundatur Ecclesiæ. Nam casu quo patronus minus dignum aliquando vice secunda aut tertia, aut quarta præsentet: non tollitur Episcopo potestas primum præsentatum instituendi. Ergò nunquam hæc variatio Ecclesiæ infert nocumentum. Porrò primæ sententiæ ratio de variatione excluſiua, non de cumulatiua procedit.

DVBIVM XXV.

An Patronus, qui iuramentum, vel promissionem non variandi gessit possit variare?

134 *Poterit quidem.* POterit quidem, quia iuramento, vel promissione non tollit à se patronatum. Ergò neque priuilegium variandi, ei concessum. Sic Ioan. de Selua *tit. de benefic. p. 3. quæstion. 27.* Couar. *ad cap. Quamuis pactum, de pactis, p. secunda §. 2. numero quinto.* Alexand. *cons. 26. l. 3.*

135 *Non poterit.* Minime poterit, quia iuramentum accedens actui requirenti ad sui valorem authoritatem iudicis, seu præsentiam, ita illum firmat, vt irreuocabilem reddat, iuxta Glossam, & textum *in cap. licet mulieres de iureiur. in 6.* Sed præsentatio est actus, qui absque iudicis authoritate fieri non potest: ergò si iuramentum accedat de non variando illum, nequit variari. Ita Paul. Castrens. *l. 1. cons. 361. num. 9. & cons. 336. num. 11.* Curte *de iure patron. v. Honorificum, quæst. 12. num 37.* Gregor Lopez. *leg. 6. tit. 15 part. 1. v. Bien lo puede de facer.* Lambertin. *de iure patron. l. 2. p. 1. quæst. 7. a. 16.* Couar. *ad cap. quamuis pactum, de pactis p. 2. §. 2. num. 4.* Matienzo *leg. 3. glos. 13. n. 7. tit. 10. l. 5. recopilat.* Gutier. *p. 3. de iuram. confirmat. cap. 13. n. 136.*

136 *Idem esse.* Existimo verius esse ob iuramentum, vel promissionem factam de non variando, patronum impotentem variare reddi. Moueor tamen non tam ratione, nullam enim efficacem inuenio, quam tot Doctorum authoritate.

DVBIVM XXVI.

Laicus patronus præsentans indignum, priuaturne ea vice potestate eligendi?

137 *Priuatur quidem.* PRiuatur quidem, quia *cap. cum in cunctis, §. fin. de elect.* Eligentes indignum ad beneficia curata, pro illa vice priuantur potestate eligendi. Et *Authent. de sanctis Episcop. §. quis Oratoris domum, collat. 9.* dicitur patrono præsentante indignum debere Episcopum procurare, vt dignus instituatur. Ergò quia pro vice illa patronus priuatur eligendi potestate. Sic Ioan. Andr. quem refert, ac sequitur Panormit. *de offic. iudic. Ordin.* Gregor. Lopez *leg. 5. tit. 15. part. 1.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 22. quæst. 6.*

138 *Non priuatur.* Non priuatur, quia patrono laico non competit explorare vitam, & conditiones præsentati; sed examinandum, & approbandum tur. Ordinario remittit. ergo in culpa non est, quod indignum nominauerit, præsertim Trident. *sess. 7. cap. 13.* prohibente, ne vllus in beneficiis instituatur, nisi fuerit prius à loci Ordinario examinatus, & idoneus repertus. ergò priuandus non est potestate eligendi, si præsentatus repudietur, quia nullo modo præsumi debet, culpam in tali presentatione commisisse. Nam esto quilibet præsentans videatur obligatus, aptitudinem præsentati cognoscere ex *leg si patronus.* At hoc limitari debet, nisi alteri à patrono cognitio aptitudinis præsentati commissa sit, vt sit à Trident. Ita Lessius *l. 2. de iust. c. 34. dub 7. n. 18.*

139 *Hanc sententiam defendo.* Hanc sententiam defendo. Nullibi enim inuenio patronis sæcularibus (imo nec ecclesiasticis) hanc pœnam esse impositam. Nam esto in *Authent. de sanctis. Episc.* dicatur, patrono præsentante indignum, debere episcopum procurare, vt dignus instituatur, intelligo de procuratione per solicitationem, & mandatum: solicitando inquam, & mandando patrono, vt dignum præsentet. Mecum Ioan. Andre. & alij, faueteque *lex. 5 tit. 15. par. 1.* ibi: *Pero si el Obispo no quiere recebir el clerigo, que presentassen los patrones, para la Iglesia mostrando que no era digno ni la merece auer. de belo probar: y si lo probare, no debe ser recebido aquel, que los patrones presentaron, mas debese presentar otro que lo merezca.* Consentit *ibi* Gregor. Lopez. Porro *cap. cum in cunctis* loquitur de electoribus episcopi, & cum sit constitutio pœnalis non debet ad patronos extendi maximè in aliis beneficiis.

DVBIVM

DVBIVM XXVII.

Si præsentati ad beneficium non æquè digni sint, sed vnus alio notabiliter dignior, teneturne Episcopus, digniorem instituere?

140 *Status quæstionis.*

PVono, plures esse præsentatos, siue ab vno patrono, siue à pluribus. Et quidem si ab vno patrono plures præsententur æquè digni, liberum est Episcopo, instituere quem maluerit, *cap. cum autem cap. quod autem cap. Pastoralis de iurepatron.* Atsi præsentati non æque digni sint, sed vnus alio notabiliter dignior, quæsierim, an teneatur episcopus instituere digniorem.

141 *Non tenetur.*

Non tenetur, sed sufficit, si dignum instituat, quia neque iure naturæ, neque positiuo videtur obligatus ad dignioris electionem. Non iure naturæ, si quidem ex maiori, vel minori dignitate non competit præsentatis ius aliquod ad beneficium: alias ipse patronus obligatus esset digniorem nominare. Ex iure autem positiuo non apparet hæc obligatio. Nam licet *in cap. si fortè dist. 63.* dicatur Metropol. iudicio præferendum esse, qui maioribus studiis, & meritis iuuatur: non de nominatione, sed de electione ad Episcopatum est sermo: ergò in nominatione nullibi cauetur, digniorem esse præferendum. Sic Ioan. Andr. Hostiens. Anton. Cardinal. *ad cap. cum autem, de iurepatron.* Speculator *tit. de iurepatron. circa finem*, addens, satis esse si malus non eligatur.

142 *Tenetur sanè.*

Tenetur præferre digniorem, quia *capit. si fortè* præcipitur Metropolitano præferre electionem dignioris, non ob aliam rationem nisi quia maxime decet, vt in æquali iure electionis præferatur is, qui Ecclesiæ vtilior ac conuenientior est. Cum autem hoc in nominatione æque procedat, idem debet affirmari. Ita Abbas *ad capit. cum autem de iure patron.* Roch. *tract. de iurepatron. v. Honorificum, quæstion.* 15. Gregor. Lopez. *leg. 5. titulo 15. part. 1.* Azorius *p. secunda l. sexto capit. 22. quæstion. 14.* Barbosa *p. secund de potest. Epis. allegat. 72. num. 200.*

143 *Idem asserv.*

Probabilius existimo, stante plurium præsentatione inæquali, digniorem esse præferendum. Dignitas autem maior, vel minor non de scientia solum, sed & de moribus, ac dexteritate ad Ecclesiæ seruitium procul dubio æstimanda

***

DVBIVM XXVIII.

Si duo sint à diuersis patronis nominati, nec appareat excessus, Episcopus potestne alium tertium instituere?

144 *Potest quidem.*

POtest equidem, quia nullo iure cogitur Episcopus instituere alterutrum ex præsentatis, cum patroni in præsentando concordes non sint. Sic Syluestr. *v. iuspatronatus, quæstion. 8.* Vasquez *opusc. de benefic. capit. secundo §. 1. dub. 5. numero 16.* Lessius probabile id reputat. *l. secundo cap. 34. dub. 8. num. 33.* Azor. tenet *p. 2. l. 6. cap. 21. q. 19. fine.*

145 *Non potest*

Non potest, quia *cap. si fortè 63.* committitur in pari electione Metropolitani iudicio, digniorem præferre: & caueatur, ne Ordinatio fiat illius, qui non fuerit expostulatus: ergò cum in electione non sit locus contemnere electos, & alium non electum confirmare: neque etiam in nominatione debet fieri. Ita Castro Palao *t. 2. d. 2. de benef. pun. 9. n. 4.*

146 *Placet hæc sententia.*

Placet equidem hæc magis sententia argum. *cap. si fortè* firmata. Eadem enim est in vtroque ratio, videlicet, ne populus beneficiatum non optatum contemnat, aut odio prosequatur.

DVBIVM XXIX.

An ob peccatum mortale reddatur quis indignus, qui ad Beneficium eligatur?

147 *Quæstionis status.*

CErtum est, debere eligi dignum, nempe qui munus suum rite præstare possit: aliàs electio nulla erit. Quare nullatenus licet eligere excommunicatum excommunicatione maiori, suspensum, interdictum, aut irregularem, quia hi omnes ab administratione spiritualium sunt excluſi. Quæsierim autem, num ob peccatum mortale, in quo quis vel secreto cognoscatur id esse, reddatur indignus vt ad beneficium eligatur.

148 *Indignus redditur.*

Redditur profecto, quia *cap. cum in cunct. de elect.* eligendi ad beneficium debent habere scientiam & morum grauitatem. At qui in peccato lethali est, morum grauitate caret: ergò indignus est electione. Sic Panormit. *ad cap. si celebret, de cler. excommun. ministr. in sexto* Caietan. 22. *quæstion. 63. a. 2.* Sotus *l. 3. de iust. q. 6. a. 2. concl. 6.* Innocent. *ad cap. si celebret.*

149 *Non redditur ex infirmitate.*

Non redditur, quia peccator occultus præsumi potest, ex infirmitate peccatum perpetrasse, & pœnitentiam acturum. Ita Nauar. *miscel. de Orat. 34.* Azorius *p. 2. l. 6. cap. 14. quæst. 10.*

Dixerim, duplex esse peccatum, aliud notorium aliud occultum. Peccatum notorium tametsi depositione dignum non sit, reddit habentem illum indignum electione: vnde tam eligens, quam acceptans electionem, graviter delinquit. Quia scandali est causa, & quia rarò præsumi potest à peccato cessatus, & beneficium administraturus vtiliter. Secus dixerim de peccatore occulto ob rationem à secunda sententia Doctoribus indicatam.

Declaratio

DVBIVM XXX.

Ex vi institutionis Beneficiorum & spectata eorum natura, debentne sub graui obligatione dignioribus conferri?

151 *Non debet dignioribus conferri necessario.*

NOn debent dignioribus conferri: Quia beneficia instituta sunt in stipendium laboris iis, qui eis deseruiunt: non tamen vt præmia laborantibus proposita: sed ex hac ratione non infertur, beneficia danda esse dignioribus, sed sufficere, si digni conferantur. Vnde *Cap. Grauem nimis, de prab.* dicitur, vt prætermissis indignis, idoneos assumant. Idem colligitur ex *Cap. cum nobis, de elect.* & ex Trident. *sess. 7. c. 3.* Ergò facta electione digni, etiamsi dignior prætermittatur, nullum est peccatum. Adde: præter electionem ad Episcopatum, & beneficia curata prouidenda per concursum, nullibi cauetur, dignioremesse eligendum: Ergo non est hæc obligatio imponè in Sc Glos. *ad Cap. licet ergo qui præstantior, § 9.* Perusi. *ad cap. constitutis, & ibi* Imola, & Francus, *num. 4.* Rochus *de iure patron. v. Honorificum, quæst. 15.* & alij

152 *Debent præfectio.*

Debent omnia beneficia dignioribus conferri. Quia ius Canonicum non tam præcipit in beneficiis dignioremeligere, quàm huius electionis præceptum supponit. Nam in *Cap. vni. vt Ecclesiastica beneficia*, damnat Innocentius III. Mediolan. Episcopum, quod beneficium Cancellario consanguineo, seu familiari donasset. *Debuisti* (inquit) *Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare.* Ergò supponit, hanc esse obligationem. Et Trident. *sess. 24. c. 1.* ait, mortaliter peccare eos, qui diligenter non curant Ecclesiæ præfici, quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles iudicauerint. Et quàuis hic textus de Episcopis loquatur, cum eadem ratio sit in omnibus beneficiis curam animarum habentibus, idem est intelligendum. Præterea *Cap. vni. Vt Ecclesiast ca beneficia* non de beneficio curato, sed de simplici loquitur. Vnde in beneficiis his non inuenio firmam excusationem: cum negari non possit, vtilius esse Ecclesiæ, in ea præfici sanctiores, & Doctiores. Vsus autem conferendi beneficia simplicia dignis, cum digniores præ manibus habeantur, in causa non est, quominus negemus, obligationè esse præferèndi digniores, quia hic vsus, abusus debet nuncupari. Ita D. Tho. *2. 2. q. 63. a. 1. & 2. & 4. 185. a. 3.* Arag. *q. 62. a. 2. ad 4.* Valent. *tom. 3. d. 5. q. 7. pun. 2.* & Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 1. 8 & 9.* Conar. *reg peccatum. p. 2. §. 7. num. 4. & 5.* Palao *tom. 2. d. 1. de benefic. pun. 11. num. 8.* Nauar. *sum. c. 17. num. 73.* Vatq. *opusc. de benef. c. 2. §. 3. dub. 1. num. 50.* Molina *de primog l. 2. c. 5 num. 50.* & alij plures, quos refert Garc. *p. 7. de benef. c. 60. n. 2.*

Ego quidem distinctione vtar inter beneficia curata, & sine cura. De beneficiis curatis affirmo, esse peccatum mortale, eligere dignum dignitate omisso: secus in beneficio simplici. Priorem partem de beneficio curato probo ex loco Trid. allegato, & aliis rationibus pro secunda sententia adductis. Secundam verò de simplici aduicio, ne cogar, plures damnare Prælatos, quos communiter video beneficia simplicia, & quidem pinguia sibi familiaribus, & consanguineis conferre, cum tamen præ manibus alios dignores habeant; comparatione namque horum beneficiorum omnes videntur esse æque digni, cum omnes æquè possint officium diuinum recitare, quod est præcipuum horum beneficiorum munus. Mecum Gracia *p. 7. c. 6. n. 16.* & 17. Vega *in p. 2. c. 17. ca. in* 1. Angel. *v. electio n. 21.* Gabriel *in 4. dist. 15. q. 7. a. 3. dub. 1. propos. 2.* Nauarra *l. 2. de restit. c. 17. n. 172.* & 182. Gutier. *Canon. qq. l. 2. c. 11. n. 12.* & 28.

153 *Vide distinctione.*

DVBIVM XXXI.

Si ante electionem fuit electoribus denunciatum, vt digniorem eligerent, sin minus ex tunc à tali electione appellari: cassandane est talis electio.

154 *Nonnulla supponu.*

ELectionem factam digni, omisso digniori, validam esse, ne litibus via aperiatur, néue Respublica Christiana perturbetur, communis fert sententia. Quod adeo verum est, vt etiamsi electores se iuramento adstringerent, ad digniorem eligendum adhuc valeret electio digni, digniori prætermisso, quia iuramentum non immutat iuris cõmunis dispositionem, tametsi illud violantes periuri existant. Conar. aliis relatis *reg. peccatum p. 2. §. 7. num. 4.* Gutier. *canon. qq. l. 2. c. 11. num. 5.* Sed quid si ante electionem factam esset electoribus denunciatum, vt eligant digniorem, sin minus ex tunc à tali electione appellari? an sit cassanda huiusmodi electio?

155 *Cassanda est electio.*

Cassanda quidem est, quia facta est contra appellationem pendentem. Sic Abbas *ad cap constitutis, de appellat num 6.* Decius *ibi. num. 5.* Lambertin. *de iure patron. l. 2. part. 1. quæst. 10 articulo 3.*

156 *Non est cassanda.*

Non est cassanda, neque infirmanda talis electio, quia appellatio illa iniusta est. Si enim facta electione digni, omisso digniori, non licet à tali electione appellare, ne electiones, ac prouisiones litibus inuoluantur: quomodo ante electionem factam licitum erit hanc appellationem interponere: cum eadem inconuenientia ex antecedenti appellatione, ac ex subsequenti inferantur? Ita Glos. *ad cap. licet ergo, v. Qui præstantior. ante fin. 8. quæst. 1.*

Quam

Quam gloſſam ſequitur Imola,& Francus *Cap.conſtitutis 2. de appellat.*Couar.*reg.peccatum p.1.§.7.num.3.*Azor. *p.2.l.6.c.15.q.2.* Molina *de primog.l.2.c.5.num.48.* Gutier. *canon q3.l.2.c.11.num.23.*alios citans.

157 *Idem affirmo.* Affirmo his hæreſcens,non obſtante illa appellatione , validam , omninóque firmam eſſe electionem digni, omiſſo digniori:talemque appellationem , vtpote iuris contrariam penitus eſſe repellendam.

DVBIVM XXXII.

Si in Beneficiis parochialibus , quæ per concurſum prouidentur , eligatur dignus,omiſſo digniori: electio eſtne ipſo iure irrita?

158 *Non eſt iure ipſo irrita.* NOn eſt irrita ipſo iure , ſed irritanda per ſententiam. Quia inde ſequeretur, collationes factas ab inferioribus Epiſcopo , & inſtitutiones Epiſcopi ex præſentatis à patronis Eccleſiaſticis eſſe nullas,ſi forte non ſint electi digniores : quod non videtur dici poſſe , cum ſic inſtituentes , & conferentes in culpa non ſint : vtpote quibus non datur dignionm electio , ſed alis committitur , ipſiſque mandatur inſtituere à patronis electos. Sic Garcia *p. 9 c.2.num.235.* Vgolin.*de offic Epiſc.c.*50 §.23.*num.4.* Certè appellatione non obſtante , mandatur electio executioni : ergò ſignum eſt, cenſeri à Pontifice validam , dum non infirmatur.

159 *Eſt irrita ipſo iure.* Ipſo iure eſt irrita. Quia Trident. *ſeſſ. 24.c.* 18. ſtatuit debere beneficia , dignioribus ex approbatis ab examinatoribus conferri:& ſubdit. *Prouiſiones omnes , ſeu inſtitutiones præter ſupra dicta facta ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.* Idem Pius V. decreuit in Bulla data 15. Kalend. April. anno 1566. Ergo cum Vnum ex præcipuis decreti Concilij & Pontificiæ conſtitutionis ſit dignioris electio , ſi hæc non ſeruatur , irritum erit , & nullum quidquid actum fuerit. Ita Gonzal. *reg.* 8.*Cancel gloſ.*4. *num.*136.Spino *de teſtam gloſ* 4.*num.*86.Azeuedo *conſ.9.num.*27.Rebel. *p.*1.*de inſti.l.*3.*q.* 4.*n.*15.*&* 9.5.*n.*5.

160 *Hanc ſententiam eligo.* Hanc eligo ſententiam.Nam cum videam in decreto Concilij , & conſtitutione Pij V. ſtatui , digniori beneficium parochiale eſſe conferendum , & ſubdi decretum irritans,& annullans , ſi ſecus in præmiſſis omnibus, & ſingulis actum , aut attentatum fuerit , ipſo iure exiſtimo eſſe irritam electionem , ſententiamque nullatenus expectandam.

Hanc mentem probauit Rota in deciſionibus relatis à Farinacio *in nouiſſimis* 672. & 674.

DVBIVM XXXIII.

An eligens dignum , prætermiſſo digniori , quem eligere tenebatur debeat aliquid digniori ipſi relicto reſtituere?

CErtum eſt electorem, qui indignum elegit , obligatum eſſe reſarciendi Eccleſiæ damna inde ſecuta. Si autem eligatur dignus omiſſo digniori , nullam eſſe obligationem reſtituendi aliquid Eccleſiæ exiſtimo. Quia ei nulla irrogatur iniuria,cùm competens miniſter aſſignetur , cuius labor ſtipendio ſibi dato adæquatur. Difficultas autem ſubdit , an ipſi digniori relicto aliquid eligens debeat reſtituere. 161 *Status quæſtionis.*

Reſtituere non debet. Quia obligatio reſtitutionis naſci non poteſt , niſi ex læſione commutatiuæ iuſtitiæ : At nemo ante electionem , vel præſentationem ius habet iuſtitiæ, vt beneficiū ei conferatur. Ergo digniori prætermiſſo nulla eſt obligatio reſtituendi. Minorem probo , quia beneficium eſt ſtipendium miniſtrorum laborantium in vinea Domini : datur enim ob officium inibi impenſum. Non tamen eſt præmium miniſtris ob eorum dignitatem conſtitutum , neque ſtipendium ob laborem , quem antè acceptationem beneficij expenderint : Ergo dignioribus miniſtris non eſt beneficium ſpecialite debitum. Item ſi beneficium digniori eſſet ſpecialiter debitum,dignus , cui eſſet collatum , illud dimittere , tum ratione iniuſtæ acceptionis,tum ratione rei acceptæ,quam in digniorem transferre poteſt. At nullus accipientem hac obligatione adſtringit : Ergò nec electorem illa eſt adſtringendus. Sic Nauar. *ſum.c.*17.*num.*72.Sotus *de inſt.l.*4 *q.*9.*a.*3.*ad* 6.Couar.*reg peccatum p.*2.§. 7.*n.*6.Molina *de primog.l.*2.*c.*5.*num.* 57. Valent. *to.*3.*d.*5.*q.*7. *pun.*2.*queſtiunc.*6.Tolet.*l.*5.*c.*4.Azor.*p.*2.*l.*6. *c.*15.*q.*2.Leſſius *l.*2.*c.*34.*dub.*5.Rebel. *p.*1.*l.* 3.*q.*4.*&* 5. 162 *Non debet reſtituere digniori.*

Digniori prætermiſſo reſtitutio debet fieri , quantum æſtimari poteſt ius , & ſpes , quam habebat beneficij conſequendi , quia communiter Doctores tradunt , omittentem digniorem , & conferentem digno beneficium , peccare peccato acceptionis perſonarum , & contra diſtributiuam iuſtitiam : Ergò obligatur digniori damnum factum reparare.Tum quia aduerſus obligationem proprij officij delinquit ; ratione cuius obligatus erat , dignioribus beneficia impertire.Ita Cai. 2.2.*q.*62.*a.*2.*ad* 4.Arag.*ibi.a.*2. Salon *q.* 63.*a.*4.*& ibi Bannes.* Syluest.*v.Reſtitutio* 3. *q vltim.*Nauarra *l.*2.*c.*2.*n.*176. Manuel *tom.* 1.*ſum.c.*168.*num.*6. Medina *ſum libro prim. cap.*14.§.32. Petr. Ledeſ. *part.ſecund. tr.*8. *cap* 4 *concluſ.*1. Vaſquez *opuſc. de benefic. c.* 2.§.3.*dub.*17 & alij. 163 *Digniori debet reſtituere.*

Ego autem probabilius exiſtimo, nullam eſſe reſtituendi obligationem digniori prætermiſſo , cum dignus ad beneficium eligitur , quod 164 *Auctoris reſolutio.*

quod absque prequio examine, æmulatione, & concursu competitorum prouidetur, quia nullus licet dignissimus sit, habet ius ad beneficium, nisi tuò conditione, quod conferens ei conferre voluerit. Ergò antecedenter ad hãc voluntatem solùm habet ius ex quadam decentia, & proportione in eius dignitate fundata, quæ petit, vt potius ipsi, quam aliis beneficium conferatur. In beneficiis autem, quæ competitorum concursu prouidentur, longè probabilius reor, obligationem esse restituendi digniori omisso, cum digno beneficium confertur: & obligationem esse restituendi digno, cum indignus eligitur.

DVBIVM XXXIV.

Si Antonio digno quidem Beneficium collatum est, quod Petro digniori ex obligatione erat conferendum: teneturne Antonius Beneficium in fauorem Petri resignare?

165 *Tenetur planè*

TEnetur plane, quia obligatus est, satisfacere digniori damnum illatum: At hoc nulla alia satisfieri aptius potest, quam resignatione facta: Ergò illam gerere tenetur. Sic Rebel. *part. prim. de oblig. iust. l. 3. q. 6. à num. 6.*

166 *Non tenetur?*

Non tenetur, quoties beneficij collatio est firma, de se perpetua. Quia digniori beneficium dandum esse, non erat certum. Et quia beneficio acquisito, non videtur ille obligatus spoliari, quousque sententia accedat. Ita Lessius *lib. secund. cap. 34. dub. 15. num. 76.*

167 *Idem defendo.*

Meo adhæreo Doctori, monens quidem, notanter me addidisse illa verba: *Quoties beneficij collatio est firma*, vt excluderem collationem beneficij parochialis per concursum obtenti, quam probabilius defendi, nullam esse factam digno in concursu dignioris. Quia tunc teneretur digniori cedere, sicuti si indigno esset beneficium collatũ. Rarò tamen, vel nunquam præsumere quis debet, esse minus dignum notabiliter; nam esto dotibus scientiæ videat alios sibi præferri: præsumere tamen potest aliquam causam occultam adesse, ob quam elector aliis illum prætulerit: & posita hac præsumptione, beneficium resignare non debet, quia in casu dubio nemo tenetur, se iure acquisito spoliare.

DVBIVM XXXV.

Cum Pontifex in sex alternatiuæ concessæ Ordinario Beneficia vacantia prouidet: teneturne ei iuri concesso derogare?

168 *Nonnullæ suppono.*

SVppono, non teneri Pontificem iuri Ordinariorum derogare expresè, cum beneficia vacantia in quatuor mensibus à iure concessis Ordinario, prouidet. Qui Pontifex conferens beneficium notitiam habet temporis vacationis, & non obstante hac notitia, confert. Ergò intendit præuenire. Ergo non est opus alia derogatione. Garcia *p. 5. c. 1. num. 9.* id pluribus Rotæ decisionibus comprobat. Quæstioni autem do, an idem sit dicendum, cum Ordinario est gratia alternatiua cõcessa, & Pontifex prouidet beneficiũ vacans in alternatiuæ mensibus? Teneturne Pontifex iuri huic concesso derogare? 169

Non tenetur, quia alternatiua nihil aliud facit, quam tollere reseruationem illorum sex mensium, & relinquere Ordinariis potestatem expeditam in illis mensibus prouidendi, sicuti relinquit, cum quatuor menses concedit: sed ex concessione quatuor mẽsium non infertur Pontificem arctatum esse ad derogandum, cum beneficium illis mensibus vacans concedit: Ergo neque arctatur, cum beneficium concedit mensibus alternatiuæ vacans, quia concedit gratiam, vt cumulatiuè ipse possit prouidere, & locus detur præuentioni. Sic Garcia *suprà num. 9.* adducens plures Rotæ decisiones. Riccius *collectan. decis. p. 5. collect. 1595.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 57. n. 16.* *Non tenetur.* 170

Tenetur equidẽ, quia nulla facta derogatione, credendũ est, Pontificẽ intelligere beneficia vacare in mensibus sibi reseruatis: vel saltem in mensibus à iure Ordinariis concessis: non in concessis ex speciali gratia, qualis est alternatiua. Ita Mohedan. *dec. 5. 1. num. 4. de concess. præbendæ.* Puteus *decis. 492. num. 2. l. 2.* Felin. *ad Cap. cum ex officio, num. 36.* Gonzalez *ad reg. mens. § 4. præmij, à n. 20.* *Tenetur equidem.* 171

Profectò spectato iuris rigore, probabilius esse crediderim, non valere prouisionem Pontificis factam de beneficio vacante mensibus alternatiuæ, nisi expresè deroget huiusmodi gratiæ. Quòd nisi id Pontifex exprimat non consensus est velle gratiæ alternatiuæ derogare, quia hęc concessa est Ordinariis, & ab ipsis acceptata sub onere residendi: Ergo posita residentia, iniustè illis gratia derogaretur. Concedo per gratiam alternatiuæ tolli obstacula, & remoueri reseruationem: & Ordinarios illam habentes manere expeditos ad prouidenda beneficia illis mensibus vacantia; nego tamen, inde inferri, censeri Pontificem sibi reliquisse potestatem illa iure ordinario conferendi, sed solum iure extraordinario, & facta derogatione, quia alternatiua est specialis gratia derogans communi iuri, cui non censetur Pontifex, nisi exprimat, derogare. *Sententia Authoris.*

DVBIVM XXXVI.

An Prouisio Beneficiorum, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, competat, Capitulo Sede vacante?

LIcet verum sit, Capitulum Episcopo succedere in iis, quæ Episcopo iure ordinario competunt: at quia collatio beneficiorum ab hac regula excepta est *Cap. 2. Ne sede vacante; & Cap. 1. de institution.* nequit 172 *Nonnulla præmitto.*

quit Capitulum se in hac prouisione intromittere. Et hoc verum habet, licet beneficium viuente Episcopo in mense ipsius vacauerit, neque ab illo fuerit prouisum, vt annotat Molina *tr. 5. de iust. d. 11. num. 11.* Porrò doctrina hæc non solum de propria collatione, sed etiam de electione, vel præsentatione ad Episcopum spectante intelligenda est. Quia sunt fructus Episcopalis dignitatis, & prohibitio generalis est. Quæsierim verò an beneficia, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, Capitulo competant?

173 *Competunt quidem.* Competunt quidem, quia prouidere beneficium deuolutum actus est Episcopalis iurisdictionis omnino necessarius ad rectam Diœcesis administrationem: sed in iurisdictione necessaria Episcopi succedit Capitulum sede vacante, vt tradit Glos. communiter recepta *in Clement. 1. §. 1. v. Capituli, de hæretic.* ergo succedit in hac beneficiorum prouisione. Sic Ioan. Andre. dominic. *ad Cap. Quamquam, de elect. in 6.* Zerola *in praxi p. 1: v. Capitulum, § 5 & p. 2. §. 10.* Zechus *de benef. cap. 5. num. 5.* Molina *tr. 5. d. 11. num. 12.*

174 *Non competunt.* Minimè competunt. Quia Episcopus non arctatur aliquo speciali titulo beneficia deuoluta prouidere, quo non arctetur ad prouidenda ea, quæ iure ordinario competunt: sed quæ Episcopo iure competunt ordinario, non transeunt in capitulum; Ergo neque deuoluta possunt transire. Ita Garcia *p. 5. c. 7. num. 52.* plures referens Azor. *p. 2. l. 3. cap. 38. q. 6. & l. 6. c. 27. q. 9.*

175 *Hæc verius mihi.* Hoc verius esse reor. Nam Episcopus beneficia deuoluta non tam iure ordinario, quàm iure delegationis prouidet: sed Capitulum non succedit in iis, quæ Episcopo iure delegationis, etiam à iure communi inductæ, competunt Abbas *ad Cap. cum olim, q. 5.* Sanch. *l. 8. de matr. d. 2. n. 10.* Ergo neque succedit in beneficiorum deuolutorum prouisione.

DVBIVM XXXVII.

Potestne Capitulum sede vacante, Beneficia permutata prouidere?

176 *Quæstionis status.* SCio, prouidere non posse beneficia parochialia quæ per concursum prouidentur: nec beneficia patrimonialia nec resignata, licet valeat resignationes admittere. Quæsierim autem, num possit beneficia permutata conferre?

177 *Potest profecto.* Potest profectò. Quia permutantes compellere possunt superiorem admittentem permutationem, vt sibi beneficia permutata conferat: sub illo enim onere permutatio est facta. Cum ergo Capitulum potestatem habeat collationes necessarias peragendi, *argum. Cap. cũ olim, de maiorit. & obedient. & Cap. 1. de instit. in 6.* poterit hæc beneficia permutata compermutantibus conferre, quod verò Ordinarius possit hanc permutationem admittere tradit Zerola *in praxi p. 2. v. Capitulum §. 7.* & Rebuf. *praxi, tit. de deuolut. num. 95.* Quia potest resignationem simplicem admittere: Ergo permutationem, quæ minus est. Et quia admissio permutationis est Episcopalis iurisdictionis actus ad rectam Diœcesis administrationem pertinens: transit ergo in Capitulum, cum non inueniatur in iure excepta. Sic Glos. in *Clem. 1. de rer. permut.* Immola relato. Gregor. Lopez *leg. 2. tit. 6. part. 5. num. 6.* Petr. de Perusio *tr. de permut. benef. p. 2. q. 6. num. 23. & 24.* Zechus *de benef. 6. 10. num. 2.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 4.*

178 *Non potest.* Non potest, quia has permutationes admittere necessariò debet, qui habet potestatem beneficia permutata conferendi, siquidem vnusquisque permutans hac intentione, & cõditione proprium beneficium resignat, vt loco illius beneficium alterius sibi conferatur. Ergo admittens permutationem, necessariò habere debet potestatem beneficia conferendi. Cum ergo Capitulo interdicta sit collatio ad Ordinarium libere spectantium, & hæc permutationis admissio interdicta erit. Puteus *decis. 262. l. 2.* Mantica *de tacitis & ambigu. conuention. l. 25. tit. 9. num. 12.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. q. 10.* Mandos. *reg. 1. cancel. q. 13.* Garcia *p. 11. c. 4. n. 82.*

179 *Auctoris resolutio.* Verius existimo, non posse Capitulum resignationes ex causa permutationis admittere. Concedo permutantes compellere posse superiorẽ permutationem admittentem, vt illam perficiat, beneficiaque permutata conferat: & sic facta permutationis admissione, collationem esse necessariam. Nego tamen inde inferri posse Capitulum & beneficiorum permutationẽ admittere, & beneficia permutata conferre. Quia necessitas huius collationis non aliunde, quam ex libera permutationis admissione prouenit. Cum ergo dicitur, posse Capitulum beneficia quæ sunt necessariæ collationis Episcopi, intelligendum est quando sunt necessaria necessitate absoluta, & ab aliis ipsi Episcopo imposita. Secùs verò quando sunt necessaria ex suppositione: necessitate inquam ipse Episcopus sibi imponit libere admittens permutationem. Cum vero vrges, admittere permutationem esse actum Episcopalis iurisdictionis, quæ in Capitulum transit: respondeo, esse quidem actum iurisdictionis Episcopalis, sed Capitulo interdictum, cùm ei interdicta sit beneficiorũ collatio, quam secum permutationis admissio necessario inuoluit.

DVBIVM XXXVIII.

An Vicarius generalis, cui ab Episcopo commissa est facultas Beneficia conferendi, debeat esse generalis Vicarius non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus?

180 *Non illa suppono.* VIcarius tam foraneus quam generalis non habet potestatem beneficia conferendi, nisi habeat speciale mandatum: concedi enim potest Vicario generali hæc potestas nempè vt præsentatos à patronis instituat, & electos confirmet. *Cap. Et frequẽtibus, de instit. Cap. fin. de officio Vicarij in 6.* Foraneo autem Vicaria hæc potestas non conceditur, imò nec concedi posse communis fert sententia, quia beneficiorum collatio est res magni momenti,

ti,sedulamque examinandorum prouidentiã requirit,vt meritò fieri nõ debeat ab alio,quã ab eo, qui pro totius Diœcesis gubernatione est constitutus.Hæc mihi certa.Quæsetim vero,an Vicarius generalis hic, cui hæc potestas conferenda est,debeat esse generalis Vicarius nũ solũ in spiritualibus,sed etiã in tẽporalibus?

181 *Debet esse Vicarius in spiritualibus,& tẽporalibus,*

Debet esse Vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus?quia solus ille dici debet generalis Vicarius Episcopi qui vices illius gerit in omni regimine Episcopo competenti: At cum Episcopo competat rerum temporaliũ ac spiritualiũ administratio *Cap.si quis.1 q.3.* similis administratio debet generali Vicario cõpetere. Sic Paulin.*de of.& potest.Capituli se. de vacante q.10.n.31.*Rebuf.*tit.de vicar.n.8.* Sbrotius *de vicar.Episc l.l.2.q.90.*Az *p.2.l.3. c.43.q.7.*

182 *Non debet esse in utrisque sed sufficit esse in spiritualibus.*

Non debet necessariò esse Vicarius in temporalibus & spiritualibus, sed sufficit in spiritualibus vices Episcopi gerere, vt ei hæc facultas possit committi,quia vicarius pro spiritualibus tantum constitutus, absolutè vicarius generalis nũcupatur,vt ex Bullis Apostolicis testantur Doctores.Ita Flam.Paril. *de resign.l.8.q.7.n.*187.Trident audi *sess.13. c.2 seu illius etiam vicario in spiritualibus generali.* Sbrotius *de vicar.Episc.l.1.q.25.n.4.* Sanch.*l. 3.de matr.d.29.n.*11.Garcia *p.5.c.8 nu.* 122. Barbos.*p.3.de potest.Episc.alleg.54. num.* 57. & alij.

183 *Hanc sententiam censeo probabiliorem esse.*

Hanc sententiam censeo probabiliorem esse. Cui doctrinę non obstat,Vicarium pro spiritualibus & temporalibus constitutum generaliorẽ esse,quòminus cõstitutus pro spiritualibus,vel temporalibus tantum generalis nuncupetur, est enim generalis,quia est pro tota Diœcesi,& comparatione vnius genetis vniuersalis causarum.

DVBIVM XXXIX.

Ex facultate absoluta conferendi Beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, potestne Vicarius electiones, ac præsentationes beneficiorum Episcopo competentes facere?

184 *Non potest.*

NOn potest,quia aliud est cõferre,& aliud præsentare,seu eligere,vt manifestè probat textus in *Cap.cum illis 16.§.cum autem inter collationem,institutionem, & præsentationem differentia magna esse noscatur.* Ergo sub potestate conferẽdi non comprehenditur potestas eligendi, & præsentandi.Sic Garcia *p.5.c.8.n.*83.plures referens.

185 *Potest equidem.*

Potest equidem,quia licet collatio, præsentatio,electio,&institutio distinguantur,neque sub verbo collationis illi provisionis modi comprehendantur:at hoc intelligendum est in mandatis ambitiosis,quæque restringenda sũ,de quibus loquitur textus *Cap.cum in illis* sed non in mãdatis,& facultatibus ordinariis, quæ latissimam habere debent significationem: quales est hæc potestas: in his enim sub verbo *conferendi* omnes provisionis modi clandi debent.vt colligitur toto *tit. Vt Ecclesiast.benefic.sine diminut.conferant.in fine,vt conferant,* iuncta Glossa Ita Lambertin.*de iurepatronat.part.prim.lib.2.q.4.articul.*4. Az. *p.2.l.3.c.44.q.10.*

Probabilius censeo, sub hac potestate absoluta conferendi beneficia potestatem eligẽdi,& præsentandi comprehendi.Hinc autem fit,posse Vicarium ex huiusmodi facultate beneficia commendare in illis casibus,in quibus, commendæ permittuntur, quia commendatio vel est propria beneficij collatio,vel quid minus illa.Azor. *part.secund.l.3.c.44 quæst.* 10. Barbosa *parte tertia de potest.Episc.alleg. 54.num.64.* 186 *Idem defendo.*

DVBIVM XL.

An Vicarius possit extra Diœcesim potestatem sibi datam ab Episcopo conferendi Beneficia, exercere?

NOn potest,quia iurisdictio Vicarij in hac parte est delegata,sed delegatus infetioris a Principe neqnit extra territoriũ delegãtis iurisdictionẽ exercere,vt tradit Bartol.*ad ad l.1.C.de summa Trinit.num.40.& ad leg.1. num.2.ff.de officio Proconsulis.* Cum ergo vicarius iurisdictionem in conferendis beneficiis habeat non à Principe,seu Pontifice, sed ab Episcopo,sicut legatus à Proconsule,extra diœcesim beneficia conferre non poterit. Ita Bald.*ad leg.1.nu.1.* Barbat.*Cap.Nouit.de offic. legati,n.*17.Anastas.Germon. *de indul. Cardinal.§.Tibi quoad num.*88.licet *n.*89.dicat, æquum esse contrarium. 187 *Non potest.*

Potest profecto sicut potest Episcopus,quia ideò Episcopo conceditur iurisdictionis voluntariæ exercitium extra propriè diœcesim, nam ratione huius exercitij nullam Episcopo illius diœcesis irrogat iniuriam.Sed eadem prorsus ratio militat in eius Vicario:neq; enim exercitium Vicarij aliud est ab eo exercitio Episcopi:neque magis præindicabile:Ergo concessa Episcopo potestate exercendi iurisdictionẽ voluntariam extra diœcesim, & Vicario est concedenda.Ita Couar.*l.3.var.c.20.nu.*8.Barbosa *p.3. de potest. Episc. allegat.54. nu* 64. Garcia *p.5.cap.8.num.*126.Azor.*p.2.l.3. cap.* 44.*q.*9.Sanch.*l.3.de matr.d.*34.*num.*2. Gonzalez *glos.*62.*num.*3. & alij apud ipsos. 188 *Potest equidem.*

Eiusd. sũ mentis,imò doctrinã extendo non solum ad collationem beneficij rigorosam,sed etiam ad institutionem, & confirmationem. Nam licet necessariũ sit Vicario aptitudinem præsentati,& electi constitutio cognoscere,vt legitimè institutionem,& confirmationẽ agere valeat,*c.fin.de elect.in 6.* At quia hæc cognitio extraiudicialis esse potest, ideo institutio, & confirmatio, sicut & collatio beneficiorum extra diœcesim fieri proculdubio potest. 189 *Eiusdem mentis sum.*

DVBIVM

DVBIVM XLI.

An procurator generaliter constitutus, possit possessionem Beneficij acceptati apprehendere?

190 *Potest plane.*

POtest equidem, quia talis possessio ad factum pertinet, & non ad ius: Ergo mirum non est si à procuratore generale habente mandatum possit obtineri. Sic Conar. *l. 3. var. cap. 16. num 9.* Vasquez *opusc. de benef. cap. 4 §. 4. dub. 6.*

191 *Non potest.*

Non potest, sed speciale mandatum requiritur. Quia licet possessio beneficij accepti ius non concedat in beneficio (quod quidem sub lite est) est tamen acceptationi beneficij accessoria, illius perfectio, & complementum. Ergò imitari debet naturam illius, cui accedit. Cum ergo ad acceptationem beneficij requiratur vt procurator habeat speciale mandatum, etiam in possessione est requirendum. Ita Glos. *ad Cap. si tibi absenti, de prabend. in 6. v. Habuerit* Imolin *ad leg. 1. §. Per procuratorem ff. de acquir. possess.*

192 *Inveniat & quomodo beneficij possessio acquiratur aliisio.*

Cum his opinor si autem rogites quonammodo beneficij possessio acquiratur? respondeo cum Conar. *citato num 10.* necessariò acquiri corporali inductione traditioneve beneficij: neque sufficere investituram datam à potenti tradere possessionem signo aliquo manifestatam, scilicet pileo, annulo, aut libro. Quia hæc investitura solum opere confirmat collationem, seu institutionem verbo factam: vel saltem dat licentiam ipsi instituto, vt beneficij vacantis possessionem apprehendat: non tamen est ipsa beneficij possessio, quæ corporalem traditionem beneficij expostulat. *Cap. vt nostram. Cap. Ad hæc. §. in quadam, de offic. Archidiac.*

CAPVT XI.

Circa formam, & conditiones seruandas in Beneficiorum prouisione

DVBIVM XLII.

An in electione Beneficij reprobetur quælibet conditio, si Beneficio insit?

193 *Nonnulla suppono.*

CONVENIVNT Doctores prouisionem beneficij gratis fieri debere puræ, & absque conditione, *Cap. In electionibus, de elect. in 6.* ibi: *In electionibus, & postulationibus, ac scrutiniis ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, alternatiua, vel incerta penitus reprobamus.* Comparatione autem conditionis de præsenti beneficio annexæ dispositionem præfati textus locum non habet, sed fieri potest collatio beneficij sub qualibet conditione, quæ beneficio insit, vt §. dicas: confero tibi beneficium si vacat, si habilis es. Quia hæc conditio cuilibet collationi est annexa tametsi non exprimatur: Ergo illius expressio non potest collationem vitiare. Extenditur doctrina non solum ad conditionem quæ de facto beneficio insit, sed etiam ad quamlibet conditionem de præsenti, aut præterito. Quia hæc conditio non facit collationem conditionalem, neque illam suspendit. *argum. leg. 3 ff. de legat. 1.* Conar. *l. 3. var. cap. 16. num. 2.* Vasquez *opusc. de benef. cap. 4. § 4. dub. 1. num. 241.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. quæst. 3.* Garcia *p. 8. c. 2. num. 9.* Iam requiro an in electione beneficij quælibet conditio reprobetur?

194 *Reprobatur quidem.*

Reprobatur quidem. Quia expresse id statuitur in præfato *Cap. In electionibus. In electionibus* (inquit) *vota conditionalia reprobamus.* Sic Conar. *citatus* cum Glos. *ad idem Cap. Archidiac.* Dominic. *ibid. num. 10. & 11.* Francus *num. 5.* & alij. Adijcio Garciam asserentem ideo dicendum esse de conditione de præsenti ac præterito, quæ beneficio non adsunt.

195 *Non reprobatur.*

Minimè reprobatur electio expressione illorum, quæ beneficio insunt, etiamsi in modum conditionis exprimantur eodem modo, quo insunt: neque in hac parte constituenda est differentia inter electionem & collationem. Quia eligens ad beneficium, tacite onerat eligendum omnibus conditionibus quæ iure ipsi beneficio insunt; has enim à beneficio separare non potest. Ergo quamuis illas conditiones exprimat, non potest inde electio detrimentum pati. Ita Corras. *p. 4. de benef. c. 3. n. 24.* Lambertin. *de iure patron. p. 2. l. 2. q. 3. a. 9. num. 2.*

196 *Hoc probabilius esse reor.*

Hoc probabilius esse reor. Quia ex appositione harum conditionum non redditur electio conditionalis, vt de se constat: neque etiam obscura, & incerta; cum supponamus fieri de persona certa, & determinata, & de beneficio vacante. Ergò nullo ex capite vitiari poterit.

DVBIVM XLIII.

An finito edicti tempore, ante finitum examen oppositorum, datur locus subscriptioni, vel oppositioni aliorum in Beneficio parochiali?

197 *Non datur locus aliis.*

MInimè datur locus, vt alius ad oppositionem ab Episcopo admittatur, quia terminus in edicto ponitur, vt intra illud fiat oppositio, & extra illud fieri non possit: alias termini appositio inutilis esset. Porrò ex edicti appositione obligatur ordinarius iis, qui se in illo termino scribunt, beneficiū prouidere. Ergè contra iustitiam faciet, si alios ad prouisiones admittat. Sic Franc. Leo *thesaur. fori Eccles. cap. 18. num. 30.* Genuens. *prax. capit. 66. in annotat. num. 17* Quia referunt, sic sacram Congregationem declarasse.

198 *Locus datur.*

Locus datur, quia etsi rigore iuris prima sententia sit vera, ex æquitate ob fauorem Ecclesiæ

clesiæ est introductum: vt terminus in edicto parochialium appositus ad excludendam oppositionem illius, qui ante peractum examen oppositorum comparuerit examinandus; sed ne vltra illum terminum debeat ordinarius expectare: sed potius illo transacto debeat beneficium prouidere iis, qui transcripti fuerint: nisi alij ante peractum examen digniores subscribantur. Ita Gonzalez *glos. 9. § primo numer.* 115. Garcia *p. 9. cap secund. num.* 206. Barbosa *p. 3. de potest Episc. allegat. 60. num. 46.* qui asserunt sic à Sacra Trident. Congregatione esse decisum.

199 *Probabilius hic.*

Verior mihi sententia hæc. Fateor namque, spectato iuris rigore, haud esse admittendos, qui finito edicto terminos se subscribunt examinandos: at ex consuetudine admittis; ideoque in edicto hanc tacitam conditionem imbibi, dandum, inquam beneficium iis, qui in termino edicti descripti fuerint, nisi ante peractum examen alij digniores describantur.

DVBIVM XLIV.

Elapso anno designationis examinatorum Ecclesiarum parochialium, quam præscribit Concilium, & synodo non celebrata, potestne Episcopus cum Capituli consilio examinatores designare, quibuscum examen legitime celebretur?

200 *Nonnulla de examinatoribus ad beneficia parochialia præmitto.*

SVppono, Tridentinum *sess. 24. cap. 18.* præcipere examinatores parochialium debere magistros, seu doctores aut licentiatos in theologia aut iure Canonico: vel alios Clericos, seu Regulares ex Ordine etiam Medicantium, aut etiam seculares, qui adid videbuntur idonei: electos tamen in synodo Diœcesana, in qua ad minus sex eligendi sunt, licet non omnes simul ad examen concurrere debent, cum tres tantum sufficiant. omnes tamen ad Sancta dei Euangelia, se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros. Verum si in synodo Episcopus eligat solum quatuor vel quinque electio valida non erit, quia Cõcilium ad minus sex eligendos esse decreuit. Garcia *p. 9. c. 2. num. 64.* asserens, ita à Sacra Congregatione fuisse decisum. Celebrata singulis annis synodo, designatio examinatorum cum celebratione nouæ Synodi cessat. At si synodus annis singulis non celebretur, designatio examinatorum finito anno non expirat, sed durat quousque alia designatio in synodo succedat. Si quidem Cõcilium solum dixit, vt singulis annis designatio in synodo fiat. Supponens, annis singulis synodum celebrari debere. Si autem intra annum senarius numerus examinatorum non perseueret, non ideo in reliquis officium spirat. Licet enim non remaneant sex ex quibus tres eligi valeant sufficit quod remaneant tres eligendi. Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 60. numero 69.* Porrò si vnus vel duo solum remaneant, adhuc in illis officium remanet, quia quãdo forma præscripta seruari non potest precise vt dispositum est, sufficit quod eo modo, quo potest, asseruetur. Garcia asserens ita esse à Congregatione expositum. Iam requiro, non elapso anno designationis, & Synodo nõ celebrata, possit Episcopus cum consilio Capituli examinatores designare, quibuscum examen legitime celebretur?

201 *Potest Episcopus.*

Potest equidem. Quia Episcopo iure ordinario competit, examinatores ad beneficia designare *Cap. Accepimus*, & ibi Glos. *de ætate, & qualitate*, quæ potestas per Concilium sublata non est, sed solus præscriptus modus illa vtendi, scilicet in synodo Diœcesana, casu quo celebretur: Ergo non celebrata synodo, poterit Episcopus examinatores designare, sicut potest quando intra annum deficiunt ægritudine, ablentia, vel obitu. Sic Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 60. num. 50.* Garcia *p. 9. c. 2. num 90.* Ric eius *prax. decis. 418. & resol. 353.* asserens sæpe id fuisse à Sacra Congregatione decisum.

202 *Non potest.*

Non potest, quia esto essent examinatores designati a potente illos designare; quia tamen designantur in synodo, quæ celebrari potest, non sunt examinatores, quales concilium ad parochiales requirit. Vnde prima sententia solum est vera casu, quo Episcopo ob pestem, vel aliud impedimentum non liceret synodum congregare. Ita Castro Palao *tom. secund. d. 3. de benef. pun. 2. § 3. n. 6.*

203 *Primam sententiam defendo.*

Primæ sententiæ adhæreo, mei Castro venia quam video vsu esse receptam, quam à simili confirmo ex designatione Iudicum synodalium, qui ad minus quatuor ex præscripto Concilij *sess. 25. c. 10.* designari debent in Conciliis Prouincialibus, aut Diœcesanis, quando verò de facto decedunt, potest Ordinarius cum Capituli consilio alios substituere vsque ad futuram Prouincialem, vel Diœcesanam synodum: neque ibi limitatur, vt fit intra annum designationis.

DVBIVM XLV.

Cum ad synodalem examinationem designatur in genere Canonicus Magistralis verbi gratia Doctoralis, vel Prior talis Monasterij, aut talis Collegij Rector: intelliguntne in hac assignatione, successores in illis præbendis aut officiis subrogati?

204 *Nonnulla supponam.*

SVppono, fieri posse designationem examinatorum synodalium aut in genere experimendo officium: vt si designetur Canonicus Magistralis, Doctoralis, Pœnitentiarij, vel Prior, Guardianus, vel Rector talis Monasterij, vel Collegij, quia qui examinatores hoc modo designarer, satis exprimerer, possidentes acto illas præbendas, vel officia esse intelligendos. Difficultas autem est, an etiã successores, & subrogati in illis præbendis, vel officiis designati intelligantur, casu quo illi obeant, aut alio accidenti non adsint?

205 *Intelliguntur plane.*

Intelliguntur planè qu'a illa verba generalia sunt, & sufficientia successores comprehendendi. Neque talis comprehensio videtur Concilij

cilij dispositioni obstare. Nam licet successores in particulari approbari non valeant à synodo cum sint incogniti : approbantur tamen in genere titulo dignitatis, vel officij, sicut sub eo titulo designantur. Sic Ledes. *sum parte secund. tr. 7. capit prim. conclus. 7.* asserens, sic vsu & consuetudine in Hispania receptum & à viris doctis approbatum.

206 *Non intelliguntur.* Non intelliguntur, quia Concilium illa generica propositione, & synodi approbatione, contentum non est. Petit enim, singulis annis examinatores designari, & supponit, de signatos mori posse : quæ non cohærent cum designatione facta ratione dignitatis. Nam si personæ ob dignitatem, & officium ad examen approbarentur, vt quid singulis annis denuò eligendi erant, & à synodo approbandi, cum ratio approbationis, & designationis eadem perseueret? Ita Garcia *p. 9. alleg. cap. 2. num. 339.*

207 *Verius hoc videtur.* Hanc sententiam veriorem esse reor, quam video à Garcia pluribus Sacræ Rotæ decisionibus confirmatam. Igitur designatio non dignitatem & officium, sed personam debet respicere : alias enim esset contra cómunē stylum & contra verba Concilij loquentis de iudicibus synodalibus, & idem est de examinatoribus *sess. 25 cap. 10.*

DVBIVM XLVI.

Examen factum ab Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus, alio non synodali concurrente, estne irritum ?

208 *Irritum est.* IRritum est. Quia formæ nihil addi, aut diminui potest *Capite cum dilecta de rescript. ibi* Felin. *numero sexto*, sed adsit forma huius examinis pertinet, quod examinatores sint in synodo approbati : Ergo admissis non approbatis deficit forma. Sic Garcia *parte 9. c. 2. numero 324.* memoriæ adducens quandam Sacræ Congregationis declarationem, & decisionem Rotæ, quibus cauetur collationem factam ex vi huius examinis nullam esse.

209 *Non est irritum.* Non est irritum, quia superabundantia examinatorum nocere non potest, sicut non vitiaretur testamentum si septem testibus necessariis alij inutiles adderentur. Itaque adstantibus examinatoribus synodalibus, quantumcumque alij adiiciantur non vitiatur examen. Nā Concilium solum requirit, vt examen fiat à tribus examinatoribus synodalibus : Ergo illis adstantibus, præscriptum à Concilio asseruatur Ita Rota in causa cuiusdam Parochialis de Villafranca 18. Decemb. anno 1581 relata à Garcia *supra*, & à Genuensi *prax. c. 66. num.* 18. Quam sententiam ipse approbat.

210 *Hanc eligo sententiam quodam addito.* Ego etiam eam præfero. Concurrunt enim alij non vt examinatores legitimi, vt quidam testes & exploratores sufficientiæ examinandorum. Ex quo manifestè infertur, (quod genuēsi annotauit) nequaquam posse Episcopum in fauorē illius, qui non fuerit à maiori parte examinatorum synodalium approbatus, quia aliorum approbatio vel reprobatio, vt pote ab illegitimis nullius est effectus.

DVBIVM XLVII.

Valetne examen factum ab examinatoribus synodalibus, qui iuramentum non præstitere, suum munus fideliter exequendi ?

NOn valet, quia videtur hoc iuramentum ad formam prouisionis spectare. Certe Rota in Parochialis cuiusdam causa 15. Ianuar. anno 1593. coram D. Mantica hoc decidit, cum inter causas nullitatis prouisionis allegat, quod examinatores iuramentum non præstiterint. Sic Garcia *p. 9. c. 2. n. 355.* 211 *Non valet.*

Valet quidem, quia hoc iuramentum faciendum præcipitur iis, qui in synodo sunt electi, & approbati, & examinatores legitimi constituti. Ergo non pertinet ad formam examinis, sed ad rectum illius vsum : sicuti iuramentum, quod præstant iudices, & Tabelliones ritè sua munera exercendi. Ita Castro Palao *tom. 2. d. 3. de benef. pun. 2. §. 4. n. 7.* 212 *Valet quidem.*

Verius censuerim omissionem iuramenti examen non annullare : etsi graviter delinquant examinatores iuramentum huiusmodi omittentes. Adiicio de crimine simoniæ idem dicendum, quia hæc pœna ob crimen commissum imponitur, quæ indiget sententia saltem declaratoria criminis, vt liget. Ergo non reddit nullam examen. 213 *Hoc verius.*

DVBIVM. XLVIII.

Debentne examinatores renunciare non solùm qui idonei sibi visi fuerint, sed etiam qui inter ipsos digniores existant ?

DEbent quidem, quia Episcopus tenetur ex approbatis digniorem eligere, quod non videtur fieri posse, nisi ex examinatorum relatione dignoscat quisnam sit dignior. Hoc enim iudicium non Episcopo, sed examinatoribus videtur commissum, si quidem ipsi iudicant de aptitudine examinandorum, neque Episcopus de hac aptitudine iudicat, nisi casu, quo examinatores pares, vel singulares fuerint : Ergo extra hunc casum iudicare non poterit Episcopus de maiori examinandorum aptitudine ; quia comparatiuum iudicium positiuum supponit. Sic Barthol. Medina *sum. lib. prim. cap. 14. §. 32.* Ludou. Lopez *instruct. tom o primo lib. 1. cap. 127.* Nauarra *l. secund. c. 2. num. 187.* Petr. Ledes. *tr. 7. c. 1. concl. 7. diffic. 13.* 214 *Debent quidem.*

Non debent, quia Concilium profatur : *Peracto examine quotcumque ab eis idonei iudicati fuerint, renuncientur.* At cum non addiderit, 215 *Non debēt.*

addiderit. *Qui digniores fuerint iudicati*, non est illis hoc iudicium committendum. Ita Garcia *p. 9. ca. 2. à num* 108. Genuens. *prax. cap 66. in annotat. n.* 108.

216 *Hanc eligo sententiam*

Probabiliorem hanc sententiã esse iudico, scilicet examinatoribus solum competere iudicare, quinam examinati sint idonei, non autem qui digniores sint. Nec enim censeo tacite eis à Concilio commissum digniores manifestare, quòd eligens cognoscere debet ante electionem quis dignior sit ex approbatis, nam potest hoc cognoscere non ex iudicio examinatorum, sed ex proprio ac singulari iudicio, cum ipse examini præsens fuerit. Item interrogare potest priuatim vnum, vel alterum examinatorum, quos digniores iudicauerit.

DVBIVM XLIX.

Repertis pluribus æquè dignis, potestne Episcopus eligere, quem maluerit, in Beneficiis iure patronatus exemptis?

217 *Non potest id Episcopus.*

NOn potest id Episcopus, sed patrono debet omnes illos proponere, vt ipse cui maluerit conferat. Quia Episcopo solum conceditur à Concilio, vt ex approbatis digniorem eligat. Ergo si plures æque digni reperiantur, omnes debet Episcopus quantum est ex se eligere. Alias vno electo, iniuriã relectis irrogat, cum reiiciantur ab electione vt minus digni, cũ tamen non sint, & electus eligatur vt dignior, cum tamen omnibus dignior non existat. Fauetque huic modo dicendi congregatio Concilij ibi: *Ordinarius debet eligere magis idoneos, ac postea Abbati relinquere, vt ex electis, cui maluerit, curam conferat.* Expende verbum, *Debet eligere magis idoneos*, quasi indicet, non esse in potestate Ordinarij, vnum eligere, cum plures idonei reperiãtur. Sic nonnulli doctores Cõcil. Congregationis authoritati hærentes.

218 *Id Episcopus potest.*

Potest Episcopus eligere ex duobus æque idoneis, qui sibi placuerit, quia Episcopo cõpetit electio illius cui beneficium est conferendum: sed beneficium duobus conferri non potest, sed vni tantùm: Ergò huius electio Episcopo competit. Ergo data potestate duorum penes Episcopum erit eligere, quem maluerit Ita Garcia *p. 9. c. 2. n.* 150.

219 *Hoc dicendum esse reor.*

Hoc dicendum esse reor. Nam ille, quem eligere placet Episcopo, nõ eligitur vt dignior ponatur, hoc est, quo nullus alius dignior sit. Quod si aliquando plures æquè digni reperiantur, & Episcopus omnes illos eligit, penes collatorem erit conferre, cui maluerit: & in hoc casu existimo locutam fuisse sacram Congregationem.

DVBIVM L.

An legitimus oppositor sit in Hispania Canonicatuum Magistralis, & Doctoralis &c. qui graduatus præuio rigoroso examine in Vniuersitatibus Galliæ, Borgiæ Aragoniæ, incorporetur, & admittatur, in aliqua Vniuersitate Regni Castellæ, & Legionis?

EX Bulla Sixti IV. motu proprio Leonis X. constat, in qualibet Ecclesia Cathedrali Regnorũ Castellæ, Legionis, Granatæ, & Nauarræ designatas esse duas præbendas, aliã Magistralẽ pro exercitio cõmunis: aliã, Doctoralẽ pro iuribus Ecclesiæ defendendis: vt quomodolibet vacãtes prouideatur ab Episcopo, & Capitulo in personis graduatis gradu Doctoris, vel Magistri siue licentiati in Vniuersitatibus Regnorum Castellæ, & Legionis, graduitatis inquam iuxta statuta illarum Vniuersitatum, præuio rigoroso examine. Quæ quidem gratia ad Ecclesiam iam ex Pontificis concessione, iam ex consuetudine extẽsa videtur. Rogito itaq; an quis legitimus oppositor sit ad has præbendas, si graduatus præuio rigoroso examine in aliis Vniuersitatibus (Aragoniæ, &c. v. gr.) incorporetur & admittatur in aliqua Regni Castellæ, ac Legionis Academia? 220 *Nonnulla præmitto de oppositoribus ad præbendas effectu.*

Legitimus oppositor est, quia graduatis alibi, & in Vniuersitatibus Regni Castellæ incorporatis conceduntur priuilegia, ac facultates omnes, quæ graduatis in eisdem Vniuersitatibus competunt, vt constat ex statutis vniuersitatum priuilegia habentium ad incorporandum in se alibi graduatos. Præscribunt enim, vt incorporati eisdem priuilegiis, & facultatibus fruantur, ac si præuio rigoroso examine ibi gradum accepissent. Sic nonnulli Doctores, quorum sententiam probabilem iudicat Palao *tomo secund. disput. 3. de benefic. puncto tertio numero secund.* 221 *Legitimus oppositor est.*

Non est legitimus oppositor, nec hæc incorporatio sufficit. Quia Sixtus IV. & Leo X. postulant gradum Vniuersitatibus Castellæ & Legionis rigoroso examine præmio. Ergo gradus incorporationis, cum absque examine huiusmodi conferatur, insufficiens erit. porrò gradus per incorporationem cõstituit graduatum per priuilegiũ, sed Bulla Sixti, & motus Leonis veros graduatos expostulant. Ergo graduati per incorporationem non sunt sufficientes. Nam vbi vera qualitas requiritur pro forma, non sufficit, si per æquipollens impleatur, ex *leg. Forma, Codice de iis, qui veniam ætatis impetrauerunt.* Ita Palao *citatus.* 222 *Non est legitimus oppositor.*

Hoc verius esse iudico. Nam licet Vniuersitas incorporatis concedat omnia priuilegia, quæ verè, ac rigorosè graduatis cõcedit, inde nõ infertur, hoc iure vti posse, quia 223 *Hoc verius esse iudico*

Vniuersitas

Vniuersitas. solum illis concedit priuilegia ipsius vniuersitatis, non quæ aliunde prouenerunt. Alias si legatum relinqueretur graduatis duntaxat præuio examine: possent incorporati illo potiri contra expressam testatoris voluntatem: quod non admiserim.

DVBIVM LI.

An si quis ante electionem suum votum manifestet, quod secretum esse Pontifex imperat: irrita sit electio tota?

224 *Nonnulla suppono.* SVppono à Pontifice præscribi, vt vota ad prouisionem Canonicatuum Magistralis, & Doctoralis adeo esse secreta, vt nemini sint nota. Curat enim lites, rixas, & inquietudines, quæ sæpè ex manifestatione suffragiorum exoriuntur, omnino inhibere. Hinc fit te non posse alicui (ex eligendibus maximè) indicare pro quo suffragium fers, quia aliquo modo illum pertrahis ad tuam voluntatem, & occasio es æmulationis, & odij, si forte socius, cui suffragium ostensum est, inalterius electionem est inclinatus electionem est inclinatus. Quæsierim verò num ob hanc suffragij manifestationem electio annulletur seu irrita sit?

225 *Irrita est electio.* Irrita est, Quia est contra formam à Pontifice præscriptam. Sic Garcia *p. 5. cap. 4. num.* 193. adducens Sacræ Congregationis declarationem. Limitat tamen *num.* 194. vt non procedat casu, quo in fraudem faceret, ad annullandam electionem alias validam sine eius suffragio, ob rationem *Legis, Ne dolus & fraus alicui patrocinetur*, neue ex sua iniquitate commodum reportet.

226 *Non est irrita.* Non est irrita, quia culpa vnius non debet toti Capitulo illam ignoranti nocere, neque actui legitime facto, *Cap. fin. de procuratoribus* Alioqui sequeretur, in potestate cuiusuis particularis esse, Capituli electionem cassam reddere, si illud eidem expediret: posset namque socio suffragium suum clam manifestare, & electione facta, dicere, se nō fuisse clam suffragatum. Ita Nauar. *consil. 4. de elect. in 1. edit.* Manuel. *to. 2. qq. Regul. q. 51. a 9.*

227 *Auctoris resolutio.* Ego autem existimo, suffragium tuum sic manifestatum esse nullum: vtpotè contra formā expressam Sixti, & motum Lecnis. Neque præbendam electo adiudicari, si vnico tantum voto reliquos excedit. Quia non excedit in voto, quod verè votum sit. Verum si, tuo voto secluso, electus maiorem partem habeat, firma est eius electio. Quia tua culpa suffragiis aliorum præiudicare non debes, cum aliorum suffragia præscriptam formam obseruauerint.

DVBIVM LII.

An locum habeant sortes in electione præbendæ affectæ, quando oppositores paria vota habent?

228 *Locum habent sortes, cum paria sunt vota.* AD sortes deueniendum est eo ipso, quo oppositores paria vota habuerint. Quia hactenus Sixtus IV. in sua Bulla nobiles ignobilibus, & eos, qui sunt de gremio Ecclesiæ aliis exteris statuerit præferendos. At Leo X expresse ad sortes tradit esse deueniendum nulla de inuestigatione qualitatum mentione facta. Sic Garcia *parte. quinta. cap. 4. n.* 208.

229 *Non habet sortes locū nisi post examinationem.* Non habent sortes locum, cum paria sunt vota, sed postquam qualitates illorum examinatæ fuerint, & pares esse iudicatur. Quia electio per sortes in officiis, & beneficiis Ecclesiasticis prohibita est ex *Capite fin. de sortil.* & *ibi* omnes. Non ergo credendum est, voluisse Leonem illam admittere, si alia via clariori definiri controuersia potest, præcipue cum derogatione constitutionis Sixti, ad cuius confirmationem ipse proprium motum expēdebat. Cum ergo iuxta constitutionem Sixti facta æqualitate votorum adiudicari præbenca debet ei, qui qualitates potiores habet, & hoc æquitas, ac iustitia postulet: fit planè noluisse Pontificem hāc qualitatum examinationem tollere, sed illa suppositā, & paritate in illis inter oppositores inuenta, ad sortes esse deueniendum, & non antea. Ita Castro Palao *to. 2. d. 3. de benef. pun. 3. n. 11.*

230 *Credo hoc probabilius esse,* Probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Nam si quando nullus oppositorum maiorem partem suffragiorum habet, & duo in votis pares sunt, fit secundum scrutinium, antequā ad sortes deueniatur: quid mirum, si cum duo tantùm conuerrunt, & paritatem in votis habent, prius quam ad sortes deueniatur, eorum qualitates examinentur, & paritate inuenta, quasi pro vltimo remedio sortes mittātur? Confirmat hanc interpretationem vsus plurium Ecclesiarum, in quibus hic casus contingit. Nunquam enim ad sortes, sed ad qualitatum examinationem recurritur, data suffragiorum paritate.

DVBIVM LIII.

An Canonicus, qui præsens non fuit eligendorum examini, possit in hac electione suffragium impertire?

231 *Non potest:* NOn potest, quia examen indicitur, vt de aptitudine examinati electoribus constet: Ergo electori, qui huic examini non assistit, haud potest de aptitudine

examinati constare: Ergo ne illum eligere. Examen enim est quidam quasi processus, & veritatis informatio, vt secuti electores sententiam ferant, sicut ergo Iudex non viso processu haud iudicare valet: neque etiam Canonici non viso examine oppositorum, eligere poterunt. Sic Rota apud Farinac. *in decis. nouiss. decis* 551.

232 *Potest quidem.* Potest equidem, spectatis Bulla Sixti IV. & motu proprio Leonis X. Quia in Bulla Sixti & motu Leonis non cauetur, electores examini debere esse personaliter præsentes, & ex alia parte potest elector aliorum relatione oppositorum dignitatem dignoscere. Ergo eius præsentia non requiritur. Ita Garcia *p. 5. cap. 4. num.* 213. Gonzalez *glos. 4. n.* 106.

233 *Probabilius hoc mihi.* Probabilius hoc esse credo concedens quidem electorem non interessentem haud posse per examen de electi aptitudine iudicare. At si ab interessentibus relationem capiat, sufficienter iudicare poterit de illius aptitudine: quod sufficit, vt secure valeat in electione procedere: sicut potest Iudex examinationem testium, & veritatis inuestigationem aliis committere, ex quorum relatione ipse informatus ad iudicandum procedit. Ad decisionem vero Rotę respondeo cum Gonzalez esse decisionem non carentem difficultate, & expeditam vna solùm parte informante, ac proinde non debere subsistere. Dixi vero *spectatis Bulla Sixti, & motu proprio Leonis.* Aliud enim dicerem, spectatis aliquarum Ecclesiarum statutis, in quibus cauetur, capitularem absentem ab examine nullatenus posse suffragium ferre.

DVBIVM LIII.

Quando sit deuolutio præbendæ ad superiorem, verbi gratia Archiepiscopum, potestne ipse illam prouidere, non seruatu eisdem qualitatibus, & oneribus, quibus cum inferior prouidere tenebatur?

234 *Non potest.* NOn potest, sed tenetur prouidere præbendam, appositio edicto, præcedenti qui publico examine, iuramento præstito, & voto secreto sicut obligatus erat Episcopus, & Capitulum, quibus ea prouisio competebat. Quia quando beneficium ab inferiori ad superiorem deuolutur, deuolutio fit cum eisdem qualitatibus, & oneribus, cum quibus inferior prouidere tenebatur. Sic Gonzalez *glossa* 46. *n.* 33.

235 *Potest plane.* Potest equidem, his qualitatibus non asseruatis. Quia hæ conditiones edicti, examinis, iuramenti, voti secreti, non sunt conditiones ipsis præbendis annexæ: sed annexæ prouisioni factæ à capitulo, & Episcopo: cum ergò per deuolutionem ille prouisionis modus cessauit, cessare debent & conditiones eidem annexæ. Ita Castro Palao *tom. secund. disput. 3. de benef. puncto tertio numero* 20.

Cum eo opinor. Quando igitur dicitur beneficium deuolui ab inferiori ad superiorem cum eisdem qualitatibus, cum quibus inferior prouidere tenebatur: de qualitatibus beneficio annexis est intelligendum, non de qualitatibus annexis prouisioni. Quod euidenter constat in qualitate secreto voti emittendi, quæ solum obseruari potest, cum sunt plura suffragia, non autem cum vnicum est. Cum ergò deuolutione facta, beneficium prouidendum sit à solo Archiepiscopo, nam ad solum ipsum fit deuolutio, nullum secretum in suo voto seruari potest: 236 *Cum eo opinor*

DVBIVM LIV.

Prælatus, cui est facta deuolutio, teneturne ex oppositoribus examinatis in tempore semestris ab Ordinario, electionem facere?

237 *Non tenetur.* NOn tenetur, quia examen publicum solum pro electione ordinaria constitutum est, non pro electione facienda, inre deuoluta. Sic Garcia *p. 5. c. 4. n.* 224. addiciens si solus esset visus oppositor repertus habilis in tempore obligationem esse illum eligendi. Quia ratione oppositionis ius considerabile habet iuxta decisionem Putei 253. *l. 3. & consil.* 51. Mandosij.

238 *Tenetur quidam.* Tenetur eligere ex examinatis in tempore ob eandem rationem obligatus est eligere oppositorem repertum idoneum in tempore quando solus est. Quia qua ratione ipse oppositor ex oppositione ius habet, vt sibi beneficium concedatur: eadem ratione omnes ius considerabile acquirunt, vt digniori ex illis non alteri beneficium detur. Ergo illud ius amittere non debet ob negligentiam Episcopi, & capituli, qui electionem facere debebant. Ita Azor. *p. 2. l. 6. c. 27. q. 8.* & alij.

239 *Auctoris resolutio.* Existimo verius esse, Prælatum, ad quem fit deuolutio, non posse alium ab ipsis eligere. Non quia publicum examen sit pro eius electione constitutum; sed quia ex illo pro electione ordinaria facto, ius considerabile acquisierunt, ne alteri ab ipsis prouisio fieret.

DVBIVM LV.

Examen pro beneficiis simplicibus estne necessarium, si persona sit nota?

240 *Necessarium est.* NEcessarium est, quia id decernit Tridentinum *sess. septim. capite* 13. ibi: *Præsentati, seu electi, vel nominati in quibuslibet Ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicæ Nunc is ad quem spectat Ecclesiastica beneficia, non instituantur neque confirmatur neque*

neque admittantur, etiam prætextu cuiuslibet priuilegij, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit quo minus examen subire teneatur. Præsentatus tamen, electus, seu nominatus ab Vniuersitatibus seu collegiis generalium studiorum excepti. Ex quibus verbis colligitur, nstitutionem faciendam non esse cuiustis Ecclesiastici beneficij, quin ab Ordinario instituendus examinetur. Sic nonnulli Doctores.

241 *Non est necessarium.*

Necessarium non est, quia si beneficium sit de libera Episcopi collatione, & Episcopo persona, quæ prouideri debet, nota est idonea: ab ique vllo examine illum potest eligere; nullibi enim cauetur in his beneficiis simplicibus examen esse pro forma præmittendum. Si autem beneficium id de iure patronatus, idem dicendum, nisi vbi non constat instituenti de prouisi dignitate. Si vero beneficium conferendum sit approbato ad Sacros Ordines, non debet rursum examinari, *Cap. Accipimus, 13 de ætate, & qualit.* Quia eædem qualitates ad ordines ac ad beneficium simplex requiruntur. Ergo non ad omnia beneficia simplicia examen est præmittendum. Ita graues Doctores, quos Palao *tomo secund. disp. tertia de benefic. pun. 4. numero quarto* sequitur.

242 *Illum asserendum reor.*

Idem existimo asserendum. Nam Concilium *citatum* loquitur tantum de beneficiis iuris patronatus Ecclesiastici & per institutionem acquisitis, non de beneficiis, quæ sunt de libera Episcopi, aut de iure patronatus laicorum collatione. Certè in beneficiis, quæ sunt de præsentatione, electione, seu nominatione personarum Ecclesiasticarum, si institutio ad inferiores Episcopo pertineat, debet præsentatus, electus, seu nominatus, quantumuis notoriè idoneus, examinari ab Episcopo, quia de his tantum beneficiis requisitum est examen pro fama à Tridentino & *sess. 7. c. 13. sess. 25. c. 9.* Garcia *p. 9. c. 3. n. 6.* & Barbosa ad locum Concilij.

CAPVT XII.

Circa qualitates ad Beneficia ex parte suscipientium requisitas.

DBVIVM LVI.

An Filius natus ex parentibus solutis voto simplici castitatis ligatis, censendus sit spurius?

243 *Nonnulla suppono*

ILLEGITIMVS iure Canonico irregularis, est, & inhabilis ad beneficia recipienda *Cap. innotuit, Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. *de elect.* Illegitimi autem censentur eo ipso quo de fornicaria copula nascantur. Sed quia hæc haberi potest inter personas habiles ad matrimonium valide contrahendum: vel inter personas impeditas: duplex genus illegitimorum distinguo, iure Canonico spectato. Aliud est illegitimi naturalis id est procedentis à parentibus solutis, habilibus tamen ad matrimonium contrahendum. Aliud est illorum, qui à parentibus impeditis procedunt, quique spurij vocantur. Quæritur autem an filius natus ex solutis parentibus, sed castitatis simplici voto ligatis censendus sit spurius, an naturalis?

de illegitimis.

Censendus est spurius non solum quoad Ordines, & beneficia, seu etiam quoad successiones, quia ex coitu sacrilegio procedit, à parentibusque ad contrahendum impeditis, latem impedimento impedi ete, & exigente dispensatione. Sic Sarmiento *l. 1. select c. 5. num. 5.* Cenuantes *ad leg. 11. Tauri, num. 145.* inclinat Azor *p. 2. l. 2. c. 6. q 7.*

244 *Censendus est spurius*

Non est censendus spurius, sed naturalis. Quia licèt parentes voto castitatis ligati sint, attamen sunt habiles ad matrimonium valide contrahendum. At hoc est sufficiens, vt filij inde nati spurij non censeantur. Ita Molina noster *tr. 2. de iust. d 167 post 4. concl.* Gutier. *tr. de matr. c. 1. n. 22. & 24.*

245 *Non est spurius censendus.*

Cum his sentiēs probo sufficere, natū quem esse à parentibus, qui valide contrahere possint, vt filij eorum non cēseantur spurij. Quia *Cap. Tanta, qui filij sint legitimi*, spurius est, qui à parentibus impeditis contrahere impedimento dirimente est ortus. Igitur filius genitus à parentibus, qui solum impediente sunt impedimento adstricti, spurius non est, sed naturalis.

246 *Hoc defendo.*

DVBIVM LVII.

Si coniuges ex communi consensu votum castitatis emiserint, & illo non obstante, filium procreassent: illene est, illegitimus & spurius?

EX coniugibus impeditis petere, neque obligatis reddere, si filius nascatur, illegitimus erit, & spurius, quia ex coitu sacrilego procedit, & à personis alias inhabilibus ad matrimonium valide contrahendum; si de facto matrimonium tractum non esset. Casus enim hic contingeee potest, cum alter illorum professionem in Religione emiserit ex alterius consensu, & in illo statu filium procreauerint. Suar *tom. quinto de irregul. d. 50 sectio. secund. num. 5.* Sanchez aliis relatis, *l. 9. de matrim. disp. 38. numer septim.* Maius dubium est, si coninges ex communi consensu votum castitatis emiserint, & illo non obstante, filium procreassent, an ille sit reputandus illegitimus, & spurius?

247 *Nonnulla præmitto.*

Est quidem illegitimus. Quia ex copula illicita, & irreligiosa filius genitus fuit. Sic Abbas *ad Cap. charissimus de conuers. coniugat.* Glos. *ad Cap. Ministri. 81. dist.*

248 *Illegitimus est.*

249 *Non est illegitimus?*

Illegitimus non est, quia esto peccaminosa sit illa copula, non tamen ob impedimentum, quo alias impediret matrimonium validè cõtrahere: Ergò nõ impedit, quin matrimonium prolem genitam legitimã reddat. Nam si matrimonium vim habet legitimãdi prolem cõceptam ab iis, qui matrimonio soluti erãt, & voto castitatis simplici illigati: à fortiori vim habebit legitimãdi prolem conceptam ab iis qui matrimonio iũcti sunt, licet sint voto castitatis adstricti. Ita Azor. *part. 2. l. 2. capti. 6. q. 8.*

250 *Verius hoc.*

Verius hoc mihi addenti, praxi receptum esse hos filios hæredes relinqui, & absque vlla dispensatione ad Ordines, & beneficia promoueri. Ergò legitimi reputantur.

DVBIVM LVIII.

An Filij expositi, quorum parentes ignorantur, sint vt legitimi reputati, ad Beneficia obtinenda?

251 *Non sunt putandi illegitimi.*

NOn sunt illegitimi reputandi, quia negari nõ potest, plures ex his legitimos esse & ob parentum inopiam aliis alendos exponi. Ne igitur hi detrimentum patiantur omnes iudicari debent legitimi esse; interpretatio enim agenda est in prolis fauorem, *Cap. Ex tenore, qui filij sint legitimi*, ibi: *In fauorem prolis potius declinamus.* Sic plures cum Menoch. *de arbitrar. casu 396.* Basil. Legion. *l. 11. de matr. c. 9. nu. 4.* Salas *1. 2. tr. 8. d. vni. sect. 24. num. 246.* Gratian. *discept. forens. cap. 33. num. 31.* & alij relati à Garcia *p. 7. c. 2. n. 7.*

252 *Illegitimi putandi sunt.*

Illegitimi sunt, quia præsumptio sumenda est ex iis, quæ frequenter contingunt. Cum ergo frequentissimum sit, hos filios expositos ex illicitis congressibus esse natos, & raro succedit, ex matrimonio ortum habere: absolutè pro illegitimis sunt habendi. Ita Couar. *Clement. si furiosus, part. prim. nu. 9.* Vasquez *1. 2. d. 66. cap. 8. num. 48.* Rebel. *de iust. p. 2. l. 1. q. 2. num. 15.* Prateus *in prax Episcop. part. secund. cap. prim. num. 27.* Garcia *p. 7. l. c. 2. num. 8. & 10.* Salcedo *in prax. cap. 14.* & alij apud ipsos.

253 *Auctoris resolutio.*

Crediderim, hanc secundam sententiam solum esse veram quoad præsumptionem, nõ quoad veritatem, eaque de causa quoad reputationem, & quoad effectus à iure inductos. Primam sententiam eligo. Nam vt legitimi habeantur, videtur sufficere, quod aliquãdo, illegitimo matrimonio nati exponãtur, & ne his præiudicium fiat, omnibus à iure legitimitas conceditur. Addo, neque quoad præsumptionem reputandos esse filios illegitimos. Nam esto concedamus, frequentius cõtingere hos expositos è solutis nasci: quia tamẽ hæc præsumptio ex frequentibus contingentibus infamiam filiis irrogat, & in parentibus culpam supponit, cedit præsumptio hæc præsumptioni, quod sint ex matrimonio generati: esto non ita frequenter contingat. Profectò cum dnæ præsumptiones in vno actu concurrant, semper debet, quæ delictum excludit, prævalere, Menochio teste *casu 89. numero 23.*

DVBIVM LIX.

An pater possit obtinere Beneficium in illa Ecclesia, in qua filius illegitimo concubitu natus (etiam dispensatus) actu beneficiatus est?

253 *Tridentini decretum refert.*

TRidentinum *sess. 25. capit. 15.* decernit: *Vt paternæ incontinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè deceatur: non liceat filijs Clericorum, qui non è legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesijs, vbi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, neque in dictis Ecclesijs quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.* Prohibitio itaque est de filiis illegitimis comparatione suorum parentum, non de nepotibus aut comparatione. Pater autem non est prohibitus habere beneficium filij illegitimi. Quæritur vero, an obtinere possit beneficium in illa Ecclesia, in qua filius est actu beneficiatus?

254 *Potest quidem.*

Potest quidem, quia Concilium subiungit: *Quod si in præsenti pater & filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium.* Dixit ergo Concilium de patre ac filio beneficiatis tempore Concilij, & in illo casu cogitur filius beneficium dimittere, patris beneficio permaneante. At cum filius est beneficiatus, non potest cogi filius dimittere beneficium, vt pater alius obtineat: Ergo hic casus omissus fuit à Concilio, & consequenter relictus fuit dispositioni iuris communis, sed ex iure communi optime potest pater in eadem Ecclesia cum filio beneficium obtinere: Ergo post Tridentinum id ipsum poterit. Sic nonnulli, quorum mentem Castro Palao *citandus* non improbat, dum contrarium *verius* esse defendit.

255 *Non potest.*

Non potest, quia tacitè, & virtualiter fieret id contra Concilij dispositionem. Nam cum Concilium voluerit, ne filius & pater in eadẽ Ecclesia beneficiati existãt, vt paternæ incõtinẽtiæ memoria legitimæ arceatur, si pater obtinere beneficiũ posset, vbi filius de præsẽti existit, finis Concilij frustraretur. Ergo dicendum est, nequaquam posse parentem beneficium obtinere in illa Ecclesia, vbi filius eius illegitimus beneficio fruitur. Ita Palao *tom. secund. d. 4. de benef. pun. 2. num. 6.* Garcia *p. 7. cap. 3. num. 31.*

256 *Hic dicendum.*

Hoc dicendum reor. Neque enim filius cogendus est, tunc beneficium acquisitum relinquere: potius enim pater impediri debet ab illo acquirendo quia ipse agit de lucro captando, & filius de damno propellendo, & iure acquisito conseruando.

DVBIVM

DVBIVM LX.

An stante Tridentini decreto, absque dispensatione vlla, possit quis, ad quoslibet Ecclesiasticam dignitates inferiores eligi, si vigesimum secundum compleuerit annum?

257 *De ætate ad omnia beneficia requisita.*

SVppono, pro summo Pontificatu nullam ætatem à iure esse designatam: pro Episcopis trigesimum annum completum requiri pro Cardinalibus (ex decreto Sixti V.) diaconis eam requiri ætatem, quæ sufficiat, intra annum illo Ordine insigniri; vndè sufficiet si in vigesimo secundo suæ ætatis anno constituantur: pro Abbatibus, Decanis, aliisque beneficiatis curam animarum habentibus, vigesimum quintum annum inceptum expostulari. De cæteris vero dignitatibus sic Concilium *sess. 24. cap. 12.* Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla *subest*, *Clerici alioquin idonei*, *& 22. annis non minores adsciscantur.* Quæstio igitur est, an, stante hoc decreto, possit quis absque vlla dispensatione ad has dignitates eligi, si vigesimum secundum annum compleuerit.

258 *Non potest sine dispensatione.*

Non potest quia hoc decretum solum corrigit *Caput. vt vnicum de ætate, & qualit. in 6.* in quo Episcopis permissum erat dispensare ad has dignitates, si quis vigesimum annum compleuisset: prohibetque, ne hæc dispensatio concedatur, nisi vigesimo secundo anno expleto. At secluſa dispensatione, videtur ius antiquum intactum relinqui. Cum autem ex iure antiquo eadem ætas pro dignitatibus non habentibus curam, ac illam habentibus fuerit requisita, vt ex communi sententia tradit Abbas, aliique Doctores *ad cap. cum in cunctis, §. inferiora.* Efficitur, ad has dignitates nullum eligi posse, dispensatione excluſa, nisi vigesimum secundum annum attigerit. Sic Vasquez *opusc. de benef. capit. 32 §. 2. dubit. 2. num. 18.*

259 *Sine dispensatione potest.*

Potest quidem sine vlla dispensatione quia non satis erat constans inter Doctores quæ ætas requisita fuerit iure antiquo pro dignitatibus curam animarum carentibus: textus enim *in cap. cum in cunctis* solum loquitur de iis, quibus animarum cura est annexa. Eidem videtur dicendum de textu *in cap. Innouamus.* Ita Flamin. *l. 4. de resignat. quæst. 11. n. 14.* Garcia *p. 7. cap. 4. num. 55.* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 5. quæst. 3.* Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 12. concluſ. 5.* Sà *v. Beneficium, n. 31.* & alij nullam de dispensatione mentionem facientes.

260 *Probabiliorem hanc sententiam esse reor.*

Hanc sententiam probabiliorem esse non dubito, quia Concilium nullam dispensationis memoriam gessit, sed eodem tenore, quo dixit, nullum esse eligendum ante æquam vigesimum quintum annum attigisset, ad dignitates curam animarum habentes, dixit, non esse eligendum ad dignitates carentes cura animarum, nisi 22. annos habuerint.

DVBIVM LXI.

An ætas viginti duorum annorum requisita sit non solum pro dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, sed & pro Collegiatæ Ecclesiæ?

REquisita est solùm pro dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ, non pro dignitatibus Ecclesiæ collegiatæ, quia Concilium nullam de Collegiatis Ecclesiis mentionem fecit, sed solùm de Cathedralibus. Addiderim ex Emanuele Rodrigvez citando, D. Christophorum Vela Archiepiscopum Burgensem contulisse cuidam scholastico ætatis 17. annorum dignitatem Ecclesiæ Collegiatæ *de Aquilar. de Campos*, & litè mota, iudicatum esse collationem fuisse canonicam, & iuridicam. Sic Manuel *in addit. ad Bul. compoſit. num. 4.* Zerola *prax Episcop. p. 1. v. Beneficia, §. 1.* Riccius *prax fori Eccles. decis. 731.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 60. n. 67.* 261 *Solum pro dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis est requisita.*

Non solum requisita est hæc ætas pro dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ, sed etiam pro Collegiatæ dignitatibus, quia in proœmio huius decreti dicitur, *cum dignitates præsertim in Ecclesiis Cathedralibus.* Dicendo autem *Præsertim* exponit clariora, & supponit quæ minus claritatis habent. Si ergò de solis dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium vellet disponere, non adderet *Præsertim*: sed illo verbo excluſo, debebat dicere: *cum dignitates in Ecclesiis Cathedralibus &c.* Ita Garcia *p. 7. cap. 4. n. 58. & 61.* asserens à Sacra Congregatione esse decisum. 262 *Non solum pro his sed & pro dignitatibus Ecclesiarum Collegiatarum requisita est.*

Profectò si Concilium de solis dignitatibus Cathedralis Ecclesiæ disposuit, & non de dignitatibus Collegiatæ; sed illas iuris communis dispositioni reliquit: fit planè, maiorem ætatem pro ipsis esse requisitam, quam pro Ecclesiæ Cathedralis dignitatibus (quod videtur absurdum.) Nam ipectato iure communi, *capit. cum in cunctis, de elect. & capit. Innouamus, dist. 60.* iuxta communis sententiæ explicationem, vigesimus quintus annus requisitus est pro qualibet dignitate siue Cathedralis, siue Collegiatæ Ecclesiæ siue cum cura siue absque cura, obtinenda tametsi *in capit. Permittimus, de ætate & qualit. in sexta.* Concedatur Episcopis potestas dispensandi cum eis, qui viginti annos numerant, in dignitatibus curam animarum non habentibus. Dicendum igitur, Concilium de omnibus dignitatibus tam Cathedralis, quam Collegiatæ Ecclesiæ fuisse locutum, quod indicant verba illa generalia, *Nemo ad dignitates quascumque &c.* 263 *Auctoris sententia idem asserens.*

***

DVBIVM LXII.

An annus vigesimus secundus pro dignitatibus requisitus, debeat necessario esse completus?

264 *Non debet necessario esse completus.*

NOn debet necessario esse completus, sed sufficit inceptum esse, quia vigesimus secundus annus non videtur completus requirit, vt quis dicatur esse non minor viginti duo annorum. Nam ex eo, quod in vigesimum secundum annum intret, iam non est minor, sicuti non est maior 22. si compleuit vigesimum primum, & vigesimum secundum inchoauit. Sic Henriquez *sum. l. 14. cap. 8. §. 10.* Sa *v. Beneficium, nu. 31.* Zerola *prax. Episcop. p. 1. v. Beneficia, §. 1.* Azor. *p. 2 l. 6. capit. 5. quæst. 3.* Barbosa *p. 2. de potest. Episc. alleg 60. num. 66.*

265 *Necessario debet completus esse.*

Debet necessario completus esse nec sufficit esse inceptum, quia sæpe ita decisum fuit à Sacra Congregatione, vt constat ex decisionibus relatis à Garcia *p. 7. cap. 4. num. 70.* Quibus in casu dubio standum est. Ita Vasquez *de benef. cap. 3. §. 2 dub. 2. numer. 18. & dub. 4. num. 24* Lessi. *l. 2. cap. 34 dub. 20. numer. 108.* Mandos *tr. de ætate minor. c. 5. num. 10.* Garcia *vbi s n. 67.*

266 *Probabilius hoc mihi.*

Probabilius hoc esse crediderim. Nam Concilium locutum de dignitatibus curatis dixit, *Nemo promoueatur, nisi qui vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit.* At cum loqueretur de aliis dignitatibus cura carentibus, inquit. *Non minores 22. annis adsciscantur.* Quasi indicans, eos qui vigesimum secundum annum non compleuerint, eligi non posse. Nam is absolutè minor est illis, qui vigesimum secundum annum completum habent, & consequenter minor vigesimo secundo anno est.

DVBIVM. LXIII.

An pro Canonicatu, cui est subdiaconatus annexus, sufficit quem habere vigesimum annum completum, & inceptum vigesimum primum?

267 *Sufficit. quidem.*

SVfficit quidem, quia in ea ætate constitutus promoueri poterit ad illum Ordinem, quem illa præbenda requirit; si quidem in principio anni sequentis habilis est ad illum. Ergò Concilio satisfacit, quod solum postulat, illum esse in ea ætate constitutum, vt infra annum illo Ordine valeat insigniri. Sic Lessi. *l. 2. c. 34. dub. 20. num. 110.* Indicat Azor. *p. 2. l. 6. c. 5. q. 5.*

268 *Non sufficit.*

Non sufficit, quia licet Concilium dicat, vt sit constitutus in ea ætate, in qua intra annum possit Ordinem annexum recipere: non tollit, quominus debeat, cum actu recipit præbendam, eam habere ætatem, qua possit, qualibet parte illius anni sequentis annexo Ordine insigniri. Nam illa verba, *vt sit in ætate, in qua infra tempus à iure constitutum possit Ordinem recipere* denotant, vt solo in termino illius anni illum ordinem recipere possit. Ita Garcia *p. 7. c. 4. à n. 22.* id quidem variis decisionibus comprobans.

Verius existimo eam ætatem ad hanc, & ad 269 *Affirmo resolutio.* alias præbendas requiri, quæ capax sit ordinis annexi recipiendi. Quod autem verba Concilij sic debeant explicari, videtur communi ex *cap. cum in cunctis, de elect. cap. licet canon, eod. tit. in 6.* vbi ad Ecclesias Parochiales, quibus est Presbyteratus annexus, requiritur annus vigesimus quartus completus, & vigesimus quintus inchoatus: tametsi eas recipientes non obligentur tempore receptionis Ordine Sacro esse insigniti; sed sufficit, si intra annum Ordinentur. Ergò similiter dicendum est in Canonicatibus, & Portionibus ecclesiæ Cathedralis debere recipientes esse in ea ætate constitutos, in qua per totum annum sequentem insigniri valeant Ordine illis annexo: & non sufficere, quod solùm in termino anni id possint.

DVBIVM LXIV.

Si quis corporis vitio laboret impediente celebrationem poteritne, & minoribus Ordinibus insigniri & Beneficium simplex recipere?

CErtum est, ad beneficium eam corporis 270 *Nonnulli* requiri aptitudinem, quæ irregularitatem excludat, quia irregularis sicut exclusus est ab *suppono,* Ordine suscipiendo, sic à beneficio erit exclusus. Potest autem beneficium conferri ei, qui post clericatum acceptum vitium corporis contraxit, ratione cuius est irregularis, dummodo eius beneficij exercitium vitium corporis non impediat quia irregularitas ex defectu corporis ordinato superueniens solùm susceptionem illius Ordinis impedit, ad cuius exercitium est vitiatus inhabilis. Ergò etiam illius beneficij consequutionem impediet solummodo, ad cuius exercitium inhabilis quis est factus. Suar. *de cens. d. 51 sect. 2. n. 18.* Azor *p. 2. l. 6. cap. 14. quæst. 14.* Requisierim verò, an si quis corporis vitio laboret impediente celebrationem, poterit minoribus Ordinibus insigniri, & beneficium simplex recipere.

Poterit equidem, quia ad Ordines mino- 271 *Poterit quidem.* res, & ad exercitium beneficij simplicis habilis est (vt suppono) ac si nullum impedimentum haberet, & minores Ordines cum maioribus nullam videntur connexionem habere, tametsi maiores minores supponant, ergo poterit quis (ob carentiam oculi Canonis v. g. pollicis, &c.) & irregularis ad Ordines maiores, quin ad minores inhabilis & irregularis existat. Sic Valentin. *tom. 4. [illegible] quæstion. 19. punct. 3.* de secunda irregularitatis specie.

Minimè poterit, quia *in cap. Non confidat,* 272 *dist. 50.*

Non potest. *dist.* 50. vitiati corpore prohibentur diuinis ministeriis applicari: sed per susceptionem primæ tonsuræ, & cuiuslibet Ordinis minoris, applicatur ordinatus diuinis ministeriis. Ergò vitiatus corpore inhabilis est ad huiusmodi applicationem, & ad beneficium simplex recipiendum. Ita Vgolin. *de irregul. c.* 52. §. 1. *num* 4. *& c.* 64 *num.* 4. Tolet. *l.* 1. *cap.* 57. 2. *& 4 regul.* Garcia. *p.* 7. *c.* 12. *n.* 78. & alij.

273 *Hoc quasi certum* Hoc mihi quasi certum, mei Valentia venia, quia prima tonsura Ordinibusque minoribus initiatus disponitur ad Altaris ministerium, quod omnes Ordines tanquam sui complementum respiciunt. Ergò inhabilis ad ministerium illud, inhabilis debet censeri ad Ordines minores recipiendos, consequenter ad quodlibet beneficium.

DVBIVM LXV.

An defectus probitatis morum ad Beneficium requisitæ, reddat ipso iure inhabilem, & collationem irritam?

274 *Nunquid supino.* PRæcipua qualitas, qua beneficiati fulgere debent, est morum probitas. Quia ex ea pendet præcipuus Ecclesiæ fructus. Quare variis textibus imperatur, de hac qualitate diligenter inquiri, *cap. cum in cunctis, de elect. cap. Graue nimis, de prabend. Clement.* 1. *de etat. & qualit.* Tridentin. *sess.* 24 *cap.* 18. Dubitarim itaque, an huius conditionis carentia, quem inhabilem ipso iure, & collationem beneficij irritam constituat.

275 *Constituit inhabilem ipso iure.* Constituit plane, quia si is ita grauibus culpis implicetur vt non resipiscat, irrita erit electio, facta scilicet incapaci. Nam si litteris quis careret, & intentionem foueret in ignorantia persistenti: dubium non est, fore inhabilem ad beneficium obtinendum; quia incapax esset ad officium exercendum, ad quod beneficium ordinatur. Cum ergò morum honestas magis quam litteratura in beneficiatis requiratur, fit ex illius carentia Clericum fieri inhabilem beneficij recipiendi. Sic Panormit. *ad cap. Dudum* 2. *de elect.* Ioan. Selua *tr. de benef. p.* 3. *q.* 2. *à n.* 10.

276 *Non constituit.* Non constituit collationem ipso iure irritam, nisi delictum secum trahat suspensionem, excommunicationem, vel irregularitatem quia peccatum mortale, & voluntas persistendi in illo, non impedit exercere officium beneficio agnatum, tametsi impediat sæpè licitè fieri, vt in Sacramentorum administratione patet. Ita Nauar. *cap si quando de rescript. excepit.* 17. *num.* 8. *& tr. de Orat. m scel.* 39. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 11.

Hoc dicendum esse reor. Nam etsi ingenuè profiteat illiteratum incapacem esse beneficij accipiendi, & retinendi maxima quidem differentia est, quia illiteratus minime potest beneficij officia præstare.

DVBIVM LXVI.

Si ille, qui tempore collationis Beneficij illiteratus fuit, postea litteras discat, & conferens non pœniteat, illum eligisse: reualidaturne pristina collatio?

277 *Certa supono.* CErtum est ab beneficium obtinendum, eam scientiam requiri, quæ necessaria est ad exercendum officium beneficio annexum. Nullamque esse collationem, si quis penitus illiteratus sit. Nam *cap. cum in cunctis de elect. §. fin.* eligentes indignum ob ætatis morum, scientiæ, & natalium defectum priuantur eligendi potestate, & electio ad superiorem deuoluitur. Ergò signum est, electionem factam nullam esse. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *cap.* 6 *quæst.* 3. *& cap.* 26. *quæst.* 11. Quæritur verò, an ille, qui tempore collationis beneficij illiteratus erat, & postea literas ediscat, conferensque non pœniteat de electione: reualidetur pristina electio.

278 *Reualidatur quidem* Reualidatur quidem, quia noua collatio tacite superuenit, quæ sufficit, vt illiteratus ille iam rite beneficio potiatur. Sic Gonzalez *glos.* 4. *numer.* 49. Salcedo *pract. capit.* 2. *circa finem.*

279 *Non reualidatur.* Non reualidatur, quia ex sola taciturnitate non potest noua collatio induci. Ita Selua *de benef. p.* 3. *quæstion.* 10. *casu* 3. *num.* 15. Sylnest. *v. Beneficium* 3. *quæst.* 19. Garcia *p.* 7. *capit.* 7. *num.* 20.

280 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam. Dixi autem, *si pœnitus illiteratus sit*, nullam esse electionem. Nam si aliquam quis habeat litteraturam, licet non sufficientem, collatio facta valida est, esto expediat eam irritare *argum. textus in cap quamuis* 15. *de etate, & qualit.* & ex Tridentin. *sess.* 7. *cap.* 3. quia aliqualiter potest beneficij muneri satisfacere, licet non competenter. Certè nullibi habetur, collationem factam ei, qui parum scit, fore irritam ipso iure, sed venire irritandam. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 6. *q.* 3. 5. *& 7.* Garcia *p.* 7. *c.* 7. *n.* 15.

DVBIVM LXVII.

An illiteratus possit Beneficium simplex, aliquemque Canonicatum obtinere?

281 *Po est quidem.* POtest equidem, quia iuris decreta procedunt de beneficiis curatis, & Canonicatibus, vbi requiritur industria, & consilium: secus in beneficiis simplicibus, quæ huiusmodi peritiam minimè requirunt. Sic Gonzalez *glos.* 4. *num.* 50. alios referens.

282 *Non potest.* Minimè potest, quia textus *Probl. proxime* relati generatim de omnibus beneficiis loquuntur. Ita Garcia *p.* 7. *cap.* 7. *n.* 20. *fine* & alij communiter.

283 Limitationem positam à Gonzalez haud quaquam

Hoc defendo, & addo nonnulla.

quaquam admitto; quia caret fundamento. Nam præter textus generaliter de beneficiis omnibus loquentes, Doctores cūcti omnia beneficia comprehendi affirmant. Porro si beneficia omninò simplicia Ordinem Sacrum subdiaconatus, Diaconatus seu Presbyteratus annexum habeant, vt sunt omnes Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ; eam scientiam expostulant quæ ad hos Ordines suscipiendos requiritur: quæ autem hæc sit, tradit. Tridentin. *sess 23 cap: 4. 11. 13 & 14.* Ea verò beneficia, quæ nullum Ordinem Sacrum habent annexum, nec aliud munus præter Officij recitationem, eam scientiam requirunt quæ sufficiat, ad diuinum Officium recitandum. Azor. *p. 2. l. 6. cap. 6. quæst. 2 & 3.* Garcia *p. 7 cap. 7. num. 8.* Quod si inquiras, quis censendus sit prorsus illiteratus? probabilius existimo esse solum illum, qui legere, & scribere latine nescit. Vnde si latinam linguam legere sciat, quamuis sensum non percipiat, crederem non esse prorsus illiteratum, sed capacem esse pensionis Ecclesiasticæ, & beneficij nullum aliud onus præter Officij diuini recitationem annexum habentis.

DVBIVM LXVIII.

An ex summi Præsulis dispensatione possit Beneficium prorsus illiterato conferri?

284 *Non potest.* NOn potest quia plura Sacræ scripturæ testimonia requirunt in Ecclesiastico Ministro scientiam. Do illud *Oseæ 4. Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi* & 1. *Cor. 4.* alibi similia testimonia extant, quæ *in cap. qui Ecclesiasticis dist. 36.* referuntur. Sic plures Doctores relati à Gonzalez *glos. 4. n. 43.*

285 *Potest omninò.* Potest procul dubio, causa iusta intercedente, validè & licitè beneficium illiterato à Pontifice conferri, quia ex iure diuino solum habetur, vt beneficiatus Officium exercens aptus sit ad illud exercendum: at Pontifex ab hac obligatione excusare potest beneficiatum assignando coadiutorem: Ergò cessat ratio ob quam iure diuino illiterato beneficium conferri nequeat. Ita Azor. *p. 2. l. 6. cap. 6. q. 4.* Palao *tom. 2. d. 4. de benef. punct. 6. num. 11.*

286 *Hoc vnice asserendum existimo.* Hoc vnice tenendum existimo, aduertens tamen, ratò causam adesse posse legitimam, vt Pontifex hanc dispensationem concedat: certum verò est, Episcopum prorsus illiterato beneficium conferre non posse, quia non habet potestatem ius Canonicum immutandi. At recte poterit; causa iusta intercedente, ei, qui parum scit, sed creditur breui tempore profecturus beneficium impertire, quia pro aliquo tempore potest Episcopus in obligatione annexa beneficio dispensare, Azor. *vbi s.* Raro tamen hoc est præstandum.

DVBIVM LXIX.

Si quis Beneficium suscipiat cum animo dubio, seu hæsitans, an susceptурus sit Ordinem vel non: vel cum animo conditionato Presbyterium scilicet suscipiendi, nisi sibi aliquid felicius contingat: peccatne cum restituendi obligatione?

CErtum est, nullum esse beneficij capacem, qui prima tonsura initiatus non sit: reliquos vero Ordines ad beneficia suscipienda non prærequiri. Suscipientemque Parochiale teneri, intentionem habere intra annum Presbyterium suscipiendi. Iam requiro, num si cum animo dubio, vel conditionato Presbyterium intra annum suscipiendi, quis beneficium parochiale assumat, peccet, & habeat restituendi obligationem. 287 *Certa præmitto.*

Peccat, & restituendi obligationem habet, quia textus *in cap commissa* absolutam intentionem assumendi Presbyteratum expostulat. Ait enim: *cæterum si promoueri ad sacerdotium non intendens Parochialem receperis Ecclesiam, vt fructus ex ea per annum percipiat ipsam postmodum dimiserus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorundem, cum eos receperis fraudulenter.* Porro qui sub conditione tantum intendit, absolutè non intendit ad Presbyteratum promoueri: ergò textus obligationi non satisfacit. Adde, absolute recipis fructus absque vlla conditione: ergo absolutam habere debes voluntatem, cum fructus ob seruitium futurum saltem in tui intentione concedantur. Sic Sotus *l. 10 de iust. qu. 5. a. 6.* Azor *p. 2. l. 6. c. 9. q. 3.* Gutier. *l. 2. q. 99. canon. cap. 3. n. 22.* 288 *Peccat & tenetur restituere.*

Nec peccat, nec restituere tenetur fructus perceptos, quia *in illo cap. commissa* fructus imperantur restituere eum, qui recipit Parochialem Ecclesiam non intendens ad sacerdotium promoueri. At qui dubium animum habet, vel conditionatum, dici non potest, quod non intenderit promoueri ad sacerdotium, cum potius de promotione dubitauerit. ergò contra illum textum non procedit. Ita Nauar *sum. cap. 25. n. 118.* Graf. *decis. aurear. l. 2. cap. 97. num. 55.* Garcia *p. 3. cap. 4 num. 48. & 49.* 289 *Nec peccat, nec tenetur restituere.*

Media procedo via, si quis animum dubium habeat, peccat lethaliter, & tenetur fructus restituere, nisi deposito eo animo dubio, intra annum ordinetur, quia dubium habens animum promouendi, caret animo & voluntate promotionis: ergo mortaliter delinquit sic beneficium suscipiens, & retinens: cum obligatus sit habere voluntatem ea implendi, quæ tali beneficio sunt annexa. At nec peccat, nec obligationem habet restituendi, si animum gerat conditionatum quia voluntas conditionata vera voluntas est, & illa posita, Ordines suscipere potest, si beneficium non dimittat. Mecum Sanchez *l. 7. de matr. d. 45. n. 10.* 290 *Mediapræcedo via.*

num. 10. Vega *tom.* 2. *sum. cap.* 36. *casu* 23. Lopez *p.* 1. *instruct. c.* 255. & Manuel *t.* 2. *sum. c.* 30. *n.* 6. *concl.* 6.

DVBIVM LXX.

Si quis absque animo sacerdotij suscipiendi, Beneficium accepit, & postea mutauit voluntatem, & sacerdotio initiatus est: debetne fructus perceptos eo tempore, quo debita intentione caruit?

291 *Debet restituere.*

DEbet restituere quia æquum non est, vt superueniens voluntas ius ad fructus decurros, ac male perceptos concedat illaque clausula *cap commissa. Nisi voluntate mutata promotus fuerit*, ad fructus futuros, non ad præteritos debeat extendi. Sic Sotus *l.* 10. *de iust. quæstion.* 5. *a.* 6. Tolet. *l.* 5. *sum. cap.* 5. *num.*

292 *Possit tenere an debeat.*

Restituere non debet quia textus *in capit. commissa* expressè statuit, te obligatum esse fructus restituere fraudulenter perceptos, nisi mutata voluntate promotus fueris: sed nulli alij fructus sunt fraudulenter percepti, nisi illi, qui recipiuntur absque animo sacerdotium suscipiendi: ergò horum restitutionis obligatio cessat, mutata voluntate, & Ordine suscepto. Ita Garcia *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 51. Suar. *de legib l.* 4. *cap.* 13. *num.* 30. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 133. Vasquez 1. 2. *tom.* 2. *d.* 160. *num.* 35. Sanchez *l.* 7. *de matr. d.* 45. *numer.* 7. Archidiac. *ad cap. commissa, v. Mutata, in fine.* Nauar. *c. p.* 21. *de Orat. n.* 46 & 50.

293 *Cum his probabilius longè opinor.*

Cum his probabilius longè opinor. Nam permutationem voluntatis, & sacerdotium assumptum cessat fraus commissa à suscipiente beneficium; quæ in eo sita erat, vt vellet fructibus beneficij frui per annum absque sacerdotio, postmodum beneficium dimissurus: ergò pœna imposita ob illam fraudem, non potest hoc in casu locum habere.

DVBIVM LXXI.

Recepit quis Beneficium curatum animo promouendi intra annum, sed postea voluntate mutata, promotus non fuit: teneturne, fructus eo anno perceptos restituere?

294 *Tenetur quidem.*

TEnetur profecto quia eadem videtur esse ratio in retentione, ac in prima beneficij acceptione. Negari enim non potest, illum cum fraude beneficium retinere, ad fructus lucrandos: Debet ergò illis priuari fraus enim, & dolus nemini debent patrocinari. Sic Glos. *ad c. commissa, v. non intendens,* & *ibi* Dominic. §. *caterum, n. vni.* Garcia *p.* 3. *c.* 4. *n.* 55. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 9. *q.* 2. Tolet. *l.* 4. *c.* 18. *n.* 4. Sotus *l.* 10. *de iust. q.* 5. *a.* 6. *consil.* 1.

295 *Non tenetur.*

Non tenetur, quia leges pœnales extendendæ non sunt vltra casum expressum. At lex relata *in cap. commissa* loquitur expressè de eo, qui recepit beneficium absque promotione: ad sacerdotium, non de eo, qui bona intentione recepit, & mala retinet: ergò ob retentionem obligari non debet ad restitutionem faciendam. Ita Nauar. *de orat. c.* 21. *n.* 50. & *sum. c.* 25. *n.* 118. Ludo. Lopez *p.* 1. *instr. cap.* 255. *concl.* 3. Manu. *to.* 1. *sum. c.* 36. *casu* 23. Sanch *l.* 7. *de matr. d.* 45. *n.* 11. Less. *l.* 2. *c.* 34. *num.* 34.

296 *Hoc probabilius mihi.*

Probabilior hæc mihi sententia quia non est eadem ratio in retentione, ac in prima acceptione. Nam prima acceptio ius in beneficium, & in fructus tribuit; vndè grauiorem fraudem committit sic beneficium recipiens, quam qui solummodo eam fraudem in retentione illius gerit.

DVBIVM LXXII.

An Recipiens Beneficium simplex absq; animo recipiendi Ordinem Sacrum ei annexum: obligatus sit fructus perceptos restituere, nulla expectata sententia?

297 *Obligatus est.*

OBligatus est, quia eadem videtur esse ratio, ac in beneficiis curatis siquidem æque fraudulenter illos fructus recipit, ac recipit beneficij curati fructus, cum omnibus obligatio sumendi Ordinem Sacrum annexa sit. Sic Graf. *decis. casuum conscient. l.* 2. *cap.* 97. *num.* 55. Garcia *p.* 3. *cap.* 4. *nu.* 38. alios referens.

298 *Non est obligatus.*

Non est obligatus, quia *in cap commissa* solùm de beneficiis Parochialibus disponitur: ergò ad simplicia pœnalis constitutio extendenda non est præcipuè cum minor culpa inueniatur in receptione beneficiorum simplicium, quam curatorum. Ita Vasquez *opusc. de benef. cap.* 3. §. 3. *dub.* 1. Azorius *p. secunda l. sexta cap. nono quæstion.* 5. & *septima* Nauar. *capit.* 21. *de orat. numer* 51. & *sum. capit.* 25. *numer.* 118. Sanchez *l. septima de matr. d.* 45. *numer.* 13. Salas *de legib. d. nono sect.* 1. *num.* 15. Less. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 132. Guriet. *l.* 2. *canonic. qq. cap* 5 *n.* 24.

299 *Hoc probabilius teneo.*

Longè hoc probabilius esse credo. Nam hisce beneficiis simplicibus Ordinem Sacrum annexum habentibus, nempè Canonicatibus, dignitatibus, &c. imponitur pœna prima medietatis fructuum, secunda omnium, ac tandem ipsius beneficij. Ergò signum est ipso iure, & nulla expectata sententia, nullam esse fructus restituendi obligationem.

DVBIVM

DVBIVM LXXIII.

An sit peccatum mortale Beneficium simplex accipere animo fruendi eius fructibus aliquo tempore, & postmodum, relinquendi, transeundo ad coniugalem statum?

300 *Mortale est.* MOrtale est, quia recipit ille Ecclesiam, quæ quidem ei beneficium non conferret, si sciret, cum hac intentione assumere. Sic Sotus *l.10. de iust. q.5. a.6.* Tolet. *l.3 c.18. n.4 & l.5. c.5 num.6.* Nauar. *miscel. de orat. 44 n.2.*

301 *Non est mortale, sed veniale tantum.* Non est mortale, sed veniale solummodo, si voluntatem ille habeat beneficio inseruiendi, eiusque obligationibus satisfaciendi, quia nullo iure naturali, neque positiuo recipiens beneficium obligatur, in illo statu perseuerare. Ergò grauiter non delinquit, habens non perseuerandi intentionem. Quòd autem culpam venialem in ea intentione committat, probat ratio pro prima sententia allata: quia scilicet, aliquo modo Ecclesia decipitur: quia beneficium ad sustentandum beneficiatum in Clericali statu ordinatur. Ita Sanchez *l.7. de matr. d.45. numer.19.* Lessi. *l.2. c.34. dub.26. num.132.*

302 *Nullum esse peccatum defendo.* Ego autem ex duabus sententiis, hanc probabiliorem esse existimo. At crediderim adhuc paobabilius, per se in tali intentione nullam adesse culpam, quia nulla potest esse culpa, nisi vbi ineat alicuius præcepti violatio: at nullum est præceptum positiuum, nec naturale obligans beneficiatum ex susceptione beneficij ad perseuerandum in Clericali statu: imo potius à iure liber transitus ad nuptias beneficiatis conceditur, modo beneficia relinquant, *cap. Ioannes cap. Diuersis fallaciis, de cler. coniug.* Ergò nulla potest adesse culpa. Mecum Garcia *p.3. c.4. n.43.*

DVBIVM LXXIV.

An coniugatus capax sit Beneficij ex Episcopi dispensatione?

303 *Status quæstionis.* CErtum est, vxoratos esse beneficij incapaces, *capit. secundo de cler. coniug.* ibi: *Prouidens attentius, ne deinceps clerici eius coniugatus ad beneficia Ecclesiastica, aut Sacros Ordines, vel administrationes Ecclesiasticas admittatur, nisi forte castitatem vouerit perpetuam, & qui vnam, & virginem habuisse vxorem.* Quæsierim vero, an coniugatus ex Episcopi dispensatione capax sit beneficij obtinendi.

304 *Capax est.* Capax est, quia *cap. Ioannes, de cler. coniugat.* supponitur, coniugatum percipere posse beneficium. Deinde Episcopus dispensat cum homicida in beneficio simplici, & cum irregulari, *capit. Ad audientiam, de homicid. capit. Henricus, de cler. pugnante in duello.* Item cum depositio, *capit. Saloniti. dist. 63.* Ergò & cum vxorato poterit dispensare. Sic plures Doctores, quos refert Sanch. *l.7. de matr. d.42. n.17.*

305 *Non est capax.* Non est capax, quia Episcopis interdicitur conferre coniugatis beneficia, *capit. secunda & capit. diuersis, de cler. coniugat.* & si scienter ea contulerint, spoliandi sunt per superiorem. Ergò Episcopo datum non est, cum vxorato dispensare, Ita Sanch. *suprà, n.18.* Garcia *p.7. cap.5.*

306 *Mihi hoc longè verius.* Hoc longè verius esse crediderim. Licet enim *in capit. Ioannes* supponatur coniugatum habere beneficium, habet quidem, vel habere id potest ex Pontificis, non ex Episcopi dispensatione. Fateor autem Episcopum dispensare cum homicida, depositio, & irregulari in beneficio simplici. At inde non probatur dispensare cum vxorato posse, quia illi non sunt omninò incapaces beneficiorum, siquidem beneficia acquisita ante delictum valent retinere: secus coniugatus, & laicus, qui omninò incapaces existunt.

DVBIVM LXXV.

An bigamus possit ex Episcopi dispensatione Ordines minores, & beneficium simplex accipere?

307 *Quæstionis status.* AD beneficium suscipiendum necessum est, vt eligendus bigamia careat, quia hæc irregularem facit ad Ordines, & ad beneficia recipienda, *capit. primò, secundo, & tertio de bigamis, & capit. vni de bigam. in sexto.* Quæsierim vero, num ex Episcopi possit bigamus Ordines minores, ac beneficium simplex accipere.

308 *Potest quidam.* Potest equidem, quia *nullus* est textus negans Episcopo huiusmodi potestatem: imò *in capit. lector. dist.34.* datur facultas bigamo Lectori, vt in Lectoratu permaneat ex dispensatione: & subditur, vt possit, si necessitas vrgeat, ad subdiaconatum promoueri, qui Ordo illo tempore inter Sacros Ordines non erat adscriptus. Sic Doctores plures, quos refert, ac sequitur Sanchez *l. septimo de matr. d.86. numer.11.* Auila *de censur. p. septima d. septimo dub. quarto.* Sayr, *de censur. l. sexto capit. sexto numer.11.* Miranda *Manuale Prælat. l.2. qu.8. a.2. concl.2.* Comitol. *respons. mor. l.1. q.106. n.5. & 6.* Bonac. *de cens. d.7. q.2. pun.5. n.15.*

309 *Non potest.* Minimè potest, quia *in capit. vni. de bigam. in 6.* bigami omni priuilegio denudantur, neque Episcopo dispensatio committitur. At in lege generali nequit Episcopus dispensare, nisi ei commissum sit, vt tradunt Doctores *ad cap. alsi clerici, de iudic.* Ergò nequit in bigamia dispensare. Ita Garcia *p.7. c.6. num.14.* Herbosa *p.2. de potest. Episc. allegat.49. n.21. & 25.* Genuens. *in praxi, c.113.* Zeuallos *quæst. 559.* Suar. *de cens. d.49. sect.6. n.4. & 5.* Tolet. *l.5. c.63.* Ladon. Lopez *p.2. instr. c.22.* Lambertin. *de iure patron. p.1. d.3. q.7. a.13. n.4.*

existimo

310 *Hæ probabiliùs esse reor.*

Existimo verius esse, minimè posse dispensare Episcopum neque ad minores Ordines neque ad beneficium simplex cum bigamo vero, aut interpretatiue, quia in Tridentin. *sess. 23. capit. 17.* permittitur coniugatis, minores Ordines exercere, modo non sint bigami: cui decreto non videtur posse Episcopum derogare. Et sic decisum fuisse à Sacra Congregatione Garcia refert.

DVBIVM LXXVII.

Cum testator dixit, vt patronus ad Beneficium eligat semper vnum ex eius consanguineis, quem capacem inuenerit: potestne, quem maluerit, licet propinquior non sit, eligere?

311 *Nonnulla sappano.*

SCio, iure communi omnibus alias habilibus vndecumque sint, posse beneficia conferri, *capit. ad decorem, de institut.* Tamen in Hispaniæ Regno lege sancitum est, ne aliis, quam oriundis siue naturalibus beneficia conferantur. *leg. 14. & aliis tit. tertio l. prima recopil.* Et de Regno Galliæ testatur Cosmas *in proœm. pragmatic sanct. §. nam Ecclesiarum, v. Exterorum.* Quia naturales diligentius inseruiunt, ecclesiasque ditant, non spoliant: secus exteri. Dicendus autem est naturalis, seu oriundus ex Regno Castellæ, vt capax beneficij sit, qui inibi natus est, vel saltem eius pater, quia à natalitio proprio, vel paterno oriundus quis dicitur; Iasone annotante *ad leg. huiusmodi §. legatum, ff. de legatis primo numero* 18. Verum præter naturalitatem sunt aliqua beneficia, quæ ex eorum fundatione, institutione, statuto, consuetudine, aut priuilegio consanguineis fundatoris, aliisve certis personis debentur. Circa quæ requiserim an cum testator dixit, vt patronus ad beneficium eligat semper vnum ex eius consanguineis, quem capacem inuenerit: possit eligere remotum, propinquiore relicto.

312 *Tenetur semper propinquiorem eligere.*

Non potest, sed tenetur semper propinquiorem eligere, quia tunc videtur electio non voluntati patroni, sed eius arbitrio, ac iudicio commissa: vnde eligendus ille, quem fundator magis præsumitur diligere; qui quidem propinquior valde verosimilius erit. Sic Garcia *p. sexta capit. 15. num. 17.* Gutier. *l. 15. canon. qq capit. 11. numero 38. & cons. 26. n. 11.* Perez de Lara *de anniuers. & capellan l. 2. c. 2. à num. 7.*

313 *Non tenetur, sed pro libito quem maluerit.*

Potest quidem nec tenetur propinquiorem eligere, sed pro libito quemcumque ex propinquis aptum esse cognouerit, quia eius voluntati videtur electio commissa iuxta *leg. vnum ex familia, §. si de Falcidia, ff. de leg. secundo.* Nam si testator dixisset, expresse, se relinquere capellaniam consanguineo, quem patronus elegerit, electio omissa est patroni voluntati: ergò similiter est dicendum, cum testator dixit, vt patronus prouideat vnum ex consanguineis: tacitè enim dixit, vt *Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. eligat eum, qui sibi placuerit. Ita Manuel *tomo primo sum. capit. 106.* Palao *t. 2. d. 4. de benef. pun. 9. n. 5.*

314 *Hanc sententiam probabilem satis esse iudico.*

Prima sententia communis quidem est & probabilior. At existimo secundam satis esse probabilem, posseque patronum ex vi clausulæ illius eligere quem ex consanguineis maluerit, nec teneri eligere propinquiorem.

DVBIVM LXXVIII.

Illegitimus propinquior fundatori est ne, eligendus, legitimus relictis, si fundator disposuit, vt consanguineus proximior præferatur?

315 *Status quæstionis.*

SVppono, beneficium relictum pro consanguineis, posse conferri illegitimo dispensato alias habili. Si verò concurrant in æquali gradu legitimus & illegitimus, nequaquam hunc esse admittendum, si illegitimus verò proximior sit fundatoris, Quæsierim, num stante dispositione testatoris, quod proximior consanguineus præferatur, sit hic eligendus ad capellaniam, quolibet legitimo relicto.

316 *Eligendus est.*

Eligendus est, quia proximior consanguineus à testatore ad beneficium est vocatus. At illegitimus dispensatus habilis est ad beneficium obtinendum, si alio defectu, quo excludatur, non laboret: ergò stante dispositione testatoris legitimis reliquis est præferendus. Sic Garcia *p. 7. c. 15. num. 47.* Zeuallos *q. 762. à n. 24.*

317 *Non est eligendus.*

Non est eligendus, si legitimi sint apti ad beneficium obtinendum, quia legitimus remotior nobilior est quodlibet propinquiori illegitimo: ergo debet præferri. Ita Peregrin. *de fideicommiss. a. 22. numero* 89. Manuel. *tomo primo sum. capit. 106. n. 8.* Gutier. *pract. qq. l. 2. q. 67. n. 4.*

318 *Auctoris resolutio.*

Si stantibus legitimis, posset electio fieri illegitimorum, eo quod æque omnes sint de familia: non poset illegitimus concurrens in eodem gradu proximitatis cum legitimo à patrono eligi, quia hic solum tenetur eligere ex consanguineis fundatoris, qui proximior fuerit; ponimus autem, nullum legitimum proximiorem esse illegitimo: ergò nullus legitimus præeligendus est; qualitas enim legitimitatis non constituit legitimum propinquiorem. Ergò ad electionem iuxta testatoris dispositionem notabilior propinquitas non est attendenda, sed maior.

CAPVT XIII.

Circa Beneficiorum onera, & vtilitates.

DVBIVM LXXIX.

An spectato iure naturali beneficiatus curam animarum habens, si non resideat, teneatur ante vllam sententiam fructus restituere?

319 *Non nulla recolo circa obligationem residentiæ.*

DVPLEX est beneficium, curatum, & simplex: hoc residentiam non postulat, quia nullum officium annexum habet præter horarum recitationem, quæ vbilibet recitari possunt. Curatum vero non solum iure positiuo, sed naturali diuino postulat residentiam, licet contrarium Cathenus immerito defendat. Nec excusatur quis hac obligatione, licet beneficium modici sit valoris, neque ex eo, quod coadiutorem habeat, quia modicus valor non tollit, quin populus regimine & administratione indigeat, *capit. conquerente, de cleric. non residen.* Et ob coadiutoris assignationem non eximitur Parochus à cura beneficij, sed coadiutor ei additur in leuamen. Afficiuntur grauibus pœnis non residentes ex Tridentin. *sess. sexta capit. primo.* Renouat in primis antiquos Canones aduersus Episcopos, aliosque curam animarum habentes promulgatos, si non resideant. Insuper aduersus Episcopos absque causa legitima per sex menses continuos extra suam Diœcesim morantes priuationem ipso iure imponit quartæ partis fructuum vnius anni, quod si per alios sex menses in huiusmodi perstiterint absentia, alterius quartæ partis similem priuationem repetit. Crescente verò contumacia, vt seueriori Sacrorum canonum censuræ subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrenda intra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur: qui in ipsos absentes prout cumque maior, aut minor exegerit contumacia, suæ supremæ Sedis authoritate animaduertere, & ecclesiis ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino nouerit salubriter expedire. Et *sess. 23. capit. primo* ait. Si quis contra huius decreti dispositionem abfuerit, præter alias pœnis contra non residentes sub Paulo III. impositas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, eos sibi detinere posse; sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacumque conuentione, compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur: eadem omninò quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, Sacro Sancta synodus declarat, & decernit. Iam verò circa pœnam non residentibus impositam quæritur, an secluso hoc Tridentini decreto & spectato solum naturali iure. Episcopus, aut beneficiatus curam animarum habens, si non resideat, teneatur ante vllam sententiam fructus restituere.

In conscientia tenetur, quidquid ob causam datur, illa cessante, cessat. At fructus beneficij propter officium datur, & in illius stipendium *capit. fin. de rescript. in sexto.* Ergò officium non exequens, fructus lucrari non debet: ergò ante sententiam obligatus est, illos restituere. Neque valet dicere, te per alium exequi officium; executio namque alterius te laborantem non constituit: ergo te non constituit fructus percipiendi capacem, cum eos percipere debeas non ob alienum laborem, sed proprium. Sic Conar. *l. tertio var. capit. 13. numero nono* Vasquez *de benefic. capit. quarto. §. secundo dub. quarto num. 155.* 320 *In conscientia tenetur.*

Non tenetur, iure positiuo secluso, restituere fructus in absentia perceptos, quia Tridentinum *sess. sexta capit. primo* statuit, eur. his absentibus quartam partem fructuum subtrahendam esse. Ergo si iure naturali omnes fructus tempori absentiæ correspondentes restitui deberent, omnes subtrahendi essent, & non quarta pars tantùm, quod si dicas, Concilium loqui de subtractione fructuum rite perceptorum, id non constat, neque iure probari potest. Ita Panormitan. *ad cap. primum de celebr. missar. Syluest. v. Clericus quarto quæstion. 23.* Sosel. *eodem, numero 13.* Azorius *p. secunda l. septimo cap. 6. q. 6.* & alij. 321 *Non tenetur.*

Existimo hanc sententiam satis esse probabilem, quia fructus beneficij concedi videntur non solum ob Officium præstandum, sed etiam ad sustentationem clerici in partem Domini assumpti, ne contra status decentiam stipendia mendicare cogatur: aliàs si ob Officium tantùm quam ad causam adæquatam fructus concederentur, cessante Officio etiam absque vlla culpa, fructus cessare deberent: dantur ergò fructus non solùm ob Officium, sed etiam in sustentationem illius, qui Dei Minister est constitutus. Ergò quamuis cesset Officium, non cessat causa legitima hos fructus percipiendi. 322 *Existimo hanc sententiam satis esse probabilem.*

DVBIVM

DVBIVM LXXX.

An Episcopus teneatur, aduersus Parochos non residentes remedia, quæ à iure adhibentur, eo Ordine tentare, quo sunt ibi præscripta?

313 *Eo ordine adhibere iuris tenetur.*

TEnetur pœnas à iure expressas adhibere, quo ordine Tridentinum præscripsit. Vnde post citationem, seu monitionem eorum Ecclesiasticis compellendi sunt, deinde sequestratione, subtractio neque fructuum, ac tandem beneficij priuatione: nec potest Episcopus hunc inuertere ordinem, cum sit à Concilio appositus, quia Concilium non liberum reliquit Episcopo, hunc ordinem inuertere, sed solum illi liberum reliquit, vt seruato hoc ordine, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem fructuum, aliaque iuris remedia, vsque ad priuationem procederet. Sic Praxis Episcopalis *p. secunda capit. quarto numer. 96.* asserens à Sacra Rota esse decisum Barbosa *p. tertia de potest. Episcop. alleg. 53. numero* 105. Vgolin. *de offic. Episcop capit. 15. §. quarto num. 4.*

314 *Non tenetur eo ordine adhibere remedia.*

Non tenetur eo ordine procedere, sed posse ex illis remedijs vti quo maluerit, vel censuris, vel subtractione fructuum, vel beneficij priuatione, quia eo decreto Concilij non cauetur illum Ordinem esse seruandum. Ergò non est hæc obligatio Episcopo imponenda. Ita Garcia *p. tertia capit. secundo numer. 159.* affirmans sic esse decisum. Palao *tomo secundo d. quinto de benefic. punct. tertio numer. 10.* Barbosa *vt infrà.*

315 *Hæc verior nisi sententia est.*

Hanc sententiam credo esse veriorem. Ait enim Augustin. Barbosa in declarat. ad locum Concil. *sess. sexta capit. primo.* Arbitrio Episcopi relictum est, qua via, & quo remedio ex his vti voluerit contra *non residentes.* Vnde aut mutauit consilium, aut non benè pro contraria sententia ab aliquo Doctore citatur. Illud est certum, post factam monitionem sub censura, vel sub pœna subtractionis fructuum, beneficiive priuatione, sex menses prolabi debere, vt possit executioni mandari, ita vt post quemlibet pœnæ terminum sex menses transeant: alias nulla erit executio. Colligitur ex *capit. Ex tua de cleric. non residentib.* Et multis decisionibus probat Garcia *citatus n. 154.*

DVBIVM LXXXI.

In citatione personali Clerici non residentis, estne, necessarium, expectare semestre post terminum citationis ad executionem pœnæ?

326 *Necessarium non est.*

NEcessarium non est, quia semestre solùm est datum, cum per edictum vocantur *Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. qui se fraudulenter abscondunt, *cap. Ex tua, de Cleric. non residentib.* At cum personaliter citantur *cap. clericos, cap. inter quatuor* semestre non datur, sed solùm dicitur, beneficiatos absentes, si moniti, vel expectati non redierint, & iustè impediti non sint, suis Ecclesijs priuari debere. Sic Garcia *p. 3. de potest. Episc. cap. 2. num. 155.* Glos. *ad cap. quoniam, vt lite non contestata, v. canonibus.*

rium non est.

Necessarium est, nec statim post terminum citationis pœna potest indici, quia Concilium post quamlibet monitionem terminum semestris esse expectandum, Pietas enim Ecclesiæ ea temporis interstitia assignat, si fortè Parochi corrigantur. Ita Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 53. n. 105.*

327 *Necessarium est.*

Hanc sententiam præfero, vt benigniorem, imò vt magis verbo illi textus *vel expectati* accommodatam. Annoto autem necessarium non esse, citationem fieri solemnem, & iudiciariam, sed sufficere, si sit simplex & extraiudicialis, quia ad huiusmodi citationem, seu monitionem spoliatio de facto subseqni potest, *cap. ex parte. cap Ex tua, cap. qualiter, de cleric. non resid. ntib.* Garcia *num. 130.* Gregor. Lopez *leg. 16. tit. 16. part. 1.* Abbas *c. Ex parte. n. 4.*

328 *Hanc opinionem præfero.*

DVBIVM. LXXXII.

An Cardinales Episcopi ob assistentiam in Romana Curia excusentur, à residentia in suis Diœcesibus?

329 *Nonnulla præmitto circa tempus absentia licitum.*

CVm Episcopi solùm duobus vel tribus mensibus per annum absunt, remittit Concilium *sess. 23. cap. 1.* eorum conscientiæ, iudicare, an ex legitima causa absint. Leuior autem causa requiritur ad hanc breuem absentiam, quam si longiori tempore continuaretur. Si verò vltra tres menses in toto anno absentia est proroganda, decernit Concilium nequaquam Episcopo licere nisi Christiana Charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, vel euidens Ecclesiæ, aut Reipublicæ vtilitas exigant. Et insuper à Romano Pontifice, vel Metropolitano, vel eo absente, à suffraganeo Episcopo antiquiori residente causæ legitimæ absentiæ in scriptis approbentur, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ Officium Episcopatibus adiunctum: quod quia notorium est, & interdum repentinum, hac approbatione non indigebit. Pro curatis verò, aliisque, quibus animarum cura ob beneficium commissa est, statuit Concilium, vt quandocumque causa prius per Episcopum cognita & approbata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentia in scriptis, gratiisque concedendam vltra bimestre tempus nisi ex graui causa non obtineant. Potrò causæ à Concilio designatæ legitimæ quidem ad absentiam sunt. *Charitas Christiana* quando

verbi gratia Episcopi industria & præsentia necessaria esset ad graues discordias sedendas, &c. *Vrgens necessitas*, quæ tum ex infirmitate, tum ex impedimento extrinseco nasci potest. *Debita audientia* illius, qui potest præcipere. *Euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas.* His præmissis, quæsierim in primis, an Cardinales Episcopi ob assistentiam in Romana curia excusentur ab assistentia in suis Diœcesibus.

330 *Excusantur Cardinales.* Excusantur quidem, quia Cardinales Pontifici assistunt, illiusque sunt Consiliarij pro vniuersalis Ecclesiæ regimine. ergò eorum in Romana Curia residentia in euidentem Ecclesiæ cedit vtilitatem. Deindè, spectato iure communi, tenentur in curia apud summum Prælulem residere, *capit. Bona. el. primo de postulat. prælat.* & *capit. secundo de cler. non resident.* Ita vt absque Pontificis expressa licentia nequeant à curia recedere. Ergò sufficienter à residentia in suis Diœcesibus excusantur. Sic Doctores Canonistæ quos refert, ac sequitur Barbosa *p. tertia de potest. Episc allegat. 51. n. 12.* Gonzales *glossa 24. n. 228.*

331 *Non excusantur* Ex vi Cardinalatus non excusantur, quia videtur à Concilio decisum *sess. 25. capit. primo* ibi: *Etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in Ecclesia, vel Diœcesi residentiam.* Ita Cardinalis Cajetan. *secunda secundæ quæstio. 185. a. quinto* Sotus *l. 10. de iust. quæstion. tertia a. quarto* Azorius *p. secunda l. septima capit. quarto quæstion. septima* Vasquez *opusc. de benefic. capit. quarto §. secundo dub. secundo numero 141*, Palao *tomo secundo d. 5. de benef. pun. 4. n. 6.*

332 *Auctoris resolutio.* Antiquo iure nullus Cardinalis eligi poterat in Episcopum eo quod ratione Cardinalatus debebat Romæ assistere, quod compati non poterat cum assistentia Episcopatui debita. Si tamen aliquando Pontifex alicuius Episcopi Cardinalis Consilio & industria (post nouum ius) indiget, ad causas decidendas negotiaque grauia pertractanda, quæ æquè benè expediri nequeunt per alios Cardinales non Episcopos: poterit eos à residentia excusare. Secus verò si æquè benè negotia per alios valeant expediri, vt regulariter contingit. Limitarim doctrinam, nisi Episcopatus ita Romæ vicinus sit, vt Romæ assistens, Cardinalis, in illo assistere censeatur, maximè si negotiis sui Episcopatus personaliter inuigilaret, & non tantum per vicarium, quia his circumstantiis assistenti in Romæ videtur causam legitimam absentiæ exhibere. Mecum Vasquez *citatus* altos afferens.

***

DVBIVM LXXXIII.

An ad absentiam trium illorum mensium in Episcopis honestandam sufficiat, si fiat animi recreandi causa?

SVfficit quidem, quia huiusmodi animi recreatio necessaria esse videtur, ad Episcopi valetudinem conseruandam, viresque addendas ad spirituale ministerium. Sic Sotus *l. 10. de iust. quæstion. tertia a. quarto* citans alios. 333 *Sufficit quidam.*

Non sufficit, quia ad animi honestam relaxationem non videtur trium mensium necessariam esse intercapedinem. Ita Palao *tomo secundo d. quinto de benef. punct. 4. numer. 1.* Vasquez *de benef. capit. 4. §. 2. a. primo dub. 3. num 147.* 334 *Non sufficit.*

Existimo, non posse certam regulam assignari. Alij enim mense vno sufficiens tempus ad recreandum animum sortiuntur. Alij indigebunt, vt terminus ille producatur. Prælatorum id prudentiæ ac conscientiæ remitto: ipsi suæ necessitatis conscij, tempus necessarium eorum trium mensium insument. Ne autem alicuius scrupuli causa sim, certum mihi, hanc sententiam satis esse probabilem. 335 *Sententia Auctoris.*

DVBIVM LXXXIV.

An parochi debeant pro absentia bimestri sibi à Concilio concessa, coram Ordinario concessa legitimam probare?

VIdimus, Episcopum duobus, vel tribus mensibus per annum siue continuis, siue discretis posse absque vlla approbatione superioris abesse à Diœcesi. Dubito autem, an idem dicendum sit de Parochis, possintne illis duobus mensibus à Concilio sibi concessis abesse ex causa, quæ sibi legitima visa fuerit: an verò teneantur, eam coram ordinario probare? Et quidem quod possit, per vnum vel duos dies abesse, imò per hebdomadem ex causa, quæ sibi iusta videatur, relicto vicario idoneo, à sede signato, vniuersalis declarat consuetudo. Pro vno autem, vel altero die feriali absentiæ, si nullus sit in Parochia infirmus, poterit abesse, nullo constituto vicario; quia non adest moralis periculum necessitatis eius præsentiæ. Solum ergò de absentia bimestri est controuersia, num debeat fieri, quin Ordinarius causam probet. 336 *Non nulla suppono.*

Debent

337 *Debent causam coram Ordinario probare.*

Debent Parochi causam legitimam absentiæ coram Ordinario probare, quia Concilium *sess. 23. c. 1.* ait, *quandocumque eis* (Parochis scilicet) *causa per Episcopum prius cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant.* Ergo non remittitur eorum arbitrio duorum mensium absentia. Sic Anton. Gomez *in expos. Bul. crucia. cap. 7. ad 4. claus. num. 21.* Vgolin. *de potest. Episcop. cap. 15. §. 5. num. 2.* Prateius *prax. Episcop. p. 2. cap. 3. numer. 26.* Lessi. *l. 2. cap. 34. num. 159.* Garcia *p. 3. cap. 2. num. 22.* Barbola *p. 3. de potest. Episc. alleg. 53. num. 96.* Valquez *opusc. de benef. cap. 4. § 2. a. 1. dub. 3. num. 149.*

338 *Non debent necessario.*

Non debent, sed possunt illis duobus mensibus abesse ex causa quæ sibi legitima visa fuerit, quia antè Tridentinum parocho licitum erat abesse per bimestre ex causa, quæ sibi iusta videretur. At per Tridentinum hoc ius immutatum non est: ergo licet parocho, stante causa legitima, abesse per duorum mensium spatium, nulla petita licentia ab Ordinario causam approbaturo. Minorem sic probo. Nam Concilium dicit, eadem omninò esse seruanda in parochis, quæ in Episcopis. Cum ergò Episcopi possint per duos, vel tres menses ex causa, quæ sibi legitima, videtur, abesse: poterunt & parochi per illos duos menses sibi concessos. Ita Nauar. *sum. cap. 25. nu. 121.* Salcedo *pra. cap. 52.* Azor. *p. 2. l. 7. cap. 4. q. 10.* Sà *v. Residentia, num. 7.* Cenedo *collect. 6. ad 6. Decretal. num. 3.* Zerola *v. prinatio. § 4. dub. 3.* Manuel *tom. 1. sum. c. 36 fine.* & alij a Garcia citato relati.

339 *Hanc sententiam ego & confirmo.*

Ego autem existimo primam sententiam esse probabiliorem, & consulendam, secundam verò valde esse probabilem. Nam verba Concilij, quibus prima sententia nititur, si rectè expendantur, secundam approbant opinionem. Inquit enim: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas, de curatis inferioribus, aliisque curam animarum habentibus esse intelligenda: ita tamen vt quandocumque eos causa per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant.* Ex his enim verbis solùm colligitur, parochos, quoties ex causa per Episcopum cognita, & approbata absint, debere relinquere vicarium ab Ordinario approbandum: non autem ex illis colligitur in absentia bimestri obligatos esse ex causa per Episcopum cognita, & probata: imò potius contrarium ex illis verbis infero. Parocho namque se ad breue tempus absentanti licitum est, vicarium à se designatum relinquere, secus si longo tempore se absentauerit, vt optimè probat P. Sanchez *l. 3. de matr. d. 31. num. 11.* Ergò parochus, qui bimestri abest (quod tempus modicum reputatur) potest vicarium designare. Ergò potest abesse ex causa, quæ non sit per Episcopum cognita, & probata. Alias si necessarium esset abesse ex causa per Episcopum cognita, & probata, vicarium designare non posset, sed ab Ordinario esset designandus. Sensus ergo verborum illorum est, vt quandocumque Parochus obligatus est, causa per Episcopum prius cognita, & probata, abesse, vicarium ab Ordinario approbandum relinquat: non tamen ibi explicatur, quando debeat abesse causa cognita, & probata ab Episcopo, sed id supponitur ex iis, quæ de Episcopis dixerat, debere, inquam, esse, quando absunt vltra bimestre. Fateor, mihi hanc magis arridere sententiam.

DVBIVM LXXXV.

An si quis absit ex legitima causa à superiore approbata, faciat suos fructus Beneficij, si in scriptis approbationem non habeat?

340 *Nonnulla perdit.*

QVi vltra menses Concilio concessos abest ex legitima causa à superiore tamen non cognita, & approbata fructu non facit suos, sed tenetur illos restituere, ac si nulla causa legitima intercedente abesset, quæsierim autem an idem sit dicendum de facultate in scriptis habenda.

341 *Fructus non amittit.*

Si quis absit ex causa legitima à superiore approbata, & non referat in scriptis approbationem, fructus in conscientia non amittit, quia illa solemnitas non videtur ad substantiam concessionis pertinere. Sic Lessius *l. 2. c. 34. dub. 29 n. 158.*

342 *Amittit fructus.*

Amittit fructus, quia non seruauit formam Concilij vtrumque expostulantis, & sufficientiam causæ, & illius in scriptis approbationem. Ita Garcia *p. tertia capit. secundo numer. 26.*

343 *Hoc placet.*

Mihi quidem Lessij assertum (eius venia) non placet. Nam esto ad valorem concessionis, iure naturæ spectato, scriptura necessaria non sit: est tamen necessaria ad huius concessionis valorem, quia pro forma licentia in scriptis à Tridentino expostulatur.

DVBIVM LXXXVI.

Si beneficiati culpa contracta sit irregularitas, aut aliud iuris impedimentum quo promoueri ad Ordines non valeat, de quo nequit dispensationem obtinere, priuaturne Beneficio?

344 *Nonnulla suppono.*

CErtum est, ad beneficium Parochiale assumptū debere intra annum ad sacerdotium promoueri: & culpabiliter non suscipientem primari ipso iure beneficio accepto ante vllam sententiam, *cap. licet canon. de elect. in sexto.* Quid si ob irregularitatem, vel aliud impedimentum cuius dispensationem obtinere non potest, non promouetur? certe si absque illius culpa contingit beneficio

ficio priuandus non est. Quæsierim autem si illius culpa contractum est huiusmodi impedimentum ante vel post beneficij consecutionem num priuatus beneficio sit?

345 *Priuatus est beneficio.* Priuatus est, quia iam per ipsum stat, quominus valeat promoueri. Sic Glos. *ad Cap. licet canon, v. Priuatus.* Azorius *part. secund. l. 7. cap. 16. quæst. 11.* Bernard. Diaz. *pract. cap. 53. num. 3.*

346 *Non est priuatus.* Non est priuatus, quia posita irregularitate, iam legitimè est impeditus, neque per ipsum stat, quominus promoueatur. Quod vero culpam commiserit in irregularitate contrahenda, per accidens est, cum non contigerit ex intentione, vt ab ordinibus suscipiendis impediretur. Ita Rebuf. *in praxi benefic. tit. de non promor. intra annum. num.* So. Garcia *parte tertia cap. 4. num. 6.* Lessi. *l. secund. cap. 34. numero* 10. nil distinguens an irregularis fuerit ex copula, vel non.

347 *Cum his opinor.* Probabilius crediderim, illum excusatum esse à priuatione beneficij, dummodo non sit contracta irregularitas ea intentione, vt ab Ordinibus suscipiendis impediatur. Sic enim accidentarium reputo huiusmodi impedimentum. Alias si ob culpam tuam infirmus fueris ita vt beneficij onera sustinere non valeas beneficio priuandus esses: quod nemo admittit.

CAPVT XIV.

Circa Beneficiorum vacationem, amissionem, diuisionem, extinctionem, erectionem, vnionem.

DVBIVM LXXXVII.

Viginti dies, quibus debet resignans Beneficium superuiuere à die quo resignationi à superiore approbatæ præstitit consensum: debentne naturaliter computari?

348 *Certa suppono.* CERTVM est, vacare beneficium per possidentis obitum: mors enim omnes soluit. Item per renunciationem *titul. de renunc. in decret. in sexto, & in Clement. Quia renunciatione beneficio cedituv.* Omnibus præterea licere beneficia renunciare, excepto Clerico in Sacris, si aliunde non habeat, vnde commodè viuat: & infirmo nisi post resignationem approbatam vixerit viginti dies: & sano, nisi eodem tempore superuixerit. Quæsierim vero qualiter dies computandi sint? num debeant naturaliter computari, ita vt incepti pro completis habeantur, an de momento ad momentum?

349 *Debet naturaliter computari.* Debent computari naturaliter à momento in momentum, non autem dies inceptus pro completo est habendus, quia quoties à lege fit computatio per dies de momento ad momentum: itaut si primo Ianuarij die horâ octauâ ante meridiem beneficium resignasti, debes decedere vigesima prima illius mensis die, hora ante meridiem octaua, vt resignatio teneat. Sic Flam. *l. 12. de resignat. q. 8. num. 26.* Azorius *parte secunda l. 7. cap. 28. q. 7.* Sanchez *l. 2. de matr. d. 24. n. 16 & 22.*

350 *Non debet computari naturaliter.* Non debent naturaliter computari hi viginti dies, quia diem inceptum pro completo computari debere, probat *Lex Quæritur, ff. de testament.* vbi testamenti facti fauore, decernitur, eâ diem, quo testatori impletur ætas ad testandum, sufficere esse inceptum. Ita Glos. *Leg. Inceptum. ff. de minoribus prope finem.* Baid. *in fine.*

351 *Primam sententiam omnino tenendam existimo.* Tenendam omnino esse primam sententiam existimo. Quia Lex 3. §. *Minorem de minoribus* id aperte probat, & Anton. Gomez tradit *leg. 70. Tauri nu. 25.* Itaque si ante illum diem & horam, qua viginti dies à momento ad momentum computari complentur, decedas, non tenebit resignatio, & beneficium per obitum non per resignationem vacauit.

DVBIVM LXXXVIII.

An minori resignanti Beneficium detur restitutio in integrum?

352 *Nonnulla præmitto.* CErtum mihi, minorem 25. annis, & maiorem 14. posse propria authoritate sine tutoris facultate beneficium resignare, sicuti potest id accipere. Quia in causis spiritualibus, & ab eis dependentibus minor 15. annis pro maiori habetur. Glosa communiter recepta *ad Cap. Ex parte, de restit. spoliat. v. quamuis minor.* Flamin. *l. 3. quæst. septim.* Azorius *parte secund. l. 7. cap. 20. quæstio 9.* Quæsierim vero, an huiusmodi minori resignanti danda sit restitutio in integrum?

353 *Danda est minori restitutio.* Danda est, non solum quando res est integra, scilicet, quando beneficium nondum est alteri collatum, sed etiam si alteri collatum sit. Quia nullibi habetur, hanc restitutionem esse exceptam: & generale est, minori grauiter læso restitutionem esse concedendam. Neque obest, quod minor in spiritualibus vt maior procedat, quominus, si læsus ibi fuerit, restitutio non concedatur. Quia agere potest vt maior in iudicio possessorio, & tamen si in eo lædatur, habet auxilium restitutionis. Sic Conarruuias *l. prim. variar. capite quinto per totum.*

354 *Danda est.* Non est danda ei restitutio. Quia vel resignationem fecit ex causis à iure expressis, & approbatis, vel non, si resignatio facta est ex causis à iure approbatis, vt quia duo beneficia habebat, quorum quodlibet erat sufficiens ad eum commodè sustentandum; vel in fauorem consanguinei, aut amici, aut cum reseruatione pensionis reseruauit: vel quia

quia matrimonium volebat inire, aut Religionem ingredi: non potest restitui, quia in his casibus allegare nequit læsionem, cum instissima fuerit resignatio, & beneficium restitutionis conceditur minori solummodo cum læsione fuerit affectus. At si absque vlla causa iusta resignationem fecit, resignatio nec valet, nec admittitur. Quomodo igitur auxilium restitutionis poterit implorare, cum restitutio locum non habeat, nisi vbi fuerit translatum dominium. Ita Azor. *tom. 2. l. 7. c. 20. q. 9. circa finem* Palao *tom. secund. d. 6. de benefic. pun. 2. §. 3. n. 13.*

355 *Hoc mihi probabilius*

Sententiam hanc probabiliorem esse crediderim. Nam si facta sit renunciatio sine causa, non valet: si ex causis à iure expressis facta sit, læsio non datur, ex qua minor possit restitutionis beneficium implorare. Quod præscribitur *in leg. Omnia, Codic. de minoribus, & leg. Minoribus, Codic. de restitut. in integrum.*

DVBIVM LXXXIX.

An Religioso nouitio interdicatur Beneficij resignatio?

356 *Status quæstionis.*

INterdicitur Regulari nouitio resignatio non seruatis conditionibus à Trident. *sess. 25. cap. 16. de Regularibus* Ibi enim Concilium quamlibet renunciationem, vel obligationem ante professionem factam etiam cum iuramento, & in fauorem causæ piæ annullat, nisi fiat intra duos menses proximos professioni, & cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & de facto professio subsequatur, quæsierim autem, an hoc decretum locum habeat in beneficij renunciatione? num scilicet nouitio Regulari interdicatur beneficij resignatio?

357 *Nouitio interdicitur beneficij resignatio.*

Locum habet illud decretum in beneficiorum resignatione, ideoque nouitio interdicitur beneficij resignatio, quia eadem prorsus ratio militat in renunciatione beneficiorum, ac in bonorum temporalium resignatione: sed renunciatio bonorum temporalium facta a nouitio inualida est, non seruatis præfatis Cœcilij conditionibus: ergo & beneficij resignatio. Deinde Concilium generaliter loquitur, ibi: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio.* Ergo beneficij renunciationem comprehendit. Sic Maiol. *l. 3. de irregul. capite sexto post n. primum* Flamin. *de resignat. l. 3. quæst. 13. num. 4.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. quinto num. 17.* Azorius *tom. secund. l. septimo capite secund. quæst. 6.*

358 *Non interdicitur.*

Locum non habet illud decretum in beneficiorum resignatione vnde nouitio non interdicitur beneficij resignatio, quia à iure antiquo recedendum non est, nisi ex iure nouo expresso: sed ius antiquum concedit nouitio beneficiorum resignationem *Cap. Beneficium, de Regular. in sexto* ibi: *Nisi ad id nouitij accedat consensus,* & *Cap. Transmissa, de renunciat.* Ergo ab hoc iure recedendum non est, nisi nouum expressum adsit. At nouum in Tridentino non exprimit beneficiorum resignationem: imò potius clarè innuit de sola bonorum temporalium renunciatione loqui. Ita Garcia *p. 11. cap. 9. num. 12.* Barbosa *part. 3. de potest. Episcop. allegat. 99. num. 19.*

359 *Verius hoc mihi.*

Verius hoc esse reor. Nã cũ generaliter videtur loqui Cœcilium, *Nulla quoq; renunciatio, aut obligatio,* loquitur de resignatione in fauorẽ causę pię, adiciens, *Etiã in fauorẽ causæ piæ.* Ergò non de beneficiorum resignatione, quæ in fauorem causæ piæ non renũciantur.

DVBIVM LXXXVIII.

An possit etiam seruatis conditionibus à Concilio præscriptis admitti Religiosi nouitij Beneficij resignatio si non habeat vnde viuere possit, & si ad illius titulum fuit ordinatus?

360 *Admitti non potest.*

NOn potest admitti, quia in *Cap. secund. sessionis 21.* expresse prohibetur à Concilio huiusmodi resignatio. Manuel. *tom. secund. sum. cap septim. numer. 3.* Flamin. *l. 3. de resig. quæst. 13. num. 9.* adiciens, admittendam non esse hanc renunciationem, nisi habita professionis certitudine, qualis esset, si iam nouitius proximus esset ad professionem & à Monachis admissus, ita vt moraliter loquendo professo meritabiliter sequatur

361 *Potest admitti.*

Admitti potest hæc beneficij resignatio, facta mentione, quod ad illius titulum fuit ordinatus, quia tacitam habet conditionem, vt professio sequatur, illaque non secuta, reddatur nouitio beneficium, etiamsi alteri, fuerit collatum. Ita Thom. Sanch. *l. 7. Decal. cap. 5. num. 18.* addens, dummodo seruentur conditiones relatæ *in Cap. sexto sessio. 25.* Trident.

362 *Auctoris resolutio.*

Dixerim in primis, ante habitus Regularis susceptionem nullum posse resignare beneficium, si ad illius titulum fuit ordinatus, vel non habeat ex quo viuere valeat, quia hæc renunciatio prohibetur à Trid. *sess. 21. c. 2.* Barbosa *p. de potest. Episc. alleg. 99. n. 20.* Garcia *p. 11. c. 9. n. 23.* Deinde assero, nouitiũ proximũ professioni posse beneficiũ renunciare siue absolutè coram Ordinario, sine in fauorem coram Pontifice: tametsi aliunde non habeat vnde viuat, vel ad illius titulum fuerit ordinatus, facta huius qualitatis mentione. Hoc mihi persuadet praxis harum resignationum communiter recepta. Durum enim esset priuare nouitium potestate resignandi, & cogere illum, vt permittat, professione secuta, beneficium vacare. Neque inde fit, nouitium, si aliquo casu contingẽti professionem non emittat, esse beneficio priuandum, quia illa renunciatio non habet effectum, quousque emittat professionem.

DVBIVM LXXXIX.

Si quis procuratorem constituit, ad resignandum beneficium reseruatis omnibus fructibus, ipse vero reseruata parte fructuum, vel pensione, resignationem fecit: tenetne, resignatio?

363 *Nonnulla suppono.* SVppono resignationem fieri per procuratorem posse, quia quisque potest per alium facere quod per se ipsum potest, nisi expresse prohibeatur. *leg. Labeo, ff. de vsucapionibus.* Nullibi autem quis prohibitus est resignationem per procuratorem facere, nisi in Romana Curia commoretur, cum resignationem facit. Procurator hic potest esse laicus, nec habet à iure tempus determinatum ad consensum præstandum, consensus autem eius non debet mandatum excedere, quia nomine proprio non agit, sed alieno, & per mandatum ei potestas communicatur. *Cap. cum dilecti, de rescript. Cap cum olim, de offic. Iudic. deleganis. Leg. diligenter, ff mandati.* Iam requiro, an si quis procuratorem constituat ad resignandum beneficium, reseruatis omnibus fructibus, ipse verò reseruata solùm parte fructuum, aut pensione, resignationē fecit, teneat resignatio?

364 *Resignatio tenet.* Tenet quidem, dummodo per procuratorem non steterit, quo minus resignatio cum illa fieret conditione, quia illa conditio, cum difficilis sit, & à Pontifice soleat repelli, non debet mandatarium arctare, sed solummodo illum obligare ad illam procurandam. Sic Flamin. *l. b 9. q. 17. n. 20.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 12. q. 12.*

365 *Non tenet resignatio.* Minimè tenet. Quia esto illa conditio difficilis sit cōcessa, at tepè conceditur, & sub illa non alter fuit procurator constitutus: Ergo illam omittere non potest. Ita plures Doctores relati à Flaminio *ibidem* quorum sententiam veriorem esse asserit Palao *tomo secundo d. 6. de benefic. punct. 2 §. 4. n 7.*

366 *Hanc sententiam eligo.* Horum sententiam eligo. Nam resignatio, in qua pars fructuum, seu pensio reseruatur, diuersa omnino est à resignatione cū reseruatione omnium fructuum: Ergò ex facultate ad resignandū reseruatis omnibus fructibus, nō potest inferri facultas ad resignandū cum reseruatione partis fructuum, vel pensionis.

DVBIVM XC.

Si quis mandatum dedit ad resignandum pure, & simpliciter Beneficium coram Pontifice, & procurator resignauit reseruatis fructibus, vel pensione; validane est resignatio?

367 *Valida est.* VAlida est, quia in eiusmodi resignatione procurator vtiliter mandantis gessit causam. Sic Azor. *p. 2. l. 7. c. 22. q. 12.*

368 *Non est valida.* Non est valida, quia beneficiarius non dedit mandatum procuratori ad conditionatam resignationem faciendam, sed ad absolutam sine vllo conditionis onere. Ita Castro Palaò *tom secund d. 6. de benef pun. secund. §. 4. num. 8.*

369 *Hæc opinio placet.* Hæc opinio mihi magis irridet. Dici enim me iudice, non potest procurator mandatum excedens, vtiliter mandantis negotium gessisse, cum ex voluntate mandantis non processerit.

DVBIVM XCI.

An Beneficium resignatum vacet in loco, quo resignatio fit per procuratorem?

370 *Vacat in loco vbi resignatio fit.* VAcat in loco, quo resignatio fit, & non in loco, vbi mandatum dedit, quia beneficij vacatio ita est in eo, quod beneficium domino careat: Ergo vbi caret domino, ibi beneficium vacat. At caret domino, vbi dominus illud amittit: Ergo vacat ibi, vbi dominus exittit. Sic plures doctores quos presso nomine, memorat Palao *tom secund. d. 6. de benefic. pun. 2. §. 4. n. 12.*

371 *Non vacat eo in loco.* Non vacat in loco vbi resignatio fit à beneficiario, sed in loco, vbi beneficiarius mandatum procuratori dedit, quia vitute mandati se beneficio priuat. Ita alij apud Palao *citatum.*

372 *Primam sententiam defendo.* Existimo communem sententiam esse amplectendam, scilicet, beneficium eo loco vacare, vbi fit resignatio à procuratore. Nam cum per resignationem formaliter vacet, ibi vacare censendum est, vbi resignatio perficitur. Mandatum verò ad resignandum resignatio non est nec vacatio: sed est causa resignationis, & vacationis. Non ergo loco mandati, sed loco resignationis vacatio est tribuenda. Neque obstat, loco, vbi mandans exiit, beneficio carere, quia caret beneficio per dimissionem, & vacationem alibi factam, id est, in loco, vbi mandatarius illud ex mandato beneficiarij resignauit.

DVBIVM XCII.

An resignatio Beneficij ex metu cadente in constantem virum facta sit ipso iure irrita?

373 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, duplicem conditionem ad resignationem requiri: Prima, vt libera sit, hoc est, absque metu, & fraude. Secunda, vt fiat pure, id est, absque vlla simoniæ labe. De hac *lib. 56.* dante Numine agemus circa primam vero est certum, resignationem metu cadente in constantem virum factam firmitatis robore carere, licet iuramento firmetur. Innocent. *Cap. Ad audientiam, de his, que vi Cap. Ad aures eodem tit. Cap. Redintegranda 3. q. 1*

3. q. 1. Quæsierim autem, an sit resignatio ex eiusmodi metu facta ipso iure nulla, an ope exceptionis?

374 *Ipso iure est irrita.* Ipso iure irrita est, quia renunciatio metu facta non impedit beneficij restitutionem, *Cap. Ad audientiam. Cap. Ad aures.* si ipso iure valeret, hanc restitutionem impediret; ideo enim spontanea resignatio impedit beneficij restitutionem; quia ipso iure valet, restitutionem impediret. Sic plures Doctores, quos refert Flamin. *l. 3. de resignat. quæst. secund. num.* 1. Navar. *ad Cap Accepta, de restitut. spoliat. oppos. 5. solu.* 1. asserens, huic sententiæ multo tempore adhæsisse.

375 *Non est irrita ipso iure.* Non est ipso iure irrita, sed valida, rescindenda tamen actione, quod metus causa. quia ea, quæ ex metu fiunt, mero iure valent. Sed nullus est textus, qui resignationem beneficij metu factam declaret esse ipso iure nullam: imo potius in *Cap. Abbas* dicitur, debere in irritum revocari: Ergò resignatio beneficij ex metu facta valida est, veniat tamen rescindenda, implorato Iudicis officio vel actione, quod metus causa. Ita glossa Butrio, Abbas, & alij, quos refert, ac sequitur Flamin. *citatus num.* 8. Navar. *ibidem num.* 7. Azorius Garcia *p.* 11. *c.* 1. *n.* 143.

376 *Verior mihi sententia hæc.* Verior mihi hæc sententia. Nã valor resignationis metu facta nõ impedit, quin resignans possit restitui, quia esto careat titulo, & possessione beneficij: caret tamẽ illo ob resignationẽ coactã, ad cuius rescissionẽ propter ibi imbibitam iniuriam ius habet: resignatione verò rescissa, ad beneficium restituitur. Cæterùm an in hac restitutione noua collatione indiget, alij affirmant, alij negant. Crediderim probabilius, nouam interuenire collationem maximè si alteri beneficium collatum fuisset. Navar. *supra num.* 15 Azor. *citatus, q.* 2.

DVBIVM XCIII.

An resignatio Beneficij dolo, seu fraude facta sit ipso iure nulla?

377 *Non est ipso iure nulla.* NOn est nulla ipso iure. Quia *Cap. Redintegranda 3. q.* 1. dolus, & violentia æquiparantur. Sed violentia cadens in constantem virum ipso iure irritam non reddit resignationem: Ergo dolus non debet ipso iure irritam reddere. Sic nonnulli, Doctore relati à Glossa *ad Cap. Suggestum, v. Decipiat, 7. quæst.* 1.

378 *Nulla est ipso iure.* Nulla est ipso iure, quia deceptio tollit omni modo libertatem, quam metus diminuit. Ita Glos. *ibidem* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 3. & 4.

379 *Hoc defẽdo.* Crediderim probabilius esse, ipso iure irritari. Cui resolutioni non obstat, in *Cap. Redintegranda* dolum & violẽciam æquiparari. Quia æquiparantur quoad redintegrationem, ita vt omnia sic dimissa redintegrari debeant; sed diuerso modo. Nam ea, quæ dimissa sunt ex metu, redintegrantur quoad ius, & possessionem; quia ius, & possessio amissa est. At quæ dimissa sunt ex dolo, solum redintegrantur de facto non de iure, quia solum de facto, & non de iure dimissa sunt.

DVBIVM XCIV.

An mutua & reciproca Beneficiorum resignationis admissio sit tacita illorum collatio?

380 *Nonnulla refero.* PRæmitto, permutationem in præsenti esse mutuam, ac reciprocam beneficiorum resignationem, quæ ad inuicem inter permutantes fit. *Cap. vni. de rerum permutat. in 6. & Clement. 1. eodem. tit.* & tradunt omnes, quapropter permutatio non nisi inter duos fieri potest, quorum vnus suum beneficium alteri cedit, vt sibi suum cedat. Quęsierim autem, num hæc reciproca admissio Beneficiorum resignationis sit collatio illorum tacita?

381 *Est tacita collatio.* Est quidem, quia permutatio est cessio beneficij vnius in alterum sub ea conditione, vt alteri conferatur, & ipse tibi suum beneficium cedat. Ergo quousque hæ conditiones perficiantur, cessio non tenet. Ergo non est locus cessionis admissioni, nisi simul admittantur conditiones illius. At illis admissis iam sunt beneficia collata. Ergo admissio resignationis ex causa permutationis est tacita beneficij collatio. Sic Gouzalez *glos.* 14. *num.* 44. & *glos.* 15. §. 2. *n.* 57.

382 *Non est tacita collatio.* Non est tacita collatio beneficiorum, quia beneficia compermutãtibus dari non possũt, quousque vacent: Ergò prius per resignationem illa beneficia vacant, quam conferantur. Potest ergò resignatio admitti, quin beneficia resignata conferantur. Ita Garcia *p.* 11. *c.* 4. *à num.* 85. alios Doctores referens.

383 *Hoc teneo.* Hoc teneo. Admitti enim non potest resignatio, quin simul admittatur cognitio collationis illorum beneficiorum compermutantibus faciendæ sed non factæ. Neque amplius probat contrarium fundamentum.

DVBIVM XCV.

Si Vicario concedatur potestas admittendi resignationes Beneficiorum ex causa permutationis potestne Beneficia ea conferre?

384 *Certa præmitto.* CErtum est, beneficia non posse propria authoritate permutari. *Cap. Quæsitum Cap. penult. de rer permut.* Necessariò itaque superioris authoritas expostulatur: eius, inquam, qui potestatem habet in illo beneficio instituendi, & destituendi, quia permutatio est vnius beneficij depositio, & alterius acquisitio. Si verò inferior Episcopo hanc potestatem habeat vel ex consuetudine, vel ex priuilegio, coram illa fieri permutatio poterit. Az. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29 *q.* 4 Porrò Episcopi Vicarius ratione officij nõ habet hãc potestatẽ nõ quia facultatẽ habet beneficia cõferẽdi, indiget ergo speciali mandato. *Cap. Quæsitum de rer permut.* Quæsierim autẽ, num si Vicario

conced

concedatur potestas admittendi resignationes ex causa permutationis, possit beneficia compermutantibus conferre?

385 *Non potest ea beneficia conferre.* Non potest. Quia resignatio beneficij quid distinctum est a beneficij collatione. Sic Rebuf. *praxi benefic. tit de vicari. num.* 104 Barbosa *p. 3. de potest. Episcop alleg. 34. num.* 68.

386 *Potest plane.* Potest quidem, quia licet sint distincta, sunt tamen omnino connexa. Cum enim beneficium resignas ex causa permutationis, ea conditione resignas, vt compermutanti concedatur. Superior igitur hanc resignationem admittens eo ipso admittit conditionem. Ita Palao *to. 2. d. 6. de benef. punct. 3. §. 3. num. 4.*

387 *Hoc probabilius mihi* Probabiliorem esse hanc sententiam existimo. Nam si Vicarius illam conditionem admittere posset, si potestatem non haberet ea beneficia conferendi, vel saltem obligandi collatorem, vt conferat.

DVBIVM XCVI.

Dispensatus ad vnum Beneficium, potestne id cum alio simili permutare?

388 *Potest quidem.* POtest quidem, quia permutans moraliter loquendo dici non potest, de nouo beneficium accipere, sed beneficium beneficio succedere: eaque de causa prohibitus, acquirere, non prohibetur permutare, vt pluribus exornat Tiraquel. *de utroq; retractu, §. 31. glos. 1. num.* 18. & Molina *de primog. l. 4 c. 5. num.* 47. sic Francus *ad Cap. Non potest. §. illud, n.* 6. & 7. *de præbend. l.* 6. Andre Gambar. *ad Cap. Quæsitum, de rer. permutat. l. 6. n.* 79.

389 *Non potest.* Minimè potest. Quia dispensatio est odiosa, neque trahenda ad alia præter concessa, *Cap. Non potest de prabend. in* 6. *Cap. Ordinarij de offic. Ordinar. in* 6. *Clement. Si plures de prabend.* Ita Rota *decis. 1. de filiis presbyterorum. num.* 6. & 7. Gonzalez *glossa* 14 *n.* 56. Fauet Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q.* 14.

390 *Hoc dicendum.* Hoc dicendum existimo non solum ex stylo Curiæ sed etiam de rigore iuris. Quia si odiosa dispensatio trahenda non est ad alia præter concessa: quia dispensatus est ad habendum beneficium, quod dimittit, non poterit loco illius aliud ex vi dispensationis subrogare.

DVBIVM XCVII.

An in resignatione ad permutationem coram Pontifice, facienda sit mentio beneficiorum obtentorum de rigore iuris?

391 *Status quæstionis.* CErtum est in permutationibus seruandas esse conditiones pro resignationibus requisitas, quia permutatio est propria beneficij resignatio. Solum de illa conditione, quæ in resignationibus coram Pontifice expostulatur, nempe quod fiat mentio obtentorum beneficiorum, quæsierim, num de rigore iuris sit facienda, an solum de stylo Curiæ?

Mentio facienda non est ex iuris rigore, sed solum ex Curiæ stylo, quia Canones & iura decernunt, mentionem obtentorum faciendam esse in impetratione beneficiorum, & illorum dispensatione: quia res odiosa est, & ambitiosa. At permutatio non est propria beneficij acquisitio, cum non addatur beneficium beneficio; sed est non beneficij in locum prioris subrogatio: Ergò non est in hac permutatione mentio obtentorum facienda. Sic Fredenc. Genuens. *tr. de permut. q.* 18. Azor *p. 2. l. 7. c. 29. q.* 27. De stylo autem Curiæ, Garcia *p. 11 c. 4. num.* 89. Rebuf *prax. tit. de permutatione, n.* 34. & 35. 392 *Non est facienda.*

Non solum ex curiæ stylo, sed etiam de iuris rigore hæc mentio facienda est, quia verè, ac propriè in permutatione beneficium impetratur, tametsi ex titulo permutationis. Et quia forte qui dignus est, & idoneus ad vnum beneficium, non erit ad aliud, vel ad plura, si cum pluribus permutatur. Ita Garcia. *p. 11 c. 4. num.* 89. 393 *Facienda est.*

Huic adhæreo. Nam absolutè collatio beneficij debita non est compermutantibus, missi supposita resignatione, quam conferens non tenetur semper admittere. Secus verò est in institutione ob præsentationem, quia institutio absolutè est debita, eo quod instituentis consensus ad præsentationem non requiratur. 394 *Huic hæreo.*

DVBIVM XCVIII.

An matrimonium per verba de præsenti inducat, ipso iure vacationem Beneficij?

395 *Quæstionis status.* CErtum est, matrimonij contractum per verba de præsenti inducere beneficiorum obtentorum vacationem. *Cap. 1 & 2. de status. Cler coniug.* Quia status est cum beneficio incompatibilis. Quæsierim verò, an ipso iure inducat?

396 *Non inducit ipso iure vacationem.* Non inducit ipso iure vacationem beneficij, sed Iudicis sententia desideratur, quia nullus est textus, ex quo hæc vacatio clarè colligatur. Nam *Cap. 1. de Cler. coniug.* dicitur, sic cõtrahentes districtione Ecclesiastica compellendos esse, ad beneficia relinquenda, & retinendas vxores. Et *Cap. Quod à to. 3. de Cler. coniug.* dicitur, debere beneficio priuari, & paulo inferius, esse beneficiis spoliandos. Et in *Cap. diuersis fallaciis 5. eodem titulo* cauetur, esse beneficiis spoliandos. Verum etsi textus esset qui vocationem eam induceret, subintelligendus esset, posita Iudicis declaratione: cum satis receptum sit, leges inducentes iuris quæsiti priuationem non obligare in conscientia, quousque sententia declaratoria accedat. Sic Alexand. Carretius *l. 3. de sponsal. capite tertio* Manuel *tom. prim. summa capite* 224. *num.* 1. & videtur tenere Glossa *in Cap. Coniugatus, de conuers. coniugat. v. Ad sacros Ordines.*

Inducit

397 *Ipso iure vacationem inducit.*

Inducit ipso iure absque vlla Iudicis declaratione beneficij vacationem, quia hæc priuatio beneficiorum non inducitur ob delictum, cum nullum sit; sed inducitur ob statum assumptum incompatibilem: quorum beneficia nequeunt retineri. Ergo necessaria non est Iudicis declaratio. Item contrahens matrimonium ipso facto Ecclesiam relinquit, eamque pro derelicta habet: vacat ergò ipso iure beneficium. Ita Mascard. *de probationibus conclus.* 182. *num.* 1. & 2. Nauar. *summa cap.* 15. *numer.* 120. Sanchez *l.* 7. *de matrim. d.* 42 *nu.* 4. Gonzalez *glos.* 15 *num.* 43. Lessius *l.* 2. *cap.* 34. *dub.* 21. *num.* 112. Garcia *p.* 11 *c.* 8 *num.* 1. Barbosa *p.* 3. *de potest Episcop. allegat.* 54. *numer.* 202. Azorius *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 18. *q.* 8. & *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *quæstio* 4.

398 *Hanc communem sententiam esse affirmo.*

Tenentiam esse communem sententiam omnino non dubito. Cui contraria allegata non obiunt. Nam, vt bene explicat Glossa *Cap.* 1. *de Cler. coniug.* Sic contrahentes compelluntur quoad factum, & possessionem beneficia relinquere, eo quod sint illorum iniusti retentores, vt clare constat ex *Cap. Diuersi de Cler. coniug.* ibi: *Detinere contendunt.* Ex quo inferri non potest, us aliquod in illis habere: imò potius ex *vspoliandos*, quo vtitur, constat, omni iure priuatos esse.

DVBIVM XCIX

Ex matrimonio, quod nullum est vacantne Beneficia?

399 *Vacat omnino.*

NOn solum ex matrimonio legitimo, sed etiam ex inualido, seu nullo beneficia vacant, quia in *Cap. Eum, qui, de præbend. in sexto* obtentione irrita & nulla beneficij incompatibilis vacat primò habitum. *Non enim decet,* (inquit textus) vt *stultus melioris conditionis, quam peritus existat: vel quod inuasor eo, qui iustè ingreditur, priuilegio gaudeat potiori.* Ergo matrimonio inualide contracto, beneficia vacabunt efficacius, quam per validum matrimonium. Aliàs melioris conditionis esset stultus, quam prudens, & iniustus matrimonij inuasor, quàm iustus, & legitimus. Hæc sententia ferè ab omnibus Doctoribus approbatur, cum matrimonium est nullum ob impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis. Nam cum ex se contrahens habilis non sit ad contrahendum, quantum in se est tentat contrahere: Debet ergo ob hanc attentationem, beneficio priuari: Gonzalez *glos.* 15 *num.* 44. & *glos.* 57. *numer.* 44. Garcia *p.* 11 *c.* 8. *num.* 4. Farinac *q.* 138. *à num.* 209. & alij innumeri apud ipsos.

400 *Non vacant.*

Matrimonio nullo, & irrito, ex quacumque causa nullum sit, beneficia iure ipso non vacant quia nullibi hæc priuatio inducta est ob matrimonium attentatum, sed ob matrimonium legitimum: de hoc enim matrimonio textus loquuntur, hinc priuationem inducentes, vt videre est in *tit. de cler. coniug.* & constat ex ratione quam subiungunt ad hanc priuationem, nempè diuinis obsequiis vacare non posse, qui vxori, & voluptatibus carnis addictus est. Quæ ratio locum habere non potest in contractu nullo, cum contrahens vxori, voluptatibusque addictus non sit? Ergo per matrimonium nullum hæc priuatio beneficiorum non inducitur. Ita Sanchez *l.* 7. *de matrim disput.* 34. *num.* 3. Lessius *lib. secun cap.* 34. *dub.* 21. *n.* 113. & alij plures apud Sanctium.

401 *Cum his opinor.*

Cum his opinor, quia hæc priuatio induci potest vel in pœnam delicti commissi, vel ob tacitam renunciationem, vel ob assumptionem status incompatibilis. Sed ex nullo horũ inducitur. Non primum, quia nulla est pœna quæ priuet iure quæsito absque Iudicis declaratione. Non secundum, quia renunciatione expressa non vacat beneficium quousque à superiore acceptetur: ergò vacare non poterit renuntiatione tacita, tacitum enim efficacius esse non potest, quàm expressum. Non tertium, quia posita matrimonij nullitate non est assumptus status incompatibilis, sed solum est tentatum assumi.

DVBIVM C.

An nouitius Religiosus debeat vocari ad electionem ratione Beneficij competentem?

402 *Nonnullæ suppono:*

CErtum est, ante professionem nec beneficia, nec pensiones vacare, *Cap. Beneficium, de Regular. in* 6. esto nouitiatus prorogetur. Quia solummodo cautum est, vacare professione tacita, vel expressa. Poterit vero Episcopus, cui beneficium nouitij subiicitur, contra nouitium tanquam contra illegitimè absentem procedere vique ad beneficij priuationem: quod intelligo de beneficiis residentiam expostulantibus. Hinc constat, beneficij fructus, qui percipi in absentia possunt, nouitium acquirere. Solum est dubium de illo fructu beneficij, qui est electio qua ratione nouitio competere possit. Ponamus nouitium Canonicum alicuius Ecclesiæ esse, faciendamque esse à Canonicis electionem Prælati, vel beneficij alicuius, aut præbendæ: debetne nouitius, vel admittendus ad electionem, si iure Canonicatus ei electio competat?

403 *Vocandus est ad electionem.*

Vocandus est, & admittendus, si loco electionis proximus commoretur. Quia electio celebrari debet vocatis iis, qui potestatem habent eligendi, si proximi loco electionis existant: At canonicus nouitius potestatem habet eligendi, cum canonicatum retineat: Ergo vocari debet si loco electionis proximus inueniatur. Sic Archidiac. *cap. Beneficiũ de Regular. in* 6. *numero primo* & *ibi* Prosus *addit ad Anchuan. num prim.* Bertachin. *de gabellis, parte septima num.* 56. Mandos. *in casibus annalibus numero* 66 *casu* 197. Glossa *ad cap Beneficium* asserens, non debere esse deterioris conditionis eum qui ad bonum aspirat, & Religiosam vitam probat: præcipuè cum inquietudini, & distractioni

quæ

quæ ex iis electionibus nasci poterant, (si frequentes sint) occurrere posset designando procuratorem iuxta textum in *Cap. Quia propter, de elect. & cap. si quis, eodem titulo in sexto.*

404 *Non est vocandus.* Non est vocandus necessariò, quia fictione iuris ob statum assumptum reputatur longissime absens. *argum. textus in cap. Quamuis de procuratoribus in 6.* vbi ingressus Religionis, & longa peregrinatio æquiparatur, & Glos. *v. Ingredi*, inquit, *Etiã non profitendo, sed solum probationis causa.* Sed longe distans vocari non debet: Ergò nec nouitius vocandus necessario est. Ita Glosa *ad Cap. Beneficium v. conferendum, fine* Tiraquel. *de retractu lignag. §. 1. glos. 8. nu. 37.* Azorius *parte secund. l. 12. c. 3. q. 1.* Sanchez alios referens *l. 7. decal. c. 4. num. 10.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 16. num. 16.*

405 *Auctoris resolutio.* Ego autem existimo, nouitium, cui speciali iure, & singulari, electio, seu nominatio competit, vocandum esse, seu eius consensum petendum. Quia ius eligendi, seu nominandi, quod ante ingressum habebat, retinet, nec in Monasterium transit: & ex altero capite poterit ius illud absque Religionis dispendio executioni mandare: siquidem non tenetur ad hanc electionem è Monasterio extre. Sanchez *l. 7. decal. cap. 4. num 12.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. cap. 16. num. 16.* Si vero nouitio iure alicuius patronatus &c. electio, vel nominatio non competat, sed iure Ecclesiæ, vel collegij, probabilius existimo non esse necessario vocandum, licet non longè existat; quia illa iuris fictione ob Regularem statum longissimè reputatur abesse.

DVBIVM CI.

An crimen læsæ Maiestatis humanæ priuet ipso Beneficio delinquentem?

406 *Iure ipso priuat.* IVre ipso priuat, quia textus in *Cap. si quis laicus 22. q. 5.* ita præscribit. Videtur enim indignus vel momento temporis beneficium possidere qui tam infame piaculum perpetrauit. Sic Gonzalez *glos. 15. numer. 72.* Rebuf. *prax titul. de modis amittendi beneficia, num. 32.* Barbosa *parte 3. de potest. Episc. allegat. 57. num. 223.*

407 *Non priuat ipso iure.* Non priuat ipso iure. Quia huius pœnæ nullum est firmum fundamentum. Nam textus in *cap. si quis laicus*, solum dicit Episcopũ, Presbyterum, aut Diaconum, qui & Domini sui Regnum peruersè, & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatus fuerit, *degradari debere*, quod verbum sententiam requirit. Ita Castro Palao. *tom. 2. d. 6. de benef. pun. 3. §. 8. n. 3.*

408 *Probabilius hoc esse reor.* Probabilius hoc esse reor. Scio tamen, Bernardum Diaz *pract. capite 119.* primam tenere sententiam ex synod Toletan. 16. At synodus illa solum dicit, debere sic delinquentem à conuentu Catholicorum excommunicationis sententia repelli, honore simul, ac loco repulsum, omnibusque rebus exutum quibus non denotatur vacatio ipso iure, sed per sententiam. Addiderim cum Iulio Claro *l. 5. recept. sentent. § læsæ Maiestatis, & §. q. 30.* Satis difficile, esse, qualiter propriè crimen, læsæ Maiestatis Clericus possit committere, cũ sit extra iurisdictioné Principis tẽporalis

DVBIVM CII.

An homicidium inducat ipso iure Beneficij priuationem?

409 *Inducit priuationẽ.* INducit priuationem beneficij, quia inducit irregularitatem, necessarium est priuationem inducere: nec enim cum irregularitate stat, posse beneficium consequi. Sic nõnulli Doctores.

410 *Non inducit.* Non inducit. Quia licet irregularitatẽ inducat, irregularis tamen non priuatur beneficio iam obtento, sed inhabilis ad alia obtinenda efficiatur. Vnde, vt beneficiis obtentis Clericus homicida priuetur, necessaria est sẽtentia, etiamsi homicidium qualificatum sit. Ita Couar. *Clement. si furiosus, p. 2. §. 3. num. 6.* Garcia *p. 11. c. 10 num. 40.* Clarus *§. Homicidium, num. 21.* Bernard. Diaz *pract. c. 94. num. 1.* Gutier. *l. 2. canon. qq. c. 5. numero 6.* Azor. *p. 2 l. 7. cap. 17. q. 1.* Gonzalez *glos. 15. numero 79. & 80.* Suarius *de cens. d. 44. sect. 4.*

411 *Hanc tutum non ab homine, de iudiciis. cap. clericus ne nec comitat clerici, vel Monachi. cap. Ex litteris, de excess. simõ quinque adiciens limitationes.* Certe textus hanc pœnam indicantes potius indicant, ferendam, quam latam esse. *cap. Prælator.* Sed est limitanda conclusio in occisione Cardinalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ob quam beneficia ipso iure vacant. *cap. Fœlicis, de pœnis in 6.* Et in occisione, vel percussione Episcopi. *clement. 1. §. A feudo, de pœnis.* Et in occisione, vel mutilatione per se, vel per alium facta Rectoris, vel alterius Clerici eiusdem Ecclesiæ, in qua occisor, vel mutilator beneficium habet. *cap. quibusdam 12. de pœnis.* Et in homicidio per assassinũ, qui enim pretio conductus Christianum occiderit, vel de eo sic occidendo mandatum dederit, licet mors non fuerit secuta: & qui assassinum receptauerit, vel occultauerit, ipso inre beneficio priuatus existit. *cap. 1. de homicid. in 6.* denique in occidente, vel vulnerante, vel quouis modo offendente litigantes in Romana curia, eorumque iudices, aduocatos, procuratores, vel notarios: cuius beneficia ipso inre vacant, ex constitut. Alexandri V I. quæ incipit, *In crimine sedis.*

DVBIVM CIII.

An periurium inducat ipso iure Beneficij priuationem?

412 *Inducit quidem.* INducit equidem, quia periurij crimen grauissimum est piaculum in laico, in Clerico autem execrabile, dignum quidem priuatione beneficij ipso iure ex parte vindicatur. Sic Rebuf. *de pacific. possess. num. 269. alias 223.* Rupert. *rubric de reser. pt. n. 1.*

Non

413 *Non inducit.* Non inducit, quantumuis grauissimum sit, quia nullo textu cautum expresse est. Ita Glos. *ad Cap. Querelam, de iureiur.* Decius, Abbas, Felinus, *ad caput secund. de rescript.* Couar. *ad Cap. Quamuis pactum parte prim. §. 7. numero 3.* Suar. *de Relig. tom. secund. tr. 5. l. 3. cap. vltim. n. 6. 17. 21. & 22.* Azor. *part. 2. l. 7. c. 18. vers. quarto* Garcia *p. 11. c. 10. n. 167.*

414 *Cum his opinor.* Cum his sentio addens, nec ob quodlibet periurium beneficij priuatio imponi debere, sed ob periurium in iudicio. Garcia, *numero 168.* Bernard Diaz *pract. cap. 92. fine* Et quidem in iis, quæ ad ius positiuum pertinent, non tam delicti grauitas, quam dispositio iuris ipsius spectatur.

DVBIVM CII.

An capitulum sede vacante habeat, potestatem Beneficia vniendi?

415 *Nonnulla premitto.* CErtum est, Episcopum omnia beneficia suæ diœcesis non exempta vnire posse: & omnia beneficia ad sedem Apostolicam modo deuoluta non sint ob proprium negligentiam: si autem deuoluta fuerint ob prædecessorum negligentiam, ignorantiam, vel absentiam, potest. Quæritur autem, an Capitulum sede vacante hanc habeat potestatem?

416 *Non habet potestatem.* Non habet. Quia non potest iuri Episcopali derogare: derogaret verò beneficiorum vnione: siquidem, illa facta, Episcopus, qui facultatem habet, duo beneficia conferendi vnum tantum conferre posset: aliud enim per vnionem extinguitur. Et quia Capitulum non habet potestatem beneficia conferendi pertinentia ad Episcopum: Ergo nec habebit vniendi potestatem quæ maior est. Sic Pauin. *de offic. & potest. Capitul. p. 2. q. 3. n. 17.* Anton. Euchus *institution. l. 1. tit. 9. num. 87.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 9.*

417 *Habet quidem.* Habet quidem, quia hæc potestas est iurisdictionis non voluntariæ, sed necessariæ, eo quod necessitate vrgente, exta vel ex necessitate Ecclesiæ vel euidenti ipsius vtilitate. At Capitulum sede vacante, succedit Episcopo in iis, quæ pertinent ad iurisdictionem necessariam: imo ex aliquorum sententia, succedit in iis, quæ ad iurisdictionem siue voluntariam, siue necessariam pertinent. Ergo vniendi ei competit potestas. Ita Rebuf. *tit. de vnionibus n. 36.* Hojeda *de incompatibilit. benef. p. 2. c. 3. n. 7.* Azor. sibi contrarius *p. 2. l. 6.* Garcia *p. 12. c. 2. n. 67.* Sanch. *l. 7. Decal. c. 29. num. 155.* Barbos. *p. 3. de potest. Episc. allegat. 66. n. 5.*

418 *Hoc longè probabilius.* Cum his sentio probabilius longè. Nam vnio beneficiorum nullum Episcopo infert præiudicium, est enim exercitium ipsius Episcopalis iurisdictionis: & licet causa sit, ne Episcopus post vnionem nisi vnum beneficium conferre, cum vnione secluſa, duo conferre posset; non ideo perit ius aliquod Episcopale; quod in eo consistit, vt valeat omnia beneficia sibi subiecta prouidere, dum beneficij naturam retinent: quæ potestas non immutatur ex eo, quod hæc, vel illa beneficia extinguantur. Esto autem quod vniendi potestas maior sit, quam conferendi: quia tamen est necessitatis & non voluntatis, ideò potest Capitulo, sede vacante competere, tametsi potestas conferendi non competat. Moneo tamen, hanc vniendi potestatem Capitulo competere, dummodo sibi beneficia non vniat. Nam si sede plena, non potest Capitulum in sui fauorem præbere consensum ad vnionem, quia esset proprium factum authoritate, & quasi in propria causa ius dicere *Clement. si vna, de reb. Eccles. non alienand.* Minus poterit ea sibi beneficia vnire Garcia *parte 12. capite 2. n. 68.* Barbosa *ibi. num. 5.*

Esteb. & Mend. Theol. Mor. Tom. VII.

DVBIVM CIII.

Potestne Vicarius Episcopi Beneficia vnire?

EX vi vicariatus minimè id potest. Quia neque habet potestatem beneficia conferendi, quod minus est, Sanch. *l. 3 decal. c. 29. n. 153.* & alij communiter, quæritur est, an id possit, data ei ab Episcopo generali clausula ad conferenda beneficia, & gerendo omnia, quæ speciale requirunt mandatum? 419 *Certa præmitto.*

Conceditur ei potestas beneficia vniendi. Quia conferre voluntatis est, vnire verò necessitatis. Sic Gambacurta *l. 5. tit. de potest. legati, Rubr. 1. num. 115.* & alij. 420 *Conceditur ei hæc potestas.*

Minimè conceditur, quia sub potestate conferendi non comprehenditur vniendi potestas, cum sit omnino distincta. Neque etiam comprehenditur ex vi illius clausulæ generalis. Nam hæc solùm extenditur ad similia, non autem ad maiora, argumen. *Cap. Qui ad agendum, de procurat. in sexto.* Ita Rebuf. *titul. de forma vicariat. nu. 102.* Sbrotius *de vicario Episcop. l. secund. quæstio. 115. à numer. secund. vsque ad 8.* Garcia *p. 12. capite secund. 69.* Sanchez *num. 154.* Barbosa *p. 3. de potest. Episcop. alleg. 66 n. 7.* & alij apud ipsos. 421 *Non conceditur.*

Hoc tenendum omninò est. Negari enim non potest, vnionem beneficiorum dissimilem esse collationi, & esse quid maius: vtpotè quod nequit fieri sine consensu capituli, & quæ beneficij naturam immutat. Ergò in potestate conferendi beneficia cum illa clausula generali, potestas vniendi non infertur. 422 *Hoc tenendum omninò.*

DVBIVM CIV.

Legatus à latere potestne, Beneficia prouinciæ sibi demandatæ vnire?

NOn potest in *Cap. fin. de confirmat vtili, vel inutili.* vbi vnio facta à legato à latere reprobatur. Et quia potestas hæc soli Episcopo iure communi concessa esse videtur: legatus vero ius commune nequit derogare. Sic Innocentius *Capite fin. de confirmat.* Hostiens. *ibi. num. prim.* 423 *Non potest.*

Ioan. Andr. *num.* 2. Anton. *num. vltim.* Feder. *cons.* 195. *per totum.* Marian. Socin. senior dubius hæret post quæstionem late disputatam *ad Cap. sicut vnire, de exessib. prælat. a.* 3 *q.* 5. *à n.* 9.

424 *Potest quidem.* Potest profecto, quia Legatus à latere in prouincia sibi demandata est Ordinarius, & eandem cum Episcopo obtinet potestatem. Cum ergò Episcopus hanc potestatem habeat legatus eandem habere debet. Vnde sicut Episcopus facere potest vnionem cum aliis beneficiis tum Monasteriis & locis Religiosorum. *Cap. consultationibus*, quamuis Monasterium sit exemptum: tum fabricæ Ecclesiæ etiam Cathedralis, quia est locus pius & religiosus: idem Legatus à latere poterit. Ita Abbas *ad Cap. Sicut vnire, de excessib. prælator. n.* 5. Gambat. *de offic. & potest. Legati. l.* 5. *num.* 4. Rebuf. *prax. benef. de vnionibus, à numero* 24. Sanchez *l.* 7. *decal. cap.* 29. *num.* 158. Garcia *p.* 12. *capite secund. num* 65. Azorius *p.* 2. *l.* 5. *cap.* 29. *quæst.* 14. Riccius *prax. fori Eccles. decis.* 492. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcop alleg.* 66. *n.* 4. & alij apud ipsos.

425 *Hæc omnino verius.* Hæc sententia verior omnino. Nam in *cap. fin. de confirmat. vtili, vel inut.* non reprobatur vnio à Legato facta: non enim ibi legatus beneficia vniuit, sed contulit. Reprobatur autem, quod ex collatione sibi facta collatarij prætendebant ius exceptionis in temporalibus & spiritualibus ab Episcopo: quia (vt inquit ibi textus) iura, quæ diœcesanis debentur per collationes Legati, & confirmationes Apostolicas nec minuuntur, nec læduntur. Abnego verò soli Episcopo hanc vniendi potestatem competere. Nam licet in *Cap. sicut vnire* solius Episcopi mentio fiat, sub illo nomine quilibet iurisdictionem Episcopalem habens comprehenditur Episcopo confirmato, quamuis consecratus non sit. Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 29. *n.* 147. Potrò beneficiorum vnio ius commune non derogat, sed potius ius commune hanc concedens facultatem exequitur.

DVBIVM CV.

Abbates, & alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, fruuntur ne Beneficia vniendi potestate?

426 *Status quæstionis.* STante priuilegio, consuetudine immemoriali, aut quadragenaria cum titulo, fere omnes Doctores conueniunt vnire beneficia posse, quia hæc potestas cum sit iurisdictionis, præscribi consuetudine potest. Quæstio verò est, an secluso priuilegio, vel immemoriali consuetudine, huiusmodi potestate fruantur?

427 *Non fruuntur.* Non fruuntur, quia in *Cap. sicut vnire.* vbi vnio facta ab Abbate de beneficio sibi subiecto, Episcopo committitur, vt confirmet, si velit. Sic plures Doctores relati à Sanchez, & Garcia locis statim allegandis.

428 *Fruuntur. Vsque.* Fruuntur equidem, quia in *Cap. sicut vnire.* ea de causa vnio illa ab Abbate facta præcipitur infirmari, quia fuit facta absque consensu Episcopi, cui beneficium subiiciebatur. ergo à contrario si ex consensu Episcopi vnio facta esset, valida foret. Ita Manuel. *tomo tertio qq. Regul. q.* 80. *a.* 1. Garcia *p.* 12. *capite secund. num.* 72. Sanchez *l.* 7. *Decal. capite* 29. *n.* 160. & plures apud ipsos.

429 *Hæc mihi mêt probabilior.* Probabiliorem hanc sententiam esse defendo, quia his Prælatis competunt ea quæ sunt Episcopalis iurisdictionis, hæcque potestas vniendi beneficia ad iurisdictionem Episcopalem pertinet: siquidem competit Episcopo non consecrato, sed confirmato solùm.

Conditiones necessarias, vt vnio geri valeat, subiicio. Cæterum conditiones subiicio necessarias, vt vnio beneficiorum geri possit. Causa ad vnionem requisita est necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. Cuius cognitionem debet Prælatus præmittere ad vnionem. Debent vocari hi, quorum interest, aliàs nulla erit. Vocandus item Patronus siue Ecclesiasticus, siue laicus, collator, seu electo. Rector beneficij vocandus non est, neque defensor, si vnio facienda sit tempore vacationis. Accedere debet consensus capituli Cathedralis Ecclesiæ in vnione ab Episcopo facta, non autè in facta à legato. Exprimi debet valor beneficij vniendi, & eius cui est faciēda vnio. Nō denique requiritur tractatus expostulatus in rerum Ecclesiæ alienatione. Qualiter verò beneficia spectato iure nouo Tridentini possint vniri, comperies, si textus *sessio. septima c.* 4. 6. 7 *& sess.* 14. *capite septim. & sessio* 24. *cap. quint. & sessio* 23. *cap.* 18. & rursum *sess.* 24. *cap.* 13. *&* 15. & *sessio.* 25. *capite* 9. attente perlegeris: quorum expositionem apud P. Ferdinand. de Castro *tomo secund. distinct.* 6. *de benefic. punct.* 9. *§. tertio à n.* 1. *ad* 21. reperies.

PENSIO.

CAPVT XV.

Circa Pensionis impositionem.

DVBIVM CVI.

An pensio spiritualis sit Beneficium?

430 *Nonnulla suppono.* IDIMVS *sess.* 1. pensionem diuidi in spiritualem & temporalem. Potrò spiritualis statum Clericalem in pensionario requirit: secus temporalis, spiritualis expostulat spirituale officium ex constitutione Pij V. nempè officij Beatæ Virginis recitationem; temporalis nullum spirituale ministerium expostulat. Hinc fit, portionem extractam ex aliquo

quo beneficio esse pensionem spiritualem si Clerico, quatenus talis est, concedatur: temporalem verò, si laico ob ministerium temporale exercitum, vel exercendum fuerit concessa. Certum est pensionem sæcularem beneficium non esse, cum non sit ius spirituale percipiendi fructus, sed temporale: quale est concessum Hispaniæ Regibus, qui tertiam partem fructuum ex omnibus fere beneficijs recipiunt ob seruitium Ecclesiæ præstitum in hæreticorum extirpatione, aliorumque infidelium: & quale conceditur famulis, ac ministris Ecclesiæ seruientibus in pulsatione organi, cantu, ostij apertione, &c. Quæsierim vero, num pensio spiritualis Ecclesiastica sit beneficium?

431 *Est beneficium.* Beneficium est, quia beneficium Ecclesiastica definitur: Ius spirituale percipiendi fructus: sed pensio concessa in titulum est ius spirituale fructus percipiendi. Ergò est beneficium. Quod autem non sit ius perpetuum, sed temporale non videtur sufficiens esse, ad diuersitatem specificam concedendam Sic Gambatus *de offic. legati, l. 6. n.* 309. Paul. Roman. *de pens. capite sexto num.* 34. *& cap.* 7. *num.* 16. Andr. Barbati. *Cap. Ad audaciam 2. de rescript.*

432 *Beneficium non est.* Non est beneficium, nec sub illius venit appellatione, quia decidi videtur in Trident. *sessio 21. c. secund.* vbi pro ordinibus suscipiendis diuersimodè loquitur de habente beneficium, ac de pensionem accipiente. Et quia beneficium est ius spirituale perpetuum percipiendi fructus ob spirituale ministerium: beneficium enim datur propter officium. At pensio non est hoc modo ius spirituale perpetuum. Ergò beneficium non est. Ita Azorius *p. 2. l. 3. c.* 5. *q.* 2. *& l.* 8. *cap.* 5. *q.* 4. *&* 5. Tolet. *l.* 5. *cap.* 82. *num.* 2. Gonzalez *ad reg. mens. glos.* 5. §. 5. Garcia *p. 1. cap.* 5. *num.* 3. & alij antiquiores.

433 *Hoc tenendum existimo.* Tenendum omnino pensionem beneficium non esse. Nam ius non est spirituale perpetuum eo modo, quo per beneficium acquiritur. Quia id ius pensionarij vita finitur, neque in ea datur successio: secus in beneficio, quod morte beneficiarij non extinguitur, sed vacat, vt per alios valeat possideri. Et quia spiritualitas iuris pensionis & beneficij est diuersa; Beneficium enim semper fundatur in spirituali officio, & ministerio; at spiritualitas pensionis non in officio, sed in personæ qualitate fundatur. Non enim pensio concessa in titulum datur ob officium spirituale, tametsi illius detur obligatio ex lege: sed datur in subsidium, & alimentum vitæ.

DVBIVM CVII.

An pensio à Pontifice imposita sine causa legitima sit valida?

434 *Nonnulla suppono.* Certum mihi, si Pontifex putauit, legitimam causam adesse, cum tamen non sit nullam esse concessionem, quia est contra Pontificis voluntatem, qui nunquam est præsumendus velle absque causa beneficia grauare. Azorius *part. secund. lib. octau. cap. quinto quæst.* 8. Garcia *parte prim. cap.* 5. *num.* 280. At quando certo constat, Pontificem libera sua voluntate ductum, voluisse beneficia grauare, onus pensionis imponendo, quæritur, an pensio sit valida?

435 *Valida non est.* Valida non est nec obtinens potest retinere, quia Pontifex non est Dominus beneficiorum, neque illorum fructuum: aliàs sine culpa posset in quemcumque vsum de illis disponere; sed est illorum administrator, & dispensator. 1. *Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, & Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* At dispensator, & distributor ius non habet dispensandi, ac distribuendi, nisi quatenus visum fuerit ei, cuius est dispensator. Christus autem Dominus cuius Pontifex dispensator est, non consentit in distributione Ecclesiasticorum bonorum, quæ Ecclesiæ nociua sit, qualis est pensio beneficijs absque causa imposita: Ergò inualidè Pontifex illam imponit, & inualidæ pensionarius accipit. Sic Victoria *relect. de simon. numero* 50. *&* 51. Aragon. 2. 2. *quæst.* 63. *a.* 2. Gambatus *de offic. legat. l.* 10. *numero* 386. Rodriguez *sum. tomo* 2. *cap.* 21. Vega *parte secund. sum. capite* 65. *casu* 6. Petr. Ledes. *parte* 2. *sum. tr.* 7. *c.* 1. *& tr.* 12. *conclus.* 21. Tolet. *l.* 5. *cap.* 83. *numero* 1. Lessius *l.* 2. *c.* 34. *num.* 204. Vasquez *opusc. de benef. capite* 2. §. 3. *dub.* 11. *numero* 68. & alij plures.

436 *Valida est.* Valida quidem est, & licitè à pensionario accipi potest, quia negari non potest Ecclesiasticorum bonorum dominium penes Ecclesiam residere, & consequenter penes Pontificem tanquam illius Caput, & superiorem: Ergò si Pontifex hæc bona alienet, validè alienat tamet ipse, & successor reuocare id possint, & debeant. Et quidem esto Pontifex Ecclesiasticorum bonorum dominus non sit, sed solum dispensator, & distributor: si tamen inter Clericos illa bona dispenset, valida est talis dispensatio etiam sine causa, quia non est in substantia contra voluntatem Ecclesiæ, & Christi: siquidem non est dispensatio extra Ecclesiam; sed solum in modo & voluntate dispensationis est contra Christi, & Ecclesiæ volũtatẽ. Ita Cordub. *l.* 1. *qq. q.* 21. *pun.* 21. Az. *p.* 2. *l.* 8. *c.* 5. *q.* 8. Garcia *p.* 1. *c.* 5. *n.* 275. multos citans Gigas *de pension. q.* 6. *a. n.* 6. *& q.* 10. Flam. *de resignat. l.* 6. *q.* 2. *n.* 131. *&* 155. Sách. *l.* 7. *Decal. c.* 29. *n.* 97. Palao *to.* 2. *d.* 1. *de benef. p.* 11. §. 2. *n.* 3.

437 *Auctoris resolutio.* Probabilius mihi est, pensionem à summo Præsule sine causa impositam validam esse, & secure à pensionario accipi: illicite tamen esse impositã, & à Pontifice reuocari debere. profectò esse illicitam, & reuocandam probo, quia generale est, quamlibet actionem sine legitimo fine factam illicitam esse: Tùm quia cõtra rationẽ est, bona Ecclesiæ dispensare extra finẽ, ad quẽ fuere relicta; sed fuere relicta pro bono Ecclesiæ in augmentum fidei, & diuini cultus, vt de se constat. Ergo distributio, quæ in bonum Ecclesiæ non cedit, qualis est pensionis impositio sine causa, illicita est, & reuocanda.

DVBIVM CVIII.

Episcopus in illis casibus quibus ei datum est pensionem imponere, potestne eam imponere in Beneficiis, qua sunt iurispatronatus absque patroni consensu?

438 *Status quæstionis.* SEcundum probabiliorem sententiam (de quo alibi) non potest Episcopus pensionem beneficio imponere, sed solum beneficiario, excepta causa pacis, & concordiæ Quæsierim autem, an in iis casibus quibus ei datum est pensionem imponere, possit imponere eam in beneficiis, quæ sunt iuris patronatus, sine patroni consensu?

439 *Potest quidem.* Potest quidem, quia nullo iure cauetur, esse necessariam huius iuris patronatus derogationem: & casu, quo necessaria sit, quod non possit Episcopus illam præstare. Verùm necessaria non est, quia patrono nullum ex tali pensionis impositione præiudicium videtur accedere, siquidem ei relinquitur libera beneficij promisio, fructus vero beneficij patrono non competunt, nisi in necessitate, quæ cum non immineat, considerabilis non est, & dato, quod immineret ipse pensionario esset præferendus, vtpote qui prius in beneficio ius obtinuit, *argum. leg. Potior. & leg. Qui balneum, ff. Qui potior. in pignore habeantur.* At concesso, aliquod fieri patrono præiudicium pensionis impositione, vndè probabitur, Episcopum carere faciendi tale præiudicium potestate? Sic Gigas *quæst.* 23. Gambar. *de offic. legati, l. 6. numer. 64.* Lessi. *l. secund. cap. 34. num. 207.* Azorius *p. 2. l. 8. c. 8. quæst. 2.*

440 *Non potest* Non potest sine consensu patroni maximè laici. Quia negari non potest, graue fieri præiudicium patrono grauando eius beneficium pensione, etiamsi ad solam beneficiarij vitam grauatum sit. Nam tali grauamine posito, beneficium, quod antea appetibile admodum erat, vix est, qui id velit suscipere. At Episcopus hoc præiudicium patrono nequit inferre: tum quia hoc ius regulariter ex fundatione, & dotatione prouenit, & Episcopus vltimis voluntatibus præiudicare non valet; tum quia hoc ius patronatus à Pontifice est approbatum, ac confirmatum: & iuri à Pontifice concesso Episcopus derogare nequit. Ita Rebuf. *prax. p. 3. signat. num. 28. & 48.* Rochus *de iure patron. vers. Honorificum, q. 3.* Zechus *de benef. & pension. capite 11. nu. 7. v. debet.* Barbosa *p. 3. de potest. Episcop. allegat. 69. numer. 21.* Garcia consentit ex parte *p. 1. cap. 5. num. 359.* quatenus dicit, non posse imponi pensionem, quæ ad successorem transeat, in beneficio: quod est dicere, non posse imponi pensionem beneficio, sed beneficiario.

441 *Cum his opinor.* Cum his opinor, sciens addidisse quandam Garciam limitationem nempe, nisi magna adesset ecclesiæ vtilitas; tunc enim vocato patrono, & renuente poterit Episcopus pensionem imponere. Credideri m autem raro, vel nunquam adesse posse Ecclesiæ eam necessitatem, vt non possit consensus Pontificis postulari, saltem vt pensio ad successores beneficij extendatur.

DVBIVM CIX

Validane est Pensio Ecclesiastica data laico?

CErtum laico concedi posse pensionem temporalem ob ministerium temporale Ecclesiæ exhibitum, vel exhibendum: & sæpè concedi non ab alio, quam à Pontifice, cuius est, fructus beneficij à beneficio disiungere, & profanos efficere. At de Ecclesiastica pensione est quæstio, an valida sit laico concessa, qui facta concessione clericus effici videtur? 442 *Nonnulli præmitt.*

Valida est, quia pensio non est beneficium sed ius quoddam temporale à beneficio ipso separatum: Ergo absque eo quod laicus Clericus efficiatur, ei potest concedi. Sic Gigas *de pension. q. 28.* Graf. *decis. 3. nu. 8. de prabend.* Gonzalez *reg. 8. cancellar. glosa 5. paragrapho quinto numero 25.* & plures relati à Garcia *parte prim. capite quinto numero 7.* 443 *Valida est.*

Non est valida, si pensionarius Clericus non sit. Quia ita habet stylus curiæ. Et quia pensio loco beneficij assignatur, & ideò pensionarius tenetur Deiparæ Officium recitare. Ita Nauar. *consil. 3. de simon. num. 6.* Lessius *l. 2, cap. 34. num. 203.* Azorius *p. 2. l. 8. capite septim. quæst. 3.* Garcia *parte 1. cap. 5. numero 10.* pluribus Rotæ decisionibus comprobans. Tuschus *litt. B. concl. 56. numero 5. & 6.* Vgolin. *de offic. Episcop. cap. 50. §. 6. n. 2.* 444 *Non est valida.*

Hoc vnicè tenendum postquam id Pius V. constit. 71. & Sixtus V. constit. 31. fuit declaratum. Igitur abnego, pensionem Ecclesiasticam esse ius temporale: ius enim spirituale proculdubio est. Quia in statu spirituali fundatur, qualis est Clericatus. Et quia ex Pij V. constitutione Officium spirituale habet annexum. 445 *Hoc vnicè tenendum existimo.*

DVBIVM CX.

Sufficitne septem annorum ætas, vt quis Ecclesiastica Pensione donari valeat?

DIxi, *Ecclesiastica pensio*, nã profana nullam certam requirit ætatem. De Ecclesiastica igitur quæsierim, nũ ad ea fruendum septennium sufficiat? 446 *Quæstionis status.*

Sufficit sanè, quia hæc ætas sufficit, ad Clericalem tonsuram recipiendam, quæ est dispositio ad pensionem requisita *Capite Nullus*, & ibi Glosa, *verb. Infantis,* 447 *Sufficit quidem.*

Infanti, de tempor. ordin. in 6. Neque obstat Concil. Trident. *sessio. secund. cap. sexto* præcipiens, nullum ante decimum quartum annum posse beneficium obtinere, quia non videtur, decretum id ad pensionem esse extendendum, siquidem pensio non est beneficium propriè, & in rigore, & correctio iuris vitanda est, quoad fieri possit. Cum autem ex iure communi septennium esset sufficiens, vt constat ex *Cap. Nullus*, & ex *Cap. Si eo tempore*, & Concilium solùm de beneficio fecit memoriam, non est, cur ad pensionem debeat extendi. Stephan. Gratian. *tomo tertio, discept. forens. cap. 397. numer. 17.* Lessius *l. secund. cap. 34. dub. 38. num. 203.* Zechus *de benef. & pension. cap. 11. numer. septim.* Riccius *pr. ex. decis. 430. numer. secund.*

448 *Nō sufficit.* Non sufficit, nec capax & Ecclesiasticæ pensionis quis ante decimum quartum ætatis annum, sicut nec beneficij, quia sic ferè stylus curiæ eadem requirentis qualitates pro obtinente pensionem, ac pro obtinente beneficium. At stylus Curiæ legem constituit. *Cap. Quam graui, de crim. falsi.* Et quia pensio loco beneficij saltem simplicis substituitur: At subrogatum qualitates habere debet eius, cuius loco subrogatur: vnde incapax beneficij, & pensionis incapax esse censetur. Ita Sanch. *l. 2. Decal. cap. 28. num. 36.* Sà *v. Beneficium, num. 30.* Garcia *p. 1. c. 5. num. 129.* Barbosa *p. 3. de potest. Episcop. allegat. 60. num. 78.*

449 *Hanc sententiam probabiliorem esse censeo.* Probabilius hoc esse censeo. Nam ita Sacræ Concilij congregationem declarasse Doctores *citati* testantur. Et quidem, esto Concilium non expresserit pensionem sub nomine beneficij, illam in suprà dicto textu comprehendit, cum sit dispositio Conciliaris in fauorem Religionis, & in rerum Ecclesiasticarum dignam administrationem constituta: ac proinde extendenda, vt comprehendat pensionem quæ pars beneficij est.

DVBIVM CXI.

An illegitimus sit Clericalis Pensionis capax, absque dispensatione speciali, licet ad Clericatum sit dispensatus?

450 *Capax est sine speciali dispensatione.* CApax pensionis est dispensatione ad Clericatum, licet specialiter ad pensionem non dispensetur, quia hæc irregularitas est comparatione Ordinis, & beneficij, non pensionis. Sic Gambarus *lib. sexto de offic. legati, num. 284.* Zerola *prax. Episcop. parte 3. ver. Ordo, q. 4.* Gonzalez *glos. 5. §. 5. à numero quarto* pluribus Rotæ decisionibus id probans. Maiol. *de illegim. l. 1. c. 10. num. 3.*

451 *Incapax est pensionis.* Illegitimus Clericus quocum dispensatum non est specialiter ad beneficium, incapax est pensionis. Quia iuxta stylum curiæ habitum in dataria, & cancellaria Pontificis incapax beneficij, incapax est pensionis. Ita Lessius *l. 2. cap. 34. num. 203.* Nauar. *cons. 11. n. 2. de temporibus ordina. & cons. 5. de filiis Presbyteror. & cons. 63. num. 5. de simon.* Zechus *de benef. & pension. c. 11. num. 7.* Garcia *p. 1. c. 5. num. 119.* Sanch. *l. 7. de matr. d. 44. num. 9. & l. 2. Decal. c. 28. n. 36.*

452 *Probabilius hoc esse credo.* Probabilius hoc esse credo. Licet enim prima sententia stando rationi probabilitate non careat, at in executione illegitimo pensio non dabitur iuxta Curiæ stylum, nisi fuerit ad beneficium dispensatus.

DVBIVM CXII.

An irregularis sit Pensionis accipiendæ capax?

453 *Nonnulla suppono.* SCio, reseruationem pensionis factam excommunicato, vel suspenso nullam esse, quia ob excommunicationem, vel suspensionem incapax beneficij est: Ergo & pensionis. Azor. *p. 2. l. 8. c. 7. q. 2.* generaliter de qualibet Censura loquutus. Quæsierim verò, an idem dicendum sit de irregulari?

454 *Capax non est.* Capax non est. Quia irregularis incapax est cuiuslibet beneficij etiam simplicis; ergò & pensionis, quæ beneficij simplicis naturam sapit. Sic Nauar. *cons. 63. de simon. n. 5.* Flamin. *l. 4. de resignat. q. 3. n. 37.* Lessius *l. 2. cap. 34. n. 203.* Vgolin. *de irregul. c. 65. §. 1. n 3.* Zerola *p. 2 prax. Episc. v. Irregular. §. 8. & v. Pensio, §. 6.* Sayr. *de censur. l. 6. c. 2. n. 22.* Molina *de iust. tr. 3. d. 78. n. 2.*

455 *Capax est.* Capax est, quia probabilis admodum sententia est, homicidam voluntarium (& à fortiori quemlibet irregularem) non esse pensionis incapacem, tametsi incapax beneficij sit, vti sacra Concilij Congregatio *ad cap. 7. Trident. sess. 14.* teste Suario *de censur. d. 44. sect. 4. n. 39.* Ita hic doctor Sapientissimus. Sà *v. Homicidium, n. 20.* Garcia *p. 1. c. 5. n. 136.* Palao *to. 2. d. 1. de benef. pun. 11. §. 3. n. 8.*

456 *Hanc eligo sententiam.* Existimo probabiliter sustineri posse irregularem esse recipiendæ pensionis capacem. Nam in iis, quæ ex iure positiuo pendent Cardinalium Sacræ Congregationis declarationibus standum. Mihique hæc sententia placet.

DVBIVM CXIII.

An illegitimus dispensatus ad Beneficium obtinendum, censeatur, ad pensionem dispensatus?

457 *Non censetur ad pensionem dispensatus.* NOn censetur dispensatus ad pensionem, quia dispensatio est stricti iuris: ergo non debet vltrà proprietatem verborum extendi. At sub proprietate verbi *Beneficij* pensio non comprehenditur: Ergo dispensatus ab beneficiū non intelligitur ad pensionē dispensatus. Porrò in dispensatione nō

est validum argumentum de maiori ad minus, pari, vel simili, vt probat textus in *Cap. vltim. de translat. Prælat.* vbi concessa facultas alicui, vt ad Ecclesiam maiorem transeat, non extenditur ad Ecclesiam minorem, vel æqualem. Ergò dispensatio ad beneficium, etsi maior sit, ad pensionem non extenditur. Sic Gigas *q.* 18. & 19. Mandosi. *de ætate minori, q.* 23. *num.* 2. Rebuf. *tit. de dispensat. ad plura, n.* 65.

458 *Dispensatus censetur.* Dispensatus absolutè ad beneficium, censetur dispensatus ad pensionem, quia per talem dispensationem tollitur inhabilitatis fundamentum; inhabilitas autem ad pensionē in inhabilitate ad beneficiū fundabatur, eo quod iuxta Curiæ stylum inhabilis ad beneficium est inhabilis ad pensionem: Ergo sublata per dispensationem inhabilitate ad beneficium, tollitur ad pensionem inhabilitas. Ita Azorius *parte secunda l. 8. capite 7. q. 6. &* 8. Garcia *p. 1. c. 5. n.* 150.

459 *Hoc verius esse puto, ad dicta quadã limitatione.* Hoc verius esse crediderim, modò dispensatio ad beneficium fuerit absoluta. Nam si facta esset ad vnum tantum beneficium determinatè, cum dispensatio, illo accepto finitur, (vti probat Garcia *numero* 153.) non poterit pensionem obtinere. Imo, si tale beneficium renunciet, existimarim, non posse ex vi prioris dispensationis pensionem in illo habere. Quia pēsio nō est pars beneficij, sed ius quoddā à beneficio separatū. Vnde sub dispensatione concessa obtinendi illud beneficiū cūi, non potest cōprehēdi potestas obtinendi in illo pensionē. Mecum Garcia *citat. n.* 156.

DVBIVM CXIV.

An dispensatus ab Episcopo ad beneficium absolutè, possit quamcumque pensionem obtinere?

460 *Non poterit.* NOn poterit quamcumque pensionem obtinere, sed eam solūmodò, quam potest Episcopus imponere. Quia pro sola illa videtur dispensatio extendi. Sic Quintanadueñas *Ecclesiast. l. 1. c. 6. num.* 6. Zechus *de pension. c. 11. num.* 9. Gigas *de pension. q.* 17. Azorius *parte secunda l. 8. cap. septim. quæst.* 6. & 8.

461 *Poterit quidem.* Sic dispensatus, quamcumque pensionem poterit obtinere, quia per dispensationem absolutè datam ad beneficium, sublatum est fundamentum inhabilitatis ad pensionem. Hæc enim ad pensionem inhabilitas ex inhabilitate ad beneficium nascitur. Igitur cessāte hac inhabilitate quomodocumque cesset, cessat ad pensionem inhabilitas. Ita Garcia *p. 1. c. 5. n.* 159. & alij.

462 *Hoc verius.* Probabilius hoc esse reor. Neque enim obstat, Episcopum non posse ex qualibet causa pensionem imponere quominus dispensans ad beneficium non censeatur dispensare ad pensionem, quam ipse nequit imponere, quia hæc est dispensatio indirecta, & consequens priorem dispensationem.

DVBIVM CXV.

Si temporis successu minuantur centum pro Rectore, & mille pro Episcopo, quæ libera debent manere, pensione soluta: teneturne beneficiarius integram soluere pensionem, si tempore reseruationis, & gratiæ integra centum pro Rectore, & mille pro Episcopo remanebant?

463 *Tenetur integram soluere.* TEnetur integram solnere pensionem, quia gratia Pontificis non debet à futuro euentu pendere, qui singulis annis variationem recipere potest: sed ex tempore datæ est regulanda: Ergo diminutio successu temporis contingens non potest obstare factæ reseruationi pensionis. Sic Garcia *p. 1. cap. 5. num.* 398. Quam doctrinam adeo extēdit, vt asserat, non posse beneficiarium petere pēsionis reductionem, si ex funeralibus, ingressu Ecclesiæ, aliisque emolumentis contingentibus congruam habet, tametsi hæc congrua centum in Rectore, & mille in Episcopo non attingat.

464 *Non tenetur.* Non tenetur pensionem soluere integram, quia centum illa pro Rectore, & mille pro Episcopo assignata ad sustentationem Parochi & Episcopi æquè ad hunc effectum necessaria sunt successu temporis, ac tempore gratiæ. Ergò. Ita Rota *in una Zamoren. execut. decimar. 2. Maij, an.* 1591. coram D. Seraphino, Castro Palao *to. 2. d. 1. de benef. pun. 11. §. 4. n.* 5.

465 *Idem defendo.* Ego crediderim probabilius, illa centum, vel mille ducata, quę deducta pensione remanere debent, non esse aliter computanda successu temporis, quam in principio computabantur: & cum in principio computarentur ex fructibus certis beneficij, successu temporis sic debent computari. Profectò gratia Pontificis quoad præsentem valorem non pendet à futuro euentu, sed à conditione, cum de præsenti constare possit, remaneantne centum pro Rectore, & mille pro Episcopo. At quoad eius durationem & conseruationem illa gratia pendet ex euentu futuro. Quia annectitur præfatæ conditioni, vt remaneant centum pro Rectore, ac mille pro Episcopo. Qua conditione deficiente pensio saltem pro illa parte non subsistit.

DVBIVM CXVI.

Si Beneficiarius qui pensioni consensit, intendit ab onere soluendi Pensionem se excusare, quia non sibi remanent centum libera: ipsine competit, onus id probandi?

466 *Non competit.* NOn competit Beneficiario onus id probandi, sed pensionario, quia beneficiarius habet suam intentionem fundatam

ficiario, sed pensionario.

datam, ne beneficium sibi collatum grauetur pluſquam par eſt, & pensionario conceditur pensio dummodo beneficium illam valeat ſuſtinere. Ergo quouſque hic probet, beneficium illam ſuſtinere poſſe, ei non debetur; conditionalis enim diſpoſitio non habet effectum, niſi purificata conditione. Neque obſtat, Beneficiarium in pensione conſenſiſſe. Quia ſemper cenſetur conſentire ſub conditione, quod beneficium illam capere poſſit. Sic Rota in quadam Salmantina, caſu 2. & 3. apud Farinac. *tom. 1. nouiſ. deciſ. 547.*

467 *Non pensionario, ſed beneficiario competit.*

Competit beneficiario onus probandi, beneficium capere non poſſe penſionem, & non penſionario: alias non poterit ab illius ſolutione excuſari. Quia Pontifex penſionem beneficio imponens, & beneficiarius ei conſentiens præſumuntur, actum facere iuri conformem. Ergò præſumuntur eam penſionem imponere, quam beneficium attenta iuris diſpoſitione capere valet. Ergò pro valore penſionis ſtat præſumptio. Ergò qui illam impugnare velit, debet probare præſumptionem falli. Ita Caſtro Palao *tomo ſecundo d. 1. de benefic. puncto 11. paragrapho quart. numero ſexto.*

468 *Placet mihi doctrina.*

Hæc mihi placet doctrina. Cui non obſtare reor, conceſſam fuiſſe penſionem ſub conditione, quod beneficium illam valeret ſuſtinere, vt dicamus, penſionarium obligatum eſſe probare contrariũ. Quia eo ipſo, quo beneficiarius cõſentit, & ex eius voluntate litteræ fuere expeditę, probatũ habet pẽſionarius beneficium penſionẽ ſuſtinere poſſe: ne dicamus actum à Pontifice vanũ, & inutilẽ fieri. Non enim illa conditio, *Dũmodo centũ remaneant pro Rectore.* Suſpendit penſionis collationem quouſque à penſionario probetur. Alias nullus penſionarius, exigere poſſet penſionem, quouſque probaret, eam à beneficio poſſe ſuſtineri: quod eſt contra communem ſtylum, & praxim, quæ quidam à puncto collationis ſupponit, beneficium illam poſſe ſuſtinere, præcipue conſenſu beneficiarij accedente.

DVBIVM CXVII.

Cum de Beneficiarij conſenſu penſio imponenda ſit: Beneficio vacante conſtituendusne eſt, Beneficij defenſor, qui loco beneficiarij futuri Penſioni conſentiat?

469 *Nonnulla ſuppono.*

CErtum mihi, Beneficiarij requiri conſenſum pro forma: eſſeque invalidam penſionem, quoties de beneficiarij conſenſu non conſtat. Quia non præſumitur Pontifex velle penſionem imponere aliter, quam ipſe imponendam præſcripſit. Eſt autem à pontifice præſcriptum, vt nulla penſio imponatur niſi de conſenſu illius Beneficiarij, qui penſionem ſoluere debet: qui ſi fuerit in Curia perſonaliter, præſtet conſenſum, & ſolitum iuramentum; ſin minus per procuratorem, ad id ſpecialiter conſtitutum. *Reg. 41. aliàs 43. Cancellar.* Ergo abſque huiuſmodi conſenſu vel illius expreſſa derogatione, nulla eſt penſionis impoſitio. Ergò Beneficiarij conſenſus pro forma habetur. Azorius *parte ſecund. leg. octauo cap. 8. queſtio ſext.* Hinc fit, Epiſcopum, & legatum in iis caſibus, in quibus penſiones imponere valent, nequaquam eas poſſe imponere abſque conſenſu illius, qui ſoluere eas debet. Quia nequeunt præfato iuri derogare. Garcia *parte prim. capite quinto numer. 320.* Iam requiro, an ſi vacanti beneficio penſio imponatur, conſtituendus ſit defenſor aliquis beneficij, qui in penſionem loco beneficiarij conſentiat?

470 *Non eſt cõſtituẽdus defenſor.*

Non eſt conſtituendus in penſione Eccleſiaſtica. Quia aſſignare Beneficij defenſorem eſt requiſitum pro rerum Eccleſiæ alienatione: At reſeruatio penſionis Eccleſiaſticæ, non eſt alienatio. Ergò non eſt conſtituendus defenſor beneficij. Sic Garcia. *p. 1. capite quinto numero 320.* Addens pro defenſione penſionis profanæ eſſe aſſignandum. Quia reſeruatio penſionis huiuſce alienatio eſt.

471 *Conſtituendus eſt.*

Conſtituendus eſt defenſor beneficij, qui loco Beneficiarij penſioni Eccleſiaſticę conſentiat. Quia eſto non ſit penſio proprie alienatio, eiuſque naturam imitatur. Et quia aliquis eſt obligandus ad penſionis ſolutionẽm, qui non poteſt eſſe alius, niſi qui fuerit beneficij defenſor, ac fructuum cuſtos: Ergo ex illius conſenſu penſio eſt imponenda iuxta præfatam *Regulãm Cancellar.* Ita Ferdinand. de Caſtro *tom. ſecund. d. 1. de benefic. puncto 11. paragrapho quinto numer. ſecund.*

472 *Probabilius hoc eſſe credo.*

Hanc ſententiã amiciſſimi Doctoris probabiliorem eſſe crediderim. Quia *Reg.* illa *Cancel.* abſolutè habet, vt abſque conſenſu illius, qui ſoluere debet penſionem nullatenus litteræ penſionis expediantur. Ergo ſupponit ſemper debere adeſſe aliquem obligatum ad penſionis ſolutionem, & ex illius conſenſu litteras expediri. Neque Regula diſtinguit, an penſio imponatur in beneficio vacante, an nõn vacans ea grauetur.

DVBIVM CXVIII.

Si beneficio reſignato Penſionem imponas, credens liberum eſſe, validane eſt Penſionis impoſitio?

473 *Valida erit.*

SI bona fide quis credat, beneficium alia penſione grauatum non eſſe, cum tamen grauatum alia ſit, ſecunda pẽſionis impoſitio validaerit, quia capax eſt, (vt ſuppono) beneficiũ vtriuſq; oneris, & bona illa fides firmat actionem. Sic nonnulli Doctores, quos preſſo nomine memorat Palao *t. 2. d. 1. de benef punct. 11. §. 5. n. 6.*

474 *Non erit valida.*

Secunda penſionis impoſitio non erit valida quia ſi ſciret Pontifex, beneficium illud grauatum eſſe penſione, forte penſioni denuo impoſitæ, non conſentiret. Ita Palao *ibid.*

Gambarus *de offic.legati l.6. n.126.* Azorius *p.2.l.8.c.9.q.3.*

475 *Hoc probabilius esse reor.*

Probabilius hoc esse existimo. Nam iuxta Curiæ stylum Pontifex vel pensionem secundam non admitteret, maxime in tanta quantitate: vel saltem difficillime consentiret. Ergò præsumendum est, ex errore præbere consensum, ac proinde eam impositionem esse nullam.

DVBIVM CXIX.

Cum de Pensione est facienda mentio, debeśne eius valorem exprimere?

476 *Debes quidem.*

DEbes quidem, quia *in Reg. Cancellar. de exprimendo valore beneficiorum*, dicitur, exprimendum esse valorem aliorum quorumcumque beneficiorum: sed sub dictione generali cuiuscumque beneficij pensio intelligitur, vt multis allegatis, docet Sanchez *l.2. Decal.num.2.3.& 9.* Certè eadem ratio videtur esse de pensione, ac de beneficio: cum loco beneficij succedat. Sic Garcia *p.1. cap.5. num.101.*

477 *Non debes.*

Non debes necessario valorem pensionis exprimere, excepto casu quo in beneficio pensione grauato nouam pensionem velles constituere, quia præfata *Reg. Cancell.* expresse loquitur de impetratione beneficiorum: ergò non est extendenda ad pensionis impetrationem. Verùm si illa *Regula* extenderetur ad pensionem, in cuiuscumque impetratione esset mentio facienda de pensione, & eius valore: sicuti facienda est in impetratione cuiuscumque beneficij: sed, vt ipse Garcia tenet, in impetratione pensionis onerosæ non est necessariò facienda mentio de obtentis: ergò signum est supradictum Regulam ad pensiones non extendi. Ita Gigas *de pensio. quæst 67. concl.6.* Rota *in vna Abulen. beneficij de Mobeltran, 30. Octobris* 1595. quam decisionem refert Garcia *p.11.c.3 n.299.*

478 *Verior hæc mihi opinio.*

Verior hæc mihi opinio. Etsi enim aliquando sub dictione *quorumcumque beneficiorum* pensiones veniunt: minimè obstat, quia hoc est in materia fauorabili, non in odiosa; & casu quo aliundè non limitetur, vt in præsenti, limitatur ex dictione *aliorum* quæ similia replicat, non dissimilia, & impropria, quales sunt pensiones comparatione beneficiorum ex *leg. si fugitiui, iuncta* Glos. *fin.* communiter approbata. *C. de seruis fugitiuis.* Dixi, *Excepto casu, quo in beneficio pensione grauato velles nouam pensionem constituere.* Quia tunc valor pensionis est exprimendus, ne contingat beneficium vltra vires grauari.

CAPVT XVI.

Circa Beneficiarij, & Pensionarij in Pensionis materia obligationem.

DVBIVM CXX.

Succedens in beneficio grauato Pensione teneturne soluere Pensionem decursam antecessoris tempore non solutam?

479 *Certa suppono.*

CErtvm est, Beneficiarium sub graui culpa teneri pensionem sub beneficio impositam soluere, quia pensio est portio extracta à beneficio pensionario applicata: & in litteris pensionis sub grauissima excommunicationis ipso facto incurrendæ pœna, & priuationis beneficij: solutio eius imperatur, quod verum est non solùm de Beneficiario primo consentiente pensioni, sed de quocumque illius successore. Vndè beneficio vacante Ecclesia fructus percipiens, tenetur pensionem soluere. Dubito tamen, an succedens in beneficio pensionem grauato, teneatur soluere pensionem decursam tempore antecessoris non solutam.

480 *Non tenetur.*

Non tenetur, quia successor in beneficio nullos fructus illius temporis percipit, neque habet beneficium ab antecessore, sed à Pontifice. Cur ergò obligandus est ad pensionis solutionem. Certè pensio fructibus illo tempore perceptis erat annexa, eaque de causa beneficiarius illos percipiens, conueniri poterat: ergò non successor in beneficio. Sic Scaccia lup. *de pension.qu.11.* Gambarus *de offic.lega.l.6. q.11.n.441.*

481 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem, quia æquum non est, pensionarium priuari iure sibi debito: & successor in beneficio suscipit onus beneficio annexum, & consequenter suscipit pensionis soluendæ obligationem. Neque valet dicere, pensionem esse onus beneficij non vt cumque, sed pro illis fructibus, qui tempore decursæ pensionis fuere percepti, quia pensio non annectitur determinatè his, vel illis fructibus: sed quibuscumque fructibus beneficij; dum soluta non est. Ita Gigas *de pension. q.39.* Azor, *p.2.l.8.c.8.q.14.* Garcia *p.11.c.5. num.191.*

482 *Auctoris resolutio.*

Cæterùm mea ex horum mente resolutio est, si Beneficiarius, vel eius hæres conueniri possunt pro pensionis decursæ solutione, esse conueniendos prinsquam successor conueniatur, quia illi sunt directè obligati, maximè si fructus aliquos beneficij retinent: tunc enim hypothecaria actione conueniri queunt. Neque æquum est, ante horum excussionem ad successorem decurrere, qui nullos fructus beneficij percepit, & solùm videtur

obligatus

obligatus ad solutionem in subsidium : vt pluribus Rotæ decisionibus comprobat Garcia *parte prim. cap. 5. num. 199.* Attamen facta excussione beneficiarij, vel hæredis, asserto posse pensionarium pro solutione pensionis ad successorem beneficij recurrere. Constat id in beneficiario consumente vno anno fructus integros beneficij, & pensionem non soluente, quia ex fructibus aliorum annorum soluere debet, qui quidem fructus loco fructuum illius anni subrogantur. Haud aliter in præsenti, fructus beneficij collecti tempore antecessoris obligati sunt pensionis solutioni. At quia non extant, subrogantur eorum loco fructus reliquorum annorum ex eodem beneficio percepti.

DVBIVM CXXI.

Si Beneficiarius nullos fructus, vel diminutos collegit casu aliquo fortuito belli, inundationis, vel sterilitatis : potestne pensionem imminuere, vel non soluere?

483 *Non potest.* MInimè potest, quia pensio non est annexa determinatè fructibus beneficij cuiuslibet anni : alias neque successor beneficij obligabitur soluere pensiones decursas antecessoris tempore : neque beneficiarius, qui iuxta aliquarum Ecclesiarum consuetudinem nullos fructus primo anno percipit, teneretur pensionem soluere : quod est contra communem stylum : ergò quod vno vel altero anno fructus non colligantur, haud se ille excusare potest à solutione, si annis reliquis sufficientes fructus colligit. Certè si multiplicatis fructibus pensio non augetur, ergò neque ipsis imminutis debet imminui. Sic Azor. *p. 2. l. 8. c. 13. qu. 3.* Gigas *de pension. q. 62. n. 10.*

484 *Potest quidem.* Potest quidem, quia sub illa conditione constituta censetur pensio. Et quia annua pensio est onus reale fructibus annuis annexum, & pereunte principali, perire debet accessorium, in quo fundatur. Secus vero est cum fructus colliguntur : tunc enim Ecclesia manet obligata ad pensionis solutionem cui obligationi si beneficiarius fructus consumens non satisfecit, successor in beneficio tenetur satisfacere. Ita Palao *t. 2. d. 1. de benef. pun. 11. § 6. n. 5.*

485 *Auctoris resolutio.* Ego autem iuxta Doctoris huius mentem affirmo, si fructus non sint adeo imminuti, quin in beneficio parochiali, v.g. Rectori remaneant centum, soluta pensione : & in aliis beneficiis quantitas, quæ iuxta litteras Pontificias remanere debet : beneficiarium, excusari non posse à pensionis solutione, quia illa diminutio fructuum pensionis impositioni non obstat. Atti fructus ita imminuantur, vt nulli, vel in quantitate minori, quam exigere debetur, soluta pensione, remaneant : crediderim, illum posse pensionem diminuere pro quantitate ei debita, vel in solutam relinquere. Motico tamen Ordinarij authoritate hanc diminutionem pensionis, vel illius negationem fieri debere, & non propria authoritate, quia non est ita certum, collectione fructuum aliorum annorum non computari huius anni imminutionem : & consequenter non est certum, beneficiarium excusatum esse ab integra pensionis solutione : ergò in casu dubio non debet propria authoritate duci, & pensionarium iure certo acquisito priuare.

DVBIVM CXXII.

Ab Antonio Beneficiario anticipatis solutionibus pensionem trium sequentium annorum recepisti, & pensionem in Petrum transfers ex potestate Pontificia, quam habes transferendi : Petrusne potest, ab Antonio beneficiario pensionis solutionem exigere?

486 *Non potest.* NOn potest, quia nullum ius transtulisti in Petrum, nisi quod possidebas : subrogatur enim tui loco : At tu ob anticipatas solutiones potestate carebas exigendi pensionem à beneficiario illis annis sequentibus : ergò Petrus hac carere debet potestate; subrogatus enim naturam, & conditionem sortitur eius, in cuius locum subrogatur. *leg. Filiæ suæ, §. Titia, ff. de condit. & demonstrat. §. Fuerat, instit. de action.* Gonzalez exornante *glos. 5. §. 9. n. 99.* Sic Gigas *de pension. qu. 88. num. 5.*

487 *Potest equidem.* Potest equidem, quia tu non transfers in Petrum pensionem, quam habes, sed tua pensione extincta, nouam Petrus obtinet similem prorsus ei, quam tu obtinebas. Non enim in pensionibus datur vacatio, sed extinctio : ergò solutio tibi facta non potest beneficiarium ab onere soluendi Petro suam pensionem releuare. Sibi enim imputare debet, quod anticipate soluit. Ita Azor *p. 2. l. 8. c. 13. q. 5.*

488 *Hoc teneo.* Hoc teneo, & confirmo exemplo Prælati locantis fructus alicuius prædij & recipientis pensionem anticipatam aliquorum annorum : qui si interim relabitur, non relabitur locatarius à soluenda pensione successori, tametsi iam antecessori soluisset.

DVBIVM CXXIII.

An pensionarius agere possit hypothecaria actione siue aduersus Beneficiarium siue aduersus hæredem : id est, aduersus quemcumque Beneficij grauati possessorem?

489 *Non potest.* NOn potest, quia non videntur fructus beneficij tacita hypotheca pensionario obligari. Et quia pensio sæpe constituitur non in alimentum pensionarij, sed in remunerationem ob seruitia Ecclesiæ facta, vel ob resignationem beneficij possessi, aut in is, ad illud

illud. Et quia pensio est portio separata à beneficij fructibus: ergò fructus beneficij nõ possunt sólutioni pensionis hypothecari. Sic Paulus Castrens. *cons.* 338. *vol.* 1. Felin. *cap. Ad audientiam. 2. de rescript.*

490 *Potest quidem.* Potest quidem, quia pensio imponitur super beneficij fructus, ita vt ex eis soluenda sit. At quoties certæ rei onus imponitur, illa res censetur tacita hypotheca obligata pro illo onere, *leg. Codicillis, §. instituto, ff. de legat. 2.* & notauit Bartol. *ad leg. Lucius ff. de aliment. & cibar. legat.* & *leg. Fundum. ff. de legat. 2.* Ita Gigas *de pension. q.* 51. *à n.* 17. Azor. *p. 2. l. 8. c.* 13. *q.* 1. Ludou. Roman. *cons.* 338.

491 *Hoc verius esse credo.* Veriorem hanc sententiam esse putarim. Non enim obstat, pensionem non esse alimentum, quo minus fructus beneficij eius solutioni non hypothecentur; sufficit namque, quod super illis fuerit constituta. Neque valet dicere, quod sit portio à beneficij fructibus detracta: quia esto ab illis separata sit, est tamen ex illi s soluenda. Dicitur autem separata; quia alteri à beneficiario separatur, & applicatur.

DVBIVM CXXIV.

An pœnas, quæ beneficiario non soluenti pensionem præfixo tempore imponuntur, incurrat eo ipso quo pensionem non soluit?

492 *Status quæstionis.* DVplici pœna beneficiarius cogitur ad pensionem tempore præfixo soluendam: nempe excommunicatione, & priuatione beneficij, & cum potestate concessa pensionario regrediendi, vel accedendi ad ipsum, Quæsierim verò, an hæ pœnæ à beneficiario incurrantur eo ipso, quo pensionem tempore præfixo non soluit.

493 *Incurrit eo ipso.* Incurrit eo ipso quo non soluit præfixo tempore, quia Pontifex ait: *Volentes, & eadem authoritate statuentes, quod ille vel quicumque alius successor, qui in dictis festiuitatibus* (Natalis Domini, & S. Ioannis Baptistæ) *vel saltem intra triginta horas illarum singulas immediate sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non persoluerit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excõmunicationis incurrat.* Ergò transacto termino absque vlla alia declaratione, contrahit ille excommunicationem. Sic Azor. *p. 2. l. 8. cap. 9. q.* 5.

494 *Non eo ipso incurrit.* Non incurrit eo ipso, quo non soluit præfixo illo tempore, sed cum pensionarius declauerit, se ita velle, quia cum in eius fauorem lata sit illa excommunicatio, & priuatio beneficij eius voluntati attemperatur. Ita Nauar. *sum. cap. 23. num.* 103. Cassiodor. *decis.* 234. *de locato, & dec. 2. de pensione.* Philiar. *de offic. sacerd p. 1. l. 3, t. 7.* Garcia *p. 1. c. 5. p.* 581. Suarius *t. 5. de censur. d.* 20. *sect. 2. n.* 10. Tolet. *l. 1. c.* 9. & alij.

495 *Aliorum sententia.* Existimo, dum pensionarius talem voluntatem non exprimit, censeri esse permissiuam dilationis ex recepto stylo, ac consuetudine. Hæc autem declaratio voluntatis pensionarij intendentis, vt beneficiarius non soluens excommunicatione ligetur, debet esse iuridica, & ei solemni notificatione facta, atque adeò a iudice procedente, quia ita fert stylus, Suario, Garcia, Cassiodoro, & Nauarro attestantibus. Neque sufficit fieri per procuratorem absque speciali mandato. Hæres tamen pensionarij pro solutione pensionis hanc declarationem facere non potest, quia potestas declarandi non transit ad hæredes, sed vita pensionarij finitur. Gonzalez *glos. 56. num. 53. citato* Cassiodoro *dec. 2. de pens. n. 6.*

DVBIVM CXXV.

Declaratio pensionarij circa excommunicationem à beneficiario incurrendam, potestne fieri, quin executione reali, vel personali prius compellatur Beneficiarius soluere?

496 *Non potest fieri ante executionem.* NOn potest fieri pensionarij declaratio ante realem, vel personalem executionem, quia Tridentinum *sess. 25. cap. 3.* cauet excommunicationem imponi nisi in subsidium prædictæ executionis, & quando aliter effectus nequit obtineri. Itaque inibi præscribitur forma, qua non seruata nulla est censuræ impositio. Sic Franc. *Leo thesau. fori Eccles. p. 3. cap. 38. num.* 22. Sayr. *de censur. l. 1. cap. 9. nu.* 33. Lazarius *de monitorialib. sect. 4. quæst. 8. num. 7.* Rota apud Garciam *p. 1. c. 5. num.* 587.

497 *Fieri potest.* Fieri potest, quia est excommunicatio illa lata quasi per legem, & ex consensu beneficiarij; cum solutioni pensionis sub illius censuræ pœna consensit: neque tunc præcauit, executionem realem esse prius faciendam. Ergò absque illa excommunicari, & declarari potest. Ita Garcia *p. 1. cap. 5. num.* 587. asserens, sic Sacram Congregationem declarasse.

498 *Verum vnicè hoc esse reor.* Verum vnicè esse reor ex stylo ac praxi satis recepta. Vt autem dilucidius appareat clausulam Sacræ Congregationis accipe: *quando litteris Apostolicis datur facultas excommunicandi morosum in solutione pensionis, non tenetur executor in ferenda sententia excommunicationis, seruare decretum Tridentini sess. 25. c. 3. nec huiusmodi facultas censetur data in subsidium.*

DVBIVM CXXVI.

Excusaturne Beneficiarius non soluens Pensionem ab excommunicatione incurrenda, aliisque pœnis, si cedat bonis, assignata sibi congrua sustentatione iuxta textum in Ca. Odoardus.

499 *Non excu-* NOn excusatur, quia licet in eo *c. Odoardus, de solutionib.* id præscribi videatur, *in*

Saturs in litteris pensionis beneficiarius cessit huius capitis beneficio. Et quia pensio ante omnia deducenda est ex beneficij fructibus. Sic Conarru. *l. secund. var. capit. prim. numero tertio* Gutter. *de iurum confirmat. p prim. c. 17. n. 31.* Garcia *p. 1. c. 5 n. 236.*

500 *Excusatur quidem.* Excusatum profecto, si absque gravi iactura sui status, & aignitatis Clericalis, pensionem soluere non potest, præsumi enim nequit huic naturali, & strictæ obligationi cessisse: esset namque iniqua cessio. Ita Suar. *tom. 5. de censur. d. 20. sect. 2. n. 13.*

501 *Auctoris resolutio* Placet Suarij sententia. Addiderim verò, si cum aliqua leui diminutione status potest ille solutionem gerere, debere procul dubio. Et in hoc sensu intelligendum est, illum Beneficio *capit. Odoardus* renunciasse, quapropter esto Ordinarius nequeat, facta tali renunciatione admittere bonorum cessionem, & congruam sustentationem beneficiario assignare: at potest ad auditorem Cameræ accedere, vt illam admittat, qui quidem eam admittere debet, non obstante renunciatione, & ei signare sustentationem magis strictam, quam regulariter aliis non renunciantibus *capit. Odoardus* assignatur. Suarius mecum. Adicit autem, si impetres à Pontifice diploma, vt beneficio dicti *capit. Odoardus* vti possis, provt de iure conceditur, debere in rescripto apponi clausulam derogatoriam cuiuscumque obligationis cameralis, alias nullius effectus esse.

DVBIVM CXXVII.

An possit pensionarius de fructibus perceptu libere testari?

502 *Certa suppono.* CErtum est, primam & præcipuam pensionarij obligationem esse Officium parvum B. Virginis recitare. Deinde contribuere ad subsidium & excusatum, ad decimam Papalem & collectionem, ad seminarij contributionem, ad reparationem Ecclesiæ, aliaque onera beneficiis imposita, quia cum pensio ex fructibus beneficij debeatur, & omnia hæc onera beneficiorum annectantur fructibus, consequens est, vt pensioni etiam annexa sint. Ab hac verò obligatione excipitur pensio ex gratia Pontificis ab iis oneribus libera; solet enim Pontifex sic pensionem alicui concedere, quæstio autem est, an vltra præfatas obligationes, de iure communi habeat pensionarius, de fructibus pensionis non posse testari.

503 *Testari non potest de pensionis fructu.* Testari non potest de pensionis fructibus, sicut Beneficiarius nequit de fructibus beneficij, quia cum pensio sit quædam portio ex fructibus Beneficij detracta, eisdem regulis metiri debet. Sic Nauarru. *de reditib. quæstion. prima monito 32. numero secundo & tertio de spoliis octauo numero octauo.* Sarmiento *de reditib. p. tertia capit. quinto numero septimo* Redoan. *de spoliis Ecclesiast. §. ex his, & de reb. Ecclesiæ Rub. 33. qu. 1.* Molina *t. 1. tract. 2. d. 145.* Garcia *p. 1. c. 5. n. 161.*

Potest de pensionis fructibus libere testari, quia solùm beneficiariis videtur hæc obligatio imposita, & non pro omnibus eorum bonis: sed pro illis tantum, quæ ratione ac iure Ecclesiæ acquirunt. Solùm enim hæc sunt, quæ in Ecclesiæ vsum conuerti debent, vel successori in Beneficio reseruari. *capit. cum vos, de offic. Ordinar. capit. Præsenti, eodem tit. in sexto.* At pensionarius neque est Beneficiarius, neque fructus percipit iure Ecclesiæ: sed iure renunciationis, gratitudinis, aut similis, sibi in alimentum, & subsidium vitæ concessos: ergò potest de illis liberi disponere. Ita Gigas *quæstion 52.* Conar. *capit. cum. in officiis, de testam numer. sexto* Menoch. *de arbitrar. casu 172. numero octauo.* Quintanaduennas *l. secundo Ecclesiast. numero septimo* Bursat. *cons. 178. numero 27. & seq.* Zerola *praxi Episcop. p. secunda v. Pensionarius, §. 25.*

504 *Potestis-tari.*

Profecto dubius hæsi, quam sententiam eligerem legens Azorij mei *p. secund. l. octauo capit. tertio quæstion. octaua & 16.* distinctionem. Ait enim, spectato iure communi, pensionarium libere disponere posse de pensionis fructibus, neque sub spolio clericorum contineri, quia esto sint fructus ex Beneficio: sunt tamen à Beneficio separati, & pensionario applicati, non iure Ecclesiæ sed alio titulo. At spectatis constitutionibus Pontificiis Pauli III. Iulij III. & Pij V. nequaquam pensionarium posse de illis pro libito disponere: sed dum viuit, debere residuum sustentationis in vsus pios expendere: & in morte non posse de ipsis testari, sed Cameræ Apostolicæ esse applicatos. Cæterum re attentè perspecta, secundæ sententiæ omninò adhæreo, quia constitutiones Pauli & Iulij præfatæ non loquuntur de fructibus pensionis, sed de acquisitis per Beneficiarium titulo negotiationis, vel aliunde contra Sacros Canones. Constitutio verò Pij nil aliud gerit, quam exceptionem ponere aliquorum bonorum, nè sub spolio Cameræ Apostolicæ debito comprehendantur. Et licet subdat Pontifex reditus, ac prouentus beneficij & pensionis excludentes valorem 30. ducatorum subdi: non indè infertur, reditus, ac prouentus beneficij & pensionis excedentes valorem 30. ducatorum comprehendi, sed solùm infertur id relinqui iuris communis dispositioni. At cum ex iure communi solùm constet, reditus, & prouentus Beneficij sub Clericorum spolio comprehendi: fit planè, reditus ac prouentus pensionis liberos esse ab huiusmodi onere: ac proindè posse pensionarium de fructibus pensionis, dum viuit, & in obitu disponere, neque sub spolio Cameræ Apostolicæ contineri, tam iure antiquo, quam nouo spectato.

505 *Probius quæstioni satisfacio secundam defendens sententiam.*

***

CAPVT

CAPVT XVII.

Circa translationem ac extinctionem Pensionis.

DVBIVM CXXVIII.

An Pensio translata eadem sit in translatario, ac erat in transferente?

506 *Eadem est.* PENSIO (quæ quidem ex vsu ac stylo Romanæ Curiæ transferri assolet) eadem est per translationem in eo, ad quem transfertur, ac erat in illo, qui transtulit, quia transferens pensionem, cedit iuri, quod habet, vt in translatario sit: ergò non est aliud ius in translatario ab eo, quod erat in transferente. Alias non esset translatio, sed nouæ pensionis constitutio. Sic Suar. *tom.3.l.4. cap.33.num.6.* Rota in vna Carpen. pens. 29. Maij 1602. & in alia Segobiensi 20. Maij, 1598. relatis à Garcia *p.1.c.5. num.256.*

507 *Non est eadem, sed noua.* Non est eadem, sed per translationem noua pensio constituitur, & extinguitur antiqua, quia in pensionibus non datur vacatio, non enim sunt iura realia, & perpetua, sed temporalia, & personalia; vndè mutatis personis, ipsa iura mutantur. Alias si idem ius in translatario esset, ac erat in transferente, hoc obeunte, ius translatarij deperiret, quia transferens solum habebat ius pensionis pro sua vita, & consequenter non posset vltra vitam propriam ius translatario concedere. Ergò per translationem nō transfertur ius idem, sed aliud in conditionibus simile. Et ob hanc similitudinem dicitur, fieri eiusdem pensionis translationem, licet pensio translata sit distincta. Ita Gigas *de pens. quæst.74.nu.1.& q.88. num.8.* Azorius *p.2.l.8.cap.10.qu.5.* Gratian. *discept. forens. cap.113. num.77.* Garcia *p.1. capit.5.num.255.* Flamin. *l.6.de resignat.q.4. num.7.*

508 *Verius hoc.* Veriorem hanc doctrinam esse crediderim, concedens quidem, pensionarium cedere iuri, quod habet, vt in translatario residеat aliud ius simile, non vero idem quod ille habebat.

DVBIVM CXXIX.

An Filius illegitimus capax sit, vt in eum patris Pensio transferatur?

509 *Capax non est.* CAPAX non est, quia successio in beneficijs à iure reprobatur, præcipuè à Clemente VII. anno 1530. in constitut. quæ in ordine est 36. ibi enim prohibetur filius illegitimus beneficium quodcumque patris habere: ergò prohibetur succedere in pensionibus, quæ loco beneficij succedunt, & sub hac prohibitione fauorabili debent comprehendi. Sic Mandos. *tract. de resignatura grat.* Garcia *p.7.c.3.n.36.*

510 *Est capax.* Capax est, potestque pater pensionarius habens facultatem pensionem transferendi, eam in filium suum illegitimum transferre, quia hæc facultas cum sit Principis priuilegium, est latè interpretanda. Et quia à iure solùm est reprobata successio filij in beneficio parentis quæ prohibitio extendi non debet ad pensionem, cum sit odiosa ac pœnalis, & quæ habiles aliàs à beneficiis excludit. Ita Gigas *de pens. quæst.86.num.5.* Barbosa *p.3.de potest. Episc. allegat.65.num.57.* Flamin. *de resig.l.6. q.4.n.21.* Gonzalez *ad Reg.8. Cancel. glos.5. §.5.n.22.*

511 *Cum his probabilius opinor.* Cum his probabilius admodum opinor. Imò esto decidendi ratio eadem esset in pensione ac in beneficio, non infertur, eandem esse dispositionem, quia in pœnalibus, & odiosis non extenditur lex ex rationis similitudine. Pontifex verò huic translationi in illa constitutione non contradicit. Loquitur enim de alienatione bonorum Ecclesiæ, non de translatione beneficij, vel pensionis: & de transmissione bonorum Ecclesiæ donatione, legato, testamento, &c. At pensio non iis modis transfertur, sed Pontificis collatione. Garcia *num.34.* Hoc autem intelligo, vt non procedat in pensione quam pater habet super beneficium à se aliquando possessum, quia pensiones in beneficiis paternis habere, omninò filius illegitimus prohibetur. Tridentin. *sess.25.cap.15.*

DVBIVM CXXX.

Data est Antonio facultas vno anno retinendi pensionem post matrimonium contractum; sed antè quam annus elaberetur suscepit Officium militis Lauretani, cui conceditur facultas Pensionem retinendi: poterit ne Pensionem retinere, sicut si matrimonium non contraxisset?

512 *Plura modo circa pensionis extinctionem.* RECOLO, varios esse modos pensionem extinguendi. Nam morte pensionarij extinguitur. Et ad Episcopatum promotione. Et professione Religionis. Et assumpta militia. Et ob cessionem pensionarij nulla authoritate superioris factam. Et ob non latum habitum Clericalem, ac tonsuram. Etsi solutione anticipata, redimatur. Etsi beneficium pensionarius obtineat, in quo pensio sita est. Denique si matrimonium pensionarius contexerit. Quæsierim vero, si quis ex Pontificia facultate retineat Ecclesiasticam pensionem aliquo tempore determinato, verbi gratia vno anno post matrimonium contractum, & antequam annus elabatur susceperit militis Lauretani officium cui conceditur facultas pensionem retinendi: poteritne eam pensionem

nem retinere sicut si matrimonium non contraxisset ?

513 *Nō poterit retinere pensionem.* Non poterit, quia privilegium Lauretanæ militiæ est retinendi, matrimonio contracto, pensionem toto eo tempore, quo retineri poterat ante susceptam militiam. At Antonius poterat solùm retinere pensionem vno anno post matrimonium contractum: Ergò assumpta militia solummodo illo anno poterit retinere. Sic Rota *in una Romana pensionis.* 13. Martij, 1609.

514 *Poterit eam in perpetuum retinere.* Poterit pensionem in perpetuum retinere. Quia pensio illa à principio non fuit pro tempore limitato concessa, sed fuit concessa absolutè, debebat autem extingui matrimonio contracto, quam extinctionem suspendit facultas Pontificia pro vno anno concessa. Si igitur Antonius interim militiam Lauretanam suscepit, cui est concessa pensionis prorogatio non obstante matrimonio : fit sanè, illius pensionem prorogari. Nam superueniens militia impedit extinctionem, quam matrimonium causare debebat, ficuti si post assumptam militiam matrimonium contraheretur. Ita Castro Palao *tom. 2. d. 1. de benef. pun. 11. §. 16. n. 4.*

Verius hoc esse reor. Sed requiro, an si miles ordinis militaris ducat vxorem absque supremo ordinis Magistro contra eorum statuta, *alteri quæ* pensio depereat? Sub distinctione respondeo. *stioni satis-* Si ob omissum consensum supremi Ma- *facio.* gistri priuatur miles priuilegiis militaribus, amittet pensionem, quia illam retinet priuilegio Ordini militari concesso. At dum his priuilegiis non spoliatur, pensionem retinere potest. Videndum tamen est, an ob hanc causam possit Magister hac spoliatione summilitem afficere. Mecum Azor. *p. 2. l. 8. c. 10. q. 1.*

515 *Hoc tenens*

LIBER LVI.

SIMONIA.

DE Simoniæ vitio, quod non semel in Beneficiis ac Pensionibus, in aliisque rebus Ecclesiasticis assolet perpetrari, in præsenti tractatione instituens, exprimam, quid sit ac quotuplex simonia. Pretij simoniaci diuisionem aperiam. Materiam eius quæ est res spiritualis, vel spirituali annexam indicabo. Causas à Simonia excusantes expediam. Pœnas contra Simoniacos præscriptas recensebo. Et restituendi, quæ simoniacè sunt accepta obligationem attexam.

SECTIO PRIMA

De Simonia Receptiores absque lite Sententiæ.

CAPVT I.

Quid, ac quotuplex Simonia?

1 *Simoniæ definitio.*

SIMONIA, cuius nomen ductum est à Simone Mago emere volente Spiritus sanctidonum, *Act. 8. Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro temporali re, vel pretio.* Dicitur voluntas *studiosa*, id est deliberata, vt excludatur motus voluntatis non plene deliberatus, aut ex inculpata profluens ignorantia. Aut illa promissio, qua quis animo non quidem veræ emendi, aut soluendi, sed decipiendi tantùm, pollicetur aliquid temporale pro re sacra. Quia talis non habet verè emendi voluntatem, licet peccet graviter, alterum ad Simoniam inducendo, & externum Simoniæ opus præstando. Dicitur *emendi, & vendendi*, quibus signatur omnis commutatio, & omnis contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio. Quia omne pactum, quo datur ius spirituale sub conditione, & onere, quod iure non est annexum, est Simoniacum. Additur *aliquid spirituale*, idest, quod aliquo modo supernaturale est, vt sunt gratia gratũ faciens, Spiritus sancti dona, virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes, & gratis datæ, Sacramenta, officia Ecclesiastica, consecrationes, ac benedictiones Ecclesiæ, ornamenta sacra, vasa, Templa, &c. Adiicitur, *vel spirituali annexum*, hoc est, quod cum aliquo spirituali habeat connexionem. Vel antecedẽter, vt ius patronatus, vel consequenter, vt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium diuinum. Vel concomitanter, vt labor in prædicando, in ministrando Sacramenta. Apponitur demum *pretio temporali*, si enim detur spirituale pro spirituali, non erit propriè Simonia, tum pitudo enim huius peccati consistit in eo, quod spiritualia pretio humano, vel re aliqua humana pretio æstimabili commutentur. D Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *a.* 1. Laym. *l.* 4. *tract* 10. *cap.* 8. §. 1. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 1, Lessius *l.* 2. *c.* 35 *dub.* 1. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *c.* 1. *q.* 6 Regin. *l.* 23. *c.* 121. Bonac. *de simon. d.* 1. *q.* 1. *n.* 1. & 2. Fill. *tr.* 45. *n.* 2. & 3.

2 *Simonia in quo differat à Sacrilegio.*

Diuido in primis Simoniam in eam, quæ est diuino iure prohibita, & in eam, quæ iure Ecclesiastico. Iure diuino prohibita dicitur, *iure diuino* scilicet naturali. Quia ratio lumine fidei edocta *prohibet* naturaliter quodammodo dictat, dona supernaturalia in temporales contractus non esse deducenda. Profecto in lege gratiæ de Simonia vitanda præceptum datum non est, sed tantum naturale præceptum explicatum Matt. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. §. 6. *n.* 61. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 2. Bon. *de simo. d.* 1. *q.* 3. *n.* 1. & 2. Fill. *tr.* 45. *c.* 1. *q.* 3. 4. & 5.

3 *Huius materiæ gratia.*

Ex genere suo est peccatũ lethale cõtra Religionẽ, nec datur in ea venialis ex parvitate materiæ, sed tantũ ex inconsideratione, vel ignorãtia habente venialẽ negligentiã adiunctã. Quia *ius, quod in* tam ex parte materiæ, quam ex parte obiecti *foro* extet reperitur in actione vendendi rẽ sacrã malitia *vicari* aliintrinseca *quando*

potest esse levis.

intrinseca, vnde dispensari in ea non potest, nisi materia talis actionis mutata. Attamen in foro exteriori paruitas materiæ potest à simonia excusare, scilicet, quando pretium est longè inferius re tradita, quia tunc rationabiliter venditio non præsumitur ex *c. Etsi qu. de sim.* vbi dicitur, non commisisse simoniam cum, qui dedit equum Cardinali, à quo eiusdem frater erat acceptorus Pallium; quia cum esset dines, equus erat quid modicũ respectu illius *decis.* 480. Bonac. *de sim. d. 1. q. 3. n. 11. & 12.* Snar. *de Relig. t. 1 l. 4. c. 2. n. 3.* Diana *p. 5. tr. 5. resol. 2.*

4 Datur simonia iure humano prohibita.

Aliqua etiam simonia datur iure tantũ humano prohibita, quia Ecclesia potest prohibere, ne res aliqua rei Sacræ adnexa vendatur, in talis rei reuerentiam. Verùm plures inuenio, quarum venditione simonia iure humano tãtum prohibita committitur. Prima est, permutatio beneficij cũ beneficio alio absq; legitima superioris authoritate. Secunda resignatio beneficij propria authoritate facta cũ pensionis reseruatione. Tertia, vẽditio beneficij. Quarta, alicuius rei ratione examinis acceptio. Quinta, venditio officij Ecclesiastici spiritualis, seu onus spirituale habentis Hæc simonia propria est temporis legis gratiæ, atq; ideo positiua potest appellari. Est mortale peccatum ex vi suæ speciei, quia est eadẽ cum simonia contra legẽ naturalem: quare etiam eiusdem substantialis grauitatis existet. Azor. *l. 12. c. 1. q. 2.* Reginal. *l. 23. n. 155.* Lessi. *l. 2. c. 35. n. 25.*

5 Simonia Mentalis, Conuentionalis & Realis.

Secundò diuido simoniam *in Mentalem, Conuentionalem,* & *Realem* Mentalis est duplex, vna sumitur pro interno proposito committendi simoniam, etiam si nullatenus exteriorem prodeat in actum, vtpote alia vitia mentalia. Alia accipitur pro illa actione, quæ fit mente simoniaca, sed ex se, & circumstantiis simoniam non præfert. Dum autem iura de simonia mentali loquuntur, non sunt intelligẽda de simonia mentali hoc primo modo explicata, quia solum propositum sub pœnas Ecclesiasticas cadere non potest, cum Ecclesia de internis non iudicet. Conuentionalis est illa, quando non solùm est propositum internũ, sed etiã ad externã conuentionem proceditur, sine tamen executione saltem vtriq; facta: & hæc conuentio fit verbis expressis, & directis, vel obliquis & obscuris, aut nutibus. Vndè hæc simonia duplex est, altera, in qua neutra ex parte ad actũ exteriorẽ proceditur dãdi, vel recipiẽdi, seu quę vtriq; tantũ in promissione consistit. Altera, quæ ex vna parte exterius cõpletur, ex altera verò nondum est, cũ alius dat statim spirituale, alius autẽ solùm temporale promittit, vel è contrario. Realis autem dicitur, quando pactio ex vtraque parte est completa saltem inchoatè, vt si collatio beneficij facta sit, & pars pretij soluta. Lessi. *l. 2. c. 35. dub. 6.* Reginal. *l. 23. n. 153.* Nauar. *sum. c. 23. n. 102.* Filliu. *tr. 45. c. 10. q. 1.* Azor. *p. 3. l. 12. c. 1. & 2.*

CAPVT II.

De triplici simoniaco pretio.

6 De munere à Manu.

TRiplex est pretium, quod pro re spirituali tradi solet, cuius traditione simonia cõmittitur *Munus à Manu, à Lingua, ab* Obsequio *c. saluator 1. q. 3.* vocabulum *Munus* Escob. & Mend. Theol. Mor. *Tom. VII.* non ita accipiendum vt significet donum liberale, ac gratuitum: sed potius debitum iustitiæ commutatiuæ, adeoq; grauamen aliquod. Per *Munus à Manu* intelligo non solùm pecuniam, quod est pretium propriè dictum: sed etiam rẽ omnẽ materialem mobilẽ: quæ quomodocumq; pretio sit æstimabilis: item debiti remissionem, aut dilationem solutionis. Tolet. *l. 5. c. 84. n. 5.* Suar. *l. 4. c. 38. num. 7.* Nauar *c. 3. num. 101.* Filliu. *tract. 45. num. 12.* Sylui. *2. 2. q. 100. a. 5.*

Per munus à *Lingua* intelligo laued adulationem, preces pro aliquo interponendas, ex vi pacti expressi, vel taciti, vt res aliqua spirituals vicissim conferatur: v. c. siquis det Antonio beneficium, vt pro se Principem exoret. At si nullum pactum præcesserit, vel si preces postulatæ non fuere à beneficij, vel rei spiritualis collatore, censentur factæ gratis, & simoniæ culpam nõ inducunt. D. Th. 2. 2. *q. 100. a. 5. ad 3.* Suar. *l. 1. capit. 40. numer. 12.* Lessi. *l. 2. cap. 35. num. 118.* Nauar. *cap. 23. num. 102. & 107.* 7 De munere à lingua.

Per munus ab *Obsequio* intelligo quæcumque obsequia alia, aut seruitia alicui præstita, vel præstanda sub obligatione conferendi beneficium Ecclesiasticum vel aliam rem spiritualem, v.g. si quis collatori sine alio salario inseruire velit, cum expresso, vel tacito pacto conferendi beneficium. Tamen simonia non erit alicui gratis inseruire, aut alia obsequia præstare cum spe vt in eorum remunerationem ad Ecclesiasticum quis beneficium præsentetur, aut instituatur, modo pactum absit implicitum. Bonac. *de sim. d. 1. qu. 1. §. 1. n. 8.* Filliuc. *tr. 45. n. 6.* Profecto hæc diuisio in *Munus à Manu à Lingua* & *ab Obsequio*, sufficiens est, vt necessarium non sit, aliud membrum adiicere, quia omnia bona temporaria, & externa, quæ in commutationem venire possunt, vel ad bona fortunæ spectant, vel per verba vocis aut scripturæ, vel per alia corporis membra præstari valent. Laym. *l. 4. tr. 10. c. vlt. n. 45.* 8 De munere ab Obsequio.

CAPVT III.

De simoniæ Materia quæ est rei spiritualis?

MAteria simoniæ est res aliqua Sacra spiritualis, & supernaturalis. Vndè committitur hoc vitium vendendo gratiam *simonia est* sanctificantem, Eucharistiam, & alia Sacramenta, atque Sacramentalia, reliquias, &c. secus dixerim de misericordiæ operibus externis, nempe de actionibus & obsequijs legendi mortuos, inuisendi infirmos, &c. quia hæc opera ex se non sunt res Sacræ, sed naturales. Reginal. *l. 23. n. 208.* Filliuc. *tr. 45. n. 23.* Valent. *t. 3. d. 6. q. 16. pu. 2.* Hinc quis culpã simoniæ incurrat, quis ab huiusmodi labe liber euadat, hisce conclusionibus enuntio. 9 *Materia res Sacra, spiritualis & supernaturalis.*

Simonia est, pro iure sepulturæ, siue vt quis in certo Ecclesiæ loco possit sepeliri aliquid tanquam pretium exigere. Tamen licet non possit pro sepultura aliquid exigi, vt *re, aut* pretium, poterit, si sponte offeratur; *re pro iure* vel *sepultura.* 10 *Simonia est,*

vel si diuturna consuetudine sit receptum, vt aliquid sine turpi exactione detur. Imò siquis certum locum Ecclesiæ vel cœmeterij sibi, sibique familiæ tanquam proprium velit vendicare, non video esse prohibitum, pro eiusmodi iure aliquid exigere, præsertim vbi consuetudo viget, quia talis obligatio incumbens Clericis, quòd alium eo in loco sepelire non possint pretio est æstimabilis. D.Th. 2.2.q.100. a.4.ad 3. Suar. l.4.c.14.n.17. Sylvest. v. simon. q.11. Arag. 2.2.q.100.a.4.ad 3. Sylui ibi.concl.2.

10 *Et pro Sacramentalibus recipere pretium.*

Omnia Sacramẽtalia, vt publicæ benedictiones, & cæremoniæ, quæ fiunt in Sacramentis conferendis, siue permanentia, vt benedictio aquæ, aut olei, calicis consecratio, sunt simoniæ materia, quia sunt res spirituales, siuè considerentur secundum earum principium supernaturali à Christo Domino virtute accepta potestate institutæ: siue considerentur secundùm earum finem, si quidem ad animarum salutem spiritualem per se, ac directè ordinantur, c. cum in Eccles. de simon. Suar. l.4.c.14. Nauar. sum. c.23.n.99. Layman. l.4.tr.10.c.vlt.n.35.

11 *Et pro Ordine suscipiendo.*

Suscipiens Ordinem præuio pretio, simoniacus est: & collatores Ordinum accipiendo aliquid occasione ordinationis, quamuis sponte offeratur; candelas tamen, ex Sacræ Congreg. declaratione excipio. Porrò Notarius cui salarium alia ratione constitutum non est, potest aliquid pro litteris dimissoriis, vel Testimonialibus loco stipendij accipere, quia non tenetur gratis operam suam præstare. Imo Trid sess.21. c.1 dat facultatem recipiendi decimam vnius aurei partem in iis locis, in quibus inualuit aliquid recipiendi consuetudo. c. si quis, de simo. c. sicut Episc. 1.q.2. Suar. l.4.c.53.n.3. Reginald. l.23.n.200. Lessi. l.2.c.35.dub.10.

12 *Et pro spiritualibus functionibus.*

In spirituali functione, qualia sunt diuina officia, orationes publicæ, aut priuatæ quatuor possunt spectari. Primò, ipsa actio, qua talis est. Secundò labor intrinsecè coniunctus. Tertiò, labor extrinsecus annexus. Quartò, ministri sustentatio. Simonia quidem est, aliquid dare, vel accipere pro ipsis actionibus spiritualibus, quà spirituales sunt, quia hoc est sanctitatem rei pretio æstimare. Non est verò simonia, aliquid dare, vel accipere pro labore extrinseco, siue præuius actioni sit Sacræ, siue comitetur, quia labor hic est quid temporale pretio æstimabile. Nec est simonia, si aliquid pro ministri sustentatione impertias sub obligatione rei spiritualis, aut si minister aliquid pro sustentatione exigat: imò potest de certo ad sustentationem pretio, pacisci, prout fert consuetudo. Suar. l.4.c.21.n.15. Reginal. l.23.n.139. Valen. t.3.d.6.q.16.pu.3.l. Tolet. 5.c.89.

13 *Et pro iurisdictionis Ecclesiasticæ actibus.*

Omnis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ est simoniæ materia, quia sicut potestas Ecclesiastica spiritualis est tum ratione principis, tum finis: ita etiam actus ab ea procedentes. Vnde simoniacum est, pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis, pro delegatione facultatis ad confessiones audiendas, pro data alicui licentia, ad Confessarium eligendum, pro indulgentiarum concessione; quamuis pecuniæ contributio ad piã causam applicanda exigit possit per modum Eleemosynæ, tanquã requisitæ conditionis ad indulgentiam lucrandam. Similiter pro absolutione à censuris, & omni actu iurisdictionis contentiosæ quidquã accipere, est prohibitum. Item est simonia pro votorum dispensatione aliquid exigere: licet Episcopus possit imponere onus Eleemosynam elargiendi pauperibus, vel Monasterio. Suar. t.1.de Relig. l.4.c.19.n.4.c. Ad nostram, de simon. Filliuc. tr.45.c.4.q.9.& 10. Lessi. l.2. cap.55.dub.9.

Simonia autem non est pro materia remota Sacramenti, quæ semper est aliqua res naturalis, vt aqua, oleum, chrisma, panis, vinum, pretium accipere, quia vt sic res quædam est materialis, & venalis, c.cum in Ecclesia, de sim. D.Th.c.2.q.100.a.2. Filliu. tr.45.c.3.q.4. 14 *Secus pro materia remota Sacramenti.*

Nec vendere ipsam materiam rerum Sacrarum secundum se pretio æstimabilem, vt Sacros calices, vestes, numismata benedicta, &c. Quia illarum rerum materia valorem non amittit ob consecrationem, licet nonum valorem ex consecratione non assequatur. Suar. l.4.c.14.n.6. Nauar.c.23.n.108. Caiet. v. simo. reg.1. Filliuc. tr.45.c.3.q.10. 15 *Et pro vendizione materia rerum Sacrarum*

Nec aliquid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis, seu metaphysica, quia doctrina hæc non est res supernaturalis, sed actus naturalis intellectus adducẽs alterum ad cognitionem naturalem. Suar. l.4.c.18.nn.9. Laym. l.4. tr.10.c.vlt.§.4.n.30. 16 *Et pro doctrina naturalis Theologiæ*

Nec vendere licentiam ad docendum Theologiam, quia concedendo alicui cathedram, datur licentia docendi Theologiam & cathedrã, quæ non est res supernaturalis, sed actus naturalis: nec actus, ad quem datur, est spiritualis. Vnde nec vendere Magisterium Theologiæ simoniacum erit, quia actus docendi, ad quem huiusmodi Magisterium ordinatur spiritualis non est. Suar. l.4.c.18.n.14. Laym. l.4.tr.10.c.vlt.§.4.n.31. Lessi. l.2.c.55.n.85. 17 *Et pro licentia ad docendum, vendere licet absq; simonia; quia nec potestas ex qua datur, spiritualis est, sed temporalis: Theologiam.*

Nec aliquid exigere, vel accipere pro sustentatione personæ Religiosæ, si Monasterium inops sit, & regula Ordinis id permittat. Quia hic nihil spirituale venditur, sed solum exigitur quædam necessaria conditio (in ingressu, vel in professione) vt alij Religiosi non grauẽtur, non enim tenentur maiorem inopiam subire, vt alij admittantur, quando admittendi possunt facilè id incommodum enitare. Si autem Monasterium sit diues, dubia erit quæst. sect.2. discutienda D.Th.2.2.quæst.100. a.3.ad 4. Syl. ibi, concl.2. Bona. de sim.d.1.q.4. §.8.n.2. Filliuc. tr.45.c.4.q.6. Suar. l.4.c.17. num.18. 18 *Et pro sustentatione personæ Religiosæ.*

Pro actus spiritualis omissione aliquid exigere, non est proprie simonia, quia nuda spiritualis actus omissio non est quid sacrum, & supernaturale. Tamen huic contractui, quo aliquid datur, vel exigitur pro actus spiritualis omissione, si fiat sine iusta causa, est quædam turpitudo simoniæ affinis, quia dum exigitur, vel offertur pretium pro actus spiritualis omissione, tacitè innuitur, actum illum esse vendibilem. In multis tamen casibus liceret, modo cum huiusmodi omissione coniunctus nõ sit iurisdictionis actus, qui cum ipsa omissione pretio vendatur. Vnde simonia non erit primo cum pretium accipitur pro Sacro non audiendo, vel pro non recitando diuinum Officium, vel pro non concionando, &c. licet aliundè sit illicitum, quia nuda, ac simplex omissio horum actuum non est aliquid Sacrum, aut spirituale. Suar. l.4.c.8.n.26. Filliuc. tra.45.n.19. Valent. t.3.d.6.q.16.punct.2. 19 *Pro actus spiritualis omissione.*

DVBIVM

CAPVT IV.

De Simoniæ materia, rerum scilicet, quæ spiritualibus sunt annexa.

20 *Quenam dicantur res Sacræ per annexionem.*

RES dicuntur res Sacræ per annexionem, quæ ex se materiales, vel naturales sunt: per connectionem tamen, seu vinculum cum re Sacra Sacræ, seu spirituales censentur. Tripliciter autem potest quid dici alteri connexum. Primò, *antecedenter*: illud verò dicitur antecedenter connexum rei Sacræ, quæ Sacram rem præcedit, seu supponitur rei Sacræ, cui connectitur, vt sunt vasa Sacra, Sacræ vestes. Secundò, *comitanter*, nempè quòd comitatur rem Sacram, eique intrinsecè coniungitur, & est veluti pars. Vnum totum cum re Sacra componens, vt est labor ad rem, seu actionem Sacram agendam requisitus. Tertiò, *consequenter*, quod scilicet consequitur spirituale, & est velut effectus illius rei spiritualis, quam consequitur, vt sunt beneficia, hæc enim diuina consequuntur officia, quia propter diuina officia sunt institutæ, & dicuntur diuinis officiis annexa consequenter tanquam ab ipsis dependentia. Reginal. *l.* 23. *num.* 115. Filliuc. *tract.* 45 *cap.* 5. *quæst.* 1. 2. & 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *num.* 3. Valent. *t.* 3. *d.* 6. *quæstion.* 16 *punct.* 1 Vgo in. *tab.* 1. *cap.* 34 *de simon.* Sylui. *secunda secundæ, quæst.* 100. *a.* 4.

21 *Annexum spirituali, ratione connexionis est simoniæ materia.*

Si generatim loquar annexum spirituali ratione connexionis, quam habet ad illud, est simoniæ materia. Vnde vendi non potest absq; illa, quia spirituale vendi non potest nec vt res vendita, nec vt ratio venditionis: hoc enim ipso pretio æstimaretur. Tamen si antecedenter adnexum spirituali per se spectetur, non est materia simoniæ, & vendi potest, quia secundum se est pretio æstimabile, nec valorem, & æstimationem amittit ob coniunctionem cum spirituali, si absque relatione ad spirituale spectetur D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *a.* 4. *ad* 1. Suarius *l.* 4. *cap.* 23. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 45. *cap.* 5. *quæst.* 4. Bonac. *de simon. d.* 1. *quæstion.* 4. §. 2.

22 *Beneficium quoad ius spirituale in ipso inclusum, est simoniæ materia.*

Beneficium quoad ius spirituale in ipso inclusum est simoniæ materia contra ius diuinum, quia iura spiritualia, quæ posita sunt in aliqua spirituali potestate, vendi non possunt. Nec beneficium vendi potest, etiam habito respectu ad temporale commodum, quod in ipso adest. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 45. *c.* 5. *q.* 5. *c fin. de pact. capit. super eo, de transact. capit. Tua nos de simon.*

23 *Pontifex potest, separando præbendam ab officio spirituali dare*

Pontifex summus, qui potest separare præbendam ab officio spirituali, potest etiam dare beneficium cum onere solnendi partem fructuum, & accipere totum valorem pensionis simul: atque adeò dare beneficium exhibenti pecuniam, facta separatione præbendæ, secus non facta. Episcopus verò, qui separare præbendam ab officio nequit, nec etiam potest vendere beneficia absque simonia contra ius diuinum: nec imponere super beneficio pensionem: licet aliquando super personam habentem beneficium possit. Multo minus priuatis personis licebit, beneficia vendere, cum neq; is liceat ea locare nisi per triennium, & si fructus vendi per totam vitam possint. Vgolin. *tab.* 23. *num* 108. § 9. Suar. *l.* 4. *c.* 24. *n.* 23. Filliuc. *tr.* 45. *c.* 5. *q.* 10. & 11.

beneficium cum onere resoluendi partem fructuum Episcopo vinc.

24 *Pensiones mere temporales, vendi ac redimi possunt spirituales non. Mixta verò possunt redimi non vendi.*

Pensiones mere temporales, quæ etiam laicis ob iustam causam designari possunt, ex Ecclesiasticis prouentibus, sine simonia venduntur, ac redimuntur. At pensiones propriè spirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, v. g. Concionatori, coadiutori Episcopi, sine simonia emi, ac vendi nequeunt. Pensiones autem mixtæ, quæ Clericorum quidem propriæ sunt, verum non ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam designatæ, v. g. propter clerici paupertatem, senium, litis compositionem, beneficij resignationem, licèt vendi, ac emi nequeant, tamen redimi possunt, saltem vbi constitutio Pij V. eiusmodi pensionibus obligationem officij Deiparæ imponentis, recepta non est, quia redimere talem pensionem, non est, emere aliquod ius spirituale, sed onus temporale extinguere. Tolet. *l.* 5 *c.* 52. Suar. *l.* 4. *c.* 26. *n.* 5. Lessi. *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 22. Diana *p.* 4 *tr.* 4. *res.* 153. Sylu. 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *concl.* 1. 2. & 3.

25 *Beneficiorum permutatio sine Episcopi authoritate facta simoniaca est.*

Beneficiorum permutatio, si priuata pactione, & sine legitima Episcopi authoritate fiat, non sclùm irrita; sed & simoniaca est ex iuris Ecclesiastici dispositione, quia iure Canonico omnis pactio prohibetur in beneficiis: permutatio autem non celebratur sine pacto: & hoc fit ob periculum, suspicionem, & occasionem simoniæ, & alia incommoda, quæ facile sequi poterant, si permissum fuisset, beneficia priuata authoritate permutare, *capit. Quæsitum, c cum olim, de rerum permut. c. Audiuimus 4. de simon.* Suar. *l.* 4 *cap.* 31. *num.* 14. Reginald. *l.* 23. *n.* 263. Nauar. *c.* 23. *num.* 100. Filliuc. *tr.* 45. *n.* 12. & 13.

26 *In resignatione beneficij quandam simoniam committitur.*

Beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expensis fuerat assecutus, si postea, dum in pacifica possessione existit, illud alteri resignat coram inferiore à summo Præsule, cum pacto, vt is, cui beneficium resignat, soluat expensas: simoniam committit, quia resignatio hæc non est pura, cum exigat temporale pro spirituali, nullo enim alio titulo exigit expensas, nisi quia beneficium illi resignat. Suar. *l.* 4. *c.* 35. *n.* 24. Reginal. *l.* 23. *cap.* 18. Filliuc. *tr.* 45. *n.* 35. Simonia item est, facere coram Episcopo resignationem reciprocam, vt siquis dicat, ego resigno meum beneficium tuo nepoti, vel amico: tu verò resigna tuum mihi, vel nepoti meo, quia præterquam quod hæc renunciatio fit in fauorem, continet reciprocæ resignationis pactum, quod omninò extra casum permutationis est iure vetitum. Idem à fortiori affirmo de renunciatione triangulari, quæ inter tres fieri solet, verbi gratia Renuncio meum beneficium in fauorem Petri, vt Petrus suo cedat Paulo, & Paulus suo mihi cedat, quia hæc non est resignatio pura, nec fieri assolet sine pluribus pactis, quæ in Ordine ad Prælatum inferiorem non permittuntur.

mittuntur. Lessius *l.2.cap.35.n.87.* Suar. *l.4. c.35. n 18.* Reginal. *l.23.n.250.* Bonac. *de simo.d.1.q.4.§.14. n.4.*

27 *Quid permissum sit, obortâ lite de re spirituali partibus.*

Lite de Ecclesiastico beneficio oborta, vel de aliare spirituali, non prohibentur partes gratis, & amicabiliter inter se eam componere: quod duobus modis fieri potest. Primo, si vnus sponte & gratis iure suo cedat, sitemque deserat: nil autem obstat quominus postea donum ex gratitudine sibi oblatum accipiat. Secundo, si in arbitros cõpromittant, vt illi parti rem totam adiudicent, quæ potiori iure nisi videtur. Transactio tamen simoniaca est, in qua ex vna parte beneficium Ecclesiasticum, ex altera verò parte res temporalis datur, remittitur, aut retinetur. Quia trãsactio reciprocus contractus, & species quædam commutationis rei temporalis cum spirituali. *Cap. Cum pridem. de pact.* Bonac. *d.t. q.4.§. 15.n.3.* Profectò licet controuersiæ, quæ circa alias res, vel iura spiritualia versantur, terminari possint, offerendo, vel retinendo aliquid spirituale: id tamen concessum non est in materia beneficij, nisi Prælati authoritas intercedat. Suar. *l.4.c.51. assert. 2. & 3.* Episcopus demùm ac Iudex delegatus parti litiganti per modum transactionis adiudicare potest annuam pensionem in compensationem expensarum, vel ad vitæ necessariam sustentationem. *Cap. Nisi essent, de prabend.* Bonac. *citat. numer.9.*

CAPVT V.

Sex Titulos à Simoniæ labe excusantes annumero.

28 *Primus titulus à simonia liberans est liberalitas, seu gratitudo.*

PRIMVS est *Liberalitatis, vel Gratitudinis.* Vnde cum aliqua res temporalis, vel spiritualis gratis mere datur: vel etiam ex gratitudine ob recognitionem alterius rei spiritualis, vel temporalis, Simonia non committitur. Quia non datur tanquàm pretium, nec offertur ad extinguendum debitum iustitiæ, sed debitum morale, quod non obstat, quin id, quod traditur, gratis tradi dicatur. Suar. *l.4.c.15.n.4.* Laym. *l.4.tr. 10.c.8 num. 8.* Valent. *to.3.d.6.q.16. pun.3,* Nauar *sum.c.23.n.102.*

29 *Secundus, sustentatio.*

Secundus titulus *sustentationis.* Quia qui altari seruit, de altari debet viuere: cum iustentatio iure naturali debeatur. Vnde excusantur Ecclesiastici ministri accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel legibus Ecclesiæ præscribentibus aliquid pro certis muneribus exhiberi. Tolet. *l.5.c.88 num.8* Nauar. *c.23.num.106.* Filliuc. *tr.45.num.27.& 28.* Suarez *lib. 4. capit.45. numer.7.*

30 *Tertius labor extrinsecus.*

Tertius est *labor extrinsecus* seu per accidés ad actus operi sacro, vel spirituali, ille scil. sine quo tale opus geri nó potest, quia huiusmodi labor in se est aliquid temporale, pretio estimabile, nec ob constructionem ad opus spirituale est mationem amittit, cum ei per accidens, & extrinsecè sit adiunctus. Nauar. *c.23. numero 101.& 102.* Reginal. *l.23.n.119.* Lessi *l.2.cap. 35.n.45.* Suar. *l.4.c.21.n.15.*

31 *Quartus Libertatis privatio.*

Quartus est *Libertatis privatio*, vel temporalis commodi, quod quis deserit spirituale opus gerendo. Quia priuatio huiusmodi est pretio æstimabilis. Ergo aliquid pro ipsa accipi potest habita ratione commodi, quod verisimiliter capere potuisset, si se non tali obstrinxisset obligatione. Lessi. *l.2.c.35. dub.8 n.45.* Caiet. *v. simonia, reg.4.* Nauar. *sum.c.23.n.106.*

32 *Quintus Vexatio iniusta.*

Quintus est *Iniusta vexatio*, dum scilicet pecunia traditur ad tollendam vexationem, qua quis circa rem spiritualem afficitur. Secus dixerim, si vexatio sit iusta: tunc enim non licet, media pecunia tollere vexationem, quia parte iusta est. Quia pecunia tradi videtur pro acquirenda re spirituali, cuius vexatio acquisitionem impedit. *Cap. dilectus, de simon.* Filliuc. *tr.45.num.6.& 7.* Nauar. *consil.70. de simon.*

33 *Sextus Consuetudo.*

Sextus est *Consuetudo*, quæ quidem solummodo habet locum ad tollendam simoniam iure humano inductam. Quia lex humana potest consuetudine obligari non solum in partem, verùm etiam in totum: non solùm quoad pœnam, verum etiam quoad culpam. Attamen consuetudo non est titulus sufficienter excusans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij. Quia hoc est intrinsecè malum, & simoniacum contra ius naturale diuinum: nulla autem consuetudo potest induci, quæ ius naturale, vel diuinum abroget. Filliuc. *tr. 45.num.40.* Suar. *l.4.c.61.n.16.* Azor. *p.3.l. 12.cap.19.*

CAPVT VI.

Contra simoniacos pœnas latas recenseo.

34 *Sola simonia in ordine, beneficio & Religionis ingressu pœna incurrit.*

NVLLA simonia nisi in Ordine, beneficiis ac Religionis ingressu, pœnas iuris ipso facto incurrit. Simoniæ etiam mentali nullæ iuris pœnæ feruntur. Quia *Cap. Mandato, de simo.* Pontifex ait, Simoniaco mentali satis esse, si per solam pœnitentiam suo satisfaciat Creatori de peccato, nec resignare debet, quod per simoniam mentalem acquisiuit. Nauar. *c.23.n. 111.* Diana *p.4.tr.4.resol.157.* Tolet. *l.5. cap. 93. numero secundo* Sylueit. *v. Simonia, quæst.19.*

35 *Simonia realis in ordinibus multa sunt pœnæ.*

Pœnæ simoniæ realis in ordinibus sunt hæ. Prima: Conferens ordines est excommunicatus. Secunda. Est suspensus à collatione cuiusuis ordinis, etiam primæ tonsuræ. Tertia. Est suspensus ab omnium munerum Pontificalium executione. Quarta. Interdictus est illi Ecclesiæ ingressus. Quinta. Si contra suspensionem, vel interdictum illud egerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ &

à

à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum. Sexto. Nemo potest præter Romanum Pontificem illum absoluere, etiamsi delictum sit occultum. *Extrau. Cum detestabile, de simo.* Bulla Sixti V. edita in male promouentes, & promotos. *v. Caterum si quis Antistes.* Lessi *l. 2. c. 35 dub. 24.* Qui ordinem aliquem per simoniam realem suscepit, Primo est ipso facto excommunicatus. Secundo, est suspensus ab executione suorum Ordinum. Tertio, si præsumpserit in illa su pensione ministrare, irregularis efficitur: deinde per Bullã Sixtianã ipso facto priuatur omnibus dignitatibus ac beneficiis, & ad ea fit inhabilis. Quarto, eius absolutio pertinet ad summũ Pontificem, similiter & dispensatio. Si verò casus sit occultus, seposita Bulla Sixti, posset Episcopus absoluere ex Tridentino. Diana *p. 4. tr. 4. resol. 157.*

36 *Pœna simoniæ in ordine ad collationem vel receptionem beneficij.*

Porro qui beneficium confert, vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, &c. est ipso iure excommunicatus. Nomine beneficij intelligo Abbatiam, Priorãtum, Rectoratum, prouincialatum, Generalatum, Guardianarum, &c. portell. *v simonia, 5.* Suar. *tom. 5. d. 31 sect. 4 num. 45.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 156.* Qui vero beneficium per simoniam realem acquirit, primo, est ipso facto excommunicatus, Secundò, omnis prouisio & collatio huiusmodi nulla est, iusque nullum impertit, tamen electio non est irrita, si simonia pro institutione cõmittatur. Couar. *Reg. peccatum, p. 2. §. 8.* Lessi *l. 2. c. 35. num. 138.* Tertio, fit ad idem beneficium inhabilis obtinendum: & si simonia sit publica, & ad forum externum deducta, per solum præsulem summum hæc inhabilitas tollitur. *Cap. Nobis fuit, de simo. Cap. penul de elect.* Si autem sit occulta tolli per Episcopum potest. Quia nullo iure hæc Pontifici reseruatur. Lessius *lib. 2 capite 35. num. 140.*

37 *Pœnæ simoniæ circa Religionis ingressum.*

Simonia quidem regulis circa Religionis ingressum his est obnoxia pœnis. Primò, singularibus personis tam dantibus, quam accipientibus excommunicationem inducit. Secundò, conuentu, seu Capitulo, si consenserit in hanc simoniam, inducit suspensionem. Tamen hæc censura non habet locum in dote, quæ Monasteriis fœminarum datur. Ita Martinus V. statuit. Imò consuetudo illa dotis exigendæ non pro ingressu Religionis, sed pro alimentis Monialis, passim tanquam licita passim permittitur, præcipuè si tenue sit Monasterium. Tertiò simoniacè ad Religionem admissi videntur iure inhabiles, ad manendum in illo Monasterio, vbi sic recepti sunt, indigentque Ordinarij dispensatione vt possint acquirere ius præbendæ Regularis, & vocis actiuæ, & passiuæ, non tamen sic receptus tenetur se reliquorum commodis spoliare, nisi per superiorem aliud Monasterium ingredi compellatur. *Cap. 1. de Regul.* Nauar. *cons. 4. de Regular. n. 25.* Suar. *l. 4. c. 61. num. 7.*

38 *Quia sit simonia confidentiæ & quæ*

Simonia confidentiæ extra est, & pœnas iuris infert, si alicui beneficium aliqua ratione procures cum pacto, vt is, qui beneficium acceptarus est, illud idem tibi, vel alteri aliquando resignet: aut vt pensionem ex eo, vel fructus aliquos alteri præstet. Præterea simonia confidentiæ est, admittere in beneficiorum resignatione, præsentatione, & collatione, quasdam retrocessiones, quas vocant *Accessus Regressus, & Ingressus*, quibus significantur iura quædam accedendi, regrediendi, & ingrediendi ad beneficium ex vna parte, & onera beneficij seu beneficiarij ex altera. *Accessum* enim dicar ad beneficium habere, si Prælatus cupiat mihi nepoti (v. gr. illius) id addicere, sed quia per ætatem sum incapax, confert alteri, concesso mihi iure, vt quam primum præscriptam à iure ætatem attigero, propria authoritate valeam ad hoc beneficium accedere. *Regressum* autem ad beneficium dicar habere, si id resignem alteri, reseruata mihi pensione, & iure regrediendi ad illud, si resignatarius præmoriatur, aut fiat Episcopus, aut si pensionem non soluerit: potest etiam hoc sine pensione fieri. *Ingressum* demùm dicar habere. Si beneficium mihi collatum, antequam eius possessionem capiam, alteri resignem, seruato mihi iure ingrediendi possessionem, si ille prius obeat, vel fiat Episcopus, vel ineat Religionem: Quicumque ergo vel sibi, vel alteri eiusmodi iura reseruat, seu onera imponit sine expressa summi Præsulis concessione simoniam confidentalem committit. Vnde Tridentinum *sess. 25. cap. 7.* valide improbat hasce retrocessiones tãquam referentes quãdam successionis hæreditariæ imaginem, & tanquam sacris Canonibus contrarias. Colligo, simoniam conuentionalem esse solum contra ius Ecclesiasticum, quia hi omnes modi licitè re ipsa possunt exerceri, etiam cum pacto externo, si Pontifex annuat, & debitæ adsint circumstantiæ. Porrò hæc confidentiæ simonia contrahit excommunicationem Papalem vtrique parti cõtrahenti: & beneficij priuationẽ, & priuationẽ reliquorũ beneficiorũ, & pẽsionẽ; quæ quidũ non tenetur simoniacus ante Iudicis sentẽtiã dimittere: & inhabilitatem ad idem beneficium resumendum, & ad alia omnia. Præterea omnia beneficia collata, & accepta in confidentiam simoniacã sunt sedi Apostolicæ reseruata, ac proinde ordinarius collator non potest ea impertire. Attamen ad hasce pœnas incurrendas, necessarium est, vt simonia impleta sit, dato, & accepto beneficio, licet accipiens vicissim suã prouisionem non impleuerit, v. gr. pensionem, nondum soluerit. Nauar. *cap. 23. n. 104.* Suar. *l. 4. c. 43. n. 13.* Leym. *l. 4. tr. 10. c. vlt. §. 7. num. 77. & 78.* Lessi. *l. 2. c. 35. dub. 27.* Graf. *de simo. c. 96. num. 20*

CAPVT VII.

De obligatione restituendi ea, quæ Simoniacè accipiuntur.

39 *Pœnis afficiatur.*

PRETIVM acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, *Pretium* etiamsi res non fuerit tradita: & hæc *pro spiri-*

tuali acceptum restituendi, etiamsi res tradita non fuerit.

restitutio fieri debet ei, qui tradidit. Quia is adhuc retinet ius ad illud, cum non donauerit, nec habuerit intentionem transferendi illud in accipientem; sed sub conditione, & ex pacto oneroso. Suar. *l.4.c.59. num.2.* Victoria *de simo.p.2. num.6.* Lesius *l.2.c.35.n.170.* Nau. *c.23.n.103.*

40 *Pretium simoniacè acceptum, sed non in iustè, restituendum ex iure naturali diuino.*

Pretium simoniace acceptum, non tamen iniustè haud est restitutioni obnoxium iure naturali diuino. Quia obligatio restituendi ob delictum, non consurgit ex delicto quolibet, sed ex peccato iniustitiæ: at simonia non est iniustitia, sed irreligiositas. Pretium verò simoniace simul iniustè acceptum, videlicet pro re spirituali, restituendum est tum ex iure naturali diuino, quia ex violatione iustitiæ commutatiuæ oritur restituendi obligatio. Tùm quia accipiens aliquid supra quo sibi debetur, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem obligatur: sed accipiens pretium pro re spirituali, accipit aliquid, supra id, quod sibi debetur: Ergò. Nauar. *cap.23. num.103.* Suar. *l.4 cap.59. num.35.* Layman. *l.4. tract.10. cap.8.§.9.* Lesius *l.2. cap.25. num.162.* Sylvest. *v. simon. q.20.*

Iure Ecclesiastico res spiritualis simoniacè accepta, non est restituenda, nisi sit beneficium Ecclesiasticum, sub beneficio autem pensio spiritualis comprehenditur. Quia videtur eadē ratio. Cætera autē spiritualia vel dimitti non possunt, vt sunt sacramenta, nisi quoad vsū vt in ordinibus, vel non sunt dimittenda ante sententiam. Tamen quod ad pretium attinet, illud iure positiuo est restituendum. Pius V. *Extranag. Cum detestabile.* Lesi. *l.2. c.28. dub.30.* Lay. *l....tr.10.n.85.*

41 *Iure autem Ecclesiastico restituendum non est nisi sit beneficium quod accipitur.*

SECTIO SECVNDA.

De Simonia Dubia.

CAPVT VIII.

Circa Simoniæ constitutionem, seu essentiam.

DVBIVM I.

An Simonia sit crimen contra iustitiam?

42 *Est contra iustitiam.*

SIMONIÆ vitium ita execrabile & detestandum, vt nullo modo leuitas materiæ in eo sit admittenda, est contra iustitiam. Quia dispensator, cui à domino mandatum esset bona aliqua gratis erogare iniustiriam cōmitteret, illa vendendo. Cum igitur homines rerum spiritualium domini non sint, sed solum dispensatores. 1. *Cor. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: & ex alio capite illis mandatum sit hęc omnia gratis impertire *Mat. 10. Gratis accepistis, gratis date*: fit sanè, pro illorum collatione iniustè pretiū expostulari, ac recipi. Sic Sotus *l. 9. de iust q.5. artic.1.* Valent. *tomo tertio disput. sexta quæstion.16. punct.4.*

43 *Contra iustiā non est*

Contra iustitiam non est, quia neque respectu Dei, cum ibi eum nulla re prosit, neque respectu ementis spirituale donum, cum longe plus illi detur, & maiotis valoris, quam pretium ab illo exhibitum. Adde, sæpè vendentem spirituale se aliqua vtilitate spirituali, vel temporali priuare: vt sibi beneficium, grana benedicta, Missam, vel sacrificium vendat, quod pro se poterat applicare. Ergò iniustitiam non committit pro his rebus pretium aliquod postulans. Ita Nauarra *lib. secund. de restit. capite secund. numero 385.* Suarez *lib. quart capite 4.*

Ego autem existimo, non in quslibet venditione rei spiritualis iniustitiam inueniri, sed in illa solum, ex cuius datione nullum incommodum vendens patitur, nullumue amittit emolumentum, Quia qui habens beneficium, & illo vti potens, venderet, sine dubio se temporali vtilitate priuaret: Ergo pro damno illo pretium absque iniustitia exigere posset. Quando verò nullum damnum pàtitur ex bonorum spiritualium concessione, pretium exigere iniustitia erit. Quia gratis tenetur exhibere. Consentit ex parte Lesius *lib. 2 capite 35. dub. 28. numero 158.* Neque obstat nominem esse beneficiorum dominum, sed ministrum, & dispensatorem Christi Domini mandātis gratis hæc dona exhiberi. Quia non est minister, ac dispensator, cui necessario onus dispensandi illa bona subsit: habet enim potestatē illis vtendi.

44 *Distinctione vtens quæstionem resoluo.*

DVBIVM II.

Si constituat ex bonis propriis quis alicui ordinando titulum, seu patrimonium, recipiatque ab illo promissionem de nihil postulando ad sustentationem: committitne simoniam?

45 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, consistere simoniam in emptione & venditione, quæ absque aliqua re

re habente rationem pretij effici non possunt. Distinguunt autem Doctores triplex pretium, *Munus à manu, munus ab obsequio, munus à lingua.* Potrò sub munere à manu comprehenditur remissio debiti, aut remittendi debitum promissio. Vnde *Capite penultimo de simonia* tam ordinans, quam ordinatus suspenduntur: eo quod petierit ordinans ab ordinando promissionem nihil ab eo postulandi in debitam sui sustentationem: eo quod sine titulo illum ordinibus initiauerit; nam Episcopus ordinvel præsentans aliquem ordinandum sine titulo, illum tenetur alere. *Cap. Cum secundum, de prabend.* Ergo si petit, hanc obligationem sibi remitti postulat aliquid pretio æstimabile, ac proinde ad simoniam sufficiens. Iam requiro nùm constituens ex bonis propriis alicui ordinando titulum, seu patrimonium, & recipiens ab illo promissionem de nihil ad sustentationem postulando, simoniam committat, vltra peccatum indebitæ ordinationis, cuius est particeps?

46 *Simoniam committit.* Simoniam committit, quia media remissione debitj constituit illi ad ordines titulum. Sicut patronus præsentans ad beneficium, si promissionem peteret non exigendi reditus proculdubio simoniacus esset. Sic Nauar *sum. capite 27. num. 158.* Suar. *l. 4. de simon. capite 38. num. 5.*

47 *Non committit simoniam.* Non committit Simoniam. Non quia remissio debiti non sit munus à manu sufficiés ad simoniam constituendam: sed quia datio patrimonij non est quid spirituale, nec propriè ad ordines præsentatio. Ita Card. Tolet. *l. 1. c. 48. n. 10.*

48 *Probabilius hoc.* Probabilius hoc esse credo, postquam legi apud eundem Cardinalem *numero 12.* ita à Sacra Pœnitentiaria fuisse determinatum, scilicet, non incurrere simoniam, qui ordinatur accepto patrimonio, & pacto adhibito de illo alienando, vel rescindendo.

DVBIVM III.

Si spirituale principaliter detur ob munera, & obsequia temporalia: propter spirituale consequendum impertiantur: sufficitne ad contractum simoniæ constituendum?

49 *Nonnulla suppono.* SVppono, emptionem, & venditionē quę ad simoniā requiritur, debere esse cōtractū onerosū, quare si gratis, & absq; aliqua obligationis legalis impositione detur pecunia, vel aliquod aliud donū præstetur, simonia non est. Hacque ratione defendo famulū Episcopo seruientem absque stipendio, quia medio illo obsequio gratis & absque pacto exhibito, intendit animum illius conciliare, vt beneficio vacaturo donetur. Tolet *capite 90. numer. 4.* Valentin. *p. 3. d. 6. q. 16. punct. 3.* Dubito tamen an si spirituale principaliter detur ob hæc munera, & obsequia temporalia, vel è contra hæc obsequia, & munera temporalia propter spirituale consequendum principaliter fiant, sit sufficiens ad simoniæ contractum constituendum?

Sufficiens est. Quia ait Diu. Thom. *2. 2. q. 100. artic. quinto ad 3. & quodlibet 8. a. 11.* illicitum esse ire ad Ecclesiam propter distributiones quotidianas principaliter tanquam propter finem: quamuis non, si propter eas eatur, tanquam propter finem secundarium. Sic Gabr. *in 4. distinct. 25. q. 2.* Adrian. *quodlib. 9.* Nauar. *summ. capite 23. numero 101.* Couar. *lib. 1 variar. cap. vlt. numero 3.* 50 *Est sufficiens.*

Non est sufficiens. Quia secluſa pactione, emptio & venditio esse non potest, & consequenter neque simonia. Imò neque ad peccatum mortale qui hæc ageret, damnandus esset: sicut qui propter vanam laudem principaliter recitaret, aut erogaret eleemosynam, non damnatur lethalis piaculi: sed solum ei dicitur, *Recepisti mercedem tuam.* Ita Sotus *l. 9. de iust. quæst. 6. articul. secund.* Victoria *relect. de simonia, numero 33.* Valent. *d. 6. quæstio. 16. pun. 3.* Farinac. *l. 1. const. 75. num. 8.* alios citans. Suar. *l. 4. de simon. c. 44. n. 11.* 51 *Sufficiens non est.*

Porrò datio spiritualis propter temporale, aut è contra principaliter constituit simoniā, casu, quo aliqua pactio intercedat: nam secluſa pactione, certum est, emptionem & venditionem esse non posse, & consequenter neque simoniam. Et iuxta hanc doctrinam explico textum in *Cap. Tua nos, de simonia*: vbi de eo, qui ad Canonicatum rogauit admitti, dicitur si ea intentione ducatur, vt per temporalia bona spiritualia valeat adipisci: & Clerici, qui eum in fratrem admittūt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam iste, quàm illi apud districtum Iudicem culpabiles iudicantur. Explicari enim debet de intentione, qua per temporalia bona, tanquam per pretium spiritualia valeat adipisci: non de intentione, qua per temporalia bona liberaliter donata, spiritualia consequi sperat. 52 *Auctoris his hærentis resolutio*

DVBIVM IV.

An sit aliqua donatio gratuita, vel onerosa temporalis pro spirituali iure Ecclesiastico prohibita sub simoniæ specie?

EST prohibita. Quia *Cap. 1. de simonia* Pontifex Gregorius prohibet donari aliquid ab eo, qui ordinatione vel vsu pallij. Et quia Trident. *sessio. 21. cap. 1.* ait: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ nec pro dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque causa, etiam sponte oblatum. Episcopi, & alij Ordinum collatores, & eorum ministri quouis prætextu accipiunt &c.* Sic Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 49. numero 1.* asseren. 53 *Prohibita est.*

asserens donationem hanc gratuitam prohibitam esse intuitu Religionis, & tanquam simoniacam dationem tam ex sponte recipiétis, quam conferentis. Plures Doctores contestantur.

54 *Non est prohibita.* Prohibita non est. Quia nulla donatio onerosa, quæ venditio, vel emptio non sit (loquor extra beneficiorum materiam) est prohibita intuitu Religionis, nec simoniaca in foro conscientiæ; nam in externo foro quotiescumque donatio fiat cum onere dandi spiritualia, nisi iam sit ab Ecclesia approbata, semper dari præsumitur pro ipso spirituali in commutationem: ac proinde vt simoniaca punitur. In foro tamen conscientiæ simonia non erit; sed vel iniustitia, vel aliud vitium. Ità Palao *tom. 3. d. 3. de simon pun. 5. à n. 1.* erudite admodum quæstionem versans.

55 *Idem defendo.* Idem defendo, Quia Gregorij prohibitio videtur esse declarata in *Cap. sicut Episcopum 1. q. 1.* vbi non prohibetur ordinato, quin possit aliquid sponte tribuere: sed prohibetur, si ex pacto, aut exactus, & petitus donet. Porrò ad locũ Tridentini respondeo, si illæ oblationes, & munera sponte conferantur, & non in commutationem, nullam simoniam etiam ex Ecclesiastico iure committi, quia finis, ob quem hæc omnia Concilium prohibet, non est simonia, sed auaritiæ affectus, vt ex principio illius decreti constat; intendit enim, ab Ecclesiastico ordine omnem auaritiæ suspicionem abesse. Quod vero postea adiecit, contrarias taxas, & consuetudines simoniacæ prauitati fauere, in causa non est, vt dicamus, esse simoniacas; sed simoniæ fauere, quatenus auaritię radix est, & fomentum simoniæ. Est igitur huiusmodi transgressio auaritię vitium, ob cuius commissionem, si in graui materia sit (qualis illa cẽseri debet, quæ ad ănimum corrumpendum sufficiat) pœna excommunicationis infligitur, Hæc enim imposita erat in *Concil. II. Barcha. cap. 3.* & in hoc Trident. decreto censetur renouata.

DVBIVM V.

An gratuita donatio temporalis pro spirituali prohibita sit vt simoniaca in decreto Tridentini sessio. 24. cap. 18.

56 *Prohibita est vti simoniaca.* PRohibita est, quia ibi prohibentur examinatores Synodales occasione examinis in beneficiis facti, quidquam ante, vel post recipere, alioquin simoniæ vitium incurrisse dicuntur tam ipsi examinatores, quam dantes; *à qua simonia absolui nequeunt*, (scilicet dantes) *nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque antè obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* Ex quibus verbis gratuita etiam donatio prohibetur, siquidem sunt ita absoluta. Sic Suarez *tom. primo de Relig. lib. quart. capite 49. num. 7.*

57 *Non est* Non est prohibita vt simoniaca. Quia non colligitur ex hoc textu liberalem donationem damnari, imò neque illam, quæ in stipendium datur: cum nullum verbum sit in eo decreto talem prohibitionem declarans: & mandatum quoad fieri possit, benignius interpretari debeamus, præcipuè in grauissimo simoniæ vitio, cui grauissimæ pœnæ sunt impositæ. Ita Nauarra *l. 2. de reflit. cap. secund. nu. 188.* Petr. Ledesm. *p. 2. sum. tr. 7. cap. 1. concl. 7.* Palao *tom. 3. d. 3. de simon. pun. 5. n. 3.* & alij. *prohibita.*

His hærens, affirmo, prohibitionem Concilij intelligendam esse de receptione per modum pretij, & commutationis vnius rei pro alia, non de datione gratuita, vel de receptione in stipendium. Vel certè prohibetur examinatoribus, aliquid recipere pro approbatione concedenda: hoc enim esset recipere pro iure spirituali ae beneficium, cum per approbationem ius acquiratur approbato ad beneficium obtinendum. Certè Nauar. *cons. 67. de simonia*, asserit, generale esse, nunquam simoniam committi absque pacto, & conuentione præcedente: & adiici, simoniam non esse aliquod munus examinatoribus impertire, non vt approbetur idoneus, cum sit sufficiens: sed ad eorum benevolentiam captandam. 58 *Eiusdem sum mentis.*

DVBIVM VI

Committiturne, simonia, siquis promittens dare spirituale pro temporali non habeat implendi intentionem?

CErtum est, ad simoniam requiri studiosam, id est, deliberatã voluntatem emẽdi, vel vendendi, hoc est, commutandi temporale pro spirituali. Quæsierim verò, an promissio dandi spirituale *pro temporali* absque intentione implendi promissum veram perpetret simoniam? 59 *Quæstionis status.*

Committitur simonia vera, etiam ex parte illius, qui intentionẽ non habet dandi promissum temporale pro spirituali, quia sic promittens intendit media sua promissione licet ficta, & deceptoria obligare alium ad dandum v. gr. beneficium: & è contra promittens fictè beneficium intendit alium ad temporale exhibendum: ergò iam aliquo temporali vnus spirituale, consequitur: siquidem ipsa promissio temporalis est, & pretio æstimabilis: quia onerosa, & multis periculis obnoxia. Sic Nauar. *comment. ad Cap. vltim de simon. num. 10. & sum. c. 23. n. 106* 60 *Simonia cõmittitur.*

Non committitur simonia conuentionalis Quia carens animo donandi spirituale pro temporali, aut è contra donandi temporale pro spirituali, caret etiam animo emendi, vel vendendi, emptio enim & venditio est datio, & commutatio vnius pro alio. Igitur esse non potest simoniacus, ex recepta simoniæ definitione. Peccat tamen grauissimè qui sic contrahit, quia alium inducit ad simoniam saltem mentalem, & externum opus 61 *Non committitur simonia.*

opus simoniacum facit: non tamen pœnas à iure inflictas simoniacis incurrit. Ita Cæt. *to. 2. opusc. tr. 9. q. 2.* Sotus *de inst. l. 9 q. 8. a. 1.* Tolet *l. 3. c. 9. n. 4.* Navar. *l. 2. de rest. c. 2. dif. c. 12. n. 39 1.* Less. *l. 2 c. 35. dub. 1.* Suar. *to. 1. de Relig l. 4. c. 42. n. 4.* Manuel. *de simon c. 56. num. 6.* Valent. *d. 6. q. 16. pun. 5.*

62 *Hanc communem sententiam defendo.*

Hanc communem quidem sententiam defendo. Nam licet promissio illa facta pretio sit æstimabilis, non tamen offertur in pretium beneficij recepti: sed est conditio, qua pretium offertur; conferens enim beneficium non id confert pro promissione, sed pro re promissa. Alias esset simonia realis, quotiescumque beneficium daretur, existente aliqua promissione de pecunia pro illo soluenda, siue non; quia illa promissio aliquid reale pretio æstimabile est, in cuius virtute datur beneficium.

CAPVT IX.

Circa obiectum seu materiam simoniæ.

DVBIVM VII.

An in casu vrgentis, vel extremæ necessitatis possit pretium pro Sacramenti administratione offerri?

63 *Nonnulla recolo.*

RECOLO materias spirituales in multiplici esse differentia. Alia sunt sacramẽta, alia sacramẽtalia. Alia sunt de foro externo, & iudicialia, alia de conscientiæ foro. Profectò indubitatum est, simoniam esse venditionem potestatis communicandi Spiritum sanctum visibiliter: & venditionem gratiæ sanctificantis, characteris Sacerdotalis, & similium. Vnde si seruum Christianum quis venderet, quia Christianus est, simoniacus esset, quia virtualiter vendit baptismum. Idem dicendum de omnibus sacramentis, simoniam scilicet, esse, pro illis prætium exigi. *Cap. cum Ecclesiæ, de simon.* & alibi passim. Quæsierim autem, an in casu vrgentis, vel extremæ necessitatis possit pro Sacramenti administratione pretium offerri?

64 *Potest quidem.*

Potest quidem, quia patulo extremè indigenti pium est emere baptismum, ne æternum pereat. Sic Sotus *l. 9. de institut. q. 6. articulo primo.*

65 *Non potest.*

Minime potest, quia illa oblatio pretij est intrinsecè mala: donum enim Dei non licet pecunia possideri. Vnde nequit pecunia offerri alicui iniustè neganti sacramenti administrationem, vti ab ea iniustitia deflectat. Quia non alia via desistet ab iniustitia, quam concessione sacramenti. Cùm ergò ob concessionem sacramenti offerti pecunia non possit; neque etiam pro cessatione ab ea iniustitia. Ita Paiud. *in 4. dist. 25. q. 5. num. 15.* Vgolin. *de simon. tab. 1 cap. 35.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 9. à numero 7.* & alij communiter.

Existimo, Soti assertionem parum, aut nihil probabilitatis habere. Cæterum etsi secunda sententia vera omnino sit, potest quidem pecunia offerri neganti iniustè sacramẽtum, non pro ipsa sacramenti datione, & in eius commutationem; sed in sustentationem personæ, & ad eius voluntatem inflectendam, ac benevolentiam captandam, quia tunc non emitur sacramentum, cum non detur pro illo quasi in illius commutationem. Certè si tibi licet, obligatum ministrare sacramentum monere, & excitare minis, ac terroribus, affirmando te denunciaturum superiori illius iniustitiam, cur non licebit blanditiis, & pecunia eundem inflectere? Mecum Valent. *d. 6 q. 16 pun. 3.* Less. *l. 2 c. 35 dub. 7. num. 39.* Vasquez *de scandalo, q. 43. a. 8 num. 59.* Basil. de Leon. *l. 5. de matr. cap. 13. §. 6. n. 32.*

66 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM X.

In casu vtilitatis potius quam necessitatis, potestne quis sine simoniæ piaculo pretium offerre pro sacramenti administratione, licet exprimat, se pecuniam in sacramenti commutationem non tribuere?

MInimè potest, quia dans pecuniam petenti illam administratione, censetur ab iis, qui conscij sunt, simoniacus, & illius criminis cooperator, à quo scandalo, excusari non potest, nisi ex vrgentissima causa. Sic Doctores communiter.

67 *Non potest.*

Potest profectò, quia si ille suam intentionem manifestet, dicatque, se non dare pecuniam in sacramenti commutationem, sed ad redimendam vexationis causam, hoc est, ad benevolentiam ministri captandam, vt prauam deponat voluntatem; non est simoniacum pecuniam sic petenti in qualibet vtilitatis grauis occasione tribuere. Ita Vasquez *de scand. q. 43. a. 8. dub. vlt. num 61.* Valent. *d 6 q. 16. pun. 3.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 19. n. 7.* Glos. *ad cap Dilectus. Cap Ad aures, de simon. Cap. Quæsitum 1. q. 3.* Anton. *ad Cap Dilectus,* Redoan. *p. 3. de simon. capite 11. num. 6.*

68 *Potest plane.*

Idem affirmo. Nam talis datio simpliciter est bona, & ob bonum finem, nullatenusque est in se prohibita: & ex alia parte ad peccatum alterius non concurrit. Exemplo sacerdotis in peccato existentis ac malè administrantis: quem non tenetur parochianus vitare in confessione neque in communione, in aliisque Sacramentis

69 *Idem affirmo.*

DVBIVM

DVBIVM XI.

An sit simonia, vendere Sacramentalia permanentia nempè Calicem consecratum, Corporale, Capellam, Ecclesiam?

70 *Nonnulla præmitto.*

SAcramentalia dupliciter distinguo. Alia sunt transeuntia, quæ solùm consistunt in actione, neque habent effectum permanentem, vt sunt benedictio nuptiarum, exorcismus, Cathechismus in baptismo. Permanentia sunt alia quæ effectum habent permanentem, vt sunt consecrationis Calicis, vel Ecclesiæ, &c. De primis non est dubium, quin simonia sit, pretium pro illis recipere, quia sunt ministeria Sacra, & clericalis Ordinis actus. De secundis est quæstio, an simonia sit, pro illis pretium offerre, ac recipere.

71 *Simonia est.*

Simonia est, quia *cap si quis obiecerit 1. quæst. 3.* tam spirituale, quam corporale vendi prohibetur, & subditur ratio: quia quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit: atqui consecratio non prouenit absque corporali materia: ergò non potest materia vendi absque eo quod consecratio vendatur. Idem probo ex *cap. quæsta est, cum tribus sequentibus 13. quæst. 2.* Sic nonnulli antiquiores, nimirum canonis textui hærentes.

72 *Non est simonia.*

Non est simonia Sacramentalia permanentia vendere, quia ibi non venditur benedictio, aut consecratio calicis, corporalis, vel Ecclesiæ, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur. Ita Sylvest. *v. simonia, quæst. 12.* Vgolin. *tab. 1. de simon. cap. 44. §. 2. num 10.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4 cap. 14. num. 18 & 22.* & alij communiter.

73 *Sententia Auctoris.*

Dixerim, hæc omnia quibus spirituale consequenter annexum est, possunt absque simonia vendi, modo carius ratione consecrationis nō vendātur. Nam res illæ, scilicet aqua benedicta, Ecclesia, panis, agnus, corporale, & reliqua Sacramentalia permanentia consecrata non amittunt suum valorem per consecrationem: ergò vendi possunt sicut antea, & ita videmus vsu esse receptum. Neque obstat *cap si quis obiecerit*, nam vt rectè explicat D. Thom. *in 4. dist. 25.* loquitur non de rebus, quæ antecedunt consecrationem, & benedictionem, &cam è illam æstimabilia sunt etiam omni ordine secluso, qualia sunt, quæ enumerauī: sed potius loquitur de illis, quæ consecrationem consequuntur, qualia sunt ius percipiendi beneficij reditus, quod ius ad ipsam institutionem beneficij consequitur & tunc optime infertur: quisquis horum alterum venderet, sine quo nec alterum prouenit, id est, proficit, & vtilitatis est, neutrum inuenditum derelinquit.

DVBIVM XII.

An possit sine simonia labe pro Ecclesiastica sepultura pretium recipi?

Recipi non potest, quia *in cap. Abolendæ 13. de sepultur.* cauetur ne aliquid pro sepultura recipiatur. Ius enim sepulturæ Sacramentale quidem est. Sic illi antiquiores, de quibus dubio proximo. 74 *Recipi non potest.*

Potest recipi, quia ibi non venditur proprium ius sepulturæ, sed materiale sepulchrum. Ita Sylvest. *v simonia, quæstion. 12. test.* Vgolin. *tab. 1. de simon. capit. 44. §. 2. numero 10.* Castro Palao *tomo tertio d. 3. de sim. pun. 8. num. 4.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 14. n. 18. & 22.* 75 *Recipi potest.*

Ego quidem existimo, posse Religiosos, vel clericos, qui fuerint domini alicuius Ecclesiæ, vel capellæ etiam consecratæ vendere dominium, & proprietatem illius, quantum valuerit fundus, & expensæ, quæ factæ fuerint in eis ædificandis, quia ibi non venditur benedictio, nec ius proprium sepulturæ, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur. Idem dixerim de eo, qui vellet onerare Ecclesiam, ne alius præter ipsum, vel eius descendentes in ea sepeliatur: posse inquam, ab eo exigi pretium pro illa obligatione, quia onus illud pretio est æstimabile: & ex alio capite non est spirituale, nec spirituali annexum; sed omninò accidentarium. Ipse tamen patronus, & fundator capellæ pretium nullum exigere potest, vt permittat, aliquem extraneum ibi sepeliri, quia vsum sepulturæ venderet, contra decretum *capit. Præcipue, & capit. in Ecclesiastico, 13. quæstion. secunda.* Pro loco autem communi, & sepulturæ fidelium destinato nullum pretium exigi, vel recipi potest, quia videtur extractum pro sepulturæ vsu, quod est quoddam Ecclesiasticum officium. Sylvest. *v. sepultura, quæstion. secunda.* & Doctores communiter. Potest tamen recipi quidquid in sustentationem fuerit gratis oblatum: imò exigi quidquid consuetudine receptum sit donari, quia tunc non exigitur, vt pretium. Sylvest. *suprà.* Aragon. *secunda secundæ quæstion. 100. a. 4.* Valent. *d. sexta quæstion. 16. punct. secundo.* Hac ex ratione existimo, excusari posse Religiosos, vel clericos petentes pro sepultura digniori in loco constituta, hoc est, prope altare, maiorem summam pretij, quam pro sepultura in corpore Ecclesiæ, quia hoc postulant ex consuetudine, & in sustentationem ministrorum, non in pretium maioris dignitatis: sicut qui pro Missa maiori maius peteret stipendium. Lege Suarium *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 14.* 76 *Hoc tenco & plura in colligo.*

DVBIVM

DVBIVM XIII.

An pro cuiusuis virtutis exercitio Clerici obligati committant, simoniam, si stipendium non debitum exigant?

77 *Certa supponuntur.*

CErtum est, pro actibus in aliorum vtilitatem cedentibus, quales sunt exequiæ defunctorum, Missæ, officia diuina, non posse pretium aliquod recipi *Cap. cum in Ecclesia. Cap. Non satis. Cap. ad Apostolicam. cap. fuam, de simon.* Bene tamen potest pro omnibus hisce officiis stipendium sustentationis recipi, & de eo pacisci. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 15. numero quinto.* Quæ conclusio procedit specialiter de Sacerdote alias non obligato hæc officia ministrare; digna mercede sua. Verum si loquamur de aliis clericis obligatis hæc officia diuina exercere, quæsierim, an simoniam committant, si pro his actibus stipendium non debitum exigant?

78 *Committunt simoniam.*

Committunt plane, si aliquid supra id, quod est consuetudine receptum exigant etiam in sua sustentationis stipendium. Quia *cap. Ad Apostolicam, de simon.* & *cap. Quidam 1. q. 3.* id prohibetur. Et quia de sustentatione iam illis est aliunde prouisum. Ergo non habent titulum ratione cuius exigat stipendium. Sic Suarez, *citatus*, Gutierrez *can. qq. l. 1. cap. 29. à num. 15.* Sylvest. *v. simonia numer. 9.* Selua *de benef. p. 1. q. 9. n. 56.*

79 *Non committunt.*

Non committunt. Quia licet de sustentatione sit aliunde eis sufficienter prouisum: possunt stipendium exigere ad superabundantem, & non debitam sustentationem: sicut qui pro eadem re duplex pretium expostularet. Ergò inde non præsumi, illum simoniam committere. Ita Lessi. *l. 2. c. 35. dub. 8. n. 51. & 53.* Sotus *l. 9. de iust. q. 6. articul. prim.* Tolet. *l. 5. c. 89. nu. 6.* Valent. *d. 6. q. 16. pun. 3.*

80 *Hoc planè probabilius.*

Profectò sententia hæc probabilior est plane, quia pecunia illa non expostulatur vt sacrificiorum, vel orationum pretium; sed vt motiuum, & ex cuius affectu sacrificia exhibentur. Fateor tamen simoniam præsumi, licet non sit: veram autem esse iniustitiam, dum pretium pro debito exigunt ministerio.

DVBIVM XIV.

An simonia sit exigere pecuniam ab ingredientibus Religionem pro ingressu, etiamsi ad sustentationem eorum exigatur?

81 *Simonia est.*

SImonia est. Quia *cap. Nullus, cap. Dilectus, & 2. cap. Audiuimus, cap. Quamuis, de simon.* & *Extrauag. 1. eodem tit.* prohibetur, ne pro Religionis ingressu aliquid quomodocumque offeratur. Sic Archidiac. apud Palao *citandum* Vgolin. *de simon. tab. 1. c. 4. §. 1. n. 16.*

82 *Non est simonia.*

Non est simonia, siue Monasterium indigeat, siue opulentum sit, quia hoc fert consuetudo recepta præcipue in Monialium Monasteriis, in quibus videmus, nullam recipi fœminam, nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem adferat, vel alia ratione sit Monasterio proficua. Ergo signum est, hoc non esse iure Ecclesiastico prohibitum, aut si prohibitum est, consuetudinem aduersus prohibitionem inualuisse. Ita Sylvest. *v. simonia, quæst. 15.* Sotus *l. 9. de iust. q. 6. articulo secundo* Valent. *d. 6. qu. 16. pun. 2.* Palao *tom. 3. d. 3. de simon. pun. 9. n. 3.* Aragon. *2. 2. q. 100. a. 3.*

83 *Hoc vnicè defendo.*

Hoc vnicè defendo Nam textus adducti loquuntur planè de exigentibus pecuniam pro Religionis ingressu, non de exigentibus pecuniam pro ingredientium sustentatione, quia eodem modo loquuntur de exigentibus pecuniam pro ingressu, ac de exigentibus pecuniam pro Ordinatione, Fateor, *cap. Quoniam 40. de simon.* magis vigere, Ibi enim Pontifex prohibet Monasteriis monialium, ne paupertatis prætextu aliquid exigãt, sed respondeo cum Suario *c. 17. n. 14.* & Lessio *dub. 12. n. 71.* hoc solum contingere, quando Monasterium re vera inopia nõ afficitur, & nihilominus illo titulo aliquid exigit. Rarò tamen contingere potest, Monasterium non agere ingredientis subsidio, ne propter illius ingressum alia officia sibi vtiliter impediantur, neve aliis aptioribus præcludatur ingressio.

DVBIVM XV.

An pro officio docendi Theologiam, pretium dare vel recipere sit simonia?

84 *Quæstionis status.*

QVinque sunt Theologiæ functiones. Prima est, deducere conclusiones ex fidei principij siue necessario, siue probabiliter. Secunda, scripturas interpretari. Tertia, dare responsa ad pacandas conscientias. Quarta, doctrinam Christianam edocere. Quinta concionari. De prima & secunda Theologiæ functione quæsierim, an pretium dare vel recipere pro eis simonia sit?

85 *Simonia est.*

EST simonia, quia munus Theologi, vti ait Aug. *l. 14. de Trin. c. 1.* est roborare, illustrare, ac credibilia facere fidei principia, & ex illis principiis illustratis, & roboratis deducere cõclusiones: At talis deductio nõ solũ à principio naturali, sed etiã à supernaturali, & proposito per fidẽ diuinam procedit: & ideò maiorem certitudinem habet, quam quælibet cõclusio scientifica: & ex alio capite conducit maximè ad spiritualem salutem: Ergò est huiusmodi munus inuendibile. Ergò pro eius documento pretium dare, vel accipere, simonia est: Sic Palud. *in 4. distinct. 25. quæstione quinta num. 20.* Diu. Antonin. *p. 2. tit. 1. c. 5. §. 7. notab. sext.* Sylvest. *verſ. simonia, quæstio. 10.*

Inclinat Hostiens. *ad c. quia nonnulli de præscriptis.*

86 *Simonia non est.* Simonia non est, quia licet Theologia procedat à principiis reuelatis : non tamen ab illis, quatenus reuelata sunt, sed quatenus modificantur per naturalia principia. Nec ordinatur hoc munus per se ad animæ salutem, sed ad illustrandum intellectum in hac doctrina, sicut in alia scientia naturali. Ita Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *capit.* 18. *numer.* 7. Glos. *ad cap. vendentes* 1. *quæstion.* 3. *& capit. qui studet*, 1. *quæstion.* 1. *v. sanitatis.* Adrian. *quodlib.* 9. *a.* 1. Victoria *relect. de simon. numero* 6. Sotus *l.* 9. *de iust. quæstion.* 5. *a.* 1. *& quæstion.* 6. *a.* 2. *ad* 2. Lessi. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 13. *num.* 80. Tolet. *l.* 5. *cap.* 88. *num.* 3. *&* 4. & habetur *l.* 10. *tit.* 17. *part.* 1. *& ibi* Gregor. Lopez.

87 *Hoc probabilius esse defendo.* Egò autem probabilius reor esse, simoniam non committi, si recipiatur pecunia pro munere docendi, & interpretandi scripturam, (interpretationem, quæ fit ex spiritus sancti instinctu si excipias,) quia per accidens est, quod Theologia procedat à principiis reuelatis, & fide diuina creditis, ad hoc munus docendi. Nam qui de aliquo principio fidei voluntariè dubitaret, eodem modo posset docere, sicut qui habet fidem : ergò per accidens se habet concursus supernaturalis fidei ad huiusmodi officium. Hinc infero, pro licentia docendi procedente à iurisdictione temporali, pretium recipi posse : vendere gradum Doctoris, seu Magistri simoniam non esse.

DVBIVM XVI.

An simonia sit pro casuum conscientiæ responsione, pretium accipere?

88 *Simonia est.* Simonia est, pro tertio illo munere Theologi, quod est casibus conscientiæ responsa dare pretium accipere, quia interrogans, ad pacandas conscientias, & ad alios supernaturales fines huiusmodi interrogationes refert. Sic Lessi. *l.* 2. *capit.* 35. *dub.* 13. *num.* 78. *&* 79.

89 *Non est simonia.* Non est simonia, quia illa instructio est naturalis, & humano labore acquisita : ergò vendi potest, qua ratione Canonistæ pretium recipere assoleut pro huiusmodi responsis, sicut & pro aliis Consiliis : non ergò debet Theologus petoris conditionis esse, cum responsa ab vtroque procedentia eiusdem rationis existant. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *a.* 3. *ad* 3. Nauar. *sum. cap.* 23. *num.* 100. Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *capit.* 18. *numer.* 19. *&* 20. & alij.

90 *Hanc eligo sententiam* Probabilius hæc esse iudico, neque obstare, irrogantem ad pacandas conscientias & ad alios supernaturales fines huiusmodi interrogationes referre, quia eius intentio non mutat actionem, quæ per se ad id, non ordinatur : solùm enim talis responsio ad illustrandum intellectum per se ordinatur, & ad ignorantiam auferendam, ne aliquid contra rectam rationem, ac iustitiam fiat. Addiderim, pro quarto munere, quod est doctrinam Christianam docere, probabilius iudico posse pretium recipi, si solùm instructio ad iuuandam memoriam alterius, & exercendam illam, referatur. At si doceatur Christianus non solùm ad memoriam iuuandam, sed etiam ad confirmandum eum in fide, & operandum iuxta illam, haud dubium talem instructionem supernaturale opus esse, vtpotè ad supernaturalem finem ordinatum. Idem dixerim de instructione infidelis, vt ad fidem conuertatur, & maximè si talis instructio facta sit in baptismo, quia tunc est Ecclesiasticum ministerium. Suar. *capit.* 18. *numero* 19, & 20. Denique de quinto munere Theologiæ, quod est concionari, & infideles ad fidem persuadere, & fidelis in eius firmitate roborare ad eiusque incitare obseruationem : simoniam esse pro eis pretium recipere, quia Sacra concio refertur primò & per se ad mouendam voluntatem, & inclinandam illam ad bonum : est ergò ex parte finis maximè spiritualis. Ex parte etiam principij constat cum Prædicatores sint Dei ministri, & eius loco subrogati.

DVBIVM XVII.

An pro labore operibus spiritualibus intimè coniuncto, & ab illis inseparabili, possit sine simoniæ labe pretium recipi?

91 *Recipi potest.* Recipi potest, quia *Math.* & *Luc.* 10 affirmatur, ministrantem in his rebus spiritualibus dignum esse mercede : at non est dignus mercede ratione bonorum spiritualium, quæ aliis confert : neque ratione actionis, quam confert, si enim hæc possent sine vllo labore, & temporis diuturnitate conferri, nullam mercedem, pretiumve exigere posset : Ergò est, dignus mercede pro labore, ac tempore, quod in Sacris agendis insumit, & quatenus ille Sacræ actiones sunt sibi molestæ & aliarum actionum sibi vtilium impeditiuæ, qua ratione maiori stipendio, ac sustentatione dignus est, qui tota die confessiones exaudit, quam qui vna hora : & qui Missam canit, quam qui illam recitat. Alias deteriores essent conditionis Ecclesiæ ministri, quam auctores & negotiatores temporalium rerum, qui ob defatigationem, & laborem impensum, & tempus, quod insumunt, possunt aliquid recipere. Cur ergo ministri, qui salutis negotiis incumbunt priuari debent temporali subsidio. Sic Adrian. *quodlib.* 9. *a.* 1 *lit.* O. Altisiodor. *de simon. p.* 3. *q. penult.* Bonauent. *in* 4. *d.* 25. *a.* 1. *quæstion.* 4. Maiol. *ibi. quæst.* 1. §. Hactenus Glos. *cap. significatum, de prabend. v. Itaque.* Inl. Clarus *v. simonia, n.* 2. Arag. 2. 2. *qu.* 100. Lessi. consentit ex parte *c.* 35. *dub.* 8. *n* 53. *&* 45.

92 *Non potest habet recipi.* Non potest recipi, quia labor intrinsecus operi nullam aliam æstimationem

habet præter ipsum opus qua ratione opus, cui maior labor pretio cæteris paribus est dignus: Ergo si opus ex se inuendibile sit etiam labor ei adiunctus inuendibilis erit: At omnes sacræ actiones iure diuino inuēdibiles sunt: Ergò etiam labor iis adiunctus inuendibilis erit. Ita Dutand. *in 4. dist. 25. q. 3. nu.* 10. Gutier. *Canon. q. c. 29. num.* 12. Manuel. *v simonia, c* 48. *concl.* 5. Valent. *d. 6. q. 16. pun.* 2 Tolet. *l. 5. capite* 88. *num.* 5. Suar. *to.* 1. *de Relig. lib. 4. cap* 22. *numer.* 5. plures citans Host *ad Cap.* 3. *Ne Prælati vices suas.* Sotus *l. 9. de iust. quæst. 6. articulo prim.* Syluest. *v. simonia, quæst.* 9. Victoria *relect. de simon. num.* 29.

93 *Hanc sententiam veriorem esse ostēdo.*

Hanc sententiam probabiliorem esse crediderim, quam exemplo declaro. Si lapis pretiosus, cui annexa est aliqua proprietas prohibeatur emi ac vendi, etiam illa proprietas seu virtus lapidis emi, ac vendi prohibetur, quia non potest emi, ac vendi proprietas per se sine lapide. Ergo cum iure diuino prohibeatur opus sacrum vendi, ac emi, etiam labor, & defatigatio, quæ illi necessario, ac per se sunt connecta, quasi quædam proprietas, vendi, ac emi prohibentur. Facitque ad id *Can. si quis obiecerit* 1. *q.* 3. ibi: *Qui horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Porrò argumentum pro prima sententia adductum solum modo probat, ministrantem in iis officiis dignum esse mercede, hoc est, stipendio pro labore suscepto; & quo maior labor suscipitur, eo cæteris paribus, dignior est maiori stipendio: non tamen probat, illum laborem posse vendi; siquidem est supra omne pretium, vtpote in rebus spiritualibus susceptum.

DVBIVM XVIII.

An simoniæ perpetret crimen, qui accepto pretio, omittit denunciare peccatum si ad id ex officio obligetur?

94 *Plura recolo de venditione actuum ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinētium.*

SVpponò, pro nullo exercitio Ordinis, & potestatis spiritualis posse pretium recipi. Vnde sacerdos absoluens indignum pro pecunia, simoniam committit. At Sacerdos in iustè nolenti absoluere à peccato, vel censuris potest pecunia dari, vt à praua voluntate desistat, non in absolutionis pretium. Pretio autem constitui non potest Ecclesiasticus Iudex siue ordinarius, siue delegatus. Pro muneribus tamen, & officiis iurisdictionem temporalem habentibus pretium absque simonia recipi potest: sed non est licita horum officiorum venditio ex nostri Regni legibus. Pro collatione, institutione, possessione concedendi non potest pecunia, etiam in sustentationem recipi, nisi ex antiqua cōsuetudine habeatur, in pios vsus conuertēda. Pro dispensatione in votis, iuramētis impedimētis matrimonij, aliisque Ecclesiasticis legibus nequit pecunia etiā in sustentationē accipi; possunt tamen sic dispensātes imponere dispēsatis dari aliquam eleemosynam onus. Ordinarij, alique officiales exequentes dispensationē à sede Apostolica concessā, nequeunt pro examinatione testiū, alterius que laboris in eius expeditione pretium, etiam in sustentationem recipere. Pro patrocinio in causis spiritualibus licite potest pecunia recipi. Non autem pro omissione pertinente ad spiritualem potestatem. Hæc certa. Quæsierim autem, an simoniæ perpetret crimē, qui pretio accepto, omittit denunciare peccatum, si ad id ex officio obligetur? Nam si ex officio ad id non teneatur, simoniam non committit; quia delatio peccatoris non est ab aliqua spirituali potestate.

95 *perpetrat simoniam.*

Simoniam perpetrat Parochus, parochianum in Paschate v. gr. non communicantem, pro pecunia accepta Episcopo non manifestās, quia Pastores nequeūt pecuniā recipere, vt subditū corrigāt, vel a corrigēdo desistant. Sic Glos. & Panormit. *ad Cap Nemo, de simo.* Anto. Syluest. Paiud. Vgolin. & alij relati a Suario *tom.* 1. *de Relig l.* 4. *cap.* 22. *num.* 15. Qui hanc sententiam probabilem reputat, & reddit rationem. Quia Parochus hanc denunciationem omittens suo munere abutitur, & quantum in se est impœnitentem absoluit, & a censura liberat propter pecuniam. Docet Diu. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3.

96 *Non perpetrat.*

Non perpetrat simoniam, quia etsi parochus omissione denunciationis liberet subditum à supplicio: non tamē in hac liberatione iurisdictionem exercet, cum non absoluat pœnitētem, nec propriè liberet à censura. Ita Suar. *vbi supra, n.* 14. Innoc *Cap. Nemo, de simo.* Hostien. *in ioi* Les. *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 11. *n.* 64.

97 *Hoc teneo & cōfirmo.*

Scio, in confirmationem primæ sententiæ adduci *cap. Nemo de simon.* vbi prohibetur presbyteris, ne à peccante publice aliquid accipiant, vt eius peccatum Episcopo, vel eius ministris celent. Attamen textus hic secundæ sententiæ, quam eligo vt probabiliorem, contrarius non est, quia duas habet partes, vnam a principio vsque ad versum *Nequemquam* excluſiue: aliam in toto illo versu vsque ad finem. In priori prohibetur presbyteris ne accipiāt aliquid temporale propter celandum publicum peccatorem Episcopo, vel ministris eius: at in hac parte nullum est de simonia verbum. Vnde videtur illud prohibitum tanquam bonis moribus contrarium, & Clericorum officio: non tamen vt cōtrarium Religioni, ac simoniacum. In secunda autem parte prohibetur Clericis, reconciliare quempiam, vel reconciliationē alicui negare propter pretium: & redditur ibi ratio: *Quia simoniacum est vtrumque.* Quæ verba non referuntur ad priorem partem Capitis, sed tantum ad posteriorem; nam particula *Vtrūque* (ait Suarius) duas tantùm partes complectitur, quæ debent esse proxime præcedentes. Ergò non tradit in eas, quæ remotè præceserunt.

DVBIVM XIX.

An Beneficium Ecclesiasticum inuendibile esse proceaat ex Iure diuino ?

98 *Certa suppono.*

CErtum est iuxta omnium Doctorum mentem, beneficium Ecclesiasticum, (nempe Episcopatum, Abbatiam, Prioratum, Archidiaconatum: & alias Ecclesiasticas dignitates, Canonicatus, Vicarias perpetuas, & alia huiusmodi,) inuendibile esse iure diuino, qua patte importat ius spiritualia administrandi, quia tale ius spirituale, & sacratum est, & à Christo Domino institutum. Iure autem positiuo inuendibile esse, qua parte est ius obtinendi fructus. *Cap. vlt. de pactis, Cap. super eo, de transact. Cap. Querelam. Cap. Tua nos, de simon. Cap. vlt. vt Ecclesiastica beneficia 1. q. 3.* Controuersia autem est inter Doctores an iure diuino sit prohibita beneficij venditio, qua parte est ius fructus obtinendi?

99 *Est prohibitum.*

Est prohibitum iure diuino, quia si beneficium accipitur, quatenus est ius ad annos redditus obtingens per officium sacrum: cum officium sacrum, & ius administrandi spiritualia inuendibile sit iure diuino, etiam est inuendibile ius ad annuos fructus, quod medio illo officio, & iure spirituali acquiritur. Ergò beneficij venditio quoad ius annuorum reddituum iure diuino prohibetur. Sic communiter Theologi quos refert, ac sequitur Suar. *to. 1. de Relig. l. 4. c. 24. n. 7. & 12.* Valent. *d. 6. q. 16. pun. 2.*

100 *Prohibitum non est.*

Prohibitum iure diuino non est, quia summus Pontifex potest præbendam, seu fructus beneficij, & ius illas percipiendi à titulo spirituali, hoc est, à iure administrare, vnique conferre huiusmodi ius spirituale, alteri verò, vel sibi applicare ius percipiédi fructus: vt quotidie contingit, cum pensiones assignat, poterit pensionem illam, seu fructus, quos extrahere vult à titulo spirituali, velle, vt accipiens beneficium statim redimat, & sibi conferat, alias non collaturus beneficiū, quòd autem hoc Pontifex possit, constat. Quia ipse solùm tenetur conferenti beneficium sustentationem tribuere: Ergò si aliunde huiusmodi sustentationem cōferat poterit omnes fructus illi beneficio assignatos sibi applicare. Ergò iam sibi applicatos poterit vendere, siquidem non vendit aliquid quod sit simpliciter spirituale. Ita Canonistæ communiter, quos referunt Suar. & Valenti. *citati.*

101 *Auctoris resolutio.*

Ego autem cum Lessio *l. 2. cap. 35. dub. 2. n. 18.* existimo vtramque sententiam æque esse veram. Vnde resoluo, beneficium in hoc casu esse inuendibile formaliter, siquidem non venditur ius percipiendi fructus medio spirituali officio contingens, quod erat necessarium ad beneficij venditionem: sed venditur ius percipiendi fructus, quod Pontifex sibi poterat reseruare.

DVBIVM XX.

An pensio possit sine simonia propria authoritate redimi ?

102 *Quæstionis status.*

DVplicem recolo esse pensionem, aliam laicam, aliam Ecclesiasticam laica vendi potest, Ecclesiastica minimè absque simonia. Quæstio verò est, an absque simonia possit propria authoritate pensio redimi?

103 *Non potest.*

Non potest, quia beneficiarius redimens pensionem reddit beneficium sibi magis vtile: potest enim colligere illam partem fructuum, quam soluere tenebatur: At potestas colligendi illam partem fructuum est titulo spirituali annexa, siquidem est propter officium: Ergo fieri id propria authoritate absque simonia non potest. Sic Flamin *l. 6. de resignat. benef. q. 2. num. 128.* Nauar. *comment. 52. & 53. de prabend.* Sotus *l. 9. de iust. q. 7. articulo secund.* Victoria *relect. de simon. numero. 52. & 53.* Azor. *to. 2. l. 8. cap. 10. quæst. 10.*

103 *Potest quidem.*

Potest quidem. Quia illud, quod per se, & immediatè quis acquirit redimendo pensionem, est immunitas, & libertas ab obligatione, & onere pendendi quotannis illam partem fructuum: libertas autem ab hoc onere, & obligatione non est spiritualis, neque spirituali per se annexa: nam esto beneficium inde erit magis vtile beneficiario ob facultatem retinend omnes fructus: hoc est extrinsecum & accidentarium redemptioni pensionis; siquidem redemptio non per se respicit hanc vtilitatem, sed solum libertatem illam ab anua solutione. Ergo absque simoniæ labe potest propria fieri authoritate. Ita Valent. *d. 6. q. 16. pun. 3.* Suar. *to. 1. de relig. l. 4. c. 26. num. 24. & 26.* Toiet. *l. 5 c 92. num. 1.* Lessi. *l. 2 c. 35. dub. 22. num. 124. & 129.* Caiet *opusc. 16. responsi. resp. 10*

104 *Cum his opinor.*

Cum his opinor, existimans, redemptionem pensionis nihil aliud esse, quam anticipatam quandam solutionem fructuum, quos singulis annis beneficiarius soluere tenebatur. Cum igitur fructus vendi possint, etiam & redimi. Nil ergò spirituali annexum emitur. His tamen non obstantibus, ad redemptionem pensionis assolet semper Pontificis authoritas interuenire, non quia necessaria, sed ad maiorem securitatem: & quia iam ex Curiæ stylo hoc est receptum. Garcia asserente *p. 1. de benefic. c. 5. n. 23.*

DVBIVM XXI.

An ius patronatus inuendibile sit ex iure diuino ?

105 *Status quæstionis.*

CErtū est, venditionē trāslationemque iuris patronatus simoniam esse iure Ecclesiastico, si pretio fiat, *Cap. De iure Cap. Præterea de iure patr.* quia ius patronatus est ius

ius præsẽtandi ad beneficia concessũ laicis ab Ecclesia ex gratitudine alicuius obsequij ab ab illis accepti, ac proinde est spiritualibus annexum. Quæsierim vero, an patronatus ius sit ex iure diuino inuendibile?

106 *Non ex inuendibile ex iure diuino.*

Non est inuendibile ex iure diuino, quia hoc ius in se non est spirituale, sed tantum spiritualibus annexum, cum detur laicis, & transeat ad hæredes, & extraneos per donationem, vt constat ex iure, & ex praxi. Et eius actus, qui est præsentare ad beneficium non videtur spiritualis, cum ratione illius præsentatus non acquirat ius in beneficium, quousque Prælatus illud conferat. Sic Abbas Decios, & alij *in rubr. de iure patron. & ad Cap. Quanto, de iudiciis.* Sotus *l. 9. de iust. q. 7. a. 1.* Nau *sum. c. 23. n. 98. & 99.* Syluestr. *v. simonia, quæst. secund.* & alij relati à Suario *tom. 1. de Relig. l. 4. capite 28. numer. 6.*

107 *Est ex iure diuino inuẽdibile.*

Est ex iure diuino inuendibile, quia hoc ius est spirituale, vtpote ab Ecclesia institutum, & concessum per spiritualem potestatem, & ad spiritualem actum ordinatum qualis est præsentatio. Ita Glos. *ad cap. Pia mentis 16. q 7. & Cap. Præterea 1. de trãsaction.* Lessius *lib. secund. cap. 35. dub. 22. num. 128.* Suar. *n. 7.*

108 *Probabilius hoc esse iudico.*

Probabilius hoc esse iudico. Non enim obstat, dari hoc ius laicis, & ad hæredes transire: nam hæc proueniunt ex gratia, & fauore Ecclesiæ, quæ sicut poterat communicare laicis ius eligendi ad beneficia, quod spirituale est, sic communicauit ius præsentandi. Itaque ius patronatus est spiritualibus annexum, scilicet beneficij præsentationi; sicut etiam ius eligendi, & potestas conferendi beneficium est annexa spiritualibus; sed hoc non obstat quominus etiam sit in se spirituale & Sacrum, sicut est potestas conferendi beneficia, & ius eligendi ad illa. Denique præsentatio dat ius præsentato ad beneficium, non proximum, sed remotum, quatenus ex vi præsentationis, si persona idonea sit necessario debeat institui. *Cap. significasti & Cap. suggestum, de iure patronat.*

DVBIVM XXII.

An ad permutationem Beneficiorum sine simoniæ piaculo faciendam sufficiat approbatio Prælati inferioris, si non habeat ad id præscriptam consuetudinem?

109 *Certa refero.*

CErtum est, extra materiam beneficiorum nullam permutationem esse simoniacam. Tractare autem partes de beneficiis permutandis, & se vicissim obligare sub conditione, si superior consenserit, licitum est. At si beneficiorum permutatio, & cuiusuis spiritualis iuris, si authoritate propria fiat, est simonia iuris humani, & est omnino irrita. Authoritate verò superioris facta licita quidem est. Fieri potest coram eo, qui potestatem habet, beneficia conferendi. Quæsierim verò de Prælato inferiori non habente Episcopalem iurisdictionem, pertinente tamẽ ad illum beneficiorum collationem: an inquam approbatio eius sufficiat ad permutationem faciendam absque Episcopi consensu? Et quidem si habeat præscriptam consuetudinem approbandi permutationes, nemini est dubium sufficere, cum ratione consuetudinis ius acquirat: si verò non habeat hanc consuetudinem sufficitne eius approbatio?

110 *Non sufficit.*

Non sufficit. Quia licet ad ipsum pertineat collatio, seu institutio beneficiorum, hoc non sufficit ad permutationem approbandam, quod quidem Episcopalis potestatis munus est. Sic Suar. *tom. 1. de relig. lib. quarto cap. 32. num. 14.*

111 *Sufficit quidem.*

Sufficit equidem superioris inferioris huiusmodi approbatio, nec Episcopi consensus requiritur, quia *in cap. vni. de rer. permutatione in 6.* approbatio, ac consensus Episcopi requiritur in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, non in aliis. Dicitur enim ibi. *Qui secundum formam iuris sua beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes: libere & sine fraude in manibus tuis ipsa resignent.* Ergo quæ ad collationem Episcopi non pertinent non tenentur, in manibus Episcopi resignare. Ità Angel. *v. Permutatio, num. 5.* Syluest. *ibi, 2. q. 2.* Sotus *l. 9. de iustit. q. 5. a. 2. & q. 7. a. 2.* Suar. *tom. 1. de. relig. l. 4. c. 32. n. 1.*

112 *Hanc teneo sententiam.*

Hanc teneo sententiam. Nam consensus Episcopi in permutationibus ideò expectatur quia sine illo nec renunciatio beneficij, nec alterius obtentio fieri potest. Cum ergo possit absolutè beneficium resignari, aliudque de nouo obtineri sine Episcopi consensu, quando ad illud collatio, seu institutio non spectat, est, cur dicamus necessarium eius cõsensum. Et denique quia ille Prælatus, ad quẽ spectat, habet in hac parte Episcopalem iurisdictionem: siquidem beneficiorum collatio propria est Episcopi, *Cap. Omnes Basilicæ 19. quæstion. 7.* Ergò quoad tales actus rectè potest sub nomine Episcopi comprehendi.

DVBIVM XXIII.

An ex Ordinarij consensu sine simonia in permutatione Beneficiorum inæqualitas fructuum spiritualium, scilicet, Decimarum, primitiarum, & obligationum per impositionem pensionis possit compensari?

113 *Potest quidem.*

CVm permutatio facienda est de beneficio tenui cum pingui, potest Episcopis consensu imponi beneficio pinguiori aliqua pensio, vt compensetur inæqualitas fructuum.

Quia ordinarius, iusta causa intercedente potest pensionem imponere, vt asserunt Gigas *de pens. q.6.* referens Orlandum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocentium, Imolam, Ancharranum, Decium, & Sacchialupum. Zerola *in praxi Episcop. p. 2. v. Pensio, num.* Gonzalez *Reg 8. cancel. glos 5. §. 5. num.* 27. Sed in tali permutatione ob inæqualitatem fructuum compensandam, est causa iusta, vt dicit Lessius *l. 2. cap. 34. dub. 38. num.* 205. Ergo fieri potest permutatio hæc sine simonia Ordinarij authoritate. Sic Nauar. *cons. 43. de simon n. 4.* Ioan. Nicolaus Delfinas *de iure patron. l. 2. q. 18. num.* 161. Gonzalez *suprà* alios referens.

114 *Non potest.* Minimè potest, quia Episcopus prohibetur beneficia conferre cum diminutione in *tit. Vt beneficia sine diminutione conferantur.* Si autem consentire in pensionem posset, iam beneficium cum diminutione conferret. Ita Garcia *p. 1. de benefic. cap. 1. num.* 341. & 344. Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 34. num.* 16. Valent. *d. 6. quæst. 16. p. n. 3.* Manuel *parte secund sum. capite 65. num. 6.* Atag. *2. 2. q. 100. articul. 4.*

115 *Hæc placet sententia.* Hæc sententia communior quidem magis placet, maximè cum iam consuetudo huiusmodi facultatem Episcopis denegarit. Vnde solum summi Prælulis authoritate hæc permutatio firma fieri, me iudice, potest.

DVBIVM XXIV.

An resignatio Beneficij sub conditione, seu pacto, in manibus Episcopi contineat simoniam?

116 *Certa suppono* CErtum est, ad validam licitamque beneficij resignationem requiri superioris consensum eam acceptantis: nullum vero præter Pontificem admittere posse beneficiorum resignationes sub conditione, vt alteri detur beneficium siue ei pensio imponatur, siue nō. Quia Episcopus non potest denuo beneficia conferre, nisi prius vacent *Cap. vni. de rer. permut. in 6.* & *Clement. vni. eodem. tit.* At beneficium resignatum sub illa conditione non vacat, quousque alteri conferatur. Ergò. Difficultas autem est, an hæc resignatio in manibus Ordinarij facta contineat simoniam?

117 *Simoniam continet.* Simoniam ex iure saltem Ecclesiastico continet, præcipuè post constitutionem Pij V. 58. quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ Dei.* Quia omnis pactio in spiritualibus est prohibita ob simoniam vitandam *Cap. fin. de pactu.* Cum autem in præsenti sit prohibita, hæc pactio coram Ordinario sit plane simoniaca. Sic Flamin. *de resignat. l. 5. q. 6. & l. 14. q. 3. mm. 12.* Garcia *p. 11. c. 3. §. 2. n.* 152. & 154. & aliis relatis.

118 *Non continet simoniã* Non continet simoniam. Quia in præsenti non arctatur Ordinarius ad acceptandam resignationem, ac proinde nulla interuenit pactio, neque aliquid pretio æstimabile, pro quo renunciatio fiat. Ita Couarruuias *lib. variar. capite 5. numer. 5.* Zerola *prax. Episc. parte prima ver. Renunciatio, 2. & 3.* Quintanadue. *l. 2. Ecclesiast. à num.* 19. *vsque ad* 28. Duaren. *de benefic. l. 8. c. 2. §. Quomodo beneficium.* Lessius *lib. secund. c. 35. num.* 86. Valent. *d. 6. q. 16. pun. 3.* Vasquez *de benefic. c. 2. §. 4. dub 7.* & alij apud ipsos.

119 *Valdè hoc mihi probabile.* Existimo, hanc sententiam valdè esse probabilem licet à prima quæ communis est, recedat. Quam eligendam mihi duxi eo quod recognouerim, renunciationem hanc in constitutione Pij V. vt simoniacam non prohiberi, sed ob alias rationes, quæ Pontificem impulere.

DVBIVM XXV.

An committat simoniam resignans liberè Beneficium in manibus Ordinarij, & ab illo supplicans, vt alicui certæ personæ conferat, vel ea intentione id resignaas?

120 *Committit simoniam.* SImoniam committit. Quia Pius V. in constitut. 58. quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei.* profatur, *Caueant autem Episcopi, itemque omnes electores præsentatores, & patroni tam Ecclesiastici, quàm laici, quicumque sint, nè verbo quidem aut nutu futuri in huiusmodi beneficiis, & officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscumque intercedat.* Prohibetur ergò quælibet designatio, & intentio inter conferentem & resignantem de beneficio certæ personæ conferendo, etiamsi pactum non interueniat. Sic Suar. *tom. 1. de relig. l. 4. c. 35. numer.* 17. Mann. *tom secund. sum. cap. 60. num. 1. Gloss. ad Cap. Ex parte prim. v. admittere.* Gomez *in rub. de triennali possessore. quæst. 16. num.* 3. & 4. Rebuf. *In praxi benef. de resign. pura principio, & in Cap. de resignat. condition numer. 4.*

121 *Non committit.* Non committit simoniam, nec prohibita est resignatio facta coram ordinario ea intentione, vt certæ personæ detur, modo non deducatur in pactum. Quia in Pij V. constitutione solùm prohibetur designatio & intentio in conuentionem tacitam aut expressam deducta. Ita Nauar. *sum. c. 23. nu. 107. & cons. 11. & 38. de simon.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 28. n. 7.* Ioan. Gutier. *canon. qq. l. 2. q. 23. n. 75.* Azor. *p. 2. l. 7. cap. 21. q. 3. & c. 27. quæst. 6.* Garcia *p. 11. de benef. c. 3. n. 161.* Flamin. *de resignat. l. 12. q. 6. à num. 3.* & alij innumeri ab eis relati.

122 *Hanc sententiam amplector.* Hanc sententiam defendo. In cuius maiorem perspicuitatem ex Doctoribus recolo, resignationes reciprocas coram ordinariis locum non habere sed esse simoniacas. Resignationes reciprocas vocito eas, in quibus resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, & tu in mei

mei fauorem resignas. Quia licet ibi quædam permutatio videatur adesse, est tamen mixta cum resignatione in fauorem, quæ ordinariis omninò est prohibita Lessi. *l. 2. c. 35. dub. 14. num. 87.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 35. num. 18.* Non valere resignationem à te factã coram Ordinario in fauorem tertiæ personæ sub titulo permutationis, cum tamen illa tertia persona nullum habeat beneficium permutandum, quia si cognoscis, alium beneficio carere, non intendis permutare, sed resignare in fauorem: quam tamen resignationem nequit ordinarius admittere. Azor. *tom. 2. l. 7. c. 29. q. 16.* Garcia *p. 1 1. c. 4. numer. 19.* Posse ordinarium, iuxta probabilem sententiam, admittere renunciationem supplicitèr factam de beneficio cum reseruatione pẽsionis, quia (vti vidimus) potest ordinarius ex causa pensionem beneficio imponere. At quia probabilius duxi ex recepta consuetudine & Curiæ stylo non posse Episcopum pensionem imponere: ea de causa neque potest beneficij renunciationem admittere. Suar. *to. 1. de Relig. l. 4. c. 35. num. 21.* Lessius *l. 2. c. 34. dub. 38. & c. 35. dub. 14. n. 9.* Plura mitto.

DVBIVM XXVI.

An si quis resignet Beneficium cum intentione, vt resignatarius iterum conferat nepoti resignantis: peccet simoniam conuentionalem?

123. *Non peccat simoniam.*

NOn peccat, nec sufficit resignationem fieri cum intentione manifesta arctandi, & obligandi resignatarium, vt in fauorem resignantis beneficium rursum resignet; aut fructus soluat; sed requiritur etiam tacitum, vel expressum pactum huius obligationis. Quia sine huiusmodi pacto non committitur simonia conuentionalis: & consequenter neque punibilis per Pij V. constitutionem. Sic Lessius *l. 2. c. 35. numero 95. & 96.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 43. num. 12.* Azorius *tom. 2. l. 7. c. 27. quæst. 6.* Nauar. *sum. cap. 23. num. 100. §. 6.*

124. *Peccat planè.*

Peccat planè, quia Pius V. in constitutione incipiente *Intolerabilis*, data Kalendis Iunij anno 1569. quæ est 87. dicitur, *si quis quacumque authoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, vel cessione cuiuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit &c.* hæc confidentia *censeatur.* Subditur inferius, *In quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.* Igitur resignans beneficium, ea intentione, vt resignatarius maneat obligatus, iterum in sui fauorem beneficium resignare; vel fructus soluere: simoniam committit puniendam: modò tamen intentio illa recipientis beneficium non sit manifesta. Quia absque hac manifestatione solum erit simonia mentalis, quæ pœnis Ecclesiasticis non subiacet *Cap. fin. de simon.* Ita Garcia *p. 11. de benef. cap. 3. num. 184.* Flam. *de confident. q. 26. num. 39. & 40.* Suar. *tom. 5. de censur. d 22. sect.... nu. 15. & 16.*

125. *Primam eligo sententiam.*

Primam eligo sententiam. Ad verba autem Pij V. affirmantis censeri confidentiam simoniacam commisisse, qui receperit beneficium ea intentione vt postea dimittenti esset regressus cum Nauarro *citato* respondeo illa verba solum intelligi de præsumptione, hoc est, si in exteriori foro probetur, dimittentem habuisse intentionem arctãdi & obligandi resignatarium, ad sic resignandum beneficium: eo ipso præsumatur resignatarius simoniam commisisse confidentialem: Mecum etiam Vgolin. *tab. 1. de simon. cap. 22. §. 3. num. 1.* Gutier. *l. 2. Canon. qq. q. 23. numero 89.* & Zaballos *q. 280. n. 20.*

DVBIVM XXVII.

Qui Beneficium resignat, conditione adhibita, vt sibi pensio soluatur perpetratne, simoniæ confidentialis reatum?

126. *Non peccat.*

NOn perpetrat, quia Pius V. in constit. *Intolerabilis* ait, sufficere ad simoniam confidentialem incurrendam, vt tibi, vel alteri ius recuperandi reserues, cum verò loquitur de pensione, aut de fructibus beneficij, ait esse simoniam confidentialem, si beneficij fructus, aut pars illorum alij, vel aliis concedatur, vel pensiones soluãtur ex eisdem, Ex qua verborum mutatione colligi videtur, renunciationem factam cum onere soluendi pensionem, vel fructus dimittendi, simoniam confidentialem non esse: esse tamen, si facta sit renunciatio cum onere soluendi illam pensionem alij, vel aliis. Sic Nauar. *cons. 33. numero quarto & consil. 76. numer. 6. de simon.* Vgolin. *tab. 1. cap. 22. § primo. numer. 8.* Menoch. *de arbitr. cent. 6. casu 566. n. 8.* Les. *l. 2. cap. 35. num. 97.*

127. *Perpetrat profectò.*

Perpetrat profectò, simoniæ confidentialis crimen, quia ibi à Pio V. datur pro confidentia simoniaca resignatio beneficij sub conditione, vt prouisus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, aut cedentis, aut alterius relinquat, & remittat, Ergò idem dicendum est de resignatione sub reseruatione pensionis; pensio enim pro parte fructuum debet computari. Ita Suarez *tomo primo de relig. lib. 4. capite 43. numer. septim.* Garcia *parte 11. de benef. 3. n. 194.*

128. *Hanc mentem veriorem esse credo.*

Hanc mentem veriorem esse crediderim. Nam in Bulla Pij IV. quæ incipit, *Romanum*, & est 109. in *Bullar.* data 17. Kalend. Nouembr. anno 1564. ad cuius confirmationem Pius V. suam (de qua non semel hîc gessi mentionem) expedi uit, vt ex procemio constat, damnatur vt

simoniaca confidentialis ea resignatio, quæ fit cum onere soluendi pensionem, vel fructus beneficij eidem resignanti, vt omnes fatentur: ob cuius causam dicit Lessius *l.2. c.35. num.97.* se credere hac in parte illam Bullam non esse receptam. Profecto per verba illa *Alij*, vel *Aliis*, vt recte explicant Suarius, & Garcia *citati*, non debet resignans excludi, imò potius debet comprehendi. Nam cum ibi loquatur Pontifex, de accipiente beneficium, vt constat ex illa clausula: si quis quacumque authoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, &c. receperit, vt fructus, vel eorum pars alij, vel aliis conferantur, vel pensiones soluantur ex eisdem: hæc confidentia censeatur. At resignans alius est à recipiente: ergò si recipiens promittit illi soluere pensionem, vel fructus pro resignatione facta, crimen hoc confidentiæ commisisse censetur.

DVBIVM XXVIII.

An ob litem componendam in causa beneficiali, possit Ordinarius applicare vni Beneficium, cum onere soluendi alteri pensionem, sine simoniæ periculo: & an pensio huiusmodi duret, solum pro vita soluentis?

129 *Nonnulla suppono.*

CErtum est cessionem beneficij litigiosi ob pecuniam simoniacam esse, *cap.ii. Præterea 1 & secunda de transact. capit.cum pridem, de pactis, cap.2 de Arbitris, cap.vlt. de rer.permutat.* Quia datur aliquid spirituale, scilicet ius aliquod in beneficium pro tempotali. At ex Prælati authoritate licita est conuentio, & pactio onerosa ad componendam litem. ex probabili verò sententia solùm fieri potest compositio inter partes coram Episcopo, & non coram Pontifice (ad quem beneficia in lite vocata pertinent, vt eius consensu componantur litigantes) quando Episcopus vni ex collitigantibus applicat beneficium, sub onere reloluendi alteri pensionem. Posse autem Episcopum huiusmodi compositionem facere, neque Pontificis authoritate indigere, constat ex *capit. nisi de præbend.* & docet Hostiens. Panormitan. & alij *ibi.* Quæsierim autem, an ea pensio possit imponi ad vitam solum personæ soluentis, & retinentis beneficium: an ad vitam pensionarij.

130 *Potest solùm ad vitam soluentis imponi.*

Potest solùm imponi ad vitam soluentis, possidentisque beneficium: & non ad pensionarij vitam, & consequenter ad successores minime transire valet, quia *in capit. nisi, de præbend.* Pontifex non vult tolerare, vt pensio posita causa pacis & concordiæ transeat ad successores. Et redditur ibi ratio: ne fortè circa prouentus aliqua videatur sectio Prioratus. Deinde *in cap. vendens, de transact.* dicitur, transactionem factam de rebus Ecclesiæ per Prælatum sine Pontificis consensu, non obligare successorem. Sic Garcia *p.1. de benef. capit.4. numer.334.* Azorius *p.2. l.2. cap.6.*

Non solùm ad vitam soluentis, sed pro vita pensionarij, potest ab Ordinario imponi, & ad successores transire, quia *in cap. de cætero, de transact.* (per argumentum à contrario procedo) dicitur, pensionem impositam per transactionem iuridicam sine Episcopi authoritate non excedere vitam soluentis: ergò a contrario si authoritate Episcopi esset imposita soluentis vitam excederet, idem videtur supponi *in cap. Audiuimus, de collusionib.* Vnde pensio imposita in beneficijs, vt nulla decernitur, & possidentes spoliantur beneficijs pro fraude commissa in pensione admittenda. Ita Panormit. Cardinal. & alij, quos refert, ac sequitur Gigas *de pension. quæst.6 & 85. num.1 & 11* Gambara *l.6. de offic. & potest. legati, num.77.* Suar. *tom.1. de Relig. l.4.c 51.* Mandos. *in Reg.35.q.14.n.11.* & alij plures.

131 *Non solùm ad vitam soluentis, sed ad pensionarij vitam, imponi.*

Verius existimo, pensionem impositam ab Ordinario ex causa litis & concordiæ ad successores transire, & pro vita pensionarij durare, esseque beneficij onus, cui resolutioni non obstat *cap. nisi.* Nam pensio illa fuit imposita potestate, & authoritate arbitraria aliorum iudicum ab Episcopo, quibus nullatenus data erat facultas imponendi pensionem, quæ ad successores beneficij transiret, *cap.* autem *Veniens*, non agit de pensione imposita beneficio propter illius cessionem; sed de transactione super obligationem decimandi, & remissione, seu diminutione perpetuo duratura, quæ sine Pontificis authoritate effici non potest, vti explicat Suarius *capit. quinto num.18.*

132 *Verius hoc esse censeo.*

DVBIVM XXIX.

An possit quis sine simonia pecunia redimere vexationem, casu quo vexatio sit precibus, vel muneribus electori factis, ne illum eligat?

NOn potest, quia nondum habet ille ius in beneficio acquisitum: & ei iniustitia non fit, cum nullum ius auferatur: ponimus enim iudicem velle beneficium æquè digno conferre. Sic Turrecrem, *ad cap. quæsitum 1. quæst.3. num.3.* Archidiac. *ibi* cum Raymundo.

133 *Non potest sine simonia.*

Potest sine simoniæ piaculo hanc vexationem pecunia redimere, quia licet subornans electorem & iudicem non faciat illi iniuriam contra iustitiam; facit autem contra Charitatem nocumentum; siquidem eius animus non relinquitur liber, sed in aduersariam mouetur, & inclinatur. Ergò ille poterit huiusmodi nocumentum, oblata pecunia, remouere: siquidem hac remotione non parat magis viam ad beneficium; quam si nunquam talis subornatio adesset. Ita Valent. *d.6.qn.16. punct.3.*

134 *Sine simonia potest.*

punct. 3. Arag. 2. 2. *quæst.* 100. *a.* 2. Manu. *tom.* 2. *sum. c.* 61. *n.* 2. Suar. *t.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 50. *n.* 25. Lessi. *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 18 *n.* 109.

135 *Hoc teneo, & ex hac doctrina nonnulla elicio.*

Hanc doctrinam veriorem admodum esse profiteor. Ex qua fit, tibi non licere dare pecuniam subornatori, vt à subornatione desistens, tibi specialiter faueat, tuamque procuret electionem; quia parates pecunia viam ad beneficium. Poteris tamen illi pecuniã impertire, vt à subornatione desistat; quia pecuniam largiris, vt ab actione tibi nocua desistat. Quocirca in casu, quo sunt plures electores, & contrarius oppositor aliquos subornat, non licèt tibi alios, vel eosdem subornare, vt tibi potius, quam alteri faueant; est enim hoc directè viam parare ad beneficium acquirendum media pecunia: quod *cap. de hoc, de simon.* prohibetur. Existimarem tamen in rigore loquendo, licere tibi electoribus iam subornatis pecuniam dare non ea intentione, vt tibi specialiter faueant: sed vt deponant animum, & affectum propensum, quem erga tuum competitorem habent ob pecuniam ab eo acceptam; hoc enim in casu non paras viam ad beneficium, magis quam esset ante subornationem iniustam, & in tui factam odium parata. Video tamen, hoc maximo subiici periculo incidendi in simoniam, & in foro externo ita præsumendum.

DVBIVM XXX.

An quis possit sine simoniæ piaculo pecunia allicere electores, vt dignissimum eligant, casu quo in aliquo concurrat, aut electione timeat vehementer, indignum, vel minus dignum esse eligendum?

136 *Non potest.*

NOn potest, quia licet electio dignioris debita sit Ecclesiæ titulo iustitiæ legalis: non autem facienda sunt mala, vt bona eueniant. At in hoc casu daretur pecunia tanquam pretium electionis, quod iniquum, ac prohibitum est. Sic nonnulli non immeriti Theologi, quos consului. Fauet Toletan. *infrà.*

137 *Potest equidem.*

Potest equidem, quia Ecclesia secundum probabilem sententiam habet ius commutatiuæ iustitiæ, vt electores magis dignum eligant; vel saltem electio dignioris debita est Ecclesiæ iustitiæ legalis titulo aut fidelitatis. Ergò electoribus propensis, hoc ius infringere, poterit quis pecuniam impertire, vt ab illa propensione, & iniuria inferenda desistant. Tunc enim non dat ille pecuniam tanquam electionis pretium, sed sub onere electionis in auaritiæ electorum satietatem, eorumdemque sustentationem. Ita Caietan. *tom.* 2. *opusc. tr.* 9. *quæstion.* 3. Soto *l.* 9. *de iust. quæst.* 6. *a.* 1. *ad* 5. Maior. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. *ad* 2. Hique de Pontificis electione oquuntur. Ex generatim de electione ad quodlibet beneficium. *Navar. sum. cap.* 23. *num.* 10 2. Valent. *tom.* 3. *d.* 6. *qu.* 16 *punct.* 3. Lessi. *l.* 2. *capit.* 35. *dub.* 18. & 19. *num.* 113. Probabile docet esse Toletan. *l.* 5. *cap.* 90. *num.* 5. Suariusque consentit *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 50. *num.* 42. casu, quod non possit adiri superior, qui prauam voluntatem impediret.

138 *Hoc ferè certum esse credo.*

Hoc fere certum esse crediderim. Malum enim hoc in casu non fit, vt bonum rectæ electionis eueniat; sed procul dubio bonum pro bona electione præstatur. Ex quo fit, nullatenus licere tibi præuenire pecunia, vel muneribus electores eo colore, nè indignum eligant, quando non apparet, eos esse propensos ad prauam electionem gerendam, quia censereris tunc dare pecuniam sub onere electionis, nulla causa legitima excusante, quod est simoniacum.

DVBIVM XXXI.

Si ad Beneficij electionem vnus solùm appareret idoneus liceret ne tibi pretium offerre directè, vt ille eligeretur, si electores vellent in alios inclinare?

139 *Non liceret.*

NOn liceret, quia daretur pecunia pro eius electione, quod est simoniacum: sed hoc in casu deberet offerri pecunia directè, non vt dignus ille eligatur, sed vt non eligatur indignus. Sic Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 50. *n.* 41.

140 *Liceret quidem.*

Liceret directè, quia datur pecunia non vt electionis pretium, sed tanquam motiuum tollens prauam illam electionem, & electorum affectum. Ita Lessi. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 19. *n.* 114. Basil. de Leon. *l.* 5. *de matrim. c.* 14. §. 6. *n.* 43. & alij.

141 *Hunc scrupulum neglectum existimo, non esse exigendum.*

Existimo, Suarij mei venia, necessarium non esse illum scrupulum iniicere: sed directè & absolute posse impertiri pecuniam, vt eligatur dignus ille; non tanquam pretium electionis, (vt dixi) sed tanquam motiuum auferens prauum illum electorum affectum. Quare etsi electores pecuniam recipiendo simoniæ admittant piaculum, quia non habent causam legitimam, quæ eam acceptionem honestet. At tu liber es à delicto, eo quod in redemptionem vexationis iniustæ, & remotionis impedimentorum legitimæ electionis eam tribueris.

***

CAPVT

CAPVT X.

Circa Pœnas Simoniacis à iure impositas.

DVBIVM XXXII.

An qui recipit rem spiritualem, nempè Ordinem, aut Beneficium sub promissione pecuniæ soluendæ, quam tamen non soluit: incurrat pœnas simoniacis præscriptas?

142 *Nonnulla suppono.*

VPPONO, nullas pœnas esse iure prouisas, nisi simonia fuerit commissa in Religionis ingressu, aut in Ordine, vel beneficij acceptione, pro simonia mentali, in quacumque materia sit, nullam esse impositam pœnam. Prò conuentionali ex neutra parte completam, pœnam nullam præscribi. Difficultas autem est, num requiratur ad pœnas incurrendas, simoniam completam esse ex vtraque parte, hoc est, & pretium esse datum, & beneficium receptum: an sufficiens sit recipere beneficium, vel ordinem sub dandæ pecuniæ promissione. Et quidem si beneficium, Ordinem, vel Religionem quis accepit, & pretium aliqua ex parte soluit licet non integre omnes Doctores, teste Suario *tom. 1 de Relig. l. 4 cap. 56. numer. 17.* affirmant, sufficiens esse ad incurrendas pœnas, quia illa simonia iam est completa ex vtraque parte, siquidem res spiritualis data est propter pretium solutum. Verùm quando quis recepit rem spiritualem, scilicet, Ordinem, aut beneficium sub promissione pecuniæ soluendæ, neque soluit, quæritur, an pœnas simoniacis præscriptas incurrat.

143 *Non incurrit.*

Non incurrit, quia ita fert stylus Curiæ, neque pœnæ extendendæ sunt, sed restringendæ, præsertim cum *Extrauagans, detestabile* æque de datione ac receptione pretij ac beneficij loquatur. Sic Manu. *tom. secundo cap. 55. numero tertio.* Valent. *disp. sexta quæstion. 16. punct. sexto.* Lessi. Suar. Auila, Azorius Gonzalez, & alij innumeri relati à Garcia *p. octauæ de benef. capit. primo numero 19.* Couarru. *reg. peccatum, p. secunda §. octauo numero septimo* Salcedo *prax. crim.* Bernrad. Diaz *c. 91. lit. D.* Valent. *d. 6. q. 16. punct. 6.*

144 *Incurrit planè.*

Incurrit plane, quia *in capit. Ea quæ primo quæstion. tertia.* Gregor. XVII. sic ait: *ea, quæ à sanctis Pontificibus de simoniacis statuta sunt, nos quoque & iudicio S. Spiritus, & Apostolica authoritate firmamus, quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vnquam vires habere censemus.* Ergò quando beneficij collatio acquiritur propter promissionem pecuniæ, nullas vires habet, sed irrita omninò est: & similiter si accipiatur Ordo, nullas vires habebit, scilicet, quoad vsum. Ergò iam pœnæ impositæ simoniacis incurrunt, etiamsi simonia non sit ex vtraque parte completa. Ita Caietan. *secunda secundæ quæstion. 100. a. sexto* Sotus *l. nono de iust. quæstion octaua art. primo* Toiet. *l. quint. capit. 92. numero tertio* Garcia *vbi sup. a numero 28. & à numero 32.* pluribus aliis relatis. Et probat pluribus Rotæ decisionibus hanc sententiam ex stylo Curiæ esse receptam.

Valdè probabilem puto esse sententiam primam, secundam verò probabiliorem esse credo, spectato iure. In Extrauagan. *secunda*, dicitur de simoniace ordinatis, vt sint ab Ordine suspensi: qui autem sub promissione pecuniæ Ordines recepissent, simoniacè illas recepit, & non gratis, vt constat: incidit igitur in pœnas, *in capit. nobis, de simon.*, dicitur, electionem sub promissione pecuniæ factam esse penitus reprobandam. Quæ verba denotant nullitatem ipso iure, vti ponderat Felin. *ad cap. insinuatum, de simon.* & Garcia *supra, num. 23.* 145 *Hæc prior sententia probabilior esse credo.*

DVBIVM XXXIII.

An Episcopus, possit dispensare cum simoniaco occulto in inhabilitate propter simoniam contractam?

NOn potest dispensare, *sed semper est inhabilis ad illud beneficium habendum*, etsi fuit simonia confidentialis, ad omnia beneficia, quousque Pontifex dispenset. Neque in priuilegio concesso à Tridentino Episcopis circa casus occultos hic comprehenditur, quia hic non est casus occultus pertinens ad Sacramentalem absolutionem; neque est censura, neque irregularitas; sed quædam vindicatiua pœna: imò pœna introducta post concilium; vnde facultas data à Concilio non extenditur ad casus noua lege Pontificia reseruatos post Concilium, vt respondit Gregor. XIII. audita Congregationis relatione. Sic Farinac. *vol. quart. decis. rotæ fol. 77.* Doctores communiter. Et hoc fuit expresse declaratum à Sacra Cardinal. Congregatione. 146 *Non potest Episcopus dispensare.*

Potest quidem, quia hæc inhabilitas, vt probat Henriquez *citandus* est quasi quædam irregularitas: concessa ergo facultate dispendi in omnibus irregularitatibus occultis, videtur ad hanc inhabilitatem extendi. Neque obstant Cardinalium decisiones quia etsi magnæ sunt authoritatis, non est necessariò eis standum, vt expresse dicit Sanchez *l. 8. de matr. d. secund. numero 10.* respondens eadem Cardinal 147 *Potest tamen dem.*

Cardinal. decisioni : & de stylo curiæ ac Rotæ decisionibus docet similiter Vasquez *tomo secund. in primam secundæ* D. Thom. *d.* 177. *c. vlt. numero* 75. vbi optimè probat declarationes vel decisionis Rotæ vim legis non habere. Adde supradictas declarationes facile explicari posse, vt scilicet, intelligantur non posse Episcopum dispensare cum simoniaco inhabili ad obtinenda beneficia, quibus priuatus fuit per sententiam: nam ante sententiam benè poterat cum occulto dispensare. Ita Henriquez *l.* 13. *capit.* 56. *numero primo & lit. F.* Lessi. reputat hoc esse probabile *l.* 2. *c.* 35. *dub.* 25. *n.* 140. Consentit Suar. *t.* 1. *de relig. l.* 4. *cap.* 61. *n.* 11.

148 Censuerim hanc sententiam satis probabi-
Hoc proba- lem esse, sed primam, communem quidem esse præferendam & sequendam in praxi. *bile, pri-* Dico itaque, si ignorante beneficiario simo- *mum pro-* nia commissa fuit, & ipse bona fide benefi- *babilius* cium recepit, posse Episcopum, si beneficium *omninò.* sit simplex, post liberam illius resignationem, iterum idem beneficium eidem conferre : secus verò si beneficium maius sit ; tunc enim non poterit pro illa vice, quia debet prius alteri conferre, & postea si vacet, poterit conferre huic simoniam ignoranti. *capit. penult. de elect.* quod si scienter simoniam commiserit, nullo modo posse Episcopum dispensare, sed semper inhabilem esse ad illud beneficium habendum : & si fuit (vt dixi) simonia confidentialis, ad omnia beneficia, quousque summus Præsul dispenset.



Ad

Ad Deiparam Dominam Meam, Epilogus.

QVEMADMODVM Arca fœderis quædam fuit turris fortitudinis, quæ Israëlitas tuebatur, vnde medium eorum locum obtinebat, vt ab omnibus misericordiam imploraturis, æqualiter adiretur : *Numer. 2. n. 2.* ita ô Beatissima Virgo tanquam turris fortissima cunctos status hominum, Clericalem scilicet, Religiosum, & sæcularem tuo patrocinio protegis, ac defendis. Vnde medium Orbis locum, vt ab omnibus pariter requiraris, diceris occupare. *Operatus est salutem in medio terræ. Psal. 37. n. 12.* in Maria videlicet, quæ (teste Bernardo *ser. 2. de Penter.*) *mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequemur.* Licet autem omnes hominum status pietatis sinu protegis, specialissime in Ecclesiasticum tuus fertur affectus. *Sumpsit olim Maria soror Aaron tympanum in manu sua.* Exod. 15. n. 20 Cur dicitur soror Aaron potius quam soror Moysis ? Respondet Oleaster, *Quia familiarior erat Aaroni.* At cur ad vnum potius fratrem, quam ad alium inclinabat ? Vt in Maria prophetissa Mariæ Deiparæ specialis in Ecclesiasticum statum affectus adumbraretur. Sæcularem statum amas ô Domina, sed singulari dilectione Ecclesiasticum prosequeris misericordiæ additum. Nam sublato *thuribulo & hausto igne de altari*, pergit ciò ad *populum*, *vt oret pro eo* Aaronis instar. *Numer. 16. n. 46.* Igitur ô Virgo non tanti Moysis seu status sæcularis gladium facis, quanti Aaronis thuribulum : huiusque non tam Dominam gloriabunda te appellas, quam sororem. Ecclesiasticus enim status tuam in homines pietatem speciali iure imitatur. Aaron Sacerdotum Pater *stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* ibid. n. 48 Sed friget illius Charitas, si cum tua charitate comparetur. At tota ad misericordiam prona misericordiæ ex Sacerdotali munere deditos peculiari quodam affectu miseraris.

Laus Deo, Deipara, Iosepho, Ignatio, Antonio.

R. P.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES ABSQVE Lite sententiæ, Dubiæque Disceptationes.

LIBER LVII.

RELIGIOSI STATVS Essentia, Ingressio, Egressio, Fuga.

VT Status Religiosi tractationem instituam, nonnulla generalia in præsenti præmitto. Nempe quænam sit Status Religiosi natura. Quinam possint vel teneantur Religionem ingredi. Ad quid Religiosi electi, ac fugitiui obligentur. Denique de Nouitiis nonnulla attexam.

SECTIO PRIMA.

De Religiosi Status Essentia, Ingressu, Egressu, Fuga Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Status Religiosi Natura.

1 Religiosi status definitio.

RELIGIONIS Status *est fidelium ad diuinæ charitatis perfectionem tendentium, votis editis perpetua paupertatis, castitatis, & obedientiæ stabilis in-*

communi viuendi modus ab Ecclesia approbatus. Scio, olim Episcopos Religiones approbare potuisse: at postmodum in Lateranensi Concilio sub Innocentio III. fuit statutum, ne Religio nouiss à summo Præsule approbata, induceretur, quia cum Religio sit sacra communitas, in qua debet esse spiritualis iurisdictio, quæ à Pontifice prouenit, conueniens fuit, vt huiusmodi communitas ab eodem approbaretur. Layman. *l. 4. tr. 5. cap. 1.* & omnes.

2 *Non requiruntur vota solemnia ad essentiam Religionis.*

Porrò ad Religionis essentiam vota solemnia minimè requiruntur, quia in nostra Societate Iesu post vnum, & alterum probationis annum vota simplicia socij edunt, & veri Religiosi existunt, vt Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino* definiuit.

3 *Quinam sint ex ordibus Militarib. & Tertiaris verè Religiosi?*

Militares Ordines, qui coniugalem castitatem solummodò vouent, Religiosi non sũt. At Milites D. Ioannis, & Teutonici, eorumque similes verè sunt Religiosi, quia tribus substantialibus votis illigantur. Ex fratribus verò, ac sororibus Tertiariis Ordinis S. Francisci, & aliorum tantùm sunt Religiosi, qui in Religione approbata iuxta certam Regulam tria vota substantialia emittunt. Contra autem Religiosi non sunt, qui licet tria vota emittant, & communiter vel seorsim habitent, Regulam tamẽ à sede Apostolica approbatam non profitentur. Layman. *l. 4. tr. 5. c. 1. numer. 6.*

4 *Non sunt Religiosi, qui castitatis, ac paupertatis voto edito, confessario vouet obedientiam.*

Sunt nonnulli, qui voto castitatis, ac paupertatis edito, confessario, aut Episcopo obedientiam vouent. Certè hi Religiosi non sunt. Quia tali voto emisso, non subiiciuntur spirituali iurisdictioni, quæ à Deo, medio eius Vicario, debet prouenire. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 1. num. 7.* Busembaum. *lib. 4. capite 1. dub. 1. num. 3.*

5 *Pontifex dispensare potest in votis substantialibus, &c.*

Certum est summum Præsulem dispensare posse in votis solemnibus Religionis, vt quis Religiosus esse desinat. Attamen nequit dispensare, vt quis Religiosus manens substantialibus votis non teneatur, quia illa ad Religionis essentiam spectant. Ex. Nauarro Laym. *l. 4 tr. 5. c. 1. n. 8.*

6 *De Religioso ad Cardinalatum, vel Episcopatum electo.*

Ad Cardinalatum vel Episcopatũ quis Religiosus promouetur: certè obstrictus suæ Religionis votis manet essentialibus, etsi quoad aliquos paupertatis, ac obedientiæ effectus exemptus censeatur. Verum etsi Regulæ iugo sit absolutus quoad culpam, & pœnam: attamẽ ex morali honestatis obligatione ea asseruare debet, quæ eũ decẽt, & cũ eius munere cõsistũt. Vnde quoad habitũ, sui Ordinis colorẽ deferre debet, & si quoad figurã Episcopis secularibus se queat conformare, ex Clemẽtis VIII. concessione. Quid autem si Episcopatũ quis resignet, vel ob culpam deponatur absque degradatione? Non quidem tenetur ad regularem obseruantiam redire. Quia Episcopalem retinet eminentiam ob quam ab obedientia regulari fuit exemptus. Sanchez *l. 6. Decal c. 6.* citãs D. Thomam, & Emanuelem Rodericum. Secus dixerim in Cardinali Religioso, qui Episcopus non est. Hic enim, Cardinalitia dignitate relicta, nil ex ea retinet: ideóque, si Pontifex eius acceperit renuntiationem, ad sui ordinis regularem obedientiam tenetur redire. Card. de Lugo *l. 5. resp. moral. dub. 12.* citans alios.

7 *De electo ad Parochiam.*

Si Religiosus ad Parochiam promoueatur, votis manet adstrictus, debetque habitum Religionis deferre, Regulamque in omnibus, quæ cum eo munere cohærere possunt obseruare. Idque non solùm secundum moralẽ honestatem, sed sub grauis piaculi obligatione, si Regula eam præscribat. Porro etsi Parochus Religiosus in iis, quæ ad Regulam spectant, subiectus Superiori maneat: iam tamen consuetudine multis in locis obseruatur, vt non solùm in pertinentibus ad Ecclesiasticã disciplinam, sed etiam in plerisque aliis à Prælati obedientia eximatur, submittaturque Episcopo. Lym. *l. 4. tr. 5. c. 1. n. 11. & 32.* Sanch. *l. 6. decal. c. 6. n. 36.*

CAPVT II.

De iis, qui possint, vel teneantur, Religionem ingredi.

8 *Solum qui sui sunt iuris possunt Religionem ingredi.*

POSSVNT Regulare institutum inire omnes, & soli illi, qui sui sunt iuris, nec aliis obstricti. Nam qui alij obstrictus fuerit, nequit sine eius cõsensu ingredi Religionem. Lef. *lib. 2. capit. 41. dub. 2.* & alij.

9 *Quinam non possint Religionem pro libito ingredi.*

Hinc elicio, ingredi Religionem non posse impuberes, quia parẽtibus, vel tutoribus subsunt. Nec filios, si parentes sine illis se alere nequeãt. Nec seruos sine dominorum consensu. Nec eum, qui virginem sub promissione coniugij decepit. Nec eum, qui non est solvẽdo creditoribus, modò possit manendo in sæculo intra paucos annos soluere. Nec Episcopũ sine consensu Papæ, cui iuramento se obstrinxit: imò & Ecclesiæ suæ sicuti maritus vxori. Nec coniuges post matrimonium consũmatũ, nisi vir per vim consummasset, ante expletos duos menses, qui eis à iure conceduntur: vel nisi alter coniugum adulterium perpetrasset, tunc enim coniux innocẽs ingredi Religionẽ posset. Est omnium. Lege Laymanum *l. 4. tr. 5. capite quarto numero primo, & l. 3. to. 3. c. 3. dub. 1. & 3.*

10 *Quinam necessario ingredi debeant.*

Quinque circa id adhibeo cõditiones.

Qui Religionem vouit, ingredi procul dubio tenetur, dummodo quinque adsint conditiones. Prima est, vt disciplica regularis collapsa non sit eo in ordine, quem inire curat, quia adest periculum perseuerandi. Vnde ad votum implendum non tenetur si speciatim eam Religionem ingredi vouit, si vero generatim vouerit, votum non implet, talem Ordinem ineundo. Secunda, qui vouit laxiorem ordinem, licite ingreditur strictiorem: non tamen contra, quia minus præstaret quam promisit. At si in laxiore profiteatur, valida erit professio, & à voto ineundi strictiorem liberabitur, quia votum solemne, quo sit personæ traditio, & ius in personã Religioni acquiritur, priori voto simplici derogat, per quod quidẽ nullũ tale ius Religioni erat acquisitũ. Tertia, is qui vouit Religionem strictiorem experiri, potest votum illud in votum profitẽdi, ac perseuerãdi in laxiore commutare, quia melius est profiteri ac perseuerare in laxiori, quam strictionem cum periculo non profitendi experiri. Quarta, si professus licentiam transeundi ad ordinem laxiorem petat, eam illi Episcopus, vel Prælatus ordinis exemptus cum consensu Capituli dispensatiuè ex iusta causa potest impertire. Quinta, professus ad ordinem strictiorem petita, licet non obtenta Prælati sui licentia iusta ex causa trãsire potest. Verũ huiusmodi trãsitus sine causa temere fieri non debet. At si fiat, spectanda est austeritas

circa

circa silentium ac solitudinem : hoc que non tantùm iuxtà Regulæ institutum, sed etiam secundum præsentem obseruationem. *Cap. licet, de Regularib.* D. Tho. & alij, quos refert, ac sequitur Laym. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 3.* Lessi *l. 2. c. 41. n. 103.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 7.*

11 *Quinam possint, & non possint ad Religionem laxiorem remitti.* Regulares Canonici possunt ad Monachos transire, non e contra. Quia Monachorum austerior existat, Verum qui professus fuerit Regulam strictiorem, si ea non obseruetur in suo Monasterio, alioue ordinis eiusdem, nec adsit spes reformationis : poterit ad laxiorem transire, in quo Regula asseruetur. Quia statu præsenti considerato, vitam in eo ducit strictiorem. Ex Sancio, & Manuele Roder. Laym. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 10.*

CAPVT III.

De Religiosis eiectis, & fugitiuis.

12 *Tres causas ob quas possit Religione expelli, annumero.* LVSTAS ob causas potest Religiosus ex Ordine expelli. Tres præterea annumero. Prima est, si in graui, vel pernicioso crimine existens, notorie in corrigibilis appareat. Quo tamen in casu Monachi eiiciendæ non sunt, sed potius perpetuo carceri addicendæ. Secunda, si ob crimina perpetrati infamiam sine graui Ordinis damno tolerari non valeat. Tertia, si in admissione impedimentum vel essentiale, vel saltem graue admodum reticuerit, v. gr. lepram qua in re admodum grauiter deceperit : & fraus dedit causam admissioni. Scio, Religiosum ex communi sententia annis præteritis propter delictum aliquod graue admodum expelli potuisse, etiamsi semel id perpetrauerit. Iam tamen Vrbanus VIII. anno 1624. declarauit, Religiosum delinquentem per nulla priuilegia posse è Religione expelli, nisi sit incorrigibilis : talis autem censetur non est, (Pontifex ait) nisi vnius anni ieiunio, ac pœnitentia in carcere sit probatus. Profectò societas huic Vrbani legi speciali ex priuilegio non subest Sanch. *l. 6. Decal. c. 9. n. 2.* Nauarrus quem sequitur Busembaum *l. 4. c. 1. dub. 6.* Sa *v. Religio, n. 34.* Diana *p. 9. tr. 9. resol. 57.*

13 *Professus eiectus manet Religiosus.* His præmissis professus Religione ob culpam eiectus manet Religiosus vtriusq; adstrictus. Vnde rerum, quas acquisierit, vsum, & administrationem tantùm sibi potest vendicare non verò dominium, nec illud acquiritur Monasterio, cuius iam membrum non est, sed Ecclesiæ, in qua beneficium obtinuerit : vel Papæ si beneficium non habet, & exemptus est. Quòd si exemptus non sit Episcopo loci. Fugitiui verò, & apostatæ (iis exceptis, quæ ex beneficio Ecclesiastico accepta sunt) Monasterio acquirunt, si illud dominij in communi sit capax. Qui a Monasterium eos seruorum instar, vendicare, ac reducere poterat. Az. Syluest. Molina, Les. & alij, quos affert, & sequitur Laym. *l. 4. tr. 5. c. 14.*

14 *Nec est omnino est ab obedientiæ voto solutus, etsi eius* Si quis per culpam exturbetur, non omnino est ab obedientiæ voto solutus, etsi eius executio magna esset ex parte. Quia caret superiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud seruare in præparatione animi, si recipiatur. A reliquis autem Monasticis obseruantiis, & Regulis, vt à vigiliis, ieiunijs, ciborum delectu, & similibus est liber, quia talium obseruatio simpliciter votorum professionem non comitatur, sed statum Regularem, à quo est expulsus. Sa *v. Religio n. 40.* Nauarrus, & alij, quos refert, ac sequitur Laym. *l. 4. tr. 5. c. 23.*

15 *Eiectus potest tutus in sæculo manere, si in Monasterio non recipiatur, nisi Religionè laxiorem malit inire, quia aliam non vouit, neque per ipsum (vt suppono) iam stat, quominus in sua recipiatur. Prælatus verò potest aliquem sub conditione eiicere, vt vel aliam ineat, vel ad suam reuertatur. Imo etiam Ordinarij locorum eiectos possunt ad hoc cogere, quia tales non sine periculo, & scandalo aliorum degunt in sæculo. Laym. l. 4. tr. 5. cap. 23. n. 8. & 9.* *Tutus in sæculo manet. si in Monasterio non recipiatur. Monasterio reuerti cuinam, non recipiatur.*

16 *Quid debeant Prælati circa apostatas gerere.* Ordinum Prælati fugitiuos, & apostatas tenentur requirere, si absque graui Ordinis damno possint, & illi non omninò incorrigibiles videantur. Partem priorem probo, quia iure diuino & naturali tenentur Prælati illorum saluti prospicere qui nondum sunt ab ordine exturbati. Posteriorem verò, quia si ob iustam causam possint eiici, ob eandem etiam, postquam malitiosè exierunt poterunt non recipi. *Fugitiuos & Apostatas* dixi, quia per sententiam iustam eiectos, etsi se correxerint, abnego recipiendos necessariò esse. Sanch. *l. 6. Decal. cait. 4. numer. 56.* Az. *l. 12. capit. 17.* & alij.

17 *De trãsitu Religiosi in vnum Monasterio in aliud.* Professus in vno Monastero potest cogi, vt se ad aliud transferat, si plura Monasteria faciant vnum corpus sub vno capite : secus si ex vno Monasterio in singula suis superioribus subsint sub Episcopo vel immediate sub Papa. Quia non vouit obedientiam nisi in hoc Monasterio. Sanchez, *l. 7. Decal. c. 32.* Layman. *l. 4. tr. 5. c. 23. numero* 10.

CAPVT IV.

De Nouitiis.

18 *Requiritur ad professionem annus integer an nus : alioqui irrita erit professio. Nec in hoc 16. annorũ, malitia supplet ætatem, vbi à iure certus & annus innumerus, ac determinatus annorum præscriteger nouitur : Rodriguez. to. 3 qq. Reg. q. 15. articul 1. tiatus. & 3.* AD professionem emittendam post Tridentinam *sessio. 25. capite 15.* requiritur annus decimus sextus ætatis completus, & probationis integer an

19 *Quomodo computanda dus sit annus bissextili duo dies debent pro vno reputari : & sic quoad probationis annũ debẽt etiã reputari pro vno, quia cũ materia hæc sit politica* Nouitiatus annus est computandus de momento ad momentum, cum sit materia fauorabilis. Vnde nouitius potest ipso die, quo annus finitur, profiteri. In anno bissextili duo dies debent pro vno reputari : & sic quoad probationis annũ debẽt etiã reputari pro vno, quia cũ materia hæc sit politica

ac ciuilis, deberi politicè, & ciuiliter est loquendum. Hinc effecto, probationis annum non debere esse solarem, & naturalem, qui necessariò trecentos ac sexaginta dies, & sex horas fere continet; sed annus à Republica vt talis declaratus. Sanchez *l.5.decal.c.4. nn. 22. Leg. Cum tisseximi ff. de verb signif.* Manu. *qq Regulam tom.3.q.15.a.4 & 5.* Diana *p.3.tr.de dub.Regul. resol.* 57. Portel. *de dub.Regul.v. Nouitius,n.*48 Vecchis *d.1.n.2.*

Priuilegium nouitiæ D. Dominici.

29 Sixtus Papa V. Monialibus S. Dominici concessisse, vt nouitia Medici iudicio statim moritura, pro ima consolatione, & spirituali vtilitate ante completum probationis annum, modo sufficientem habeat ætatem, possit in manu priorissæ profiteri, & indulgentiam plenariam lucrari. Quæ quidem concessio omninò est valida, saltem in conscientiæ foro. Pius V. in const. Summi Sacerdotij cura. Manu. *qq. regul. to.3.q.15.a.6.*

Debet esse annus non interruptus.

21 Vt annus nouitiatus sit legitimus debet esse non solum integer, sed & continuus, & non sufficit, esse interpolatum. Quia quoties in decreto, vel lege aliquod tempus præscribitur, continuum debet esse. Ideo enim is annus petitur, vt nouitius integrè ac perfectè Religionis onera experiatur: perfectè autem & rite non experiretur, ea per aliquod tempus intermittendo. Et hoc verum, etiam si nouitius a Monasterio fugerit animo redeundi, & interim Regulas Monasterij seruauerit, ac onera sustinuerit, quia adhuc nouitiatus interruptus dicitur. Manu. *to.3.qq.reg.qu. 15.a.8.* Sa *v. Religio,num.9.* Azor. *to.1.l.12.c. 2.q.8.* Bonac. *de class.q.2.pun.10.diffic.2.§.2.* Nauar. *de regul. cons.32.& 33.*

Debet nouitius Religionis habitum gestare.

22 De essentia nouitiatus est, vt in habitu Religionis peragatur, quia in vestitu Ordinis deferendo est quædam vitæ austeritas, difficultas, ac labor, quæ inter probationis experimenta annumerantur. Attamen si in aliqua Religione aliud Regula à Pontifice approbata præscriberet, aut vsus legitime præscriptus aliud obtinuisset, id esset obseruandum. Vt in nostra Iesu societate, in qua nulla est habitus assumptio necessaria. Sylvest. *v. Religio 5.q.5.* Angel. *v. Nouitij, n. 16.* Azor. *tom.1.l.12 c.2 q 9.* Becchis *d.11.dub.7.*

Potest nouitiatus extra Monasterium peragi, de superioris licentia.

23 Ex legitima superioris licentia potest nouitiatus extra Monasterium peragi. Quia nouitius extra Monasterium degens de sui superioris facultate censetur in Monasterio commorari: alioqui non liceret nouitio de Prælati sui licentia peregrinationem suscipere, aut hospitali inseruire. Nauar. *de Regul. cons.* 42. Az. *to.1.l.12.c.2.q.8.* Dian. *p.3.de dub.regul.resol.* 84.

Censuræ contra recipientes in Ordinibus Mendicantibus.

24 Qui ad professionem nouitium in Ordinibus Mendicantibus ante completum probationis annum recipiunt, excommunicantur, & sunt ipso facto suspensi ab officio admittendi ad professionem; nec valet illa professio. *Cap. Non solum, de regul. in 6.* In aliis autem Ordinibus peccant mortaliter. Quia agunt contra Tridentin *sess 25.c.15.* in regulari præceptum: non tamen sunt suspensi. Quia iure non est statutū. Nauar. *sum.c 27.n.157.* Manu. *qq regul. tom.3.q.15.a.12.* & aliis.

Nouitius ad professionē, ante completum probationis annum.

Præceptus, & statutis Religionis, ac superiorum nouitij non adstringuntur. Quia nondum in Religiosorum admissi sunt sodalitium sed in probatione versantur, ad experiendum num sint admittendi. Sanch. *l.6. Decal.c.10. numero sexto & septimo.* Sa *verbo* Religio, *numero* 8.

Nouitius non adstringitur Religionis statutis.

25

Gaudet Canonis & fori priuilegio, aliisque pluribus.

26 Gaudet verò Canonis, & fori priuilegio: vt à Iudice sæculari ob patrata crimina puniri non valeat; sed à Prælato Ordinis, si Monasterium sit exemptum: aliquin ab Episcopo. Præterea aliis fruitur priuilegiis, v.gr. vectigalium immunitate, & quod prælat Ordinis eum illis proindè ac cum Regularibus professis possit in votis dispensare: illemque litteras dimissorias impertire, vt à quocumque Episcopo Ordinibus initiari queant, si priuilegium papale habeant ad eiusmodi licentiam Regularibus dandum. Sanch. *l.4. Decal.c.39.à n.17.& l.6.c.10.* Diana *p.5. de dub regul.resol.73.* Vecchis *d.11.dub.b.10.*

Non tenentur, Monasteria soluere, re expensas egrediuntur.

27 Non tenentur, ad expensas Monasterio soluendas, si ante professionem Religionem deserat, quia Monasteria fundata esse oportet, vt libera nouitiis egrediendi facultas relinquatur quæ impediretur, si ad expensas tenerentur, soluendas. Hoc verum nisi pactum esset soluendi Monasterio expensas nouitij. Azor. *to.1. l.12.c.3.q.6.* Sa *v. Religio,n.8.* Sylvest. *v. Religio,5.q.8.* Manu. *to.3.qq.regul.q.15.a.vlt.* Sanchez. *l.6. Decal c 10.n.4.*

Ei egredienti restituenda non habita valor sibi illius expensis factus fuit.

28 Nouitio egredienti restituēdus non est habitus expensis ipsiusmet factus; sed valor illius temporis, quo eum deponit, non quo factus est. Quia Tridentinum *sess.25.c.16.* præcipit nouitiis restitui omnia, quæ à principio ad Religionem detulere. Potest tamen habitus retineri pro alimentis illius temporis, quo in Monasterio fuit, si pactū intercesit, vel superent sernitium factum: Barbos. *ad Cap. super eo, de regul.n.5.* Verum si habitus emptus fuit non pecunia nouitij, sed aliorū eleemosynis eo fine, vt Religionem iniret; de iustitia ei dari non debet. Quia cum datus fuerit eo fine vt in Religione permaneret, eam deserens, iam non censetur ei datus, sed Religioni, Peyrin. *to.2. de Prælato, q.3.c.1.num.* 107. & 108.

Non reincidit in censuras aquibus in Religione fuit absolutus illius priuilegium.

29 A Religione recedens nouitius non reincidit in Censuras, ac Irregularitates, à quibus in Religione priuilegiorum virtute fuit absolutus, Quia absolutio purè, ac simpliciter data explicanda non est, datam fuisse ad reincidentiam, nisi in casibus à iure expressis: vel nisi facultas absoluendi ita expressè concessa fuerit. Vecchis *in praxi nouit. d. 9. dub. 25. num.3.* Suar. *to.5.d.7.sect.5.num.35.* Bonac. *de legib.d.4 q.2.pun.7.§.4.n.28.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Religiosi status Natura, Ingressu, Egressu, &c. Dubia.

CAPVT V.

Circa essentiam Religiosi status & votum emissum eum suscipiendi.

DVBIVM I.

Ad Religionis essentiam requirituine vt vota sint absolutæ, & perfectæ paupertatis, & obedientiæ?

30 *Nonnulla suppono.*

SVPPONO ex Diu. Thom. 2. 2. *qu.* 86. *a* 1. 3 & 4. Religiosum statum definiri *statum perfectionis per tr. ota paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuo adipiscendæ.* Cum autem dicit *statum* denotat immutabilitatem Quia status esse non potest quin per se, & natura sua sit immutabilis. Hoc verò status est *perfectionis perpetuò adipiscendæ.* In quo significatur propria huius status natura, & conditio, scilicet, vt sit status perfectionis non adeptæ, sed adipiscendæ. Neque enim Religiosi obligantur esse perfecti, estò obligati sint; id procurare. Hunc perfectionem comparant Religiosi mediis votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ. Quæritur autem, num hæc vota debeant esse absolutæ & perfectæ paupertatis, & obedientiæ?

31 *Necessariò requiritur.*

Debet quidem, quia ratione perfecti status Religiosi est, perfecta sui abnegatione Deo per charitatem intime inhærere: At ad hunc effectum obtinendum, necessaria est rerum terrenarum, & voluptatum carnis & propriæ voluntatis perfectissima renunciatio, vtpote quæ charitatis obtinendæ impedimenta sunt: Ergò absoluta, & omnimoda paupertas, castitas, & obedientia requiritur. Sic. D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a* 3. 4 & 5. & alij Doctores.

32 *Non requiritur necessario.*

Non debet necessario absoluta & perfecta, seu omnimoda esse, Quia in voto paupertatis est certum non esse necessarium fieri de paupertate quoad dominij abdicationem. sufficit, si fiat quoad illius vsum. Expresse definunt Gregor. XIII. in bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino*, vbi eos, qui post biennium probationis in nostra societate Iesu vota Scholasticorum emittunt, declarat, veros Religiosos esse: & nihilominus bonorum suorum dominium retinere, quousque renunciare iubeantur. Neque est necessarium vt paupertatis votum priuet omni vsu, & administratione rei familiaris: sufficit, quod certis in casibus priuet; eo enim ipso est votum de re ad perfectionem pertinente. Vnde votum paupertatis, quod Equites Militares emittunt, licet non priuet eos dominio, & vsu suorum bonorum absolute, quia solum in certis casibus illis bonis vti non possunt nisi pro voluntate Magistri: ea causa est Euangelici consilij votum. Præterea clarum est non requiri votum obedientiæ ita latum, vt comprehendat quidquid bonum est, & perfectum: sufficit, si sit secundum constitutiones, & regulas, quas quisque sequendas proponit. De voto autem castitatis *dub.* 2. dixero, an omnimoda debeat esse, Ita Vasq. 1. 2. *d.* 165 *cap* 6. *n.* 50. & *cap.* 9. *num.* 104. Sanchez *l.* 5. *Decal. c.* 1. *n.* 17. Basil. Legion. *l.* 7. *de mar. c.* 13 *n* 10. & alij plures.

33 *Hoc teneo & confirmo.*

Hoc teneo. Sed circa votum paupertatis videtur obstare textus in *Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monach* vbi Innocent. III. inquit: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex quibus verbis videtur non solùm vsus, sed proprietatis abdicationem faciendam esse voto Religiosæ paupertatis. Profecto non obstat; quia ibi proprietatis nomine non dominium rei, sed vsum liberum, & expeditum illius Innocentius intellexit. Et manifeste id constat ex ipsius textus principio, vbi tenetur, quid faciendum sit cum monacho, qui proprietatem aliquam fuerit habere deprehensus. At proprietas culpabilis, quæ in Religioso deprehendi potest, est solus vsus, & administratio rei, Prælato inuita, non dominium.

DVBIVM II.

An ad Religionis essentiam votum Castitatis debeat necessariò esse absolutæ, & omnimodæ Castitatis?

DEbet quidē omnimodā esse castitas & 34 *Debet omnimoda esse*

quis se Deo perfectè non consecrat, siquidem voluptatibus carnis inseruire intendit, nec Deo perfectè vnitur diuisus in coniugem ob studium illi placendi, 1. *Cor.* 7. Neque consilia sequitur, sed præcepta tantum. Nam qui solam castitatem coniugalem vouet, non vouet aliquid quod ad consilia pertineat, & consequenter quod ad perfectionem spectet. Sic Doctores communiter.

35 *Non debet necessariò.* Non debet necessario castitas absoluta esse & omnimoda, quia votum castitatis coniugalis aliis duobus votis paupertatis, & obedientiæ adiunctum, ad verum statum Religiosum sufficit. Nam esto ex vi sua non obliget ad aliquam castitatem sub consilio: obligat tamen ex regula & instituto, cui seruando adiungitur. Equitates enim Militares aliquibus diebus à coniuge abstinere ex vi regulæ obligantur. Ita Nauar. *l. 5 consil. tit. de Regularibus*, Sanch. *l. 4 Decal. c. 16. num. 11.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 4. à n. 9.* Mota *de his militib. l. 2. c. 1 & 2.*

36 *Idem asseuo.* Existimo probabiliter sufficere, vt votum castitatis coniugalis sit votum alicuius perfectionis saltem indirectè, verumque statum Religionis constituat, obligatos esse Milites equites aliquibus ex regula diebus à licito vxoris amplexu abstinere. Hoc tenentur fateri omnes, qui censent equites Militares veros Religiosos existere.

DVBIVM III.

Votum quis moriendi in Religione emittit: obligaturne, quamprimum possit, illud implere?

37 *Obligatur quamprimum possit.* OBligatur quamprimum possit, eo modo quo obligatur cum votum absolutum Religionis absque vlla temporis determinatione emittit, quia dies mortis est incertus, & ne periculo exponatur ille, non implendi votum obligatur, quam primùm possit, exequi. Certe si quis vouear absolute perseuerare in Religione, vouet in Religione mori: & è contra si vouear mori in Religione, vouet vsque ad mortem in Religione perseuerare: Ergo vtrumque votum idem est: Ergo pro eodem tempore ille obligatur. Sic graues Doctores, quos consului, & in manuscriptis legi.

38 *Non obligatur, quamprimum possit.* Non obligatur quamprimum possit, Religionem inire, sed cum periculum mortis instet. Quia solum promisit in Religione vitam terminare, cui obligationi satisfacit, si cum mors instat, Religionem assumat: vitam enim iam in Religione terminat: ergo non tenetur ante morale mortis periculum Religionè inire. Profectò si ob aliquam rationem tenetur statim ingredi, est, ne se periculo moriendi extra Religionem exponat: At dum non adest morale mortis periculum, neque periculum quod in Religionem non admittatur eo instante discrimine: non adest morale periculum extra Religionem moriendi: Ergò nulla ratione ille obligatus est ante illud periculum ingredi Religionem. Ita alij nec contemnendi Auctores.

39 *Medium tertio viam.* Medium inco viam. Non statim quis obligatur eo voto, quia Religio sub illis verbis promissa satis indicat, illum noluisse statim illam suscipere, alio commodiori tempore. Neque etiam inde fit, illum posse executionem vsque ad morale mortis periculum differre, quia non vouet solam Religiosi habitus susceptionem, sed in Religione professionem, quæ cum fieri nequeat nisi post probationis annum, expectare non poterit vsque ad morale mortis periculum. Et quia ideo vouet in Religione mori, quia vult exercitij Religionis se ad mortem disponere, quod fieri non potest, nisi aliquo post obitū tempore Religionem ingrediatur. Quare prudentis arbitrio hoc tempus est mensurandum nec nimia dilatio concedenda. Nam in dilatione nimia pericula assolent euenire reddendi impossibilem ingressum, aut fere infructuosum si Religioni inutilis sit, vel illius oneribus & exercitiis minus aptus. Collegi ex P. Sancio *l. 4. Decal. c. 14. num. 9.* & Bonac. *d. 4 q. 2. pun. 5. §. 6. n. 7.*

DVBIVM IV.

Repulsus absolutè à Religione quam quis vouit, si postea ad ingressum inuitetur, teneturne, ingredi?

40 *Nonnulla recolo.* REcolo, vouētē Religionē prō virib. obligari Religionis procurare ingressū Vouē. ē Religionē absolute, teneri in pluribus seriò, & initāter petere. Vouētē determinatā, nō posse ingredi laxiorē, nisi laxior Religio primū giū habeat Pontificiū, quia authoritate Apostolica in fauorē Religionis, ac bonū cōmune, votum illud strictioris Religionis aliquando in latiorem est commutatū. Sic concessit Eugenius IV. Congregationi D. Benedicti, & refertur *in compend. Medicat. tit. dispensatio, §. 8. & in comp. priuilegior. Societatis Iesu v. commutatio*, §. subditur verò limitatio ab Eugenio, vt si ante professionem emissam ab ipsa laxiori Religione discesseris, dispensatio nullius sit roboris. Vnde infero, non fuisse factam absolutam dispensationē, vel commutationem illius voti: sed solum pro tēpore quo à laxiori non recedis. Laym *l. 4. tr. 5. c. 16. n. 94.* Quæsierim verò, an si quis vouit ingredi v. gr. Religionem D. Francisci, seu Dominici, & absolutè repellatur, cum rogat admitti, si postea ad ingressum inuitetur, ingredi teneatur?

41 *Tenetur equidem.* Tenetur equidem, quia votum Religionis emissum non fuit in fauorem Religionis, vt ipsa Religio possit iuri suo cedere: sed in Dei honorē, ac vouentis vtilitatē: sed quia hic honor & vtilitas obtineri non potest conuenienter absque Religionis cōsensu, ideo, Religioni cōsensus exponstulatur. Ergo quādocūq; hic consensus appositus fuerit, votum obligat: eo tamē cessante, eius suspenditur obligatio. Sic

Thom.

Thom. Sanchez *l. 4. Decalog. c. 16. n. 71.* Layman. *l. 4. tr. 5. c. 6. n. 4.*

42 *Non tenetur.* Non tenetur, quia ex vi voti ille solùm obligatur, eam diligentiam agere pro ingressus executione, quæ in re magni momenti assolet præstari. At eam ille præstitit diligentiam: ergò amplius agere non tenetur. Neque enim ad repetendam diligentiam videtur obligatus: alias repetere sine termino deberet. Ita Arag *secunda secundæ quæst. 88. a. 3. ad 2.* Azorius *p. l. 11. capit. 22. q. 5.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 4. c. 2. n. 7. & 20.* Leff. *l. c. 41. dub 5. n. 44.*

43 *Auctoris resolutio.* Priorem sententiam valde probabilem esse fateor maximè addita Sancij, ac Laymani limitatione, vt procedat, rebus in eodem statu permanentibus. Nam si desperantes in Religionem strictiorem, quam vouisti, fore suscipiendum, fueris ingressus laxiorem, vel sponsalia cum fœmina contraxeris, vel post contractum matrimonium, viduus effectus, non teneris. Illa namque noua difficultas relinquendi statutum laxioris Religionis bona fide assumptum, vel dissoluendi sponsalia contracta, vel superandi carnis tentamina, quæ post matrimonium solent esse validiora, sufficiens causa videtur esse ab obligatione voti excusandi. At tamen secundam sententiam vt communiorem, ac benigniorem eligo. Religionis enim consensus apponendus est, cum ex parte tua sufficienter petitur, quia petitioni debet correspondere. Aliter verò consensus positus, nullius, ad obligandum erit effectus.

DVBIVM V.

Teneturne quis cum ad Religionem admitti postulat, manifestare, se voto Religionis esse adstrictum, si credat ea manifestatione esse admittendum?

44 *Tenetur planè.* TEnetur plane, quia promittens Religionem, tacite promittit, quæ per se ad illius consecutionem conducunt: at frequenter conducit voti manifestatio: nam si Prælati concipiunt ex ea, illum ardenter Religionis statum desiderare. Sic Caietan. *2. 2. quæstion. 88. a. 3. ad 2.* Bonacin. *tomo 2. d. 4. q. 2. pun. 5. §. 6. n. 16.*

45 *Non tenetur.* Non tenetur, quia ex vi voti solùm ille tenetur media apponere, quæ per se necessaria sùt illius executioni. At manifestatio voti, (esto adiuuet) per se tamen necessaria non est. Ita Azorius *tomo 1. l. 11. cap. 22. qu. 9.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 4. c. 2. n. 7.* Sanch. *l. 4. decal. c. 16. n. 54.*

46 *Veriorem hanc sententiam esse reor.* Veriorem hanc sententiam esse crediderim. Nam voti manifestatio necessaria esset eo quod adiuuet, licet per se necessaria non sit: sequeretur, illum obligari, intercessores quærere, quia huiusmodi intercessio non leuiter exequendo voto conducit. At quia per se intercessio necessaria non est, nemo eam apponere obligatur.

DVBIVM VI.

An voto Religionis satisfacit, qui Religionem init, licèt sine iusta causa eam deserat?

47 *Certa supponо.* CErtum est, ex vi voti illum esse obligatum ingredi Religionem animo ibi perseuerandi, si iudicauerit ei institutum conuenire, quia votum Religionis non est votum suscipiendi habitum regulare: sed obsequendi Deo in Religione toto vitæ curriculo mediis votis paupertatis, castitatis & obedientiæ. ergò obligat ad professionem faciendam saltem si Religio probata placuerit. Sanchez *l. quart. Decal. capit. 16. numero 74.* Suar. *tomo 3. de Relig. l. quart. capit. 3. num 10 secund.* Quæsierim verò, an Religionis voto satisfaciat, qui Religionem quidem init, at sine iusta causa eam deserit.

48 *Satisfacit voto.* Satisfacit voto ingrediens bona fide cum animo perseuerandi, tametsi eam deserat, motus solùm quod non sit ei grata, quia qui per Religionem vouet, censetur eam vouere sub conditione probationis à iure concessæ: at ius concedit ingredientibus Religionem absque vllo voto, vt possint pro libito eam dimittere, *capit. ad Apostolicam. de Regular. b. capit. 1. eodem tit. in sext* Ergo vouens Religionem, voto satisfaciet, licet pro libito Religionem dimittat, siquidem non se vult ad Religionem obligare aliter quam alij ingredientes obligantur. Sic Nauar. *l. tertio consil. tit. de voto, conf. 21.* Azorius *p. l. l. 11 capit. 22. quæstion sext.* Bonac. *tomo secund. d. 4. quæst. 2. pun. 5. §. 6. n. 22.*

49 *Non satisfacit.* Non satisfacit voto, qui sine iusta causa Religionem deserit, quia cum votum obliget ad professionem faciendam præmissa illius probatione: & de ratione probationis sit, vt probatum admittatur, si fuerit bonum, & conueniens inuentum: & si conueniens ieuentum fuerit, respuatur: efficitur sanè, inuèta Religionis conuenientia, eum esse obligatum illam amplecti, alias voto, minimè satisfaciet. Ita D. Thom. *2. 2. quæstion. 189. a. quart.* Caietan. *ibi.* Sylueft. *v. Religio secund. quæst. 19.* Valent. *d. 6 qu. 6 punct. 4.* Comar. *de pact. p. l. § 3.* Suar. *t. 3. de Relig. l. 4. c. 2. num. 2.* Sanchez *l 4. Decal. cap 16. num 90.* Layman. *l. 4. tract. 5. cap. 6. num. 12. qu. 4. concl. 3.* & alij apud ipsos.

50 *Auctoris resolutio eadem.* Ego quidem existimo voto Religionis ingratum, eam deserentem, quam sibi commodam, ac facilem expertus est, peccare lethaliter, & voto minimè satisfacere. Nam licet ad Religionem non obligetur, nisi illi probatione præmissa: quia tamen ad ipsam vi voti facti obligatur, ideo deserere Religionem nequit, si sibi comoda, ac facilis vita fuerit. Neque hæc voti obligatio contraria est iuris dispositioni. Ius namque non concedit, sed permittit nouitio liberum à Religione egressum: cui permissioni cedit ille se Religionis voto ligando: ita vt impossibile sit se voto Religionis illigare, & nolle huic libertati egrediendi absque vlla causa, cedere.

DVBIVM VII.

peccatne venialiter, qui sine voto Religionem suscipiens, eam absque causa rationabili deserit?

51 *Peccat venialiter.*

PEccat venialiter, quia lenitatis arguitur, a via perfectionis incepta recedens. Certe si Prælati nouitium expellerent, quòd commodum Religioni indicarent, venialiter delinquerent: ergò nouitius indicans Religionem sibi commodam esse, peccabit venialiter illam deserens: vtrique enim eadem libertas in probatione conceditur, Religioni probandi nouitium, & nouitio probandi Religionem. Sic Caietan. 2.2.*quæst.* 189. *a.quart.dub.*3. Philiarc. *de offic.* Sacerd.*tomo primo p secund.l.tertio capit.*20. Sanchez *l.*4. *Decal.c.*16.*n.*22. Layn.*l.*4.*tr.*5.*c.*6.*q.*4.*n.*12. *concl* 3.

52 *Non peccat.*

Non peccat venialiter, quia nullum est præceptum, quod nouitium adstringat ad perseuerandum, cum potius omnia iura clament liberum esse ad Religionem deserendam. Iure autem naturali minimè obligatur in assumpto habitu perseuerare. Sicut enim pro libito assumpsit, ita pro libito potest illum deserere: præcipue cum continuare non possit, quin professione astringatur. Ita Suar. *tomo* 3. *de Relig.l. quart. capit.*3. *à numero* 6. & alij.

53 *Hoc verius esse confirmo.*

Probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Nam si prima defendenda esset, fateri cogeremur, omnes incipientes consilium aliquod Euangelicum exercere; verbi gratia Eleemosynam erogare, orationes fundere, obligati essent sub veniali, in illo perseuerare in perpetuum: quod nemo concedet. Præterea si nouitius æque esset obligatus non deserere Religionem sibi accommodatam & facilem, ac Prælatus obligatus est, nouitium vtilem non expellere: non solùm sub veniali culpa, sed & sub mortali esset obligatus. Nam Prælatus obligatus est, nouitium vtilem non expellere, non solùm sub veniali, sed sub mortali. Prælatus enim expellens nouitium absque causa rationabili contra eius voluntatem, graviter delinquit: quia abutitur potestate, ac iurisdictione sibi concessa admittendi nouitios, vel expellendi cum talis expulsio & Religioni, & nouitio nocua sit. Quare ex obligatione, quam habet Prælatus retinendi nouitium vtilem Religioni, deduci nequit obligatio nouitij, perseuerandi in Religione sibi commoda, ac facili, quia Prælatus ratione officij sibi concessi obligatus est Religionis vtilitati prospicere. At nouitio non incumbit huic vtilitati prouidere, sed solùm propriæ vtilitati in rebus præcepti: & cum ex illis non sit Religionis professio, cum ad consilia Euangelica pertineat: obligatus non est ad professionem.

DVBIVM VIII.

Siquis voto Religionis superaddat votum in illa perseuerandi: licetne ei, eam nec ex rationabili causa relinquere, valido & non valido voto?

54 *Licet religionem deserere.*

LIcet ex causa iusta Religionem deserere, quia votum illud perseuerandi nihil addit voto ingrediendi. Votum namque Religionis non est solùm de habitu suscipiendo, sed de perseuerando, in illo, media professione: est enim votum de Religione, quæ non est absque professione, seu emissione trium votorum in Religione approbata: ergò votum perseuerandi, & professionis voto Religionis nihil addit. Sic Arag. *secund. secund.quæstion.*88.*a.*3.*ad* 2. Sotus *l.*7.*de iust. quæst.*2. *a.*1.*ad* 3. Petr. de Ledes. *tom.*2.*sum. tract.*10.*cap.*3.*dub.*7.*casu* 4. Sà *v.votum n.*13. Lessius, & Suarius citandi id probabile esse fatentur.

55 *Minimè id licet.*

Minimè licet, quia votum est de re bona, & honesta, nec maioris boni impeditiua: scilicet de professione facienda, superatis omnibus difficultatibus, maius bonum impedientibus: ergò est votum validum. Ergò non licèt huiusmodi voto adstricto Religionem ex rationabili causa deserere. Ita D. Thom. 2.2. *quæst.* 189.*a.*4.*in corpo.*& *ibi* Caietan. Nauar. *sum.cap.*12.*num.*47 Layman.*l.*4.*tra*5.*cap.*6. *num.*13. Suar.*tom.*3.*de relig.l.*4.*cap.*4.*à nu.*2. Lessi.*l.*2.*cap.*41. *dub.*5.*n.*46. Azor *p.*1.*l.*11. *cap.*22.*q.*8. Sanchez *l.*4.*decal. c.*16.*num.*41. & alij apud ipsos.

56 *Aultimè placuit.*

Verius omninò indico, te posse voto astringere ad perseuerandum in Religione, tametsi Religio incommoda, ac difficilis visa fuerit: modo ea difficultas tanta non sit, vt periculum peccandi, vel impedimenti maius bonum inducat. Potest inquam.

DVBIVM IX.

De facto, quoties votum perseuerandi in Religione quis emittit. Obligatusne sit, in ea perseuerare: tametsi Religio ei incommoda, ac difficilis valde appareat?

57 *Statuquæstionis.*

DIxi *dubio proximo*, posse quem votum persistendi in Religione emittere, tametsi Religionem difficilem ac incommodam sibi admodum experiatur. Nunc quæritur, an de facto quoties quis votum perseuerandi in Religione, seu profitendi emittit, obligatus sit perseuerare, tametsi Religio ei incommoda, ac difficilis valde appareat.

58 *Obligatus est.*

Obligatus est, quia sic vouens intendit se amplius obligare, quam si solum Religionem voueret: alias non ea forma votum emitteret, neque

neque voto Religionis emisso; illud votum superadderet. At votum profitendi non potest amplius obligare, quam votum Religionis, nisi obligaret ad amplectendam Religionem, esto incommoda ac difficilis appareat: Ergò asserendum est, si hoc obligare. Sic D. Tho. 2. 2. q. 189. a. 4. Caiet. ib. Nauar. *sum.* c. 12. n. 47. Az. p. 1. l. 11. c. 22. q. 8. Conr. *de pact.* p. 1. §. 3. Sach. l. 4. *Decal.* c. 16. n. 81. & alij.

59 *Non est obligatus.* Non est obligatus, quia regulariter volens non est censendus se velle obligare amplius voto perseverandi, quam voto simplici Religionis. Nam velle perseverare sub conditione, quod Religio graviter incommoda, & difficilis visa non fuerit, est maxime Tridentino conforme, quod hunc statum amplectentes liberos esse voluit. Est item Religioni maxime expediens: quippe ea via Religioni viles sunt ingredientes & in perfectione proficiunt. Ergo hic est præsumendum Ita Suar. *to.* 3. *de relig.* l. 4. c. 4. n. 8. Palao *to.* 3. d. 1. *de statu relig. pun.* 4. n. 9.

60 *Hoc verius esse credo.* Hanc sententiam credo esse veriorem. Nam in votis stricta interpretatio est facienda, neque absque gravissimo fundamento imponenda est. At nullum est fundamentum firmum, ut votentibus perseverantiam imponatur tantum onus, ut in Religione admodum difficili, & incommoda perseverent: siquidem satis hoc votum explicari potest de perseverantia in Religione, & bona fide probata, facilis, & consentanea videatur. Ergò ex voto perseverandi non amplius, quam ex voto Religionis obligantur, tametsi id clarius explicet.

DVBIVM X.

Qui ligatus voto perseverandi, ob causam iustam è Religione exit, vel expellitur: eadem causa cessante, tenetur denuo Religionem inire?

61 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem iterum Religionum petere, si spes sit in ea recipiendum: vel aliam inire, si votum fuit Religionis in genere, & in ea perseverandi, quia non solum vovit ingressum, sed perseverantiam, à cuius executione temporale impedimentum cum liberare non potest, nisi dum ipsum durat: Ergò eo cessante, debet astringi. Sic Sanch. l. 4. *Decal.* c. 16. n. 82. Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. n. 13. Nauar. *sum.* c. 12. n. 46. Bonac. *to.* 3. d. 4. q. 2. *pun.* 5. §. 6. n. 22.

62 *Non tenetur.* Non tenetur iterùm ingregi, quia volens profiteri non debet præsumi, se voluisse obligare omnibus modis, ac viis, quibus possibilis est professio: sed solum præsumi debet, se voluisse obligare ad profitendum, si receptus semel in probatione, per ipsum non steterit. Quia hic modus obligationis benignior est, & Ecclesiæ stylo conformis: Ergo assumpta probatione, si iustè egrediatur ob infirmitatem scilicet, vel ob parentum subleuandam inopiam, &c. vel à Prælato expellatur, voto sufficiente satisfecit. Ita Suari. *to.* 3. *de relig.* l. 4. c. 4. n. 15.

Fateor me sapientissimi Doctoris rationem 63 *Cum Suario opinor.* me convincere. Vnde satis probabilem hanc reor esse sententiam, quam eligo, & confirmo. Nam votum Religionis, & votum perseverandi in Religione, vota sunt de professione facienda: & licet votum perseverandi concedamus amplius obligare, quam votum Religionis, quia obligat ad graviores difficultates superandas: At non video qua ratione obliget ad alias superandas, non solum in vna probatione, sed in omnibus possibilibus.

DVBIVM XI.

An Voto Religionis satisfacias, si in Episcopum eligaris?

SAtisfacit quidem, quia Episcopatus est 64 *Satisfacit plane.* status perfectior statu Religioso, *Cap. licet, de regul. Cap. Veniens, de iureiur.* Sed votum non violat, qui in melius commutat, *Cap. Perueniat. 2. de iureiur.* Ergò non violat votum Religionis, qui illud commutat in Episcopatus assumptionem: sicut non violat votum laxioris Religionis, qui strictiorem ingreditur: nec votum strictioris qui professionem in laxiori emittit. Sic Abbas, Henric. Anton. *ad Cap. Per tuam, de voto.* Probabile censet Henriq. l. 10. c. 32. *fine.* Tradit Expresse Manu. *to.* 2 *sum.* c. 6. n. 6. Sa *v. Episcopus, num.* 2.

Non satisfacit, quia in *Cap. Tuas* 10. *de voto* de quodã, qui votum Religionis fecerat in plurium præsentia, neque suo tempore impleuerat, sed transgressor voti existens ad regimen Ecclesiæ Hebennensis vocatus fuit consultus respondet Innocentius III *Si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua. Quòd si Capitulum eiusdem Hebennensis Ecclesiæ te postmodum canonicè duxerit eligendum, electionem recipere poterit de te factam.* Ex cuius textus decisione manifestè colligitur voto Religionis non esse satisfactũ, siquidem Pontifex supponit, conscientiam illius Episcopi læsam existere, & resignatione Episcopatus, redditoneque voti sanandã esse Ita Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. 9. vlt. Suar. *to.* 3. *de relig.* l. 1. c. 19. n. 9. Sanch. l. 4. *Decal.* c. 17. n. 5. Sylvest. *v. Votum*, 3. q. 9. Azor. p. 1. l. 11. c. 16. q. 2. Docet D. Tho. 2. 2. q. 189. a. 3. *ad* 1. & *ibi* Caiet. 65 *Non satisfacit.*

Hoc certum mihi Doctorum primæ sententiæ venia. Nam si assũptione Episcopatus, vt- 66 *Hoc certum mihi.* pote status perfectioris voto Religionis fieret satis, nullum votum Episcopus ille reddere Altissimo teneretur: sicut nõ tenetur, qui in melius votum commutat, neque illius conscientia ob hanc commutationem saucia existeret. Nec verum est quod docet meus Henriquez *ibid.* l. 1. & Manuel n. 6. Pontificem loqui de consilio, non de præcepto, moti illis verbis: *Nos autem tuæ discretioni consulimus*, quia repugnat textui supponenti conscientiam Episcopi esse læsam, indigereque curatione: quod dici non potest omissionem rei ad Euangelica consilia pertinentis. Quare licet Pontifex consulat; consulit tamen rem alias præceptam,

præceptam, & iure diuino debitam, licet ipse nolit positiuo præcepto ad eius executionem obligare.

DVBIVM XII.

Qui ligatus voto Religionis Episcopatus electionem acceptauit, vnde obligatus est petere à Pontifice renunciandi licentiam: teneturne votum, quo arctatur, ei manifestare, si simpliciter petita non conceditur?

67 *Nonnulla suppono.*

Ex dubij proximi resolutione infero, ligatum voto Religionis, & Episcopatus acceptantem collationem, seu confirmationem, obligatum esse petere à Pontifice licentiam Prælatui renunciandi, vt votum exequatur, quia licentia hæc est medium executioni voti omninò necessarium. Sanchez *l. quart. decal. capit. 17. num 10 sex.*. Azorius *p. prima l. 11. capit. 22. quæstion. vlt.* Suar. *tomo tertio de relig. capit. 20. numero primo.* Dubito autem, nùm Episcopus hic teneatur, cum licentiam postulat, votum illud Pontifici manifestare, si simpliciter petita non conceditur.

68 *Non tenetur votum manifestare.*

Non tenetur, quia cogeretur, delictum commissum in acceptatione Episcopatus aperire. Et quia negata licentia renunciandi Episcopatui, suspenditur voti obligatio. Sic Sanchez *l. quart. decal. cap. 17. fine.* Laym. *l. 4. t. 5. cap. 6. fine.*

69 *Tenetur manifestare votum.*

Tenetur quidem votum manifestare, si aliter licentiam obtinere non valeat, quia voti obligatio suspendi non potest, nisi media voti irritatione, vel dispensatione: sed dispensatione nunquam voti obligatio suspendi potest, nisi votum cognoscatur, & cognitio causæ ex qua concedenda est, præcedat. Irritatio autem directa in præsenti locum non habet, cum illud votum non fuerit emissum tempore subiectionis: indirecta verò irritatio, quæ est quædam dispensatio, quæque consistit in executione voti impedienda, eo quod illius executio Ecclesiæ assumptæ præiudicet, exerceri nequit, incognito voto, & ponderato Ecclesiæ præiudicio, qua enim ratione Pontifex obligationem iuris diuini exequendi votum impedire potest renunciationem Episcopatus abnegando, si nullum præiudicium Prælatui proueniat ex tali renunciatione? quippe æque bonus prælatus subest, qui præficiatur. Ita Suar. *tom. 3. de relig. l. 1. c. 20. à n. 5.* Castro Palao *to. 3. d. 1. de relig. statu. punct. 6. n. 7.*

70 *Cum his sentiens.*

Cum his sentiens, fateor, obligatum esse Episcopatum assumentem voto ligatum indirectè manifestare delictum, quod commisit in voti violatione, & Episcopatus assumptione, quando alia via non potest licentiam ad renunciandum obtinere, nisi voto antea emisso manifestato, quia tacite se ad hanc manifestationem astrinxit, cum ligatus voto Prælatum admisit. Præterea concedo, negata licentia renunciandi Episcopatui, voti obligationem suspendi, debet tamen licenter a legitimè negari; quod non contingit, nisi casu, quod maius Dei obsequium credatur esse perseuerare in assumptæ Ecclesiæ regimine, quam exequi votum.

CAPVT VI.

Circa eos qui capaces sunt, & non sunt ingrediendi Religionem.

DVBIVM XIII.

An Pontifex debeat, licentiam impertire Episcopo petenti Prælatum pro Religione commutare, nulla alia causa allegata præter studium religiosæ vitæ?

Svppono, Episcopum non posse, inconsulto Pontifice, & absque eius licentia ingredi Religionem, *cap. nisi cum pridem, de renunciat. & cap. licet, de Regular.* Quia ob perfectionem Episcopalis status, & obligationem contractam suæ Ecclesiæ inserviendi, merito Pontifex prohibuit, ne absque sua licentia etiam occasione Regularis instituti ineundi, fieret Prælatus renunciatio. D. Th. *2. 2. quæst. 189. a. 7.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 16. q. 2. & 3.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 5. cap. 4. num. 14.* Quæsierim verò, an debeat Episcopo Pontifex hanc licentiam concedere nulla allegata causa præter Religiosæ vitæ studium. 71 *Nonnulla suppono.*

Minimè debet, quia *in cap. nisi cum pridem* non permittitur ob solam prætatam causam Episcopo Prælatui renunciare. Commune enim bonum non debet priuatis commodis præferri. Sic Lessi. *l. 2. cap. 41. dub. 3. num. 24.* Valent. *2. 2. d. 10. quæst. 3. punct. 4.* subditque professionem factam in Religione nullam esse. 72 *Non debet licentiam impertire.*

Debet quidem, quia adsunt plures plerumque, qui æque benè & sæpè aptius Ecclesiam regant; tuncque poterit Episcopus licite licentiam petere transeundi ad Religionem dimisso Prælatu: & prudenter à Pontifice concedi. Ea enim casu & bono communi populi, & particulari Episcopi attenditur. Ita Suar. *tom. 3. de relig. l. 1. c. 20. n. 7.* 73 *Debet quidem.*

Ego autem existimo primam sententiam, ac Pontificiam decisionem, quatenus negat ex affectu Religiosæ vitæ non posse licentiam peti ad eam Episcopatus renunciationem pergerendam: nec debere à Pontifice concedi: procedere, quando nullus alius facilè adesset, qui æque benè populi vtilitati, & Ecclesiæ obsequio operam expediret, quia tunc bonum commune priuatæ vtilitati est præferendum. At si non difficile alius adesset, qui onus gubernationis vtiliter posset suscipere, putarim. 74 *Primam sententiam ad secundam, quam defendo, adiicio.*

rim sententiam mei Suarij omninò esse veram.

DVBIVM XIV.

Vt Parochus Religionem ineat, teneturne licentiam à suo Episcopo postulare?

75 *Quæstionis status.* CErtum est, Parochum & quemlibet alium beneficiarium, etiam contradicente Episcopo, ingredi Religionem, c. *Duæ* 19. *quæst.* 2. Requiro autem, num teneatur licentiam à suo Episcopo postulare.

76 *Tenetur planè.* Tenetur plane, quia textus *in cap. licet de Regular.* id videtur præscribere. Sic D. Thom. 2. 2 *quæst.* 189 *a.* 7. Azorius *p.* 1. *l.* 11. *cap.* 16. *quæst.* 3.

77 *Non tenetur.* Non tenetur, quia nullum ius inuenitur, vndè aperte hæc obligatio colligatur. Ita Suar. *t.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 4. *n.* 14.

78 *Idem existimo.* Idem existimo. Nam textus ille loquitur de Regularibus ad strictiorem Religionem transeuntibus: non de Parochis, vel beneficiariis. Qua propter existimo, posse eos, haud monito, vel requisito Episcopo, Religionem amplecti. Debet tamen Parochus Episcopum statim certiorem facere, vt loco sui Pastorem prouideat, ne oues periculo exponantur.

DVBIVM XV.

An in Tridentino prohibeatur puellis habitum Religiosum suscipere ante annos pubertatis?

79 *Nonnulla recolo.* DE impuberibus qualiter possint à parentibus Religioni offerri, ipsique valeant Religionem ingredi latissimè P. Sanchez *l.* 4. *decal. cap.* 18. & Suar. *tom.* 3. *de relig. l.* 5. *cap.* 1. 2. & 3. Quare supernacaneum duxi in his immorari, cum vsu receptum sit in Religionibus præcipuè virorum, nullum iam impuberem recipi, & esto aliquàndo ex causa recipiatur, receptione eam non conducere vt nouitiatus legitimus inchoetur, quousque sit pubertatem adeptus. Dubium tamen est, an ex decreto Tridentin. *sess.* 25. *de regular.* expresse prohibeatur puellæ habitum Religiosum suscipere ante annos pubertatis,

80 *Expressè prohibetur* expressè prohibetur, nisi expresse parentes, aut tutores consenserint, quia puellæ leuiter mouentur, & facilè à proposito recedunt, & si in Monasterio professentur, ne nota afficiantur, grauibus spiritus incommodis exponuntur: vndè parentum, aut tutorum consilio, ac directione indigent. Et sic à Sacra Congregatione decisum esse affirmat Barbos. *in declarat. Concil. circa locum cit.* Sic ille & Manu. *t.* 3 *regul. qq.* 9. 12. *a.* 2.

81 *Non prohibetur.* Minimè prohibetur, quia in eo decreto nihil speciale circa ingressum impuberum statuitur; sed iuris antiqui dispositioni relinquitur. Quare cum antiquo iure possunt impuberes tam viri, quam fœminæ non contradicentibus parentibus, vel tutoribus Religiosum habitum suscipere, vt colligitur ex *cap.* 2. *de regul. & ex cap.* 1. 2. & 3. *causa* 30. *quæst.* 2. Sic possunt non obstante dispositione Tridentini, Quia Tridentinum solùm disposuit, ne puella maior duodecim annis habitum Religionis susciperet, quin Episcopus eius voluntatem examinaret. De minori autem nihil disposuit quoad habitus susceptionem, sed solùm quoad professionem. Ita Michaël Mutina *de Sacror. homin. continent. l.* 4. *controuer.* 9. *cap.* 4. Sanchez *l.* 4. *decal. capit.* 18. *num.* 34. Suar. *tomo* 3. *de relig. l. quint. capit.* 2 *num.* 9.

Hoc dicendum existimo. Si autem rogites, cur Concilium statuit, maiorem duodecim annis suscipientem habitum Regulare examinandum esse ab Episcopo non solùm in professione, sed etiam in habitus susceptione, facile satisfaciam, quia impubes non propria, sed parentis directione regitur: cui directioni, aut voluntati noluit Concilium præiudicare: sed potius fidit, in bonum filij esse dirigendam. Specialiter autem statuit hoc examen pro fœminis, & non pro viris, quia regulariter fœminæ, & non viri ad Religionem coguntur, minorique scientia, ac discretione pollent, in electione status. Sed qualis culpa sit hoc examen non præmittere in habitus susceptione? Crederem esse culpã grauem ex vi illius decreti: illa enim verba Concilij *statuit, & decernit*, vim præcepti sufficienter declarant, & grauis est materia. Hoc certum in professione reor. Quid in habitus susceptione? certè quia video, consuetudine introductum esse, nè Episcopi suscipientem fœminam Regularem habitum examinent, sed profiteri volentem: ea de causa affirmo, nullum esse peccatum hoc examen omittere. Mecum Sanchez *l.* 5. *decal. cap.* 4 *numer.* 84. *fine.* 82 *Hanc sententiam tenendam esse affirmo, & nonnulla adiicio obseruanda.* *hibetur.*

DVBIVM XVI.

An valida sit habitus susceptio, & nouitiatus initus à coniuge post matrimonium consummatum, licet tunc non adsit alterius coniugis facultas?

83 *Nonnulla suppono.* CErtum est, antè matrimonij consummationem coniuges à Religionis ingressu non impediri: secus matrimonio consummato, nisi causa adsit perpetui diuortij, & vnus alteri licentiam concedat, *cap. quidam, capit. Placet. cap. Ex parte, cap. veniens, de conuers. coniugator.* Ex quibus textibus manifestè colligitur, ita impeditos esse, vt professio facta sit, nulla. Quæsierim autem, an valida sit susceptio habitus & nouitiatus initus à coniuge post matrimonium consummatum, licet tunc non adsit alterius coniugis licentia.

84 *Non est* Valida non est, sed omninò iterandus nouitiatus, quia est ad professionem dispositio. Ergò *valida.*

Ergo dispositum in professione censendum est, in nouitiatu dispositum esse. Et est contrà iustitiam sine coniugis licentia habitum Regulare induere: Ergo permittendum non est, vt ingressum illum, & nouitiatum tanquam validum Ecclesia acceptet. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem innuit esse Palao *to. 3. dist. 1. de statu Relig. pun. 7. §. 3. numero 2.*

85 *Valida est.* Ingressio, & nouitiatus validus est, nec iterandus. Quia nullibi irritatus inuenitur, solùm enim professionem altero coniuge non consentiente, ius irritauit sed ex hac irratione minimè infertur susceptionem habitus, & nouitiatum irritari; siquidem facta receptione, & nouitiato continuato, potest coniux antea renuens, in professione consentire: quo consensu posito, professio fieri potest. Ita Palao *cit.* Suar. *t. 3. de relig. l. 5. c. 4. n. 10.* Sanchez fauet *l. 7. de matr. d. 37. à n. 46.*

86 *Hoc verius esse reor.* Verius hoc esse reor. Nam licèt nouitiatus sit dispositio ad professionem, non inde infertur irritari ex causis, quibus professio irritatur; sed solùm non posse effectum habere, dum causæ irritantes professionem substiterint: at illis sublatis, cum validus sit, effectum sortiri potest. Secundum verò argumentum solum probat conuenientiam, quod nouitiatus irritaretur, non tamen probat, de facto esse irritatum. Imò, me iudice, nec hanc conuenientiam probat. Nam esto illicitus sit, sufficiens est, vt nouitius Religionis onera experiatur: & Religio nouitij aptitudinem, & consequenter vt legitimus sit, & ab Ecclesia vt talis acceptetur. Aliàs si sola iniustitia & turpitudo in his actibus reperta præstaret nullitatem, neque matrimonium, neque professio illicite facta, valida esset: quod est absurdum.

DVBIVM XVII.

Si vltra biennium, vel triennium quis speret, debitis satisfacturum, & antea absque graui difficultate: potestne Religionem ingredi?

87 *Certum suppono.* CErtum est, si quis bona non habeat, neque speret habere, ex quibus creditoribus satisfaciat, posse Religionem ingredi: idemque esse, si debita sint incerta. Si autem breui tempore sperat manens in sæculo, satisfacturum, non posse inire Religionem. Quæstio verò est, an si vltra biennium, vel triennium satisfacturum sperat, & non antea sine magna difficultate, possit inire Religionem.

88 *Non potest.* Non potest, quia præceptorum obligatio omittenda non est propter opus consilij, & perfectionis, quale est Religionis ingressus. At dum quis spem moralem satisfaciendi habet etiam ad longum tempus, obligatione præcepti naturalis astringitur. Ergò propter ingressum Religionis, qui est opus consilij, eam omittere non valet. Sic Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. c. 7. n. 12.* Carbon. *de restit. quæst. 85. dub. 3.* Medina *C. de restit. q. 3. causa 8.* Valen. *t. 2. d. 5. q. 6. pun. 7.*

Potest quidem, si bonis cedat, statim Religionem inire, quia debitis soluendis non astringitur persona in se, sed in bonis. Ergò si bonis cedit, persona potest se Religioni addicere. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst. 189. a. 6. ad 3.* Caietan. *ibi* Sà *v. religio, num. 1.* Syluest. *ibid. quæst. 4.* Arag. 2. 2. *quæst 62. a. 8. in causa 8.* & alij plures relati à Sanchez *l. 4. decal. c. 15. num. 7.* Nec limitant ad longum tempus, sed absolutè docent, te posse absolute Religionem inire, relinquendo bona, quæ habes, vt creditoribus quantum fieri possit, satisfiat. 89 *Potest quidem.*

Hoc teneo. Nam satisfactio, quæ fieri nequit nisi cum magna difficultate, vel longo tempore expectato, & cum spiritualis salutis detrimento; moraliter impossibilis est censenda: at talis videtur esse, quæ indiget longo temporis interuallo Religionis ingressum differre: ergò minime obligat. 90 *Hoc teneo.*

DVBIVM XVIII.

Nepos impedituine à Religionis ingressu ob extremam aui necessitatem in sæculo succurrendam?

REcolo triplicem esse necessitatem, extremam, grauem, communem. Extrema est, in qua si non succurro, vita proximi periclitatur. Grauis, quando absque grani difficultate, & labore sustentari non potest, hoc est, si cadens ab statu cogatur mendicare, vel famulari. Communis, cum communes, ac frequentes necessitates patitur. Porrò si necessitas parentis sit extrema, cui filius manens in sæculo valet succurrere, & Religionem ingrediens non valet: tenetur Religionis ingressum omittere: & idem asserendum de parente filij comparatione. Quæsierim verò, an nepos impediatur à Religionis ingressu ob extremam aui necessitatem, sicuti filius ob huiusmodi parentis necessitatem impeditur. 91 *Nonnulli recolo.*

Non extenditur, quia Doctores singulariter de parente comparatione filij & de filio comparatione parentis loquuntur: quippe qui obligantur suas actiones, cum necessitas vrget, in cui adiutorium expendere. At non videntur obligati aliorum consanguineorum comparatione. Sic Suarius *t. 3. de relig. l. 5. c. 5. num. 8.* 92 *Non extenditur ad auum.*

Extenditur profecto. Quia Doctores generatim affirmant, ob cuiuslibet proximi extremã necessitatem ingressum differendũ esse, & post ingressum egrediendum, quia necessitatem extremam non videmus diuturno tempore durare: ergò non indiget ad sui remedium longa Religiosi ingressus dilatione. Brenem autem omnes Doctores admittunt, & Suarius ipse. Ergò stante necessitate extrema cuiuslibet proximi, cui dilatione ingressus possit subueniri ingressus differendus est. Ergò à fortiori differendus ingressus ob extremam aui necessitatem. Ita Sanchez *l. 4. decal. cap 20. num. 14.* 93 *Extenditur, imo ad quemlibet extremo indigentem.*

& 28. Valent. 2. 2. d. 7. q. 1. pun. 2. Laym. l. 4. tract. quint. capit. 6. numer. 1. Lessius l. 2. c. 41. dub. 3. n. 34.

94 *Auctoris resolutio.* Placet Suarij sententia cum limitatione ab ipso adhibita, vt non procedat quando breui spatio, & per brevem, ac facilem actionem, & occupationem subuenirj auus, imo & quilibet proximus extremè indigens valeat succurri, quia eo in casu Charitas vrget non solùm consanguineo, sed etiam cuilibet extraneo auxilium impendere. Verùm non obligatur nepos, imò neque filius auo, aut parenti per dilationem Religiosi ingressus subuenire, si detrimentum spiritualis salutis illius adsit, quale in omittendo per longum tempus Religionis ingressum assolet reperiri. Leg. D. Th. quodl. b. 10. a 9. Syluest. v. Relig. 2. quæstion. sept. Lessium l. 2. capit. 41. dub. 3. num. 34. Tolet. l. 5. capit. 1. numer. 6. In secundam fere recido sententiam.

DVBIVM XIX.

An innodentur excommunicatione impedientes ingressum fœminarum ad regularem probationem?

95 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto conditiones seruandas in Religionis ingressu, vt validus ac licitus sit. Et quidem coactio professionem annullat, sed non nouitiatum, quia non impedit, quin nouitius Religionis onera experiatur, sed potius iuuat. Sanchez l. 7. de matr. d. 37. numer. 51. Concilium excommunicatione afficit fœminas cogentem ad Religionis ingressum sess. 25. capit. 18. de regular. Non autem comprehendit cogentem ad votum, vel iuramentum Religionis suscipiendæ. Modus coactionis, debet esse iniustus, sed sufficit si is sit indirectus. Excipit verò Concilium casus à iure expressos, in quibus potest dari coactio absque excommunicationis incursu. Simili excommunicatione illigatur impediens, fœminas ab ingressu Religionis. Requiro autem, num etiam comprehendat impedientem fœminas ab ingressu ad probationem.

96 *Non comprehendit.* Non comprehendit, quia decretum excommunicatione afficiens impedientem professionem, non est extendendum ad remotum professionis obstaculum, præcipue cum decretum excommunicans cogentes ad Religionem non fuit contentum expressione professionis, sed insuper addidit susceptionem habitus. Potrò impediens votum Religionis in sæculo emitti virtualiter professionem impedit, sed non ideò excommunicatur: ergò ob impedimentum remotum excommunicatio non contrahitur. Sic Sanch. l. 4. decal. c. 4. num. 15.

97 *Comprehendit.* Comprehendit sanè, quia susceptio habitus, nouitiatusque perfectio requiritur necessariò ad professionem: ergò quilibet ex illis impedito, professio ipsa impeditur. Ita Suar. t. 5. de censur. d. 23. sect. 7. n. 10. & t. 3. de Relig. l. 5. c. 9. n. 11.

Hoc defendo annotans maximè differre 98 *Hoc defenditur.*
huius impedimenti appositionem à professionis coactione, quia potest esse coactio ad professionem, quin fuerit ad habitum suscipiendum: & è contra potest esse coactio ad suscipeindum habitum, quin ad professionem extendatur. Quare expediens fuit, non solùm professionem, sed habitus susceptionem exprimere. At in præsenti fieri non potest, quod aliquis à nouitiatu impediatur, quin impediatur à professione, quare satis fuit professionis impedimentum prohibere, quia prohibendo impedimentum professioni apponi, consequenter prohibitum est apponi Religionis ingressui, & aliis omnibus, quæ sunt de professionis essentia.

CAPVT VII.

Circa Nouitiatum Religionis.

DVBIVM XX.

Episcopus domicilij nouitiorum, à quo ipsi possunt Ordinibus initiari, estne Episcopus loci illius, in quo Monasterium residet?

99 *Plura reuocolo de nouitiorum priuilegiis.* PRobabile satis esse existimo omnia priuilegia concessa professis, nouitiis communicari, quia licet propriè Religiosi non sint, sunt tamen in via, & in communi acceptione sic appellantur. Sanchez l. quart. decal. capit. 39. numero 17. vndè possunt absolui & absoluere à peccatis reseruatis, quia hoc priuilegium ferè omnibus Religionibus est concessum. Possunt dispensare, ac dispensari in votis, & in præceptis ieiuniorum, & festiuitatum. Possunt lucrari indulgentias aliis Religiosis concessas. Gaudent Canonis, ac fori priuilegio. Possunt Sacris Ordinibus insigniri. Solùm est dubium à quo Prælato? Et quidem excluso speciali priuilegio Prælatus Regularis in hac parte nihil potest, quia Prælatus hic in nouitios solùm habet iurisdictionem, quatenus ad finem probationis, ac bonum nouitij regimen est necessarium. At ad huiusmodi finem necessarium non est, Prælatum Regularem concedere posse nouitio dimissorias ad Ordines suscipiendum. Dixi, *seclusoso speciali priuilegio*. Nam Societati Iesu concessum est, vt ex suorum Prælatorum facultate possint nouitij nostri Ordinibus insigniri, sicut & professi. Habetur v. communicatio 8. 5. vt notauit Suar. t. 3. de relig. l. 5. c. 16. n. 17. & Sanch. l. 6. decal. c. 10. nu. 22. vbi docent satis esse probabile, eam facultatem professis concessam ad nouitios extendi: licet in priuilegio expressè non extendatur.

Vnum tamen debet esse certum, posse nouitium tum ab Episcopo Originis, tum ab Episcopo sui domicilij ordinari. Quæsierim verò, quinam sit domicilij Episcopus; an Episcopus loci, in quo residet Monasterium: an ille, in cuius Diœcesi nouitius domicilium habebat.

100 *Non est Episcopus loci, vbi residet Monasterium.*

Non est Episcopus loci, vbi residet Monasterium: sed Episcopus Diœcesis, in qua nouitius ante Religionis ingressum domicilium obtinebat, quia habitus assumptione non mutauit priorem statum, in statum Religiosum: ergò nec domicilium. Et quia dum in probatione existit, non habet animum firmum, persistendi perpetuo in Monasterio; sed probandi, an sibi expediat Religiosus status. Sic Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. capit. 16. num. 17.*

101 *Est quidem.*

Est Episcopus loci, vbi Monasterium existit, non Episcopus Diœcesis, vbi nouitius ante ingressum domicilium gerebat, quia verè nouitius assumptione habitus domicilium mutauit: siquidem absolutum animum habet perpetuo manendi, casu quo Religio non displiceat: quod sufficit ad domicilij acquisitionem. Omnibus namque denno domicilium acquirentibus ea voluntas inest, ibidem perpetuo manendi, dum nihil aduersum euenit, aut commodius non occurrit. Ita Sanchez *l. quart. decal. capit. nono numero 20. & l. sext. capit. 10. numero 21.* Layman. *l. quart. tract. quint. capit. quart. numero quint.* Et Suar. sibi contrarius *tr. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 17. n. 14. & 15.*

102 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius opinor adiciens, nouitium ad Ordinum susceptionem Regularis Prælati facultate non indigere: cum in hac actione non Prælato, sed Episcopo subiiciatur; verum licèt necessaria ea facultas non sit at, maxime decet, vt consentiente Regulari Prælato Ordinatio fiat. Alias præbebit nouitius sufficientem causam, vt eum Prælatus à Religione expellat, cum in re tam grauis eius consensum contempserit. Sanchez mecum *l. 6. decal. c. 10. n. 22.*

DVBIVM XXI.

Annus probationis estne ad professionis validitatem necessarius?

103 *Non est necessarius.*

Necessarius non est, quia datur annus hic in fauorem nouitiorum, vt possint Religionis onera experimento dignoscere. Cui quidem nouitius priuilegio, aut fauori potest renunciare ex permissione *capit. ad Apostolicam, de Regularibus* eis factam. Sic Lessius *l secund. capit. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *l. 5. decal. cap. 4. num. 19.* asserentes id esse probabile.

104 *Necessarius est.*

Est necessarius, quia Tridentin. decreto adeo annus probationis ad professionem est necessarius in qualibet Religione virorum, ac mulierum, vt illo omisso, professio sit nulla, *nullamque inducens obligationem ad alicuius regulæ, vel Ordinis obseruationem*, vti ait Concilium. Ita Lessius & Sanchez citati. Nauar *l. 3. cons. tit. de regular. cons. 33.* Manuel. *tomo secund. sum. capit. sext. numero 10. & tomo tertio qq. regul. quæstion. 15. art. 7.* Azorius *p. prima capit. quart. quæstion. nona* Suar. *to. 3. de relig. l. 5. c. 2. num. 5.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 10. n. 17.*

105 *Hoc fere certum esse credo.*

Hoc ferè certum esse crediderim nam Tridentini verba indicant satis exclusam esse illam renunciationem probationis annuæ permissam *in cap. ad Apostolicam.* Alias nihil nouum Concilium statueret, inutilisque eius constitutio esset. Quare in praxi iudico primam sententiam difficilè probabilitate niti, vbi Triden. est receptum.

DVBIVM XXII.

Coniux, qui ante matrimonium consummatum ad Religionem transit potestne anno probationis non exacto, professionem emittere?

106 *Potest sanè.*

POtest equidem, quia *in capit. ex publico, de conuers. coniugator.* Non solùm permitti, sed & decerni videtur intra bimestre debere huiusmodi coniugem professionem agere; ne coniux in sæculo manens diu expectare matrimonij dissolutionem teneatur. Sic nonnulli Doctores.

107 *Non potest.*

Minimè potest, quia Tridentinum generaliter loquitur, & nullum exhibet huius exceptionis fundamentum. Ita Gutier. *de matrim. capit. 54. numer. 11.* Lessius *l. secund. capit. 41. dub. sept. numer. 59.* Basil. Legion. *l. nono de matrim. c. 9. n. 2.* Sanchez *l. 5. decal. c. 4. n. 11*

108 *Non admitto hanc exceptionem.*

Merito hæc exceptio communiter à Doctoribus non admittitur, cum Concilium generatim loquatur cum annum integrum probationis exigit. Et quidem textus *in cap. ex publico*, quo prima sententia nititur, potius firmat contrariam. Nam illud bimestre non conceditur coniugi ad profitendum, sed ad deliberandum, an sibi expediat Religionis inire institutum; ne videatur correctus textus *in cap. ad Apostolicam, de regular.* concedens probationis annum, tum in fauorem nouitij, tum Religionis.

DVBIVM XXIII.

Vnius Ordinis professi ad alium transeuntes possuntne, omisso probationis anno profitari?

109 *Possunt quidem.*

POssunt quidem, quia cum iam satis sint experti Regularis instituti onera, non videntur, sub decreto Tridentini exigentis probationis annum comprehendi, vnde ex consensu Religiosi illius & Religionis poterit intra annum professionem emittere. Sic Hent. *l 13.*

l.13.capit.40 numero secund. & lit.O. Sorbus *in compend. priuileg. Mendic. v. Nouitius, § sed an requiratur.*

110 *Non possunt.* Minimè possunt, quia licet Religiosus ille expertus fuerit Religionis onera: at non est expertus difficultates Religionis illius, quam de nouo suscepit: & Religio experta non est illius Religiosi aptitudinem. Ergò nulla ratio apparet, cur intra annum possit profiteri. Ita Sanchez *l.quint.decal.capit.quart. numer.12.* Garcia *de benef.p.m.cap. nono numero septimo* Manuel. *regul.qq.tom.3. quæstion.15. num 11.* Nauar. *l.tertio consil.tit. de Regular. consil.49. & 53.* Azorius *p prima l.primo capit.14. quæstione 15.*

111 *Hoc teneo, & veras alias exceptiones exprimo.* A prima sententia omninò recedo. Licet enim aliquando viderim Religiosos huius modi ex vno ordine ad alium pergentes tertio, quarto, vel quinto mense professionem emisisse, semper de illius professionis validitate dubitaui: non enim firmum inueni fundamentum, quo casus hic sub generali illo Tridentini decreto non debeat comprehendi. Scio equidem alios esse casus, qui à regula generali excipiuntur. Nam Commendatarij Monasteriorum, quæ capita sunt Ordinis, debent intra sex menses solemniter illo in ordine profiteri, aut commendæ renunciare. Tridentin. *sess.25 capit.21.* Milites Ordinum D. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Ioannis, secluso proprio Ordinis statuto, possunt professionem emittere, haud præmisso probationis anno, quia Tridentin. solùm videtur comprehendisse Religiosos in communi viuentes, strictam paupertatem, castitatem, & obedientiam profitentes, quales non sunt Militarium ordinum equites. Dixi, *Excluso proprio Ordinis statuto.* Nam equites D. Ioannis statutum habent, ne possint professionem facere ante decimum sextum annum completum, & ante annum probationis exactum. Flamin. *l.6. de resignat. q.2. n.120.*

DVBIVM XXIV.

Moniales Ordinis D. *Dominici, possunt in mortis articulo professionem ex priuilegio emittere: at Monasterium potest, ne, in bonis sic professæ in præiudicio venientium ab intestato succedere?*

112 *Suppono, priuilegium hoc subsistere.* PRæmitto, Moniales Ordinis D. Dominici posse in mortis articulo professionem emittere haud expleto probationis anno, si tamen expleuerint annum decimum sextum ætatis. Concessit Pius V. in Breui incipiente, *Summa sacerdotij cura, edito 23.* Augusti, anno 1570. Nec reuocatum esse à Gregor XIII Sanchez affirmat *l.quint. Decal. capit.quart numero 16.* & alij, quia solùm reuocauit, quæ ad statum, ac regimen Monialium Pius V. contra Tridentini decreta statuerat. Hoc autem priuilegium non videtur statum, & regimen Monialium spectasse, cum supponantur Moniales illæ statim ab statu huius sæculi discessuræ. Hanc sententiam tanquam piam, fauorabilem, grauissimorum Doctorum authoritate firmatam amplector, licet ratione præfata non conuincar. Quid enim magis statum Monialium spectare potest, quam professio, quæ ipsum constituit statum? Quæsierim verò, an Monasterium in bonis sic professæ obeuntis succedat in præiudicium venientium ab intestato.

113 *Non succedit.* Non succedit, quia Pontifex solùm concessit hoc professionis matutinæ priuilegium ad deuotionem, & solatium obeuntis, ne merito professæ careret, indulgentiasque, ac Iubileum lucrari posset: non autem vt Monasterium succederet, præcipuè cum hoc priuilegium non tam pro foro interno, quam externo fuerit concessum. Sic Manuel. *regul. qq. tomo tertio quæstion.15. a.sexto.* Miranda *tomo primo.* Manuel. *Prælator. quæstion.22. a.10.* Barbosa *p.3.de potest. Episc. allegat.101 num.33.*

114 *Succedit planè.* Succedit quidem, quia illa professio vera est, & Moniales sic decendentes verè professæ decedunt, sicuti si expleto probationis anno professionem emiserint. Ergò eodem iure, quo in aliis non priuilegiatis professionibus succedit Monasterium, sic in priuilegiata vera quidem professione. Ita Sanc. *l.5. decal.c.4.n.16.*

115 *Hoc verius esse reor.* Hanc sententiam veriorem esse crediderim. Nam quod Pontifex non intenderit expressè in huius priuilegij concessione, quod Monasterium succederet, non impedit, quominus de facto succedat, quia Monasterij successio non pendet ex fine, quo motus fuit Pontifex ad hoc priuilegium impertiendum: sed ex ipsius priuilegij concessione, valoreque professionis emissæ.

DVBIVM XXV.

Cum probationis annus integer esse debeat, ad huiusmodi integritatem requiriturne necessariò, vt de momento ad momentum computatio fiat?

116 *Status quæstionis.* DEbere annum probationis integrum esse manifestè colligitur ex Tridentin. *sess. 23. capit.15.* præscribente nullam esse professionem illius, qui post susceptum habitum Regularem, integrum annum in probatione non insumpserit. Requiro autem, an ad huiusmodi integritatem requiratur, vt computatio fiat de momento ad momentum, vt si susceperis habitum nouitiorum die prima Augusti hora sexta post meridiem, nequeas anno sequenti ante illum diem & horam professionem emittere.

117 *Non requiritur.* Non requiritur quia in fauorabilibus, dies inceptus pro completo habetur, *leg. quæ ætate ff. de testam. & l. in vsucap ff. de vsuc.* At fauor est nouitij, quod Religioni aptus sit, & Religionis, quod nouitiū recipere valeat: ergò

non est computandus annus de momento in momentum. Sic Stephan. Garcian. *discept. forens. c. 413. n. 22.* Barbos. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 101. num. 22.* asserentes; sufficere, illum esse inceptum.

118 *Requiritur planè.* Requiritur planè, diem esse completum de momento in momentum, quia Concilium annum nouitiatus professioni præmittendum statuit in fauorem Religionis, tum ne nouitij, ne temerè, & inconsideratè nouitius obligaretur ad Religionis asperitates subeundas & Religio ad regendum, & alendum Religiosum illum: sed vterque maiori consideratione procederet. At quoties tempus aliquod designatur, ad subeundam maturius obligationem completum esse debet; quia id fauor est, & beneficium. Colligitur ex *leg. 3. §. minorem. ff. de minorib.* bi: *minorem adhuc dici vltimo die anni vigesimi quinti, donec hora natiuitatis decurrat; quia ante illam horam nondum compleuit vigintiquinque annos: sed à momento in momentum tempus expectari debet.* Ergò similiter in nostro casu, in quo agitur etiam de obligatione subeunda firmiter absq; remedio relaxationis. Ita Sanchez *l. 5. decal. cap. 4. numer. 4.* Basili. Legion. *l. 9. de matrim. cap. 9. num. 6.* Manu. *tom. 3. qq. regul. q. 15. a. 4.* Suar. *t. 3. de relig. l. 5. c. 15. n. 1.* Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 7. n. 59.*

119 *Cum his opinor.* Cum his opinor, adiiciens, nullo modo esse necessarium alium diem expectare, vti aliquis scrupulosus excogitauit, quia Tridentinum id minime decernit, neque aliunde colligitur. Moneo anno bissextili illum duplicem diem pro vno esse computandum: vt siquis nouitiatum instituit die vigesima quarta Februarij, non possit sequenti anno bissextili vigesimo quarto die Februarij emittere professionem, sed necessariò debere alteram vigesimam quartam diem expectare, quia in computatione temporis communis stylus est obseruandus, dum aliud non exprimitur. Sanchez *l. 2. de matrim. d. 24. numer. 22. & l. 5. decal. cap. 4. num. 4.*

DVBIVM XXVI.

Ex priuilegio Pij II. Religioni Minorum & reliquis cum ea communicantibus Ordinibus concesso, potestne ex duplici parte interpolata compleri?

120 *Nonnulla recole.* NOn solùm à Tridentino integer annus probationis exponitur, sed etiam continuus, quia ex communi loquendi modo, quoties ex aliquo die designato tempus est computandum, continuum debet esse; alias nihil in contractibus, & obligationibus certum, & determinatum esset. Suar. *tomo tertio de relig. leg. quint. capit. 15. numero quint.* Sed Tridentin. *sess. 25. capit 15. de regularib.* à die suscepti habitus annum probationis designat: ergò continuus esse debet. Quæsierim autem an ex priuilegio Iulij II. Religioni Minorum concesso, possit nouitiatus ex duplici parte interpolatus compleri.

121 *Potest quidem.* Potest quidem, quia Tridentinum hoc priuilegium minimè reuocauit: Vnde illo vti potest quilibet ex Religione Minorum iusta causa intercedente, & reliquarum Religionum nouitij in priuilegij communicationem. Nam Concilium solùm expressè petit integrum nouitiatus annum, quod verò debeat esse continuum sub opinione est positum, relinquit ergo locum priuilegio. Sic Manuel. *t. 3. qq. regul. q. 15. a. 8.*

122 *Non potest.* Non potest, quia hoc priuilegium decreto Tridentini iam est reuocatum. Nam si hoc priuilegium firmum persisteret, fere nullus esset vtilitatis Tridentini decretum, statuens iuxta communem sententiam nouitiatum debere esse continuum, cum omnes fere Religiones illo vti possent ob priuilegiorum communicationem eis concessam. Ita Palao *tomo tertio d. prim. de statu relig. punct. 12. §. secund. numero quint.* Sanchez *l. 5. decal. cap. 5. num. 25.*

123 *Hæc mea sententia est.* Cum his opinor, iudicans non oportere circa hoc remissius sentire. Continuatio enim hæc cedit admodum in fauorem illius, ob cuius causam tempus est designatum. Siquidem nouitio, ac Religioni regulariter fauorabilius est, vt probationis annus continuus, quam sit interpolatus. Sic enim exactius nouitius Religionis probat asperitatem, & Religio nouitij mores & aptitudinem valet vestigare si autem requiras, quænam interruptio sufficiat, vt annus nouitiatus discontinuetur. Doctorum placitum exhibebo. Nauarrus *l. 3. consil. tit. de Regular. cons. 32.* Triduanam interruptionem asserit esse sufficientem, tacite innuens minorem insufficientem existere. Lessius *l. secund. capit. 41. dub. septimo numero 59.* docet, paucorum dierum interpellationem nouitiatum non impedire, quia non est moralis interruptio, neque impedit, quominus nouitius Religionis asperitates experiatur, & Religio nouitium.

DVBIVM XXVII.

Si nouitius laboraret amentia, quæ per mensis duraret spatium: deberetne anno probationis suppleri id tempus?

124 *Quæstionis status.* SI amentia breni temporis duret spatio, qualis esse solet ea, quæ ex aliquo morbo excitatur, certum est communi praxi attestante, nouitiatum non interrumpi, nec suspendi, quia in communi hominum æstimatione reputatur, ac si eo tempore ille somno corriperetur. Quid si amentia extraordinaria esset, verbi gratia si per mensis duraret spatium? an probationis annus interrumperetur an suppleri deberet.

Non

125 *Non interrumperetur sed suspenderetur.*

Non interrumperetur equidem nouitiatus annus, sed suspenderetur: ac proinde repetendus non est, sed supplendus. Non inquam interrumperetur, quia non videtur posse nouitiatus interrumpi, quin status Religionis inchoatus cessatus cesset: at cessare non potest nisi ex voluntate nouitij, vel Prælati, cum ex vtriusque voluntate fuerit ingressus celebratus. Ergò horum voluntate cessante, vt vere cessat, nouitiatus interrumpi nequit. Suspendi autem debet, quia amentiæ tempore nouitius non potuit Religionis onera ponderare, nec Religio nouitij mores vestigare. Sic Sanch. *l.5.decal.c.4.n.55.*

126 *Minimè suspenderetur.*

Minimè suspenderetur annus probationis nec supplendus esset, quia Concilium solùm expostulat ad professionem emittendam, integrum nouitiatus annum: at ex amentia illa nec nouitiatus soluitur, nec discontinuatur. Ergò tempus amentiæ computandum est Ita Castro Palao *t.3.d.1.de statu relig.pu.12.§.2.n.9.*

127 *Auctoris rejectio.*

Ego quidem quoad priorem partem sententiam primam esse veram existimo, nempè nouitiatum per amentiam non interrumpi. Posito autem, quod nouitiatus interruptus non sit, difficile P. Castro Palao, & mihi, illud tempus non esse computandum, ob rationem prætatam. Non enim obstat, eo tempore nec nouitium posse Religionem probare, nec Religionem nouitium, quia id prouenit ex quodam accidenti extrinseco, & non ex statu. Quemadmodum si nouitius ex facultate superioris nauigaret, & fortuito captiuus existeret; non ideo videretur nouitij status suspendi, licèt tunc nequeat Religionis probare asperitates, neque Religio ipsius mores aduertere.

DVBIVM XXVIII.

Nouitiatus continuatio debetne esse vsque ad professionem?

128 *Non est necessaria cùm professione nouitiatus continuatio.*

Esse necessario non debet, quia nullibi cauetur hæc cum professione continuatio. Vndè si nouitius expleto integro nouitiatus anno profiteri nollet, sed Religionem deseruat, vel ipsa eum Religio expellat, quia non inuenit idoneum: si postea ipse pœnitudine affectus ad ordinem redeat, vel ordo consilium mutans eum velit recipere: professio validè, ac licitè poterit concedi, dummodo res sum ex parte nouitij, tum ex parte Ordinis non sint notab liter immutatæ. Sic Sylnest. *v.religio 5 quæstion quart.* Gregor. Lopez *leg.3.tit.7.part.1.* Manuel. *t.3.qq.regul.qu.15. a.1.*c. Sanchez *l.5.decal.cap.4.numer.34.* plures citans.

129 *Necessaria est.*

Necessariò debet nouitiatus cum professione continuari: nec potest nouitius à Religione dimissus, vel ipse relinquens eam, profiteri, quin denuo integrum nouitiatus annum peragat, quia prior habitus susceptio, & probatio extincta fuit. Ita Suar. *t.3.de relig. l.5.c.15.n.8.*

Sapientissimum sequor probabilius planè Doctorem. Nam Concilium ad professionis valorem annum integrum post habitum susceptum requirit: ergò post secundam habitus susceptionem integer probationis annus esse debet. Sic quidem video viu esse receptum. *Auctoris placitum.*

DVBIVM XXIX.

An Probatio nouitij possit ante annum decimum quintum inchoari?

130 *Nonnulla præmitto.*

Certum est, nouitiatum ab eo tempore computandum esse, a quo nouitius habilis, & in legitima ætate constitutus a legitimo superiore admittitur ad Ordinis difficultates probandas, quia in hac legitima admissione Religionis consistit ingressus: ea enim futurus Religiosus cum Religione contrahit vt ipse Religionem, & Religio ipsum probet. Porro ætas determinata, requiritur ad probationem peragendam. Communis autem sententia fert esse debere perfectam pubertatem, nempè in viris decimus quartus annus, & in fœminis duodecimus, quia ante pubertatem nemo censetur idoneus ad Religionis asperitates probandas. Lege Thomam Sanchez *l.5.decal. cap.4. num.22.* alios referentem. Hinc do quæstioni, num probatio nouitij possit ante annum decimum quintum inchoari.

131 *Minimè potest.*

Minimè potest, quia Tridentin. *sess.25.c.15. de regular.* Statuit neminem ad professionem admitti posse ante decimum sextum annum completum, ac præmisso integro probationis anno. Et *cap.16.* decernit, vt finito probationis tempore superiores nouitium, quem habilem inuenerint, ad professionem admittant, aut è Monasterio excludant: igitur Concilium supponit, omnes finito probationis anno in legitima ætate ad professionem esse debere, siquidem admittendi sunt vel eiiciendi, si alias habiles, aut inhabiles existunt, ob solùm enim ætatis defectum eiici non debent. Sic Syluestr. *v.religio 2.qu.10.& v. religio 5.q.3.* Angel. *v. Nouitius,q.7.*

132 *Potest omninò.*

Potest equidem, quia ex Tridentin. decreto nouitiatus non mutatur status. Nam licet disponat, finito probationis anno, nouitios admitti ad professionem, vel è Religione excludi debere: hoc subintelligitur, nulla legitima causa intercedente differendi professionem. Sanchez *l.5.decal.cap.4.nu.21.* Certè quando nouitius annum decimum sextum nondum expleuit legitima causa adest professionem differendi. Ita Sanchez *citat.* Nauar. *l.3.constit.de regularib. const 10.* Azor. *p.1.l.12. cap.4. quæst 9.* Suar. *tom.3.de Relig.l.5.cap.13.num.8* Barbosa *p.3. de potest. Episc. allegat.101. num 31.* Lessi *l.2. cap.41.dub.7.n.59.* Manuel. *t.3 qq.regul q 15. a.2.*& alij

133 *Verius hoc esse credo.*

Veriorem hanc partem esse credo. Nam si legitima esset differendi professionem causa, si nouitius pluribus mensibus spost annum probationis morbo corriperetur, vel in probatione nondum satisfeciisset: cur non erit legitima

gitima differendæ professionis causa, decimum sextum annum nondum esse completum. Certè sic Tridentini decretum intelligendum esse, præter Thomam Sanchez affirmant Manuel *quæst. 17. a. 10. & 20. & tom 2. sum. c. 8. num. 3.* Palao *tom. 3. d. 1. de statu relig. punct. 12. §. 3. num. 3.*

DVBIVM XXX.

An necessarium sit vt nouitij probatio in Monasterio fiat?

134 *Nonnulla præmitto.*

VT nouitiatus legitimè fiat aliquas conditiones Doctores ex mente Tridentin. requirunt. Prima est, vt adsit mutua traditio inter nouitium & Religionem, vt se inuicem probent. Vnde censeo, quoties ex parte nouitij, vel Religionis cessauerit hic consensus, & dispositio probandi, probationis statum omninò cessare. Suar. *tom. 3. de relig. 5. cap. 14. num. 5.* Secunda est circa locum vbi probatio hæc gerenda est. Vnde requiro, num sit necessarium, vt in Monasterio fiat.

135 *Necessariũ simpliciter est.*

Necessarium est, quia aliàs non poterit nouitius Ordinis asperitates experiri, neque ordo nouitij aptitudinem vestigare. Sic Manuel *tomo 3. qq. Regul. quæst. 15. a. 10. fine*, & alij.

136 *Non est simpliciter necessariũ.*

Non est necessarium, quia licet nouitiatus sit institutus, v t nouitius Religionis difficultates experiatur, & Religio mores nouitij calleat, & ad hunc finem expediat, vel necessarium sit, vitam in Monasterio degere: quia verò hæc actualis, & exacta experientia non præcipitur, ideo ad nouitiatum simpliciter necessaria non est. Ita Nauar, *l. 3. consil. tit. de regular. cons. 41. & 42* Sanchez *l. 5. decal. cap. 4. num. 27. & 28.* Barbosa *tom. 3. de potest. Episc. allegat. 101. num. 27.* Suar. *tom. 3. de relig. l. 5. cap. 14. num. 13.* Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 7. num. 59.* Azorius *p. 1. l. 12. capit. 2. quæst. 8.* & alij apud ipsos.

137 *Hoc tenendum existimo.*

Hoc tenendum existimo, nempe nouitiatum peragi posse extra Monasterium ex superioris licentia. Nam ad nouitiatus essentiam sufficit, si nouitius ex vi suæ voluntatis regi, ac gubernari à superiore sit paratus. Quod quidem extra Monasterium præstare potest, etsi nullam ordinis asperitatem experiatur, vt contingit illi, qui immediate post habitus susceptionem ægritudine corripitur, nullumque Religionis exercitium agit, sed non ideo desinit esse nouitius.

DVBIVM XXXI.

Si extra Monasterium nouitius vagetur sine licentia superioris habitu dimisso, licet non adsit animus è Religione egrediendi: eo ipso eius probatio cessatne?

138 *Cessat quidem nouitiatus.*

CEssat, quia è Monasterio egrediens furtiue contra Prælati voluntatem & habitum exuens videtur planè à subiectione Regulari abstrahi, & à proposito incepto recedere. Sic supponunt. Nauar. *l. 3. consil. tit. de Regularib. cons. 41. & 42.* Azorius *p. 1. l. 12. cap. 2. quæst. 8.* Lessi. *l. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *l. 5. decal. cap. 4. num. 27. & 28.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 101. num. 27.* & alij.

139 *Non cessat.*

Non cessat, quia egrediens verbi gratia furtiue è Monasterio ad explendam libidinem & non animo dimittendi subiectionem, paratus & dispositus est corrigi, ac puniri si deprehendatur. Ergò ex illo egressu nouitiatus non cessat, cum non cessset voluntaria subiectio, & punitioni ferendæ dispositio. Ita Suar. *tomo 3. de relig. l. 5. c. 14. n. 14.* Palao *tom. 3. d. 1. de statu relig. pun. 12. §. 4. n. 3.*

140 *Auctoris resolutio.*

Existimo, non per quemlibet è Monasterio egressum, & euagationem nouitiatum cessare: sed per eam quæ fit cum animo subiectionem dimittendi: vel nisi vagatio ita diuturna sit, vt moraliter vera dimissio, & desertio subiectionis intelligatur.

DVBIVM XXXII.

An nouitiatus possit existere absque habitus nouitiorum gestatione?

141 *Non potest.*

NOn potest, quia habitus est speciale Religionis indicium, peculiarisque illius asperitas. Et quia Tridentin. illius professionem irritat, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione perstiterit. At habitus suscipitur, vt gestetur: ergò illius gestatio omninò est necessaria. Sic Glos. *cap. fin. v. habitus 17. quæst. 2.* Azor. *p. 1. l. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 101. num. 29.* Miranda *Manu. Prælator. p. 1. q. 22. a. 6. concl. vnica*, & alij apud ipsos.

142 *Potest quidem.*

Potest equidem, quia admissi quis potest ad nouitiatum, quin sæcularem habitum mutet, *cap constitutionem de Regular. in 6.* Et sic mel admissus potest ægritudine vrgente lecto addici, & sic toto probationis anno persistere, quin habitum induerit Regularem. Ergò habitus gestatio de nouitiatus substantia non est. Ita Nauar. *l. 3. consil. tit de Regularib. cons. 42. vbi 32.* Manuel *tomo 3 qq. regul. quæstion. 15. a. 10.*

a.10. Sanchez *l. 5. Decal. c. 4. num. 8. & 12.*

143 *Hæc tenet & confirmo*

Hæc quidem habitus gestatio necessaria esse potest, vel vt nouitius hanc Religionis asperitatem experiatur, vt à sæcularibus, & a professis illius ordinis valeat distingui. Sed ex neutra harum rationum requiritur; Ergò necessaria non est. Non quidem ob experiendam illam asperitatem; quia satis commune est omnibus Doctoribus, opus non esse nouitio omnes Religionis asperitates experiri, sed sufficere, si sub obedientiæ iugo existat. Non etiam ob distinctionem a sæcularibus, & à professis, quia à sæcularibus aliis pluribus viis distingui potest, quam habitus Regularis gestatione, præcipue cum tritum sit prouerbium, Habitus Monachum non constituit, vulgariter, *No hace el habito al Monge*. A professis verò frustraneam reputo distinctionem; quia in pluribus Religionibus nulla est professi & nouitij habitus distinctio. Et si aliqua esset potest nouitio honoris causa habitus professorum concedi, quin professio concedatur, neque ideò nouitiatus cessabit. Legendus Suarez *tomo tertio de religion. libro quinto cap. 14. numer. 10. 11. 12. & 15.*

DVBIVM XXXIII.

Dispositio bonorum via testamenti à nouitio facta validane est in Religione succedendi capaci.

144 *Nonnulla suppono.*

REcolo, nouitium, via testamenti de suis bonis posse disponere, nulla requisita licentia: validamque omninò esse, nec professione infirmari in Religione succedendi incapaci vti est Minimorum, aut Capucinorum, quia Monasterium nullum ius succedendi habet. Sanchez *l. 7. Decal. cap. 3. numer. 23.* Quæsierim verò an valida sit, si in Religione succedendi capaci fiat?

145 *Valida non est.*

Valida non est, sed professione annullatur. Quia Monasterium loco filij habetur. Et quia Religiosus professione ipsa propter subiectionem, quam ad Prælatum habet, quasi capite minuitur. Et quia præsumitur voluntatem mutare, & Monasterium hæredem relinquere, cum in eo degere vsque ad obitum expetat. Quod maximè verum habet, si cum testamentum fecit, de Religionis ingressu non cogitauit. Sic plures Doctores apud Sanchum, Fachinum, Molinã, & alios infrà citandos.

146 *Valida est.*

Valida omninò est, nec professione reuocatur, licet facta fuerit, cùm ille de Religionis ingressu non cogitauerit, quia Religionem ingressuro libera facultas à iure conceditur disponendi de rebus suis per testamentum *Authent. de Monachis, §. Illud, & Authent. Nunc autem, C. de Episc. & Cleric.* At si ipso Religionis ingressu dispositio infirmaretur, inutilis & frustranea esset concessio: Ergò nullatenus asserendum est, infirmari. Ita Panormit. *ad cap. In præsentia, num 52.* Felin. *num. 54.* Sanchez pluribus relatis *l. 7. c. 3. num. 34.* Molina Iesuita *to. 1. de iust. d. 139. dub. vlt.* Nauar. *comment. 3. de Regularib. n. 51.* Molina *l. 2. de primog. cap. 9. num. 44.* Fachin. *l. 6 controuers. c. 14.*

147 *Sententiæ Auctoris.*

Existimo nullam adesse causam cogentem ad hanc reuocationem asserendam. Nam Monasterium loco filij non habetur, nisi in casibus à iure expressis. Matienzo *leg. 7. tit. 11. glos. 2. num. 21. l. 5. nouæ rec. pilat.* Molina *de primog. l. 2. c. 9. num. 45 iuncto 40.* At nullibi est expressum, Monasterium ad reuocandum testamentum, loco filij esse habẽdum. Ergo ex similitudine, quam Monasterium cum filio habet, infirmari testamentum non potest: minus autem id fiet ex subiectione ad Prælatum, quæ nulla ratione dici potest capitis diminutio, cum sit libera subiectio, & honore digna. Cuiac. *aduersus Accurs. §. illud nouellæ 5.* Quod verò ex tacita Religiosi voluntate testamentum reuocetur, nullo fundamento nititur, quia hæc tacitæ voluntatis præsumptio solum fundari potest in eo, quod Religiosus tradens se Religioni, omnia bona sua tradidisse censetur. At hoc supponit bona sua testamento, vel donatione non esse iam tradita, vt expresè, dicitur in *Authent. Nunc autem, C. de Episcop. & Cleric.*

DVBIVM XXXIV.

Constitutio Tridentini irritantis omnem renuntiationem, & obligationem circa bona propria à Religioso factam, nisi intra duos menses professioni proximos, & de licentia Ordinarij fiat: locumne habet in testamentis?

148 *Non habet locum.*

NOn habet locum, quia Trident. *sess. 25. cap. 16. de Regular.* Solum loquitur de contractibus inter vinos, & natura sua irreuocabilibus. Nam verbum *Renunciatio, & Obligatio* hoc propriè significat. Et quia loquitur de renunciatione, seu obligatione, quæ necessariò, professione facta, elset effectum habitura, vt constat ex illis verbis: *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, &c.* Sic Gutier. *Canon. qq. l. 2. cap. 1. num. 31.* Molina *to. 1. de iust. d. 139.* Sanch. *l. 7. Decal. c. 5. num. 18.* Barbosa *p. 3 de potest. Episc. allegat. 99. n. 13.* Nauar. *l. 3. cons. tit. de Regular. cons. 83. in 2. edit. comment. 2. n. 51.*

149 *Locum habet.*

Locum habet, quia testamentum est quædam bonorum renunciatio, cessio, & translatio, & licet irreuocabilis non sit, sed potius ad testatoris nutum reuocari valeat: non impedit, quominus sub prædicto decreto cõtineatur. Alias donatio causa mortis, & sub cõditione, *si Religionem professus fueris*, sub prædicto decreto contenta non erit, cum non tibi impediat, liberum è Religione egressum. Ita Spino *spec. testam. glos. 12. num. 50.* Castello *de vsufr. l. 1. c. 65. n. 7.* Gutier. subditans *ad Cap. Quamuis, pactum, de pactis l. 6. v. Dum neptui tradebatur. num. 4.*

150 *Primam*

Existimo & in iudicando, & in consulendo, primam sententiam præferendam esse.

sententiam communem quidem defendo.

Nam in testamento cessat decreti huiusmodi finis qui fuit, ne vi renunciationis factæ impederetur nouitius à libero Religionis egressu: quod in testamento contingere non poterat, cùm semper liberum fuerit nouitio illud reuocare. Certè de donatione causa mortis communis sententia negat sub Tridentini decreto comprehendi, sed per omnia testamento assimilari, quia reuocabilis est, nequè nouitio impedit liberum à Religione egressum. Suar. *to. 3. de Relig. l. 5 c. 16. n. 11.* Scio tamen Garciã *de benef. p. 11. c. 9. n. 22.* contrarium haud solido fundamento nitentem asseruisse.

DVBIVM XXXV.

Donatio inter viuos sub conditione, si professus donans fuerit, validane est, non seruata Tridentini forma?

151 *Valida non est.*

VAlida non est, nisi seruetur Tridentini forma, scilicet, vt fiat bimestri ante professionem, & ex Ordinarij licentia, quia hæc donatio vera renunciatio est, & obligatio, quam infirmare nouitius non poterit, nisi Religionem deserat. In Concilio autem omnis obligatio præfatis conditionibus destituta cæsatur. Ergo hæc donatio subsistere nequit. Sit Nauar. *l. 3. consil. tit. de donat. cons. 7. aliàs tit. de regular. cons. 81.* Sanchez *l. 7. Decal. c. 5. num. 17.* Garcia *de benef. p. 11. c. 9. num. 19. & 20.*

152 *Valida est.*

Valida est, etiamsi Tridentini forma non seruetur, quia Tridentinum solum videtur intendisse modum præscribere in contractibus & obligationibus, quæ liberum à Monasterio egressum poterant impedire. Cum autem donatio sub conditione professionis, quæ est conditio pendens à propria voluntate, nunquã impedire potuit liberum è Monasterio egressum, de hac donatione Concilium non videtur fuisse locutum. Ita Molina *to. 1. de iust. d. 19 post medium.* Lessius *l. 2. c. 41. dub. 4. num. 40.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 99. numero 17.*

153 *Hanc eligo sententiam.*

Fateor primam sententiam admodum esse probabilem, eligo vero secundam, non quia probabilior sit, sed quia placet magis eius fundamẽtum. Cu quidem non obstat, quamlibet donationem intra bimestre factam, & de licentia Ordinarij hanc conditionem continere, si professio subsequatur, vt habeat effectũ, quia ex se non continebat, sed potius tanquã absoluta obligabat ad sui executionem independenter à professione. Eaque de causa Tridentinum prouidit, qualiter esset præstanda, & ne haberet effectum, nisi professione subsecuta. Nam dispositione non indigebat donatio sub professionis conditione: ideoque in Concilij decreto non comprehenditur.

DVBIVM XXXVI.

Nouitius, qui ante ingressum Religionis sua bona renunciat, debetne leges communes Regni in ea dispositione seruare?

154 *Quæstionis status.*

SVppono certissimum esse (secluso nouo iure Tridentini) posse nouitium ante ingressum, vel post ingressum quando sibi placuerit, ante professionem bona sua renunciare, & donare, ac si de facto nouitiatum ingressus non fuisset, quia extra Tridentinum, nullibi ingredientibus Religionem prohibita est bonorum renunciatio. Quæsierim autem, num in ea facienda, debeat nouitius leges communes Regni seruare.

155 *Debet quidem.*

Debet quidem, quia licet nouitius persona Ecclesiastica sit, Ecclesiastici tamen & Religiosi legibus contractum respicientibus adstringuntur: ideoque Doctores affirmant, nouitium testantẽ teneri in testamento solemnitates non solum iure communi Ecclesiastico, sed etiam ciuili petitas obseruare. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse indicat Palao *to. 3. d. 1. de statu Relig. pun. 15. numer. 3.*

156 *Non debet.*

Non debet iuris solemnitates aliàs in renunciatione requisitas seruare, si professionis emittendæ causa renunciationem vel donationem suorum bonorum, in rem, vel actionũ faciat: sed licet minor sit, potest absque decreto Iudicis, & curatoris authoritate, & iuramento firmante, præstare renunciationem, quia ob consuetudinem, & praxim satis receptam huiusmodi renunciationes absque iis solemnitatibus fiunt. Cum enim hæ renunciationes nullatenus habeant effectus nisi professione subsecuta, qua quis mundo renuncians mortuus reputatur: & hæ solemnitates introductæ videantur, ad vitandam indecoram, & inuoluntariam renunciantium paupertatem: fit planè, ad has renunciationes ex professionis causa non extendi eas solemnitates; siquidem animo amplectendi Religiosam, ac perpetuam paupertatem fiunt. Ita Palao *citatus.* Sanch. *l. 7. Dec. al. cap. 6. num. 19.* Molina *to. 1. de iust. d. 139.* Rebel. *p. 2. de iust. l. 1. q. 8. sect. 5. num. 50.* & Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10 l. 4. cap. 4. num. 19.* loquutus de renunciatione facta in Societate Iesu.

157 *Hoc verius esse iudico.*

Verius hoc esse existimo. Nam præter ea, quę in huius sententiæ robur adducta sunt, legi textum in *Cap. Desis, de sepultura*, vbi decidituir, liberum esse transeuntibus ad Religionem tempore valetudinis, bona sua non solum Religiosis, sed etiam quibuslibet priuatis personis conferre. Et §. *Illud quoque, Authent. de Monach.* concedens liberum bonorum suorum vsum nouitio, dùm professio non emittitur, sine mentione obligationis vllius circa legum Regni communem obseruationem.

DVBIVM

DVBIVM XXXVII.

Quando nouitius de testamento non non condito, nec renunciatione facta: succedat in illius bonis Monasterium, seclusis hæredibus ab intestato?

158 *Succedit quidem.*

SVccedit quidem, quia nouitius ipso facto per Religionis ingressum se, ac sua Religioni dicat. Si ergo expresse dedicaret, illa bona Monasterio deberentur: Ergò etiã debentur ex tacita dedicatione: nam taciti, & expressi idem est iudicium, *Leg. Cum quid ff. si certum petatur.* Sic plures Doctores quos refert. Sanchez *lib. septim. Decal. capite 3. numero 91.*

159 *Non succedit.*

Non succedit Monasterium, sed hæredes ab intestato, quia nouitius dum in nouitiatu existit; non est Religiosus cum effectu. *Cap. Religioso, de sent. excom. in 6. Cap Porrectum, de Regularibus*, neque bona sua per ingressum Monasterio dedicauit; siquidem testamento, vel donatione potest libere de illis disponere: Ergò nulla est ratio, ob quam ei intestato succedat: Ita Gutier. *l. 1. canon. qq. c. 1. n.* 101. & 107. Rebel. *p. 2. de inst. l. 1. q. 8. sect. 5. n.* 52. Suar. *to. 3. de relig. l. 5. c. 16. n.* 9. Molin. *to. 1. de iust. d.* 140. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi supra n.* 92.

160 *Hoc longè probabilius*

Hoc longè probabilius esse reor, & in executione ferè certum. Abnego enim nouitium se: & sua bona tradere absolutè Religioni, sed solummodo ad probationem, ex cuius traditione cum nullum ius Monasterium acquirat, nõ impediuntur hæredes alias legitimi succedere.

DVBIVM XXXVIII.

Renunciatio, obligatio, seu donatio interdicta à Tridentino, comprehendine eos, qui ante Religionis ingressum, eo intuitu de bonis suis disponunt?

161 *Tridentini decretum præmitto circa nouitiorum renunciationem.*

PRæmitto Trident. decretum *Sess. 25. c. 16. de Regular. Nulla renunciatio, aut obligatio ante facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ pia valeat nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri. Aliter verò facta etiamsi cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata sit irrita.* Hinc dubito, an renuntiatio, obligatio, seu donatio quæ fit ante Religionis ingressum, eo intuitu, sit in hoc Concilij decreto comprehensa.

162 *Comprehẽsa est.*

Comprehensa est, quia si non comprehenderetur, huius decreti dispositio redderetur frustranea, & illusoria: quod videtur proculdubio contingere, si renunciatio eorum, qui Religionem ingredi intendunt, valida persisteret. Nam si Concilium annullat renunciationem nouitiorum, ne hi difficilem e Religione egressum habeant ob factam bonorũ renunciationem, & difficilem recuperationem illorum: consequenter etiam debet irritare renunciationem ante ingressum factam eo intuitu. Sic Flamin. *de resign. l. 3. q. 13. numer. 9.* Molina *de iust. tr. 2. d.* 149. Lessius *l. 2. c. 41. num. 39. & 40. Sa v. Religio, num. 5.* Azor. *p. 2. l. 13. c. 9. q. 2.* Zenallos *commun. opin. q.* 115. *fine*, & alij quamplures relati à Barbosa *citando.*

163 *Non est comprehensa.*

Non comprehenditur renunciatio eorum qui Religionem ingredi parati sunt, nec tamen ingressi, quia legis dispositio, maximè iuris communis correctoria extendi non debet ad casum sub lata verborum forma non comprehensum: At huius dispositionis verba solum Regulares comprehendit. Tum quia Rubrica, ex qua legis interpretatio desumitur est *De Regularibus.* Tum quia verba ipsius id clare indicant. Nam dictio illa *Quoque* copulatiua sequentem dispositionem cum præcedenti coniungit, *leg. Tutores quoque, ff. de pactis, & §. Prætorum quoque inst. de iure naturali.* Ideoque clare denotat de nouitiorũ renunciationibus loqui, de quibus solis præcedens textus fuerat locutus. Ita Menoch. *l. 2. de arbitr. casu.* 436. *num.* 3. Garcia *de benef. p. 11. c. 9. n.* 15. Sanchez *l. 7. Decal. c. 5. num.* 4. Manu. *to. 9. Regul. q.* 16. *art.* 1. Barbosa *p. 3. de pot. est. Episc. allegat.* 99. *numer.* 17. & alij apud ipsos.

164 *Probabiliorem hãc partem esse reor.*

Probabilioremhanc opinionem esse reor. Abnego enim dispositionem huius legis reddi vanam, & illusoriam ex eo, quod ante ingressum possit nouitius bonis cedere, provt sibi placuerit, quia renunciatio rara est, ideoque Concilium eam iuris communis dispositioni reliquit. Solũ renunciationem & donationem post habitum susceptum factam annullans, vtpote frequenter contingentem.

DVBIVM XXXIX.

Decretum Tridentini annullans solummodo nouitiorum renunciationem extenditurne tantum, ad nouitios sexdecim annis minores?

165 *Status quæstionis.*

VIdimus Dubio proximo, solam nouitiorum renunciationẽ à Concilio annullari: sed dubitas, de quibus nouitius decretum hoc intelligendum sit an de omnibus nouitiis, an de illis solum, qui nondum annum decimum sextum attigerunt ætatis?

166 *Solum extenditur ad nouitios sexdecim annis minores.*

Non de omnibus intelligendum nouitiis, sed solũ ad nouitios sexdecim annis minores extenditur, quia his ob immaturam ætatem voluit Concilium consulere præfata renunciationis solemnitate. Reliquos vero nouitios maiores sexdecim annis dispositioni iuris communis reliquit, ideoque possunt bonis cedere quolibet

quolibet tempore post nouitiatus ingressum, & absque Ordinarij licentia. Quia huius decreti dispositio cum præcedenti coniungitur: At præcedens dispositio solùm annullat professionem ante expletum decimum sextum annum factam: Ergo solum ea renunciatio, quæ ante decimum sextum annum facta fuerit annullatur. Sic Menoch. *l.2. de arbit. casu 436. numer.8. in edit.*

167 *Non solum ad hos, sed ad omnes extenditur.* Cuiuslibet nouitij in quacumque ætate constitutu renunciatio annullatur absque solemnitate eo decreto præscripta, quia verba illa, *Nulla quoque renunciatio* solum coniungit prælentem dispositionem cum antecedenti, vt loquatur de his, de quibus præcedens dispositio loquitur, nempè nouitiis, & Regularibus: sed non ita coniungit, vt statuat, omnes qualitates ad profes sionem requisitas debere renunciationi adesse. Alias fieri non posset renunciatio nisi post decimũ sextũ annũ completum, & finito anno probationis, quod est cõtra huius decreti dispositionẽ permittentẽ renunciationẽ fieri intra duos menses proximos professioni, ac proinde ante decimum sextum annum completum, & ante nouitiatum finitum. Ita Gutier. *l. 2. canon. qq.c. 1.n.34.* Sanchez *l.7. Decal.c.5.num.7. & 7.* Barbosa *p.3. de potest. Episc. alleg:99.num. 18.* Zenedo *in decret.collect.50. n.5.* Valasc. *de partibus bonorum. cap.16.num.27.* Manu. *to. 2.sum.c.7.num.7. & to.2.qq.Regul.q.47.a.13.* & alij ab eis citati.

168 *Hoc omninò defendo.* Hoc omnino defendo. Nam eadem fere ratio, qua nititur prima sententia, militat, ad irritandam renunciationem post decimum sextum annum factam, quia in omni renunciatione timeri possit fraus, ac metus parentum, consanguineorum, imò & Monachorum: cuius vitatio causa fuit huius legis, & dispositionis, vti annotauit Navar. *consil. 8. de donationib.*

DVBIVM XL.

Ex bonis nouitij potestne mutuum dari Monasterio, præstita sufficienti cautione de redditu, si Religionem deserat?

169 *Potest dari.* POtest dari mutuum, quia non est vera pecuniæ renunciatio, nec donatio: sed quædam illius limitata, ac temporalis concessio, ex qua nullum nouicio obuenit damnum nullaque instat in recuperatione mutui illius difficultas, si nouitius è Religione discesserit. Sic Manuel *tom secund.sum. cap.7. numer. vltim.* asserens graues Salmantinæ Academiæ Doctores affirmasse esse licitum, quorum sententiam ipse nec Sanchez, alijque Auctores inferius referendi, condemnare audent.

170 *Dari non potest.* Minimè potest, quia Tridentinum prohibet omnem renunciationem donationemue irreuocabilem: sed mutuum est quædam iuris renunciatio, & donatio saltem pro limitato tempore, siquidem per mutuum mutuatario dominium & vsus rei mutuatæ transfertur absque potestatte euocationis, quousque tempus solutionis aduentet: Ergò sub hoc decreto fauorabili comprehenditur. Ita Valasc. *de partit. c.16.numer.31.* Sanchez *l.7. Decal.c.5.n. num.24.* Suar. *to.3. de Relig. l.5.c.9.num.16.* Palao *tom.3.d.1. de Stat.Relig pun.17.n.8.* & alij.

171 *Sententiam hanc in praxi seruandam esse reor.* Sententia hæc in praxi omnino est seruanda. Existimo enim haud posse mutuum huiusmod: Monasterio concedi, etiamsi daretur sub obligatione reddendi pecuniam aliquo vel aliquibus mensibus ante professionem: in quo casu Suarius nõnullam verisimilitudinem reperit. Scio tamen sapientissimum meum Doctorem *tom. 4. de Relig.l.1.c.11.numero 4.* contrarium in casu aliquo sentire. Ait enim, dotem dari posse Monasterio, cum primum Monialis ingreditur sub cautione, ac securitate, quod sine difficultate reddetur, si nouitia exierit, præcipuè Episcopi approbatione accedente. Attamen in mutui recuperatione regulariter difficultates adsunt, esto in vno vel aliquo in casu cessent: quod sufficere iudicarim, vt prohibitio illa ad ipsum extendatur.

DVBIVM XLI.

Si quis ex Poniificis dispensatione ante decimum sextũ annũ, & ante annum probationis expletum professionem emitteret: estne dispensatus, vt bimestri proximo professioni renunciationem faciat?

172 *Nonnulla suppono.* SVppono ex præfatis, duplicem tantum conditionem expostulari à Concilio, ad huius renunciationis, obligationis, vel donationis valorem: nempè vt fiat intra duos menses professioni proximos, & de Episcopi, vel eius Vicarij licentia. Profectò cum dicit intra duos menses proximos perspicuè innuit, quolibet vltimi illius bimestris die posse renũciationem geri. Quod si professio vltra annum nouitiatus aliqua differatur ex causa, opus non est, renunciationem fieri intra bimestre professioni proximum, quæ de facto emittitur, sed sufficit, si fiat intra bimestre proximum professioni, quæ emittenda erat, si casus ille non accidisset. Barbosa *p.3. de potest. Episc. alleg. 99. num. 11. & in declarat. Concil.* alserens fuisse à sacra Congregatione decisum. At si ex Pontificia dispensatione ante decimum sextum annum ætatis, & ante finitum annum nouitiatus expletum, professionem quis emittat: quæsierim, num dispensatus etiam consequenter sit, vt bimestri proximo recunciationem gerat?

173 *Dispensatus non est.* Dispensatus non est, sed eodem die professionis debet renunciare, qua a dispensatio ætatis, & nouitiatus non infert renunciationis dispensationem vtpote omninò distinctam. Sic Sanch. *l.7 Decal.cap.5.numer.81.* Barbosa *vbi suprà.*

174 *Est dispensatus.* Dispensatus est. Quia dispensatione ætatis, & nouitiatus posita, potest fieri validè renunciatio: cum Concilium nihil aliud expostulet nisi quod renunciatio fiat intra bimestre proximum

ximũ professioni, siue professio post annum differatur, siue ex dispensatione anteponatur. Ita Castro Palao *to. 3. d. 1. de Statu Relig pun. 17. n. 9.*

175 *Hanc partem puto esse veriorẽ.*

Hanc sententiam veriorem esse iudico, Vnde qui dispensatus est à Pontifice, vt ante decimum sextum ætatis, & nouitiatus annum perfectum professionem emittat, poterit intra bimestre ante professionem renunciationem agere: non quod dispensatio ætatis & nouitiatus extendatur ad renunciationem, sed quia illa dispensatione posita absque vlla alia poterit id præstare: id enim ex mẽte Cõcilij, & decreti fine haud obscure colligitur.

DVBIVM XLII.

Facta legitima hac renunciatione bonorum nouitij in fauorem Monasterij possuntne ea bona Monasterio tradi ante professionem, Monasteriumque recipere?

176 *Nec tradi, nec recipi possunt.*

NEc possunt tradi, nec potest Monasterium ea recipere, quia Concilium prohibet, irritatque donationes ex bonis nouitij Monasterio factas, ne hac occasione discedere nouitius nequeat, neve si discesserit, facile non valeat ea recuperare: At hæc ratio procedit, si facta renunciatione, bona Monasterio tradantur: Ergo dicendum id esse prohibitum. Sic Sanchez *l. 7. Decal. c. 5. n. 53.*

177 *Possunt tradi, ac recipi.*

Possunt bona illa Monasterio tradi, & ipsum potest proculdubio recipere, quia iure antiquo id fieri poterat quocumque tempore nouitiatus, eo quod valida renunciatio erat: sed renunciationis valorem intra bimestre professioni proximum, de licentia Episcopi Tridentinum non immutauit, sed potius approbauit: Ergo ex vi illius possunt bona Monasterio tradi. Et quia Concilium §. *sed neque ante professionem*, donationes ex bonis nouitij Monasterio factas prohibet sub excommunicationis pœna ferendæ tam dantibus, quam recipientibus, quæ fierent ante bimestre proximum professioni, neque ex Ordinarij licentia. Nam quæ intra bimestre & ex Ordinarij licentia fiunt nullatenus prohibet: sicut nec renunciationes, & obligationes; sed potius licite dari; ac recipi permittit. Ergò permittit tradi; quia traditio, supposito valore donationis nullibi est prohibita. Ita Palao *tomo 3. d. 1. de stat. Relig. pun. 17. n. 15.*

178 *Hoc defendo, & expono.*

Existimo probabilius esse ex vi illius renunciationis intra bimestre ante professionem factæ, & ab Ordinario approbatæ tradi posse Monasterio, vel cuicumque alteri resignatario nouitij bona. Quod quidem (ni fallor) ipse Sancius *n. 11.* profitetur. Locutus enim de renunciationibus in Societate nostra gerendis, concedit, bona illorum, qui in fauorem Societatis renunciarunt, Societati tradi posse, quia permittendo Concilium hanc renunciationem: & traditionem, quæ minus est, permittit. Idem ergò in præsenti dicere debebat. Attamen si in sententia persistat, eius non vrget fundamentum, quia licet eadem difficultas ex illa traditione bonorum, ac ex renunciatione absque licentia Ordinarij nascatur, id solum probat traditionem prohiberi debere: at non probat esse prohibitam, cum sub verbis prohibentibus renunciationẽ traditio non contineatur. Addo præterea, minimè ex bonorum traditione eadem inconuenientia inferri, quæ ex renunciatione, & donatione absque illa solemnitate inferuntur. Nam cum hæc tradantur ex vi renunciationis ab Ordinario approbatæ, & & ita proximè ad professionem, vel Religionis desertionem, nulla potest moralis adesse difficultas in bonorum recuperatione, quæ tamen adest ex renunciatione, vel donatione absque hac solemnitate.

DVBIVM XLIII.

Vt renunciatio hæreditatis patris viuentis in alicuius extranei fauorem facta à nouitio habeat effectum debetne Monasterium cedere, præter supradictam solemnitatem?

179 *Debet quidem cedere Monasterium.*

DEbet equidem, quia renunciatio hæreditatis viuẽtis eo tempore habet effectum, quo decidit is, cuius est hæreditas: At eo tempore renuncians est incapax acquirendi hæreditatem ob professionem factam. Ergo resignatarius illam non potest obtinere, cum non proprio nomine, sed nomine renunciantis eam obtineat. Infertur ergò Monasterium succedere, siquidem in illud iura sui Religiosi translata sunt. Profectò non appareret ratio, qua sine Monasterij cessione nouitius renunciare possit hæreditatem sibi deferendam tempore quo non tam ipsi, quam Monasterio defertur. Est enim renunciatio rei alienæ, & non propriæ. Sic Tello Fernandez *Leg. 6. Tauri à num. 55.* Bolognet. *leg. fin. num. 114. C. de probat.* Seraphin. *de priuileg. iuramenti, priuil. 21. num. 37. & 39.* Spino *spec. testam. glos. 12. num. 51.* Azor. *p. 2. l. 2. c. 28. q. 6.* & plures alij apud Sancium *citandum.*

180 *Non est opus Monasterij cessione.*

Non est opus Monasterij cessione, vt hæreditas Monachi ante professionem renunciantis in cuiuslibet extranei fauorẽ patris obitu deferatur, quia nouitius renuncians hæreditatem viuentis eo casu, quo eam renũciare potest, se ipsum denudat iure succedendi, & in resignatarium trãsfert. Quo fit, vt resignatarius ex hoc iure per resignationẽ illam acquisito succedat: & resignans omninò priuatus sit iure succedendi. Ergo cessio Monasterij, aut illius consensus supernaneus est. Nam Monasterium ius succedendi non habet, nisi quatenus Monachi personam ius succedẽdi habentem repræsentat. At Monachus etiamsi sui iuris esset, nullum ius succedendi haberet; quia eo se per renunciationem abdicauit: Ergò Monasterium nullum ius habere potest. Ita Couar. *de pactis, p. 3. §. 2. num. 3.*

num. 3. Gutier. *ibi*, §. *Dum nuptui tradebatur*, *numer.* 1 Baeza *de non meliorandis filiabus*, *cap.* 14. *num.* 31. Gama *decis.* 375. *n.* 3. Merchaca *de succes. creat. l.* 3. §. 18. *num.* 93. Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 6. *num.* 2. & alij plures à Conar. relati.

181 *Auctoris resolutio.* Profecto licet hoc verum omnino esse censeam, quia tamen prima sententia probabilis est, moneo cum Conar. & Sancio ad lites vitandas expedire, vt Monasterium, hanc gerat cessionem, eam enim agere potest absque solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitis, vtpote hæreditatis non delatæ, sed deferendæ. Fateor equidem Monachum post professionem incapacem esse in propria persona hæreditatem acquirendi; sed non obinde fit, resignatariũ eam obtinere non posse, quia eam obtinet ex iure sibi à Monacho tempore habili translato Monasterium verò succedere nequit, cum nullum ius Monachi ex professione acquirat, recipit enim Monachum iure succedendi denudatum.

CAPVT VIII.

Circa Religiosi viri clausuram.

DVBIVM XLIV.

Religiosus debetne in depositione habitus alium accipere, vt censeatur verè ac propriè habitum dimittere?

182 *Certum præmitto. Cap. Vt periculosa.* Recolo, interdictum esse omnibus Religiosis professis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendę temerariam habitus suę Religionis dimissionem, *Cap. Vt periculosa, Ne Clerici, vel Monachi.* ibi, *Vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, nè de cætero aliquis quamcũque Religionẽ tacite, vel expresse professus in seculis vel alibi temere habitum Religionis suæ dimittat.* Et infrà, *si quis autem horum temerarius violator exiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* Ratio huius prohibitionis est, ne Religiosi occasionem euagandi habeant, vt ex *ex Cap. proœmio* colligitur. Quæsierim itaque, num vt Religiosus censeatur verè habitum dimittere, debeat alium accipere?

183 *Debet aliũ induere habitum.* Debet quidem alium induere habitum, quia alias non esset dimissio, sed nudatio, & spoliatio. Ex sola namque habitus Religiosi nudatione, nisi alius habitus accipiatur, non est Religiosis occasio euagandi; non enim solent nudi, aut indecenter induti incedere. Sic Sylvest. *v. Excommunicatio* 9. *casu* 24. *num.* 52. Navar. *summ. capite* 27. *num.* 131. Manu. *q.* 4 *Regul.* 10. 2 *q.* 76. *articulo sexto* Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 8. *n.* 51. alios citans, non debet alium habitum induere, quia potest, deposito suæ Religionis indumento 184 *Non audeo.* solis internis vestibus amictus omnino incognitus incedere. Ergo ea est habitus dimissio, ex qua euagandi datur occasio, quæ licet non sit frequens, & apta, ac ea qua nouis vestibus quis indutus incedit, sufficit tamen, vt ei euagandi non cognito occasionem exhibeat. Ita Suar. *to.* 5. *de censur. d.* 23. *sect.* 4. *n.* 28.

Probabilius censeo solam depositionem 185 *Probabilius hoc censeo.* habitus Regularis ob finem statum occultandi, esse veram habitus dimissionem, licet alius nouus non assumatur. Neque tam habitus depositionem dicendam esse denudationem, aut spoliationem, cum fiat animo occultandi statum; sed veram, ac propriam dimissionem.

DVBIVM XLV.

Si quis habitu propriæ Religionis retento, sæcularem exterius induat, incidatne in excommunicationem?

Incidit planè, quia licet illa occultatio non 186 *Incidit in excommunicationem.* sit materialis habitus dimissio, est formalis, & vera, si quidem ea facta, tollitur ab habitu Regulari esse signum cognoscituum Religiosi status, adquem occultandum ille habitus materialis assumitur. Alias si retento interius habitu, posset quis excommunionem dimittentibus habitum impositam effugere, facile legem prohibentem dimissionem eluderet. Quoties autem lex pœnalis eludi potest extensione non facta, communiter Doctores censent extendi debre. *Cap. In nonnullis, de Iudæis*, vbi iubentur Iudæi inter Christicolas commorantes, signum quoddam gestare, quo valeant discerni, qui si occultum gestent, pœnis ibi impositis afficiuntur. Sic plures Doctores, quos refert, ac sequitur Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 8. *n.* 63.

Non incidit. Quia in illo textu non quælibet euagandi occasio prohibetur, sed quæ fit 187 *Nõ incidit.* per Religiosi habitus dimissionẽ. At occultans habitum, non illum dimittit, sed retinet, licet occultum. Neque est verum, occultantẽ habitũ dimittere signum status Religiosi, nó enim illum dimittit, sed dissimulat. Ergò pœna imposita dimittentibus ad occultantem nó debet extendi. Ita Sayr. *de censur. l.* 6. *cap.* 33. *numer.* 9. & 10. Suarez *tom.* 5. *de censur. cap.* 23. *sect.* 4. *numer.* 33. & 34. & *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *in. cap.* 5. *numer.* 12. & alij relati à Sanchez *numer.* 62. quam sententiam ipse probabilem satis esse profitetur.

Sententiam primam longè veriorem esse 188 *Hanc sententiam probabilem satis esse fateor.* non dubito, sed libet eligere secundam. Abnego enim, ex huiusmodi habitus occultatione finem legis eludi; non enim ita facile Religiosus incedere valet incognitus retento habitu, ac illo dimisso. Præterea lex pœnalis ad summum extendi potest ad casum sub lita verborum forma comprehensum; at occultatio habitus non continetur sub dimissione, sed potius est illi oppositа; Ergo

DVBIVM

DVBIVM XLVI.

An à Monasterio egressus Religiosis interdicatur naturali iure?

189 *Quæstionis status.*

CErtum est, interdictum esse Religiosis à Monasterio egressum sine superioris facultate. Vnde autem hæc obligatio oriatur, an ex iure naturali, an ex positiuo, non satis est exploratum. Quæstio igitur est, an ad id ex iure naturali teneantur?

190 *Tenētur iure naturali.*

Tenētur quidem, quia professione suppositæ, & obedientiæ voto traduntur Religiosi Prælatis gubernandi, à qua gubernatione se subtrahunt furtiuo à Monasterio, egressu. Sic Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. per totum, speciatim n. 8.*

191 *Non tenentur naturali, sed positiuo.*

Non tenentur ex naturali, sed ex positiuo iure, quia Monachis, quorum professio erat Deo vacare, & saluti propriæ incumbere, Alexander II. præceptum, imposuit in *Cap. Iuxta 16. q. 1.* ne à Monasterio egrederentur & Trident. *sess. 25 c. 4. de Regularib.* apertè hanc expressit obligationem, ibi: Non liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam pretextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint. igitur si ex naturali iure ad id obligati essent, speciali hoc positiuo præcepto non indigerent, ita nonnulli Auctores.

192 *Naturali, & positiuo iure teneri affirmo.*

Ego quidem existimo, ad hoc esse & positiuo & naturali iure obligato. Nec enim est nouum, eandem rem & naturali & positiuo iure prohiberi, quod autem Religiosi egressio sine prælati licentia iure naturali sit prohibita, vlterius ostendo. Nam ex obedientiæ voto Religiosi non solum obligantur prælatis parere, sed parati esse ad obediendum: quam dispositionem nequeunt habere, cum à prælati oculis, & notitia recedunt, igitur quoties ex eo discessu potest scandalum vel infamia tum Religioso, tum Religioni generari: peccatum lethale est. Quia est manifestum signū custodiam Religionis graviter esse violatam. At egressus diurnus modo consueto poterit à lethali excusari, quia custodia Religionis, & subiectio ad prælatum debita nō videtur graviter læsi. Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8 l. 1. c. 6. n. 10.*

DVBIVM XLVII.

An fœminis fundatricibus Monasteriū virorum interdictum sit ingredi: & an Religiosi possint admittere?

193 *Pij V. constitutionem præmitto.*

PIus V. in constitutione, quæ incipit, *Regularium personarum* prohibuit in Monasteria virorum ingressum mulierum cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, ac quacumque dignitate, aut præeminentia præditarum, etiam Comitissarū, Marchionissarum, Ducissarum. Ex quibus verbis est manifestum Imperatrices, Reginas, filias ac neptes Regum non comprehendi, quia Co-

mitissæ, Marchionissæ expressæ fuere vt gradus supremi, & quia sub generali prohibitione non censentur comprehensæ ob supremam earum dignitatem. Quæsierim autem num sub hac constitutione fundatrices Monasterij seu patronę comprehendantur?

194 *Comprehēduntur fundatrices.*

Comprehenduntur quidem, quia sub illa verba *Mulieres cuiuscumque status, gradu, ordinis, conditionis &c.* manifestè indicant eas voluisse Pontificem comprehendere. Certè cum Ducissę, Marchionissę, ac Comitissę cōprehendantur, vndenā poterunt fundatrices si sanguinis Regię non sint, excusari. Sic Sāchez *l. 6. Decal. c. 17. n. 7.* Laym *l. 2 tr. 5. c. 12. n. 5.* Manu. *in exposit. constitut. Pij V. n. 3.* Nisi forte (addunt) in aliqua Religione fuerit regula earum ingressum permittens, cui regulę cēsent hac constitutione non derogari ob declarationem Gregor. XIII. editam anno 1575. idibus Iunij, & aliam eiusdem editam 23 Decembr. 1581.

195 *Non comprehendun tur.*

Non comprehenduntur, quia sub prohibitione generali extraneis facta ęquū non erat comprehendi Monasteriorum patronas, & fundatrices de stirpe Regia ob earum dignitatem à generali prohibitione excluduntur, à fortiori fundatrices, & patronę ob earum qualitatem arctius Monasteria deuincientem, excludi debent, ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 7. n. 6.* Palao *t 3. d. 4. de statu Relig pun. 8. n. 4.*

196 *Hanc sententiam eligo.*

primam sententiam fateor esse probabiliorem, sed secundam satis esse probabilem iudicarim. Equidem ex Gregorij declaratione aliquod argumētum obstās desumi non potest, vt affirmetur fundatrices comprehendi sub constitutione illa in Religione ea, in qua non est regula permittens earum ingressum, secus vbi est regula eum ingressum permittens, quia hę constitutiones non ad derogandum regulas, sed ad derogandas facultates aduersus regulas fuere expeditæ.

CAPVT IX.

Circa Monialium clausuram.

DVBIVM LXVIII.

An Episcopi possint, Monasteriū exemptū ab eius iurisdictione subiectūque prælatis Regularibus clausuram Monialibus indicere, & indictam instare, an obseruetur?

197 *Nonnulla recolo.*

REcolo, quibus in locis Moniales clausuram debeant obseruare. Sunt quidem eaque sæcularibus non patent. Quare si è claustro ad Ecclesiam Monialis exeat, vel ad primi ostij ianuam communiter sæcularibus patentem, clausuram violat, nec ab eius violatione excusatur ex eo, quod Ecclesia aut ostiū illud eo tempore,

quo exit clausum sit. Quia id est per accidens Sic explicuit Gregor. XIII. in sua *Bulla, Deo Sacris Virginibus.* Quam quidem clausuram potest Episcopus indicere Monasteriis sibi subiectis authoritate Ordinaria: subiectis verò sedi Apostolicę authoritate delegata. Expresse dicitur à Trident. *sess. 25. c. 5. & 21. de Regularib.* Sed quia alia sunt Monasteria à iurisdictione Episcopi exempta, neque Pontifici immediate subiecta, sed Regularibus Prælatis: quæsierim, an his Monasteriis possit Episcopus clausuram indicere, & indictam iniungere, an obseruetur?

198 *Non potest id Episcopus.*

Non potest, quia Tridentinum, & Pius V. suis decretis non intenderunt dispositioni Bonifacij VIII. derogare, sed potius eam confirmare. At Bonifacius solum concessit Episcopis, vt in Monasteria Sedi Apostolicæ immediate subiecta clausuram indicerent. Ea autem quę Prælatis Regularibus subiiciuntur, eorum gubernationi subiecit: Ergo Tridentini decreto, & Pij V. constitutione aliam authoritatem habere non possunt. Si quidem commune est, constitutionem declarantem & interpretantem intelligi debere cum eisdem extensionibus, & limitationibus, ac est constitutio declarata. Addo, Pium V. solum dixisse, posse Episcopos in Monasteriis Sedi Apostolicæ mediate vel immediate subiectis clausuram indicere vna cum superioribus eorumdem Monasteriorum. Quod intelligi debet, singula singulis tribuendo, hoc hoc est, posse Episcopos in his, quæ immediatè, Prælatos verò Regulares in his, quæ mediatè Sedi Apostolicæ subiiciuntur: non autem vt possint Episcopi in his, quæ mediate Sedi Apostolicæ, & immediatè Regularibus Prælatis sunt subiecta. Alias non recte Pius V. diceret clausuram indicere iuxta formam constitutionis Bonifacij VIII. in Concilio Tridentino innouatam, & approbatam; seque illam approbare, & innouare in omnibus, & per omnia. Sic Nau. *comment. 4. de Regularib.* Llamas *de methodo curat. in append.* §. 5. Sanchez *l. 6. Decal. c. 15. n. 21.*

199 *Potest eqni. dem.*

Potest equidem, quia licet Bonifacius VIII. in *Cap. Periculoso* clausuram horum Monasteriorum indicendam commiserit eorum Prælatis: indè tamen non infertur, Tridentini decreto, & Pij V. constitutione hanc facultatem Episcopis concessam non esse. Non enim absque causa Trident. cum de Monasteriis Sedi Apostolicæ subiectis locutum est, omisit dicere, *Immediate subiectis*, sicuti dixit Bonfacius: vt hac ratione Episcopus extenderet ad Monasteria Sedi Apostolicæ subiecta siue immediate siue mediatè mediis scilicet Prælatis Regularibus, quod Pius V. vt omnem dubitationem tolleret, in suo motu proprio incipiente *Circa Pastoralis* videtur expresse declarasse. *Mandantes* (ait) *in virtute Sanctæ Obedientiæ Primatibus Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & Diœcesibus propriis præsentes nostras litteras publicare faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi Ordinario iure subiectis. In his vero quæ ad Romanam mediate, & immediatè spectant Ecclesiam, sedis Apostolicæ authoritate vna cu superioribus eorumdē Monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quamprimum poterit, seruari procurent.* Constat ergo ex his verbis Episcopos Sedis Apostolicæ authoritate posse clausuram indicere Monasteriis Regularibus Prælatis subiectis vna cum iplorum Monasteriorum Prælatis: ideſt, simul ac ipsi illorum prælati Monasteriorum, ita Praxis Episcopor. *p. 2. v. Monialis, q. 4. & 8.* Barbosa *parte tertia de potest. Episc. allegat. 102. numero septimo & octauo* referrique *ibi*, & *in remiss. Concilij* id à Sacra Congregatione fuisse decisum Castro Palao *tomo tertio d. 4. de statu Religion. pun. 9. n. 7.*

200 *Hoc probabilius esse non dubito.*

Hoc probabilius esse non dubito. Fateor enim Tridentinum, & Pium V. confirmasse, & innouasse Bonifacij VIII. constitutionem, nulloque modo eam derogasse: tamen ad constituendam clausuram authoritatem maiorum præstent Episcopis, quam Bonifacius VIII. præstitit. Ex hac enim maioris authoritatis concessione, scilicet in Monasteria Prælatis Regularibus subiecta non tollitur, nec minuitur Prælatis Regularibus potestas; sed potius illis fauet: Ergò ob hanc concessionem non derogatur dispositioni Bonifacij VIII. sicuti iurisdictioni, quam habent Ordinarij absoluendi à peccatis, & censuris non derogatur ex eo, quod Religiosi eadem potestate ex priuilegio potiuntur.

DVBIVM XLIX.

An Episcopo competat approbatio causæ, vt Monialis Monasterij exempti è claustro egrediatur?

201 *Status quæstionis.*

CErtum est, Episcopo competere huius causæ approbationem, si Monialis sit illi subiecta: vel est subiecta immediate Sedi Apostolicæ, quia tunc non solum debet approbare adesse causam legitimam egrediendi: sed etiam debet vt superior licentiam ad egrediendum impertire. Solum de Moniali ab Episcopo exempta, ac Regulari prælato subiecta. Quæsierim, an approbationē causę legitimæ egressus Episcopo competat?

202 *Non competit Episcopo.*

Non competit, quia præterquam quod in vsu non est, concessa à Generali, vel proinciali prælato, quibus hęc Monasteria subiiciuntur censetur concessa ab Episcopo: quippe illi iurisdictione quasi Episcopali erga subditos suos potiuntur. Sic Llamas *metho. curat. in append. paragrapho quinto numero 9.* Manu. *tomo primo qq. Regul. quæstion. 49. articul. 6.*

203 *Episcopo competit.*

Competit quidem, quia necessaria est Moniali non solum licentia & approbatio causæ egressus data prælato Regulari, sed etiam ab Episcopo ex constit. Pij V. quę incipit, *Decori, & honestati*, ibi: *Quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, vel aliuin loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iuris*

iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit. Ergo non sufficit Prælatorum Regularium licentia. Ita Navar. *comment. 4. de Regular. numer. 6.* Azor. *to. 1. l. 13. cap. 8. q. 1.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. num 13.* Barbos. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 102. n. 28* Zetola *prax. Episc. p. 2. v. Monialis, dub. 8.* & alij.

104 *Auctoris resolutio.*

Manifestum est, spectata Pij constitutione, præter licentiam Prælatorum Regularium approbationem causæ ab Ordinario requisitam. Verum spectato vsu ac consuetudine credderim approbationem hanc Episcopi necessariam non esse, sed Prælati Regularis facultatem sufficere. Porrò in Hispania sic videtur vsum obtinuisse. Si autem Prælatus, qui hanc licentiam, & approbationem impertire debet, est prælatus mediatus, vel immediatus, cui Monasterium quoad regimen & gubernationem subiicitur. Quia in præfatis constitutionibus sic cauetur absque vlla distinctione de superiore mediato, vel immediato, Notant Sanch. *l. 6. Decal. c. 15. num 28.* vbi aduertit, sub huiusmodi superiore Abbatissam minime comprehendi, vtpote eodem clausuræ præcepto obligatam.

DVBIVM L.

Ob causas similes illis, quæ à Pontifice assignantur, vt Monialis licentia egressus impertiatur, potestne ei licentia concedi?

105 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, Bonifacium VIII. *Cap. Periculoso, de statu Regul. in 6.* strictè esse locutum, eam solam legitimam causam assignans, si Monialis laboret tanto, aut tali morbo, quocum absque graui Monialium periculo, vel scandalo haud posset in Monasterio commorari. Mitius Tridentinum legitimam causam arbitrio Ordinarij reliquisse, prius vero V. in sua constitut. ne piente, *Decori, & honestati*, causam legitimam expressisse eam esse *Magnum incendium, infirmitatem lepræ, aut epidemiam.* Nomine quidem magni incendij Doctores intelligere incendium, cui succurri non valeat absque periculo perennii Moniales si intra claustra commorentur. Sub lepræ nomine infirmitatem contagiosam, ob quam infectus alsolet a communi consortio separari. Sub epidimiæ appellatione nō solum morbum pestiferum maiorem partem ægrotorum interimentem, sed morbum qui facile ad alios diffunditur, licet maiorem partem eorum, quos tetigit, non enecet. Sanch. *l. 6. Decal. c. 15. n. 34.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 3.* Iam requiro, num ex causa simili præfatis possit licentia egressus Monali concedi?

106 *Non potest*

Non potest. Quia si ex aliis similibus causis licentia concedenda esset, frustra Pius V. has tres causas tantum expressit sub dictione taxativa, statuens extra illas nemini Monialiū licentiam esse exeundi, nec vlli Prælato fas esse licentiam concedere. Sic Additionar. *ad Navar. l. 3. consil. tit. de Regul. consil. 70.* Zetola *prax. Episc. p. 1. v. Monialis ad 16. q. dub. 2.* Testaturque sic fuisse a Sacra Congregatione decisum.

Potest equidem ad causas similes dispositio Pij V. extendi, quia illa non est extensio formalis, sed materialis. Receptū enim est apud Doctores dispositionē legis nō solum fauorabilem, sed & odiosam ad casus similes sub ratione decidendi cōprehensos extendi, quia illa non est dicenda extensio, sed inclusio. Ita Nau. *comment. 4. de regul. n. 48.* Gutier. *l. 1. canon. qq. c. 14. n. 9.* Az. *p. 1. l. 13. c. 8. q. 1.* Manu. *t. 1. qq. regul. q. 49. a. 3.* Zenedo *collect. 31. ad sext. decret.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 15. n. 37.* alios citans Barbos. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 102. n. 16.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 3.*

107 *Potest quidem.*

Hoc dicendum existimo. Nam eadem ratione hic in *Authent. Vt cum, de appellat.* & *Lege Regia 8. tit. 7. p. 6.* enumerentur quatuor causæ, ob quas tantū exheredari filius possit; defendunt cōmuniter Doctores apud Molin. *l. 1. de primog. c. 9. n. 32.* ex causis similibus eā reuocationem fieri posse. Et licet *l. fin. C. de reuocand. donationib.* statuatur ob solas causas ibi expressas reuocari donationem posse: affirmāt communiter Doctores ob causas similes idem posse præst. ri. Ergò in præsenti etiam si Pontifex tres solūm causas enumerarit, si aliæ similes, vel efficaciores apponantur, licentia est concedenda.

208 *Hoc dicendum reor.*

DVBIVM LI.

Ob morbum lethalem quidem Monialē si in Monasterio persistat, reliquis autem Monialibus non contagiosum: potestne egrediendi licentia concedi?

POno Monialem morbo correpti periculoso ipsi, quique iudicatur interempturus eam si in Monasterio persistat, vel ob aeris intemperiem, vel ob tędium, quo imbi afficitur, vel ob medicaminum penuriam, vel ob longam Medicorum distantiam, & cū si è Monasterio egrediatur, creditur à periculo liberandam non tamē huiusmodi morbum inducatur posse communiter reliquas Moniales inficere: dubium igitur est, num ei possit egrediendi licentia concedi?

209 *Quæstionis status.*

Concedi potest, quia leg slator humanus nō videtur obligare posse, ne non quis fugiat mortem, etiam supposita voluntaria alsumpti status obligatione, nisi ea in fuga bonum cōmune maximè periclitetur: vt contingit in bello, & in Religiosis commorantibus in regione infecta, qui si ibi habitare compelli nō possent, conuentus dissolueretur. At ex egressu vnius vel alterius Monialis infirmæ, cuius valetudo speratur extra claustra, intra autem desperatur: non videtur bonū commune castitatis, ac Religionis periclitari: Ergo non est cēsendus Pont. ex suo præcepto ad clausuram in hoc casu obligare voluisse. Sic Nau. *comment. 4. de regul. n. 49.* Suar. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 1. c. 9. n. 9.* eam probabilem esse Palao affirmat. *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 9. n. 5.*

210 *Potest concedi.*

211 *Concedi non potest.* Non potest concedi, quia hæc causa nõ est similis, sed potius dissimilis iis, quas Pius V. legitimas esse expressit. Nam Pontifex eas causas legitimas esse expressit, quæ non tam bonum speciale singularũ Monialium quam conuentus spectabant: vt constat ex assignatione magni incendij, infirmitate pestis, & epidemiæ, quæ toti conuentui detrimentum inferunt: Ergò causa singulariter nociua similis non est iis, quæ à Pontifice enumerantur. Ita Gutier. *l.* 1. *Canon. c. qq. c.* 14 *nu.* 7 Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *num.* 1. Sanchez *l.* 6. *Decalog. c.* 15. *n.* 39. Zerola *prax. Episcop. p.* 2. *v. Monialis, fine* Zenedo *collect.* 31. *ad sext. Decent.* Manu. *tom.* 1. *Regul. qq. quæst.* 49. *a.* 3. Barbosa *parte tertia de potest. Episc. allegat.* 102. *num.* 21.

212 *Primam eligo sententiam.* Hanc sententiam communem esse, & consulendam non dubito: primæ tamen hæreo satis quidem probabili. Nam casus hic non videtur dissimilis iis, quos vt legitimos Pontifex expressit, imò potius sub illis contẽtus. Non enim Pontifex solam caulam publicam, & toti conuentui nociuam spectasse videtur; sed etiã singularem singulis Monialibus periculosam. Quod exemplo incendij P. Suarius *n.* 11. probat. Si enim fingeremus incendium talis esse conditionis, vt eo vna, vel altera Moniali periclitaretur, nisi exiret è claustro, reliquis absque periculo manentibus: cui dubũ esse potest, illas Moniales periculo obnoxias legitimam egressus caulam habere, Ergo ex patitate rationis quoties ex incendio? vel bello, vel ægritudine, vel alia causa perculum manifestum adsit in clausuræ obseruatione, cesset verò extra illam: legitima erit causa egressus.

DVBIVM LII.

Pœnæ præscriptæ Monialibus clausuram violantibus, afficiuntur Monialem legitimo titulo egressam è conuentu, sed inique extra claustra commorantem?

213 *Recolo pœnas à iure præscriptas.* REcolo queis pœnis subiaceant tum Moniales illicitè egredientes, tum comitantes, vel aliquomodo cooperantes, ad egressum. Bonifacius VIII. pro huiusmodi actionibus nullam pœnam tulit in *Cap. Periculoso*, neque Tridentinum. At pius V. in constitutione, quæ incipit, *Decori, & honestati* pœnam excommunicationis reseruatæ imponit aduersus egredientes, seu licentiam egressus quomodocumque concedentes aliter quam in constitutione permissum est. Item aduersus concomitantes, vel illarum receptatrices personas, siue Ecclesiasticas, consanguineas, vel non Insuper aduersus egressas, & superiores licentiam concedentes fert Pontifex priuationem dignitatum, officiorum & administrationum, quæ eo tempore obtinent, reddituque ad ea inhabiles, & ad alia in posterum obtinenda. Quæsierim itaque, an hæ pœnæ afficiant Monialem legitimo titulo egressam, sed inique extra castra cõmorantẽ?

214 *Non afficit.* Non afficit. Quia Pontifex has pœnas indixit egredientibus aliter, quam ipse disposuerat: At Monialis hæc non aliter est egressa, licet aliter post egressum commoretur: Ergo hæ pœnæ illam minimè comprehendunt. Sic Sanchez. *l.* 6. *Decal. c.* 15. *n.* 70.

215 *Afficit plane.* Afficit equidem. Quia Pontifex has pœnas Monialibus indixit egredientibus aliter, quam ipse se disposuerat, & morantibus extra claustra sine necessitate. Ergo commorans extra claustra sine necessitate, non egreditur à Monasterio qualiter Pontifex præcipsit, siquidem non implet illam conditionem vt solũ durante necessitate extra claustrum commoraretur. Profectò Monialis, quæ extra Monasteria vagatur, propriè dicitur à Monasterio egrediens. Quia ad hanc denominationẽm non est spectandus primus egressus physicus sufficit moralis, & continuatus. Ita Llamas *in metho curat. append. paragrapho* 10. Palao *tom.* 3. *d. quart. de statu Relig. puncto* 9. *num.* 21.

216 *Veriorem hanc partẽ esse indico.* Veriorem hanc partem esse indico. Nam Pontifex imponens priuationis, ac inhabilitatis pœnam non fuit vsus verbo *Egredientes*, sed *Egressus*, vt tacitè insinuaret illis verbis idem significari. At constat, Monialem egressam, & vltra tempus necessarium in sæculo commorantem statum Pontificium violare: Ergò his pœnis afficitur.

DVBIVM LIII.

Excommunicatio hæc, & officiorum, dignitatum, ac administrationum priuatio afficitne, Episcopum comitantem Monialem, vel inique licentiam impertientem, seu approbantem egressum?

217 *Non afficit Episcopum.* EPiscopum non afficit, quia textus apponendo pœnas, expresse Episcoporum non egit mentionem. Sed solum generatim dixit, excommunicationi subiacere comitantes iniquè egressam, vel illam receptantes licentiamque exeundi aliter quam præscribitur concedentes. Et infrà, tam egressus, quam præsidentes, & alios superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officiis & administrationibus per eas, & per eos tunc obtentis priuat; & illos ad obtenta, & ad alia in posterum obtinenda inhabiles decernit. Quæ quidem omnia de Regularibus? Prælatis, aliisque Ordinariis videntur tantum intelligenda, non de Episcopis quorum expressa mentio non est facta. Præcipuè cum in *Cap. Periculoso, de sententia excommunicat. in sexto* decisum sit, nulla suspensione Episcopos ligari, nisi illorum expressa mentio fiat. Hæc autem priuatio, & inhabilitas dignitatum officiorum, &c. est quædam suspensio: Ergo saltem hanc pœnam Episcopi non contrahunt. Sic nonnulli, quorum sententiam

sententiam probabilem esse Castro Palao *to. 3. d. 4. de Statu Relig. pun. 9. n. 22.*

218 *Episcopum afficit.* Afficit Episcopum excommunicationis pœna; si Monialem inique egressam comitetur, vel recipiat, vel licentiam absque causa legitima concedat. Quia à pœna excommunicationis non possunt eximi Episcopi, eo quod illorum non fuerit expressa mentio facta, ad eam enim pœnam incurrendam, ea mentio necessaria non est, vt colligitur *ex Cap. Quia periculoso, de sent. excommun. in 6.* De Pœna autem priuationis incurrit Episcopus, inique licentiam concedens. Quia hæc priuatio & inhabilitas non est suspensio, quæ sit censura: & in *Cap. Quia periculoso* de suspensionis censura videtur. Pontifex locutus. Ita Manuel *to. 1. Regul. qq. q. 49. a. vlt.* Sanchez *l. 6. Decal. c. 15. num. 72* Palao *citatus.*

219 *Auctoris resolutio.* Existimo id certum esse, si de excommunicationis pœna loquamur ob rationem prædictam. At si de priuatione dignitatum, officiorum, &c. sermo procedat, non est ita certum. Ast probabilius reor, eam pœnam Episcopos inique licentiam concedentes incurrere, quia ibi expressa Episcopi facta est mentio, siquidem dixit textus, Episcopi, & Regularis Prælat esse, hanc licentiam concedere, & postea subdidit priuationis pœnam aduersus superiores prædictos eis licentiam huiusmodi concedentes: Debent ergo hæc verba intelligi de superioribus, de quibus immediatè antea mentionem fecerat: ac hi erant Episcopi, ac Regulares Prælati: Ergo omnes hi eis pœnis comprehenduntur.

DVBIVM LIV.

Monialis, quæ ex vno Monasterio in aliud remeat, si in via accidat, vt ad locum accedat, in quo aliud Monasterium ex quocumque Ordine existat: potestne inibi hospitio recipi?

220 *Nonnulla suppono, & statumque quæstionis nuncio.* CErtum est, omnibus cuiuscumque sit conditionis, excepto Rege, Regina, eorumque filij, nepotes ingressus in Monasteria Monialium prohiberi. *Cap. Periculoso, de statu regul. in 6.* Tridentin. *sessio. 25. c. 5.* At infantibus minimè prohiberi, nec Moniales illos admittere. Perpetuo autem amentes minimè excipi posse. Nam ij tanquam ebrij, & dormientes hac obligatione ligati sunt, licet ob rationis defectum ab illius obseruatione excusentur; quam excusationem habere nequeunt eos liberè introducentes, vel admittentes, sicuti non haberent, si ebrios, & dormientes introducerent. Suarez, *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. cap. 10. num. 3.* Sanchez *l. 6. Decalog. cap. 16. num. 8.* Dubito verò de Monialibus licite è Monasterio egressis, an eis liceat Monasteria ingredi? Et quidem ingredi posse in proprium Monasterium, vbi professæ sunt nemo dubitabit, cum solùm ob vrgentem necessitatem, & licentia in scriptis obtenta, permissum eis est extra clausura manere. Quæstio igitur est, num Monialis, quæ ex vno Monasterio in aliud remeat, si in via accedat ad locum, in quo Monasterium exist, siue sit eiusdem Ordinis, siue diuersi, possit ibi recipi hospitio?

221 *Potest recipi.* Potest equidè, quia sic recepta clausurâ seruat eo modo, quo potest, & recipientes eam hanc fouent obseruationem. Ergò nulla adest ibi clausuræ violatio: nec credendum est, Pontificem huiusmodi ingressum adeo Monialis honestati agnatum interdixisse. Sic Llamas *metho. curat. append. §. 11. fine.*

222 *Recipi non potest.* Non potest sine superioris Monasterij illius licentia, quia cum non sit illius Monasterij, sed alterius, comprehenditur sub prohibitione Concilij interdicentis ingressum omnibus, qui ad conuentum illud non pertineant. Licentia verò dari potest, si eo in loco non ad adsit hospitium, quo commodè, ac decenter noctem ducere valeat, quia eo casu honestati Monialis, & decentiæ habitus Religiosi consulitur. Ita Palao *tom. 3. d. 4. de stat. Relig. pun. 10. §. 1. num. 4.*

223 *Distinguendum existimo.* Distinguendum cum Sancio *l. 6. Decal. c. 6. n. 10.* esse reor. Primam sententiam admitto, si Monasterium sit eiusdem Ordinis, & habitus si diuersi autem sit, secundam amplector, quia comparatione Monasterij eiusdem ordinis cessat prohibitionis ratio, nempè ne extranea illuc ingrediatur. At Monialis eiusdem Ordinis & habitus extranea à conuentu nō est, sed moraliter propria illius. Ergo ingredi potest, siue hospitij causa, siue gratia animi recreandi, aut sanctimoniales inuisendi. Hæc autem licentia concedi è Monialium Prælato posse etiamsi alieni habitus sit Monialis, existimo, si eo in loco non sit aliquod hospitium in quo noctem commode ac decenter ducere valeat. Quia Religiosa charitas, honestasque Monialis sufficientem causam huiusce licentiæ concedendæ exhibent.

DVBIVM LV.

An Prælatus conuentus possit vices suas Abbatissæ committere, vel confessario, vt ipsi ingrediendi in Monasterium altis licentiam expediant?

224 *Certa suppono.* CErtum est Episcopum licentiam hanc concedere in Monasteriis sibi sedique Apostolicæ immediatè subiectis: in aliis verò Regulares Prælatos. Nomine autem Episcopi venire Abbatem, priorem, & quemlibet alium iurisdictionem quasi Episcopalem habentem. Non enim dignitas, sed officium, & iurisdictio nomine Episcopi spectatur. Item Vicarium Episcopi, & Capitulum sede vacante. Quia hi sunt Ordinarij, quibus Monasteria Episcopali iurisdictioni subiecta, submittuntur. Debent autem hi speciale mandatum habere præcipuè quoad Monasteria sedi Apostolicæ immediatè subiecta. Quia hæc non authoritate Ordinaria, sed delegata ab Episcopo reguntur, quæ ex Vicariatus designatione non censetur

communicari. Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 102. num.* 28. Nomine autem superioris intelligi Regularem Prælatum illum siue Pro-Generalem, siue Prouincialem, siue localem, cui Monasterium subiicitur, quia solùm subiectionem, & gubernationem Concilium spectauit. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *cap.* 10. *num.* 12. Quæsierim vero num Prælatus conuentus possit, circa licentiam ingrediendi, vices suas Abbatissæ, vel confessario communicare?

225 *Potest quidem.* Potest quidem, quia potestas hæc iure Ordinario Prælato competit. Ergò potest eam cuilibet communicare. Sic Nauar. *comment.* 4. *de Regular. numer.* 60. Manu. *p.* 1. *qq. Regul. q.* 46 *articul. 3 concl.* Graf. *p.* 2. *decision. l.* 4. *c.* 13. *num.* 6. Sanchez *lib. sexto. Decal. capit.* 16. *numer.* 22.

226 *Non potest.* Minimè potest, quia Concilium *sess.* 25. *n.....c.* 5. hanc delegationem videtur prohibuisse, cum dixit nullum alium præter Episcopum, & superiorem hanc licentiam impertire posse etiam cuiuscumque facultatis hactenus concessi, vel in posterum concedendi prætextu. Igitur nec Abbatissæ, nec confessario hæc facultas potest committi. Ita Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *capite* 10. *n.* 14.

227 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc probabilius esse iudico. Scio autem ab aliquo Doctore obiici, frequenter contingere casus, qui necessariò ingressum postulant, & superior abest, ergò expediebat, hanc potestatem Abbatissæ aut confessario communicari. Sed facilè respondeo, absque communicatione facultatis huius absolutæ, casibus his posse prouideri: si superior eam facultatem ingressus concedat ei, cui Abbatissa, vel confessarius expedire iudicauerit. Vnde Abbatissæ, vel confesario non committitur facultas, sed causæ iudicium, vt facultas à superiore concessa habeat effectum.

DVBIVM LVI.

Licentia exhibenda à superiore in scriptis, vt quis Monialium claustra ingrediatur, proceditne in casibus frequenter occurrentibus, & à iure concessis?

228 *Nonnulla suppono.* SVppono, modum, quo hæc licentia concedi debet, à Concilio præscribi, nempè vt sit in scriptis, vti rarius, maturioque consideratione concedatur. Vnde existimo lethaliter delecturum, & excommunione à Concilio statuta afficiendum qui licentia ore tenus concessa contentus Monasteria Monialium fuerit ingressus, cum posset licentiam in scriptis obtinere. Quæsierim autem, an id procedat in casibus frequenter occurrentibus, & à iure concessis, quales sunt ingressus Medici, Confessarij, Visitatoris, artificis, ac similium?

229 *In his non procedit.* In his non procedit, quia horum ingressus à iure est concessus, supponente quidem sæpissimè esse necessarium, & molestum admodum ad superiorem semper recurrere, vt licentia in scriptis expediatur. Sic Llamas *methodo. curat in append.* §. 6. Ioan. de la Cruz *l.* 1. *de statu Relig. c.* 5. *dub.* 2. *concl.* 3. *notab.* 3. Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. allegat.* 102. *num.* 57. *& in remiss. concil. ad c.* 5. *sess.* 25.

In his plane procedit, quia Concilium absque vlla exceptione de casibus necessariis, licentiam in scriptis requirit. Et licet ingressus Medici, Confessoris, Visitatoris artificis à iure est Concessus, quando adest necessitas: at hanc examinare, & approbare, Episcopo, vel superiori Monasterij competit. Imò aliquando expediens erit læpè hanc licétiam aliquibus ex his ministris abnegare, vnde penes Prælatum erit causam ingressus recognoscere. Ita Nauar. *comment.* 4. *de Relig. n.* 60. Sanchez *lib.* 6. *Decal. c.* 16. *numero* 34. Graf. *part.* 1. *decis. libro quarto capite* 25. *num.* 8. 230 *Procedit in his.*

Cum his probabilius opinor, addens tamen, si hæc licentia in scriptis commodè possit obtineri, vt excludam casum, quo ex expectatione præfatæ licentiæ graue incommodum timeretur. Non enim lex humana cum eo obligat rigore: imò nec obligaret licentiam vel ore tenus expectare, si ex ea expectatione graue periculum immineret. 231 *Authoris resolutio.*

DVBIVM LVII.

Si casu, quo à superiore expectari licentia nequeat, vt quis necessarius ingrediatur claustra, nec licentia, aut arbitrium Abbatissæ commissum sit: huius consensus sit ne expostulandus?

SI Abbatissæ commissa sit à Prælato facultas concedendi licentiam, vt committi potest iuxta aliquorum probabilem sententiam, de quo suprà: vel secundum nostram resolutionem concessa sit à superiore facultas iis, quibus Abbatissa necessarium esse iudicauerit: certum est, hanc facultatem, vel hoc arbitrium ab Abbatissa esse expostulandum, vt sic fiat ingressus ex superioris facultate. At si nec licentia, neque arbitrium commissum Abbatissæ sit; quæsierim, an consensus ingrediendi claustra ab Abbatissa sit expostulandus? 232 *Certum præmitto.*

Expostulandus est, quia credendum est, Prælatum pro his casibus vrgentibus, quibus consuli non potest vices suas Abbatissæ cõmisisse, vt maiori cum decentia fiat ingressus, & quoad fieri potest lex de præmittenda licentia obseruetur. Sic Sanchez *lib.* 6. *Decalog. cap.* 16. *num.* 37. Manu. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 46. *art.* 2. *& q.* 47. *a.* 4. 233 *Expostulandus est Abbatissæ consensus.*

Non est expostulandus, quia Abbatissæ facultas hæc committi nõ potest, vt ex Trident. superius ostendi. Et licet committi possit arbitrium, seu iudicium de legitima causa, id non postulat Abbatissæ officium, cum cuilibet alteri singulari committi valeat. Igitur postulanda illius licentia non est. Ita Graf. *decis. l.* 4. 234 *Expostulandus non est.*

l.4.c.23.num.6. Nauar. *comment.4.de Regul. num.* 60.

235 *Auctoris sententia.* Ego autem existimo (quamuis hoc verius esse reor) consensum tamen Abbatissæ cuiliber ingredienti ex licentia superioris in scriptis obtenta, esse necessarium. Quia cum Abbatissæ conuentus regimen sit commissum, credendum non est, superiorem contra eius voluntatem licentiam alicui illuc ingrediendi, impertire. Monuerim, licentiam absolute concessam ad ingrediendum Monialium conuentum, primo ingressu finiri, nisi aliud expresse in cõcessione declaretur. Quia est dispensatio aduersus clausuram iure communi statutam, ac proinde stricte est interpretanda. Barbosa *p.3.de potest. Episcop. alleg. 102.num.59.*

DVBIVM LVIII.

An legitima sit ingrediendi claustra Monialium causa exhortatio facienda, suscipiendaque in electione Abbatissæ suffragia?

236 *Nonnullæ suppono circa causas legitimi ingressus.* BOnifacius VIII. *Cap. Periculoso, de statu Monachor. in 6.* causam rationabilẽ & manifestam ingrediendi Monialium conuentus expostulat. Trident. *sess.25.c.5.* hoc decretum declarans, vel limitans, eam causam indicat rationab lem, quæ necessaria est. Idem tradit Pius V. & Gregor. XIII. in suis constitutionibus. Quanta verò debeat esse hæc necessitas, neque Concilium neque Pontifices definiunt, neque commodè poterat definiri, cum ex casibus particularibus, eorumque circumstantiis dependeat: ideoque prudentis arbitrio reliquere. Illud vero est certum, non requiri extremam, neque strictissimam necessitatem: sed grauem sufficere, cui moraliter succurri non possit absque Monasterij ingressu. Suar. *tom.4.de Relig. tr.8.l.1.cap.10.num.17.* Sanchez *l.6. Decalog. cap.16.num.40.* Barbosa *p.3.de potest. Episc. alleg.102.num.48.* Porro minor causa requiritur pro fœminarum ingressu, quam virorum: & pro ingressu matris, sororis, alterius que consanguineę, quam pro extraneæ: pro ingressu diurno, quam pro nocturno: pro ingressuque in priora receptacula, quam in officinas interiores, & cubicula, quia minus clausuram ostendit. Suar *ibid.* Quæsierim autem num sit legitima causa ingrediendi exhortatio facienda, suscipiendaque suffragia in Abbatissæ electione?

237 *Causa est legitima.* Causa est legitima, quia non decent hæc, sicut nec visitationis denunciatio publicè fieri. Sic nonnulli, quos presso nomine refert Castro Palao *tom.3.d.4.de statu Relig. pun.* 10.§.3.

238 *Causa legitima non ẽst.* Non est legitima causa, quia expresse Tridentinum *sess.25 c.7. de Regularibus* dixit: *Is qui electioni præest Episcopus siue alius superior claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum feneſtellam vota singularum audiat, vel recipiat.* Quæ verba etsi clarè præceptum non contineant, denotant tamen manifestè non esse causam legitimam ingressus electioni Abbatissæ præcise, cum totum id extra clausuram, ianuis Ecclesiæ clausis, fieri valeat. Ita Miranda Manu. Prælat. *tom.2. tr.de Sacris Monial.q.2.articulo 15.* Sanchez *l.6.Decal.cap.16.num.50.* Suar. *tom.4. de relig tr.8.l.1.c.10.num.23.* Manu. *tom.1.qq. Regul.q.46.art.5.* Nauar. *comment. 4.de regular.num.59.*

Hoc esse indico. At si ob Monialium inquietudinem, subornationis periculum, vel ob aliam causam superiores iudicent, opus esse ingredi Monasterium, & in illius Capitulo electionem facere: possunt equidem, quia Concilium necessarium ingressum non reuocauit *c.5.* permissum, sed declarauit, solam electioni assistentiam non esse necessitatis causam. Sanchez Manu. *supra* relati, & Barbosa *tom.3.de potest. Episc. alleg. 102. num.46.* 239 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM LIX.

An famulæ possint admitti pro priuato Monialu ministerio directè?

DIrectè admitti possunt, casu quo persona nobilis esset, ægræque valetudinis, aut nimiæ senectutis, nec satis ei per laicas, aut famulas Monasterij consuli possit, quia hoc planè ad necessitatis causam reducitur. Sic Sanchez. *l.6.Decal.c.16.n.66.* 240 *Possunt admitti.*

Non possunt directè admitti ad nullius priuatæ Monialis ministerium: sed omnes debent recipi, vt conuentui deseruiant. Quia obligationem habet infirmis consulendi, vnde si per receptas ad Monasterij seruitium famulas id præstare non valeat, aliæ recipi possunt. Ita Suar. *to.4.de relig tr.8.l.1.c.10.n.20.* 241 *Directè non possunt.*

Certum est, ex parte conuentus legitimam causam esse ingressus, si Moniales indigeant ad infima domus officia, & ad curandas infirmas fœminis seruitricibus. Sæpe enim Moniales choro addictæ non valent his officiis incumbere: & cum non adsint laicæ seu conuersæ, per quas commodè præstari possint, opus est has famulas excipi: debent tamen recipi sub conseruandæ clausuræ conditione. Manu. *to.2.qq.regul.q.46.art.7.* Pro ministerio autem priuatę Monialis directè attentis decretis Concilij ac Pontificum, indicarim, non posse famulas excipi, quod si eis succurri nequeat per receptas ad Monasterij commune ministerium possunt aliæ recipi, esto ea intentione recipiantur, vt singularis alicuius famulatui applicentur. Addiderim iam vsu receptum (nescio quanta introducentium securitate) priuatis Monialibus haud difficile famulas permitti. 242 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM LX.

Frequens accessus ad colloquendam Monialem prohibitus, inducitur ne, duobus solùm actibus?

243 *Præmitto Pontificiis decreta.*

SVppono, *in cap.* Monasteria, de vita, & honest. Cleric. expresè Alexandrum III. intendentem accessum frequentem ad Monialium Monasteria remouere, dixisse: *Monasteria monialium si quispiam Clericus sine manifesta, & notabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum, arceatur: etsi non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis: si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.* At Bonifacium VIII. *in cap. Periculoso, de statu Monach. in 6.* non solùm frequentem accessum, sed accessum ad ea Monasteria interdixisse tam viris, quam fœminis: *nullique aliquatenus inhonestæ personæ, neque etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinet, speciali licentia ingressus pateat ad easdem Moniales.* Certè accessus prohibitus *in cap. Periculoso*, est aditus ad Monialium Monasteria gratia videndi, seu colloquendi cum Monialibus: nam si ex alia causa illuc accedat, sub illa prohibitione non comprehenditur. Suarius *to.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 1. *c.* 10. *d.* 24. Dubito autem, quis sit frequens accessus? an ex duobus solùm actibus inducatur.

244 *Inducitur quidem.*

Inducitur quidem, quia duplex actus sufficiens est, maximè in re adeò graui, vt verbi *frequentare* vis saluetur. Sic Glos. *ad cap. Monasteria.* Abbas *num.* 5. Quæstionem indecisam relinquens. Cosmas in pragmat. *ad cap. Frequens, §. quapropter. f. l.* 54. Stepran. Grat. *disceptforens. c.* 393. *n.* 18.

245 *Non inducitur.*

Non inducitur duabus actionibus, quia si inter vnum & alterum accessum longum interponatur tempus, nullatenus dici potest quis frequentem accessum habere. Ita Nauar. *comment.* 4. *de regular. num.* 61. Manu. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 45. *a.* 4. Sanchez *l.* 6. *Decal. cap.* 16. *num.* 110. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 1. *c.* 10. *n.* 25. Barbosa *tom.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 79. & alij apud Sanchez.

246 *Auctoris resolutio.*

Existimo, ex communi modo loquendi hanc quæstionem decidendam esse, & prudentis arbitrio relinquendam. Vnde Nauarrus, & Manuel putant non esse frequentiam, si annis singulis tribus vel quatuor vicibus quis accedat: bene tamen si tribus diebus continuis. Llamas asserit *in metho. curat. append.* §. 4. frequentiam constitui, si duabus vicibus vna die, vel duobus diebus continuis quis accedat. Sequor Sancium affirmantem, ex vnico accessu singulis mensibus, vel ex accessu tribus diebus continuis fieri frequentiam.

DVBIVM LXI.

Sub accessu prohibito comprehenditur ne litterarum immissio?

247 *Comprehenditur plane.*

COmprehenditur quidem, quia his decretis non tam accessus materialis corporis, quam formalis mentis prohibetur. Ergò cum missione litteratum mente quis ad Monialem alloquendam accedat, sub prohibitione accessus comprehenditur. Certè *in capit. clericus* 81. sub eisdem pœnis prohibetur clericis secreta per domesticos matronæ mandare, sub quibus est prohibitus ad eius domicilium accessus. Præterea Gregor. XIII. teste Nauarro *cons.* 60. *de sent. excom.* quibusdam Regularibus præcepit sub latæ sententiæ excommunicatione, ne in Ordinis Monialibus scriberent. Et Romæ est decretum à Pontificis Vicario promulgatum (eodem Nauarro *comment. quæst. de regular. numero* 61. asserente) nequis vir, vel fœmina noctu, aut die loquatur, vel scribat Moniali alicui, vel Prælatæ, vel puellæ in Monasterio quacumque ex causa inclusæ absque Vicarij eiusdem, aut Protectoris Ordinis licentia, sub pœna quingentorum aureorum, & aliis arbitrariis. Ergò satis indicatur Pontificis intentio litterarum immissionem, quæ quidem nonnunquam maius damnum spirituale Moniali, quam allocutio inferunt, vbique prohibentis. Sic nonnulli Doctores plus paritati rationis, quam decretorum tenori innixi.

248 *Non comprehenditur.*

Minimè comprehenditur sub accessu prohibito litterarum immissio, quia cum quis alicui litteras mittit, haud propriè dicitur ad illum accedere. Nam accessus in sua propria significatione sumptus, est aditus, seu propinquatio. At in legibus, ac præceptis non sunt verba impropriè sumenda, præcipue ad effectum extendendi prohibitionem; ergò nullatenus litterarum immissio sub prohibitione accessus debet comprehendi. Ita Suarius *to.* 4. *de Relig. tract.* 8 *l.* 1. *cap.* 10. *numero* 28. Nauar. *vbi s.* Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 102. *num.* 80.

249 *Hoc certum esse reor.*

Cum his sentio pro certo existimans, sub accessu missionem litterarum non venire. Nam Gregorij decretum pro illis Regularibus singulariter fuit expeditum. Et Vicarij decretum extra Romanam ditionem non extenditur, quia factum est à Vicario Pontificis, cuius iurisdictio extra Romanam curiam non viget, cum eius licentia vel Protectoris Ordinis Romæ commorantium exposulatur.

DVBIVM

DVBIVM LXII.

Si Religiosi illi, quibus præcipit Gregorius sui Ordinis Monialibus non scribere: vel Romani ciues contra Vicarij Pontificis decretum epistolam ad Monialem immittunt, quæ tamen ad eius manus non peruenit: Hi incidunt ne, in pœnas eis decretis præscriptas?

250 *Incidunt quidem.* INcidunt quidem, quia præstant opus, cui pœnæ illæ sunt annexæ. Opus enim prohibitum est Moniali scribere, quod opus iam iniquè est præstitū, licèt Monialis accidentaliter literas non recipiat. Sic nonnulli, quorum sententiam Palao probabilem esse iudicat, dum contrariam dicit esse veriorem, *tomo tertio d. quart. de statu relig. punct. 11. n. 5.*

251 *Non incidit.* Non incidit, quia Pontifex prohibens, ne quis Monialibus scribat, non prohibet scripturam vtcumque, sed scripturā, qua cum Monialibus communicatio fiat. In illa enim communicatione datur eis inquietudinis occasio, & fortè turpitudinis, quod periculum Pontifex curat hac prohibitione remouere. Ita Palao *citatus.* Nauar. *cons. 60. de senten. excommun.* Manuel *tomo primo qq. regul quæstione 45. a. tertio* Sanchez *l. sext. Decal. cap. 16. num. 117.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. alleg. 101. n. 77.*

252 *Idem affirmo.* Idem affirmo. Nam dum scriptura Monialis non venit ad manus, neque ab ea legitur, nulla cum ea est communicatio, neque vlla ei delinquendi occasio tribuitur. Ergò non est opus, cui sunt annexæ pœnæ: atque adeò ex illo præcisè quòd scriptæ sint litteræ ea intentione non contrahuntur.

DVBIVM LXIII.

Accessus ad Monialium Conuentus, vt quis cum eis colloquatur estne per se sub hu pœnis prohibitus, seclusis extrinsecis circumstantiis?

253 *Per se est prohibitus.* PEr se est prohibitus, Quia Tridentinum *sess. 25. capit. sept.* dixit se renouare constitutionem Bonifacij VIII. Et Pius V. in constit. quæ incipit, *circa Pastoralis officij* dixit, se approbare, & innouare in omnibus, & per omnia constitutionem Bonifacij, illamque districtè obseruari, mandare. Fauent textus *in cap in decima*, & *cap. definimus*, idem statuentia, quæ Bonifacius. Ergò etiam seclusis extrinsecis circumstantiis, accessus ad Monialium cœnobia per se est prohibitus. Sic nonnulli, quorum mentem probabilem esse indicat Palao, & alij.

254 *Non est prohibitus per se.* Per se prohibitus non est, quia prohibitio facta *in capi t. Periculoso* tam de ingressu, quam de accessu consuetudine fuit abrogata. At nec Tridentin. decreto, nec vlla alia Pontificia constitutione est illa prohibitio accessus innouata. Nam licet Tridentin. initio decreti dixerit, se renouare constitutionem Bonifacij VIII. at cum renouationem subiungit, solùm meminit egressus, & ingressus, nulla de accessu mentione facta. Pius verò etsi in constitutione illa *circa Pastoralis* dixerit, se approbare, & innouare in omnibus, & per omnia constitutionem Bonifacij: non indè infertur renouare accessu prohibitionem, quia nec verbum vllum de accessu fecit, & illa generalia verba iuxta subiectam materiam sunt accipienda. Illa autem verba. *In omnibus, & per omnia* hunc sensum admittunt: se scilicet innouare constitutionem Bonifacij prohibentem Monialibus ingressum in omnibus & per omnia, quæ hanc prohibitionem concernunt. Denique *capit. Decima*, & *capit. definimus* præceptiua verba non continent. Ita Palao *tomo tertio d. quart. de stat. relig punct. 11. numero sept.* Nauarrus *comment. quart de regular. numero 61.* Manuel *tomo tertio qq regul. quæstion. 45. a 4.* Suar. *tomo quart. de relig. tract. 8 l. 1. cap. 10. num 27.*

255 *Hoc defendo, & circumstantiæ ex quibus peccatum est & prohibitum enuncio.* Probabilius existimo, per se seclusis circumstantiis accessum illum non esse peccatum, quia per se peccatum esse nequit nisi stante iuris positiui prohibitione. Addiderim verò, licèt accessus ad Monasteria Monialium per se prohibitus non sit, nec peccatum: at spectatis circumstantiis extrinsecis sæpè grauem culpam constituit. Nam si praua intentione quis accedat, si periculum lapsus inducat, vel Moniali alloquendæ inijciat; si alijs scandalo sit, vel occasionem præbeat, siniſtrā de Monasterio opinionem habendi, grauiter proculdubio delinquit. At eo periculo, & suspicionis causa cessante, accessus graue peccatum non erit. Cæterum quoad frequentiam attinet, spectandæ sunt præfatæ circumstantiæ scandali, siniſtræ suspicionis, & periculi, quia in frequentia facilius aderunt. Ideoque frequentem collocutionem adolescentis cum Moniali rarò à lethali excusarem. Verùm si illæ circumstantiæ cessent; satis probabile existimo, solam esse culpam venialem, nisi superioris monitio præceptiua adesset, quia non videtur res grauis. Textus autem *in cap. Monasteria*, graues pœnas indicens, nec est consuetudine reuocatus, non obstat. Nam illæ pœnæ statutæ non sunt aduersus frequentantes absolutè; sed aduersus frequentantes postquam à superiore monitione præceptiua fuerint correcti, vt constat ex illis verbis: *per Episcopum arceantur*, id est, per Episcopum monitione corrigantur, vti exponit Cardin & Ioan. Andr. *ibi.* Mecum Suar. *tom. 4. l. 11 cap. 10. num. 25.*

CAPVT

CAPVT X.

Circa actus iudiciales Religiosis interdictos.

DVBIVM LXIV.

Religiosus, qui in Cathedrali Ecclesia dignitatem non habet, potestne, esse iudex conseruator?

256 *Nonnulla suppono*

VPPONO: Religiosum forensis & Ecclesiastici negotij iudicem esse non posse nisi licentia sui Prælati, & Monasterij vtilitate interueniente, *capit. Monachus, el 2. ex Tarraconensi 16. quæst. 1.* licentiam verò hanc concedere posse non solùm Generalem Prælatum, & Prouincialem, sed & localem, quia verè est superior, Sanc. *l. 6. decal. cap. 13. num. 8.* A superiori regula excipi Religiosos D. Franc. sci, quibus ob speciale institutum prohibita est quælibet in iure assistentia. *Clement. exiui de paradiso, de verbor. significat.* His autem exceptis, posse Religiosos esse Episcoporum Vicarios ex Prælatorum licentia in lites arbitros. Iudicis Assessores. Iudices delegatos Episcoporum: pontificis autem solos Prælatos. Quid autem dicendum de iudice conseruatore, qui à Pontifice designatur pro miserabilium personarum defensione, scilicet viduarum, pupillorum, tenuum, decrepitorum, ac Religiosorum? Num Religiosus, qui in Cathedrali Ecclesia dignitatem non habet, possit iudex conseruator esse.

257 *Non potest.*

Minime potest, quia ita cauetur *in cap. vlt. de offic. delegati in 6.* Limitans textum *in cap. statutum.* In illo enim *cap.* statuitur conseruatores esse non posse nisi Episcopos, aut aliorum superiores, vel Abbates, vel dignitates, vel personatus in Ecclesiis Cathedralibus seu collegiatis obtinentes. Sic Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 106. num. 8.* Miranda *manu. Prælator. tom. 1. quæst. 47. a. 2.* Molina *tom. 6. de iust. d. 29. num. 3.* Mann. *tom 1. qq. Regul. qu. 65. a. 2.*

258 *Potest planè.*

Potest planè, licet in Cathedrali Ecclesia dignitatem non habet, quia si priuilegia Societatis Iesu spectentur, quilibet superior Regularis in iudicem conseruatorem, vti constat ex Bulla Gregor. XV. edita anno 1573. sic Manuel *tom. 1. qq. regul. quæst. 65. a. 3.* Palao *tom. 3. de stat. rel. q. d. 4. pun. 12. §. 1. num. 91.* Sanch *l. 6 decal. c. 13. n. 79.*

259 *Auctoris resolutio.*

Ego autem, quidquid sit de hac priuilegio societatis, & de *cap. fin. de offic. delegati.* Affirmo cum Palao, standum esse constitutioni Clement. VIII. editæ anno 1592. & Gregor. XV. editæ anno 1621. quarum tenorem refert Barbosa *tom. 1. de potest. Episc. alleg. 106. num. 53.* quibus cauetur, nullum aliud conseruatorem eligi posse ex Regularibus, nisi qui qualitates habeat *in cap. statutum* præscriptas, designatusque iudex sit in Synodo Prouinciali, seu Diœcesano. Et ob hanc causam quærente Arch episcopo Turritanno, an Regulares vnius conuentus, Monasterij, vel domus, aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemuis alium quauis dignitate Regulari fulgentem in suum Conseruatorem eligere, vel deputare possent: Sacra Congregatio Cardinalium respondit 6. Octobr. anno 1617. non posse. Sic Barbosa *n. 15*

DVBIVM LXV.

Quando Religiosus propriam causam defendit, si peculium non habeat, expensæ sumine à Monasterio exhibendæ?

REgula certissima est, nullum Religiosum posse esse actorem, vel reum in iudicio in causis ciuilibus, quia cum omnia iura, bona, iura, & actiones in Monasterium transtulerit, non ipse, sed Monasterium petere, vel respondere debet. In causis verò criminalibus posse actionem intentare nisi de licentia sui Prælati, tem præsumpta sui superioris, quæ cessetur concessa superiore absente, & non relinquente procuratorem, quia Monachus sui iuris non est, sed Religionis, ac proinde non ipse, sed Religio iniuriæ actionem intentare debet, *leg. sed si vnius, §. ait Prætor ff. de iniuriis.* Aliquas exceptiones hæc Regula patitur, quibus Religiosus actor, & reus esse potest tam in ciuilibus, quam in criminalibus absque Prælati sui facultate, ex licentia tamen à iure concessa. Primò, si beneficium habeat saltem manuale, quia eo tempore liberam habet beneficij administrationem, ac sui iuris esse reputatur. Secundò, si ex licentia prælati sit in studio litterarum, vel in alio negotio, agere, & conueniri potest pro contractibus occasione studij, vel negotij celebratis, vel pro iniuria eo tempore accepta. Tertiò, si superior sit absens, præsumatque Religiosus licentiam concessurum. Quartò, agere potest pro iuris sibi ex professione competentis conseruatione, quale est, nè iniuste ab Ordine expellatur, neue alimenta communia ei denegentur, &c. Quintò, si intentanda esset lis circa professionis valorem, poterit agere absque Abbatis licentia, cum aduersus illum pro iure libertatis in hac causa procedat. Sextò, poterit Abbatem ob delictum commissum accusare, si iudicauerit expedire, quia in ea accusatione vtilitatem Monasterij gerit. Idem autem, quod de accusatione dixi, dicendum est de denunciatione iudiciali, quia hæc accusationem imitatur secus de denunciatione fraterna, & Charitatiua tendente ad solam fratris correctionem, quam quilibet Religiosus de quocumque alio agere potest iuxta Christi Domini præceptum, *Mat. 18 si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Nunc. *comment. 2 de regul. num. 29.* & 65. Azor. *p. 1. l. 12. cap. 11. quæst. 9.* Sanch. *l. 6.*

260 *Plura tria de prohibitione, quæ habet Religiosus, ne quis ei bona, iura, & actiones subripiat, vel auferat.*

l.6.decal cap 12.num.14.15.16.18.19.& 29. Quæritur verò, an Monasterium debeat expensas in præfatis casibus Religiosis suppeditare? debet quidem, si Religiosus peculium non habeat. Et quidem quando Abbatem, vel ex illius licentia alium fratrem accusat, quæ quidem accusatio in Monasterij cedit vtilitatem fere omnes Doctores affirmant, expensas a Monasterio esse ministrandas, quia eius negotium geritur. Quid verò quando Religiosus propriam causam defendit; & peculio caret.

261 *Non sunt expensa à Monasterio tribuendæ.* Non sunt expensæ à Monasterio exhibendæ, quia si propriam, & non Monasterij causam agit, cur onus expensas exhibendi Monasterium habebit? Sic nonnulli Doctores, quorum mentem Palao *t.3. d.4. de relig. statu punct.12.§.2.num.6.* indicat esse probabilem.

262 *Tribuendæ à Monasterio sunt,* Exhibendæ à Monasterio sunt, ne Religiosus indefensus maneat, quia eius defensio saltem indirectè in Monasterij cedit vtilitatem, ne Religiosum coactum habeat, neue eius iura læsa & irreparata. Certè inutilis esset facultas se defendendi, si media, quibus se Religiosus potest defendere, ei non suppeditantur. Ita Glos. *ad cap. ex parte, de accusat. fine.* Ioan. Andr. *ibi.* Abbas *n.9.* Felin. *n.4.* & alij.

263 *Hoc verius esse iudico, si Religiosus peculium non habet.* Hoc verius esse reor supponens Religiosum non habere peculium. Si enim habeat, æquum non est, à Monasterio litis expensas petere, cum propriam gerit causam, quia eo fine peculium conceditur, vt Religiosus ex eo sibi necessaria ad casus occurrentes prouideat, & Monasterij bonis parcat. Suar. *de aliment. tit. 1. quæst.121.* Abbas *ad capit. Ex parte numero nono.* Felin. *numero quart.* Sanchez *l.6. decal. cap.12.num.21.*

DVBIVM LXVI.

Licitumne est, Religiosis, in vna vel altera causa aduocare, vel procurare in iudicio?

264 *Nonnulla suppono.* Officium aduocati, vel procuratoris tam in iudicio sæculari, quam Ecclesiastico prohibitum Religiosis esse, constat ex *cap. Monachi, dist.2.16. quæst.1. & ex c. ex parte, de postulando, & Clement. Religiosus, de Procuratorib.* Accedente autem Prælati licentia, & Monasterij vtilitate id potest præstare Religiosus quisque, dummodo ex Familia Minorum non sit. Notanter dixi, *in iudicio.* Nam esse Aduocatum vel Procuratorem extra, prohibitum non est, quia *cap. Monachi, & cap. ex parte* de aduocatione, ac procuratione in iudicio expressè loquuntur. Quæritur autem, an hæc prohibitio adeo sit stricta, vt neque in vna, vel altera causa liceat Religiosis aduocare, vel procurare in iudicio? & eadem quæstio procedit de iudicis officio.

265 *Est licitum est.* Licitum est eis, quia suscipiens vnam, vel alteram causam defendendam, non est absolutè Aduocatus, & Procurator: nec in rigore Aduocati, vel Procuratoris gerit officium. Nam officium hoc, vt constat ex communi modo loquendi, vium continuatum, aduocandi, ac procurandi expostulat. At textus *in cap. Monachi, & cap. ex parte, & Clement.2.* prohibent eam Aduocationem, ac procurationem, quæ verè Aduocatum, & procuratorem constituunt, & ratione cuius dici potest eam exercens, officium Aduocati, ac procuratoris habere. Ergò susceptio vnius, vel alterius causæ breuiter expediendæ non est prohibita. Sic Angel. *v. Aduocatus, num.9.* Sayr. *in Clau. l.12.cap.22.num.5.* Nauar. *comment.2. de regular.num.66.* Salcedo *pract.qq.cap.57.& 63.* & alij.

Eis non est licitum, quia *in cap. Monachi & in capit.2. de postulando* dicitur, nè vllus Monachus forensis vel Ecclesiastici negotij susceptor, vel executor existat, nisi quod Monasterij exposcit vtilitas, & abbas imperet suscipiendum. Ita Syluest. *v. Aduocatus, qu.7.* Decius *c.2.n.74. de iudiciis.* Sanch. *l.6. decal. cap.13.num.3.* 266 *Non est eis licitum.*

Veriorem hanc partem esse iudico. Nam iuxta præfatos textus applicandae est *Clement. Religiosus*, dicens: *non potest sine sui superioris licentia Procuratoris officium suscipere*, id est, non potest officium suscipere cuiuslibet causæ procurandæ. Singularis enim causæ susceptio & procuratio imbi prohibetur. 267 *Verius hæc pars.*

DVBIVM LXVII.

Si Religiosus constituatur simplex nuncius, ad constituendum Procuratorem: indigetne ad hoc superioris licentia?

268 *Certa suppono.* Certum est, non solùm Religioso esse prohibitum Procuratoris munus suscipere absque superioris licentia: sed etiam procuratorem constituere, seu substituere. *Clement. Religiosus, de Procuratorib.* ita non potest alium procuratorem constituere, seu substituere, etiamsi per constituentē hoc sibi expresse fuerit commissum, quia prohibita Religioso procuratione, æquum erat prohiberi facultatem procurandi, alteri communicati. Quæstio autem suboritur. An si Religiosus constituatur simplex nuncius ad constituendum Procuratorem, ad hoc superioris licentia indigeat.

269 *Indiget licentia.* Indiget quidem, quia præfata *Clement.* indistinctè loquitur de constitutione procuratoris: & quia Religiosus non habet velle, aut nolle. Sic Sanchez *l.6.decal.c.13.n.14.* Abbas *ad Clement. Religiosus, fine.*

270 *Non indiget.* Non indiget, quia eo casu Religiosus non constituit Procuratorem, sed solùm nominat personam ab alio in procuratorem constituendam. At *Clement.* de vera constitutione, ac substitutione loquitur: ergò hanc nominationem minimè comprehendit: ita Bartolo *leg. prima §. item acquirimus, numer. vlt. ff. de acquir. possess.* Palao *tomo tertio d.4.*

d. quart. de statu relig. punct. 12. §. tertio numero septimo.

271 *Verius hoc mihi.* Verius hoc mihi. Neque enim obstat, Religiosum velle, ac nolle non habere. Id enim solummodo probat, eam nominationem à Religioso illius superiore prohiberi posse, eo quod non habeat velle, aut nolle independens: at non probat, ad omnem voluntatem licentiam superioris prærequiri.

DVBIVM LXVIII.

An Religiosus possit permittere se instrumentalem testem scribi in aliquo instrumento, nisi habita prius à superiore facultate?

272 *Certa resero.* CErtum est, Religiosum indigere superioris licentia, ad præstandum testimonium coram iudice non suo, quia non debet subditus alieno superiori se le sine proprij consensu submittere. Sanchez plures referens, *l. 6. decal. cap. 13. num. 103.* Layman *l. 4. tra. 5. cap. 11. num. 3.* Quæsierim verò, an Religiosus sine superioris licentia possit permittere, se testem scribi in aliquo instrumento, vel testem instrumentalem assignari.

273 *Non potest.* Non potest permittere se testem instrumentalem scribi, quia non est sui iuris, nec velle, ac nolle habet. Nec decet, Religiosum statum, sæcularibus negotiis implicari. Ideò Eugenius II. *cap. fin. 14. quæst. 2.* dixit: *quamquam sacerdotum testimonium credibilius habeatur, tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testimoniis, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit.* Sic Farinac. *tr. de test. quæst. 61. num. 130.* Layman *l. quart. tract. quint. capit. 11. num. 3.* Excipit tamen nisi causa pia, vel conuentus in ipso instrumento, in quo Religiosus est testis, instruerentur. Faber, Mascard. Angel. à Palao *citati.*

274 *Potest, planè.* Potest equidem sine licentia testem instrumentalem gerere tam in testamento, quam in qualibet alia scriptura, quia nullibi Religiosis interdicitur instrumentarios esse testes. Nam *capit. quamquam*, de instrumento iudiciali loquitur, vt expendenti constabit: adde, hunc textum non prohibere Religiosis, si rogati sint, testimonium ferre. sed iudicibus interdicit, ne pro testimonio ferendo eos rogent, si aliunde veritas valeat agnosci. Ita notauit Sanchez de Franciscanis *l. sext decal. capit. 13. numero 101.* & de Iesuitis, *numero 106.* Palao *tomo 3. d. quart. de statu relig. punct. 12. §. 3. num. 11.*

275 *Hoc verius esse credo.* Crederim, hoc verius esse. Nec enim vel ex generali obligatione, qua Religiosi tenentur à sæcularibus abstinere negotiis, infertur, non posse in vno, vel alio instrumento testes fieri, aliqua rationabili causa intercedente, sed solùm infertur, ne passim in qualibet scriptura testis assistant: neue in aliqua testimonium præstent, quin honesto fine ducantur. Extendo doctrinam ad Religiosos Minores, & Societatis nostræ, quibus suæ constitutionis regulæ huiusmodi testimonium præstare minimè interdicunt.

DVBIVM LXIX.

Officium iudicis à Religioso susceptum, ab ipsoque exercitum absque Prælati sui licentia, nullum est?

NVllum est, quia seruo (ex. gr.) Religioso comparatur, cuius arbitrium, ac iudicium nullum est. Sic Glos. loquens de offic. arbitr. *leg. Padius 7. §. in seruum. ff. de arbitris.* Sanchez *l. 6. decal. c. 15. n. 69. & 97.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 11. n. 6.* 276 *Nullum est.*

Non est nullum, quia etiam Religiosus filiofamilias comparatur, cuius iudicium est validum, quamuis patris consensus non accesserit. Alias si ex comparatione ad seruum inferendum esset, officium iudicis à Religioso exercitum nullius esse valoris: dicendum esset, neque ex Prælati licentia validum fore: siquidem seruus et ã ex licentia domini iudex esse non potest. Ita Fului. Panian. *consit. 162. num. 72.* Palao *t. 3. d. 4. de statu relig punct. 12. §. 4. num. 2.* 277 *Non est nullum.*

Fateor, inefficax esse primæ sententiæ argumentum, quia ex serui iudicio irritato, non debet inferri Religiosi iudicium annullari, cum sit ratio omninò diuersa. Serui namque iudicium annullatur, non quia seruus domino est subiectus, sed quia vtilis est. Quare censuerim Religiosi iudicium validum quidem esse, dum à Prælato eius non irritatur: posse autem Prælatum illud irritare, ac annullare ob dominium & potestatem, quam in eius obtinet voluntatem. 278 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM LXX.

An Aduocatii, & Procuratorii munus exerceat validè Religiosus sine Prælati facultate?

CErtum mihi, actoris munus inualidè à Religioso præstari, si sine prælati licentia illud obeat in omnibus illis casus, quibus vidimus supra licentiam requiri, quia Religioso caret fundamento iudicij, cum nihil habeat proprium, omniaque sua iura, & actiones Religionis sint: ac proindè independenter à Religione inualidè petit, vel ab eo petitur. Et ex hoc capite verum est seruo, ac filiofamilias comparari, qui nec agere, nec conueniri in iudicio possunt, *leg. lis nulla, leg. vix. ff. de iudiciis, leg. seruus, C. eodem tit.* De officio autem Aduocati, & Procuratoris requiro, an Religiosus ea validè sine superioris facultate exerceat. 279 *Certa mea.*

Non exerceat validè, quia non censetur, legitima persona, vt in iudicio proprio nomine, vel alieno assistat: sicuti seruus, cui in hac parte comparandus videtur. Et quia *Clement. Religiosis* loquens de Procuratoris officio Religiosis 280 *Verius hoc mihi.*

Religiosis interdicto, vtitur verbo, *non potest*, quod inducit necessitatem, & actum contra gestum reddit omninò nullum. Sic Glos. *Regula, non potest de regular. in 6.* Tiraquel. *post leg connubi. glos. 4 num. 1.* Couar. *cap. Tua, de testam. num. 1.* Gotier. *leg. Nemo potest, n. m. 147 ff de legat. 2.* Abbas *cap in nostra, de procurat. numer. 9.* Decius *capit. de iudic. numer. 78* Layman. *l. 4. tract. 5. cap. 11. num. 1.* & alij.

281 *Vbi de exercet.* Valdè exercet, dum à superiore non irritatur, vel à parte contraria non excipitur, iquì Religiosus iure naturali, etiam eius professioni oppositæ, non est ad hæc munera inhabilis, cum non agat nomine proprio, sed alieno: nec propria iura, sed aliena patrocinetur. Ex iure autem positiuo non apparet textus, ex quo hæc inhabilitas colligatur. I a Paruit *3. d 4 de statu Relig. par. 3 n 4.* Sanch *2 l 6. Decal. c. 13. n. 42.* Bellamera *cap. Ex parte, n. 2. de postulando.*

282 *Hanc partem defendo.* Fateor communem esse primam sententiam, sed secundam veriorem esse affirmo. Verum enim non est, verbum. *Non potest* semper inducere incapacitatem in actu; sed solùm quando ipsum actum afficit. Vt si lex diceret: non potest talis actus esse. Secus verò quando personam operantem alias habilem facit, vt in præsenti. Nam *in c. 2. de testam in 6.* in verbo, *Non potest* ibi prohibetur Religiosis esse testamentorum executores, & tamen Sanch *2 cap. 11. num 44.* plures referens fiemat validam esse executionem absque superioris licentia factam. Ergò ex verbo. *Non potest* desumitur efficax argumentum hanc irritationem adstruendi: aduerti autem *nisi à parte contraria excipiatur*, quia ea exceptio legitima est, debetque à iudice admitti, vtpote legi conformis: vndè ea facta, censendus est Religiosus à iudiciali aduocatione, ac procuratione iure ipso repulsus.

DVBIVM LXXI.

An nullum sit officium Tabellionis à Religioso sine licentia superioris exercitum?

283 *Nullum est.* NVllum est instrumentum à Religioso sine Abbatis licentia confectum, quia est aduersus legem relatam *in cap sicut, ne clerici, vel Monachi*, prohibentem illius vsum. Sic Couar *pract. qq. cap. 19. n. 8.* Decius *c. 2. de iudiciis, n. 8. alias 78.*

284 *Non est nullum.* Instrumentum confectum à Religioso sine superioris facultate validum est, quia nullus est textus irritans eius valorem. Nam textus *in cap. sicut* æque de clericis ac de Monachis loquitur, nullumque est ibi verbum irritationem significans. Et in clericis, qui ante Clericatum Tabelliones erant, plurimi Doctores, quos refert, ac sequitur Couar. *ciratus*, defendunt, valida esse eorum instrumenta in Clericatu confecta. Neque ex eo, quod actus fiat contra legem, inferendum est, esse nullum, quia insuper requiritur, quod

fiat contra formam & solemnitatem à lege præscriptam. ita Gregor. Lopez *leg. 28 tit. 11. part. 5.* Sanch *l. 6. Decal. c. 13. n. 48.* Layman *l. 4. tra. 5. c. 11. n. 4.*

Cum his opinor, iudicans tamen, excipi debere, nisi superior Religioso interdiceret, Tabellionatus vsum, & de hoc interdicto publicè constaret. Nam hoc interdictum prohibitioni legis addi tum censetur esse actus iritatio, ne irritus ane sim, & inutile. 285 *Cum his opinor.*

DVBIVM LXXII.

Religiosi testimonium præstitum in iudicio sine superioris licentia, esne validum?

NOn est validum, quia eo ipso, quo Religiosus deponit absque sui superioris facultate, deponit coram non iudice; quia comparatione illius iudex non est: ergò illa depositio iudicialis valere non potest. Sic Angel. de Arecio *instit. de iure pers nar in rub. num. 7.* Angel. de Clauasio *sum. v. Test 5, n. 4.* Inclinat Felin. *capit. cum nuncius, de test. num. 7.* 286 *Validum non est.*

Validum est, quia nullus est textus hanc depositionem infirmans. Ergò valida erit, tametsi illicitè facta. Ita Sanch. *l. 6. Decal. cap. 13. numer. 108.* Abbas *cap. cum nuncius, num 4. de testib.* Fatinac. *tract. de testib q. 2 fison. 61. num 154.* Layman. *l. 4. tract. 5. cap. 11. num. 3.* 287 *Est validum.*

Probabilius existimo validam esse depositionem tametsi coram iudice incompetenti. Nam incompetentia iudicis depositionem non reddit nullam, vti supponit Couar. *l. 2. var. cap. 13. num 7.*

CAPVT XI.

Circa actiones extraiudiciales Religiosis specialiter interdictas.

DVBIVM LXXIII.

Validane est accepta io, & executio testamenti à Religioso sine superioris licentia?

PRIMAM actionem extraiudicialem prohibitam Religiosis absque eorum superioris licentia executionem vltimæ voluntatis enumero, *capit Religiosus se und. de testam in 6. Clement. vlt testamenti de tesament.* Interdicta itaque est Religioso susceptio, *prohibitam.* 288 *Nonnulla circa recolo circa executionē Religioso Religioso*

susceptio, ac executio testamenti absque superioris facultate: licentia autem adhibita, prohibitio cessat. Quilibet Prælatus etiam localis hanc licentiam concedere potest, nisi consuetudine, vel Religionis constitutionibus aliter sit præscriptum, vti in nostra Societate, vbi huiusmodi facultas Generali præposito est reseruata, à quo tamen Prouinciales assolent potestatem habere, vt huiusmodi licentiam impendere aliquo in casu valeant. Possunt superiores secum ea licentia vti: data verò subditis reuocari potest antequam ea vti incipiant: secus postea, quia per executionem cœptam hæres, & legatarij ius obtinuerunt, vt ad finem executio producatur. Coram Ordinario tenetur Religiosus testamentarius rationem reddere. Hæc quidem certa. Dubito autem, an acceptatio, & executio testamenti sine superioris licentia, validæ sint.

289 *Non sunt validæ actiones.* Non sunt validæ, quia textus *in capit. Religiosus, de testam.* vtitur verbo. *Non potest*, quod videtur potentiam tollere, & actum contra gestum reddere nullum. Deinde illa acceptatio est contra legis prohibitionem, quæ regulariter reddit actum nullum, iuxta *leg. Non dubium, Cod. de legib.* Denique est acceptatio & executio sine voluntate, cum sit absque voluntate Prælati. Nam cum Religiosus non habeat velle & nolle, dici nequit, voluntatem habere. Sic Conarru. *capit. Tua nos, de testam. numero secund.* Manuel *qq. Regul. tomo primo quæstion. 65. a. tertio.* Sanchez *l. sexto Decal. capit. 11. numero 43.* probabilem valde esse putat.

290 *Validæ sunt.* Validæ sunt, quia *in capit. secund. de testam. in sext.* solùm hæc susceptio & executio prohibetur: nec vlterius lex procedit ad irritandum actum prohibitum. Ideo enim (vti vidimus) officium Procuratoris sine superioris licentia validè suscipitur, quia textus *in capit. Monachi 16. quæstion. prima & Clement. Religiosus, de procuratoribus.* Solam prohibitionem exprimunt, absque addita irritatione. Ita Gregor. Lopez *l secund. v. Frayles tit. 10 part. sext.* Menoch. *de præsumpt. l. secund. præsumpt. 46. numero 14.* Azorius *tomo primo l. 12. capit. 11. quæstion. primo.* Matienzo *l quinto recopil. tit quart. leg. 14. glos. 1. num. 4.* Sanch. *citat. n. 44.*

291 *Auctoris resolutio.* Profectò primam sententiam valde probabilem esse video, teneo tamen secundam meo iudicio probabiliorem. Nam cum textus *in cap. Religiosus* prohibitionem statuerit, quin addiderit irritationem: asserendum actus gestos validos esse, licet præstentur illicitè, quod exemplo militis confirmo, cui prohibitum est esse procuratorem; si tamen à iudicio non repellitur, valent per eum gesta *leg. filius familias, §. veterani, ff. de procurat.*

DVBIVM LXXIV.

Officium commissarij ad condendum testamentum, ad eligendos executores, nominandas personas, quibus legata distribuenda sunt, præbendumque consilium executoribus, vt iuxta testamentum exequantur: potestne gerere Religiosus absque speciali superioris licentia?

NOn potest, quia officium commissarij, & executoris æquiparatur. Porro ideò testamenti executio Religiosis interdicitur nè litigiis inuoluantur, nevè curis sæcularibus implicentur. Quæ ratio æque videtur procedere in commissarij officio. Sic Sanchez *l. 6. Decal. cap. 11. num 48.* Spino *in speculo testam glos. 28. n. 32.* Matienzo *l. 5. recopil. tit. 4. leg. 6 glos. 8.* 292 *Non potest.*

Potest equidem, quia ratio ob quam prohibitio prohibetur, non procedit in commissario ad condendum testamentum: ea enim fuit, ne Religiosus pecunias contrectaret, ne litigia haberet in bonorum distributione, ne obligaretur iudicio stare ad reddendam executionis rationem. Quæ omnia in testamento condendo nullo modo procedunt, vt intuenti constare potest. Cum ergò nec expressè, nec tacite esse commissarium ad condendum testamentum, prohibitum inueniatur, nulla opus erit superioris licentia. Ita Palao *tomo 3. d 4. de statu. Relig. pun. 13. num. 10.* asserens hanc sententiam esse probabiliorem. 293 *Potest quidem.*

Iudico, Religiosum non indigere speciali licentia, vt ex voluntate testatoris commissarius existat ad condendum testamentum eo casu, quo permittitur, per commissarium condi, quia huius officij nulla in iure prohibitio expressa inuenitur. Tacita autem colligi non potest ex prohibitione officij executoris, quia leges prohibitiuæ, vtpotè odiosæ extendendæ non sunt ad casum diuersum, nec dum ad similem. At condere testamentum longè diuersum est à testamenti conditi executione: quia illud est exprimere voluntatem testatoris: hoc autem voluntatem expressam ipsius testatoris exequi. 294 *Auctoris sententia.*

DVBIVM LXXV.

Potestne Religiosus ex commissione testatoris executores testamenti, seu testamentarios eligere absque superioris facultate?

MInimè potest, quia Religiosus velle, aut nolle non habet. Et quia eo ipso, quod Religioso 295 *Non potest.*

Religioso interdicta sit testamenti executio, interdicta esse videtur executoris electio. Sic Sanchez *l. 6. Decal. c. 11. n. 41.*

296 *Potest plani.* Potest quidem, quia licentia hæc ideo necessario esset expostulanda, quia electio executorum esset Religioso interdicta: at nullo ex textu id constare potest: ergò necessario expostulanda non est. Certe textus *in cap. Religiosus, de testam. in sext.* solùm interdicit Religiosis testamenti dispositi executionem, non verò illius constitutionem, & quæ ad executionem prærequiruntur. Ita Palao *tomo tertio d. quart. de statu Relig. punct. 13. §. 1. num. 11.*

297 *Hanc partem probabiliorem esse iudico.* Probabiliorem hanc partem esse reor. Nam ex eo quod interdicta sit Religioso testamenti executio, non est interdicta executoris electio, quod sit pars testamenti exequendi; est enim pars complens & constituens testamenti dispositionem: non tamen est testamenti dispositi executio. Addiderim, si electio executorum pars esset executionis testamenti, Religiosis Franci canis omninò esset interdicta, contra id quod Sanchez ipse firmat *num. 32.* Ergò non est dicendum electionem executorum sub executione contineri. Fateor verò Religiosum non habere velle, vel nolle, scilicet a superiore independens: non tamen id obstare quominus possit executorem eligere, quia ad hanc electionem sufficit habere velle, vel nolle à superiore dependens.

DVBIVM LXXVI.

Nominatio pauperum, quibus Eleemosyna in testamento assignata, impertienda sit, fierine potest à Religioso sine superioris facultate?

298 *Fieri non potest.* NOn potest fieri, quia pertinet ad testatoris voluntatem. Nam testatore relinquente aliqua bona inter pauperes, quos Religiosus elegerit, distribuenda, non potest ea voluntas impleri, Religioso non eligente. Ergò huiusmodi electio iam est testamenti executio. Ergò prohibita est Religioso, nisi superioris facultas adsit. Sic Sanch. *l. 6. Decal. c. 11. num. 33.*

299 *Potest fieri.* Potest profectò fieri, quia nulla huius electionis adest in iure prohibitio expressa, sub prohibitione verò exequendi testamentum non continetur. Nam testator non disponit electionem faciendam, sed pecunæ factæ electionem distributionemque. Ergò electio cum non sit ex dispositione testatoris præcepta, haud dici potest testamenti executio. Ergò nec tacitè nec expressè est prohibita. Igitur licentia superioris necessaria non est. Ita Lambertin. *de iure patron. l. secund. p. prima quæstion. 2. a. 11. num. vlt.* Palao *t. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 13. §. 1. num. 12.*

300 *Hoc probabilius esse non dubito.* Probabiliorem hanc sententiam esse non dubito. Nam concedens exequi non posse defuncti voluntatem, electione non facta, esseque necessariam ad voluntatis defuncti executionem: abnego illius voluntatis, esse executionem, quia defuncti voluntas non fuit de electione, sed de distributione facienda in personas electas; ac proinde electio prærequisita est ad executionem, sed nullatenus pars illius est.

DVBIVM LXXVII.

Præcipit testator executoribus testamenti, vt Religiosorum consilium eo in munere sequantur: Habentne hi executores obligationem id consilium à Religiosis petendi?

301 *Non habent obligationem.* NOn habent, quia Religiosis incapaces sunt huiusmodi concilij præstandi: eo enim præstito exequuntur testamentum si non per se, saltem per alios, qui eorum consilium sequi ex testatoris præscripto tenentur. Sic Sanchez *l. 6. Decal. cap. 11. numero 38.* referens plures Doctores idem asserentes speciatim loquuti de Religiosis Minoribus. At de omnibus eadem est ratio.

302 *Habent quidem.* Habent quidem, quia prohibitum non est Religiosis id consilium præstare. Ex parte enim Religiosi idem omninò est consilium, quando executores obligati sunt illud sequi, ac quando non: totaque diuersitas ex parte executorum se tenet, non ex parte consulentis. Ergò si in vno casu possunt Religiosi nulla superioris licentia extante, consilium dare, in altero etiam poterunt. Et quia executores testamenti non obligantur illud consilium sequi ex consulentis imperio, sed ex testatoris voluntate: ergò falsum est, consulentem exequi testamentum medio executore designato. Ad hoc enim necessarium erat, vt consulens suo consilio necessitatem executoribus ad testamenti executionem inferret. Ita Matienzo *l. quint. recopil. tit. quart. leg. 14. glos. prima numero 62. fine*, alios referens, Palao *tomo tertio d. 4. de statu Relig. pun. 13. §. 1. num. 14.*

303 *Verius hoc esse defendo.* Veriorem hanc sententiam esse crediderim. Nam ipse meus Sancius concedit, non esse Minoribus interdictum in vna, vel altera causa testamenti consilium ex obligatione sequendum præstare. Ergò nec etiam est interdictum in omnibus causis in testamento contentis. Ideò enim illud consilium in vna vel altera causa permitti potest, quia consulens executorem testamenti etiam partialiter non constituit. Nam si verum executorem partis testamenti constitueret, proculdubio permitti non posset: sicuti non permittitur, in vna vel altera causa procuratorem in iudicio existere; quia prohibitio generalis est, & quemlibet executorem, & procuratorem comprehendit. Sed eiusdem rationis est consilium dandum in omnibus testamenti causis, solaque differentia est penes magis, & minus: ergò æquè vtrumque consilium & Minoribus, & quibuslibet aliis Religiosis sine speciali superioris facultate licet.

DVBIVM LXXVIII.

Religiosus testamentarius ex superioris facultate factus, potestne bona in pauperes distribuenda, sibi applicare?

304 *Non potest.* MInimè potest, quia Religiosus licet sit pauper, ex testatoris voluntate præsumitur esse exclusus: siquidem mandat executori bona sua distribuere, non tamen ea sibi retinere. Si enim vellet sub pauperibus, inter quos gerenda est distributio, executorem contineri: non ea forma disponeret, sed hac: executor ea bona, quæ sibi non retinuerit, in pauperes distribuat. Cum ergò in contrarium disposuerit, nempè vt omnia in pauperes distribuantur, effici videtur haud posse Religiosum testamentarium sibi aliqua ex his retinere, Sic Sylvest. *v. Testamentum secund. quæstion. secund. dicto secund.* Manu. *qq. Regul. t. 3. q. 70. a. 4.*

305 *Potest quidem.* Potest equidem sibi applicare, id est ad proprium vsum ex prælati licentia, quia non sibi, sed Religioni applicat: tametsi postmodum Religio bonorum illorum vsum illi concedat. Ita Sanchez *l. sexto. Decal. capit. 11. num. 61.*

306 *Idem affirmo.* Doctissimum sequor Thomam Sancium. Nam si pauper sit executor quilibet testamenti ex probabili satis sententia sibi etiam bona pauperibus eroganda poterit applicare: cur ergò idem non poterit Religiosus testamentarius, cum Religio cui immediatè ille ea applicat bona paupertatem profiteatur. Nec obstat, id testatorem non expressisse. Nam disponens, in pauperes bona distribui, non excluſit Religiosum pauperem, quem quidem quisque sæcularis executor licitè posset inter pauperes, queis illa bona impertienda essent, annumerare. Cur ergò idem Religiosus non possit.

DVBIVM LXXIX.

An Religiosis minoribus sit executio testamenti omninò interdicta etiam ex Prælati facultate, si distributio facienda sit inter Minores ipsos, aut D. Claræ Moniales?

307 *Certa recolo:* CErtum est, munus executoris etiam in qualibet minima causa esse Minoribus interdictum ita vt nullus Ordinis seraphici superior valeat eis licentiam concedere. *Clement. Exiui, de verbor. signif. §. Proindè.* Et tradunt omnes. Quod verum habent dum hi Fratres regulari obseruantiæ subiiciuntur: sicut si ab ea eximantur ob Episcopatum, vel beneficium assumptum, quia eo casu cum contrectare pecunia possint, & litibus obortis in iudicio respondere, nulla est causa, ob quam ab hoc munere suscipiendo repellantur. Sanchez *l. sext. Decal. capit. 11. num. 26.* cum Cardin. *Clement. vni. numero quint. notab. sept.* & Bonif. *ibid. numero 64.* Quæsierim autem, an sit Minoribus interdicta testamenti ex facultate superiorum executio, si distributio bonorum facienda sit inter eiusdem Ordinis Fratres, seu Conuentus, vel S. Claræ Moniales.

Interdicta non est, quia in huiusmodi executione rationes relatæ in præfata *Clement.* 308 *Non est interdicta.* procedere possent. Sic Manuel. *t. 3. qq Regul. quæst. 70. a. 2. & a. 3. fine*, & alij plures relati à Sancio *n. 27.*

Prorsus est interdicta, quia *Clementina* 309 *Interdicta est.* generatim sine vlia restrictione loquitur. Et quia rationes in ea relatæ hoc in casu procedunt. An non occasione hac, administratione, & contrectatione pecuniæ inuoluuntur, tum relicta Fratribus applicando, tum recipiendo eam, quæ ex bonis venditis procedit? Num non rationibus reddendis subiiciuntur, exponunturque sæpè in iudicio se sistere ad lites subortas decidendas? Non ergò Minoribus testamenti executio etiam in fauorem suorum Conuentuum facti permittitur. Ita Gregor. Lopez *leg. secund. v. Frayles, tit. 10. part. sext.* relatis Federico, ac Ludouico Roman. Matienzo *l. quint. recopil. tit. quart. leg. 14. glos. prima numero quart.* Menoch *de præsumpt. l. secund. præsumpt. 46. numero 14.* Sanchez *l. sext. Decal. cap. 11. num. 44.* & alij apud ipsos.

Hoc omninò tenendum existimo, adiiciens tamen, si Fratres contra præfatam pro- 310 *Hoc asseri.* hibitionem munus executoris suscipiant, & exequantur; validam esse eorum susceptionem, & executionem, dum in iudicio non excipiuntur, sicuti de aliis Religiosis superius dixi suscipientibus hæc officia absque superioris licentia. Nam *Clement.* solùm prohibitionem continet, neque vlterius ad actum procedit irritandum. Mecum Sancius citatus, & aliis plures ab eo relati.

DVBIVM LXXX.

Electio pauperum, quibus pia legata sunt distribuenda, estne Fratribus Minoribus interdicta?

EXistimò, (licèt vera sint, quæ Dubio 311 proximo resolui) Fratribus Ordinis Se- *Nonnulla præmitta circa Ordinis Seraphici* raphici, permissum esse sicut & aliis Religiosis est permissum, esse commissarios ad testamenta condenda, quia pro hac commissione nulla est eis specialis prohibitio. Nequa- *ne Fratres.* tiones, queis nititur *Clement.* prohibens testamenti executionē incommissione procedunt. Siquidem, in ea non contrectatur pecunia, nō vendūntur bona, non exiguntur rationes, non litigia passim oboriuntur, sicut in testamenti executione video procedere. Ob quam rationem idem iudicarim dicendum de nominatione

nominatione executorum hisce Patribus committat: posse insuper constituti alij Religiosi valent) sequi, quia nec inuenio prohibitionem, nec congregationis specialem prohibitionem, nec congregationis peculiares & singulij rationes in eo loco habeant. At de electione pauperum: quibus pia legata distribuenda sunt, dubito, num sit Fratribus Minoribus interdicta.

312 *Est interdicta.* Interdicta est, quia testator committens hisce Religiosis hanc electionem, cui executores debent adhaerere: videtur eos suæ dispositionis executores facere non quidem immediatè, sed mediis executoribus; vndè executio vltimæ voluntatis in assignantem executores refunditur. Sic plures Doctores, quos refert Sanchez *l. sext. Decal. c. p. 11. num. 31.*

313 *Interdicta non est.* Non est interdicta, quia eiusmodi electio non est dispositionis testatoris executio, sed conditio, vt dispositio testatoris locum habeat: neque eligens pauperes cogit executores eis bona ita distribuere, quod necessarium erat, vt saltem immediatè dispositio testatoris exequeretur; sed executores ex testatoris voluntate coguntur posita illa electione, tanquam conditione. Ita Sanchez *citatus, numero* 32. Couar, *capit. Tua nos, de testam. numero primo.* Gregor. Lopez *leg. secund. v. Frayles, tit. 10 part. sext.* Matienzo *l. quint. recopil. leg. 14. tit. 4 glos. 1.* Manu *qq. regul. 3. quæst. 7. a. 2.*

314 *Cum his opinor.* Cum his opinor adiiciens, quoad consilium etiam sine ex obligatione ab executoribus testamenti sequendum sit, siue non, crediderim Fratribus Seraphici Ordinis permitti, sicut & aliis Religiosis, quia Consiliarius obligatus non est ratione distributionis reddere, nec litibus subortis ex distributione respondere; executor enim non est. Matienzo sic.

DVBIVM LXXXI.

Licitumne est Religiosis, officium Medici, vel Chirurgi citra incisionem, vel adustionem, exercere?

315 *Nonnulla præmitto.* CErtum est, officium Medici, vel chirurgi cum incisione, vel adustione esse Religiosis interdictum, *cap. Tua nos, de homicid.* vbi decidituir, esse irregularem Monachum; chirurgia cum incisione vtentem, morte secuta, quamuis summam diligentiam in ea eniranda apposuerit, quia exercet artem prohibitam. Neque ab ea culpa excusatur, licet ex causa pietatis eam exerceat. Abbas *ad capit. Tua, numero quint.* Quæsierim autem, an Religiosis liceat officium Medici, aut chirurgi citra incisionem, vel adustionem exercere.

316 *Licitum est.* Licitum est, quia citra incisionem, vel adustionem nullus est textus, qui id prohibeat; imò potius permissum censetur *in capit. Ad aures, de ætate, & qualit.* vbi excusatur, ab irregularitate Canonicus illud exercens, licet infirmus mortuus fuerit: qui quidem non excusaretur, si opus prohibitum exerceret, esset enim excusatio contra decisionem textus *in c. Tua nos.* Sic noster Manuel de Sà *v. Clericus n. 20.*

317 *Non est licitum.* Non est licitum Religiosis (sicut nec clericis) huiusmodi officium exercere quia *c. Cleric. 20. de vita & honest. Clericor. & c. 2. Ne clerici, vel Monachi*, generatim clericis, ac Monachis sæcularia officia interdicuntur. At officium medici, & chirurgi etiam citra incisionem, vel adustionem minus sæculare est, & indecens Religioso. Ergò hoc ex capite prohibitum censetur. Ita Synest. *v. Medicus, q. 2.* Rodel. *ibi, fine.* Angel. *n. 11.* Armil. *n. 4.* Nauar. *sum. c. 15. n. 110.* Sanch. *l. 6 decal. c. 14. n. 18.*

318 *Hanc sententiam communem quidem mihi eligo.* Egò autem hanc sententiam communem quidem mihi eligo concedo, nullum esse textum, quo exercitium Medicinæ, vel chirurgiæ citra incisionem, vel adustionem prohibeatur specialiter, & expresse. Nego tamen non esse textum, quo sub generalibus verbis sit prohibitum, vt vidimus. Ad textum verò *c. ad aures* dixerim verum esse hoc officium non esse Clericis ac Religiosis prohibitum ob periculum mortis, sicut est prohibitum cum per incisionem, vel adustionem exercetur: sed ob indecentiam: eaque de causa non inducit irregularitatem morte secuta, si debita diligentia fuit apposita; illam vero inducit, cum per incisionem, vel adustionem exercetur.

DVBIVM LXXXII.

An Religiosus delinquat lethaliter vna vel altera vice negotiationi prohibitæ operam exhibendo?

319 *Status quarum, cap. sin. de vita, & honest. Clericor. stionis.* PRohibitam esse Religiosis negotiationem, constat, ex *cap. consequens cap. negotiato-* Negotiatio autem, quæ hisce texubus prohibetur, est emptio alicuius rei eo animo facta, vt integram, ac immutatam carius vendas, & sic lucreris. Quæsierim verò, an Religiosus vna vel altera vice negotiando mortaliter delinquat.

320 *Non delinquit lethaliter.* Non delinquit mortaliter, quia Clericis, & Religiosis non videtur quilibet negotiationis actus interdictus; sed qui veram negotiationem constituat: & ex quo operans negotiator, ac mercator dici valeat. At ad huiusmodi denominationem negotiatio frequens requiritur, vt colligitur ex *leg. 1 §. 1. ff. de tributu* & tradit Bartol. *ad leg. incerti §. 1.* & alij. Igitur ex vna, vel altera negotiatione peccatum lethale non inducitur. Sic Cuiet. *v. Clericus.* Palacios 2 *de contract c. 10.* Salas sapientissimus Magister meus *de empt. & vendit. dub. 2. n. 4.* Et probabile reputat Manu. *sum. v. negotiatio, num. 2.*

321 *Lethaliter delinquit.* Mortaliter delinquit, quia *in cap. 1 Ne clerici, vel Monachi, capit. sin. de vita & honest. Clericor, cap. Negotiatorem Formicari, dist. 88.* Clericis, ac Religiosis prohibita est negotiatio. Sed ad veram negotiationem non requiritur repetita emptio, vel venditio: sed in vna tantùm

tum emptione, & venditione consistere potest, vt manifestè probat textus *Cap. Eiciens dist.* 88. ibi: *Qui vero rem comparat.* Ergò ex vnico tãtum actu negotiationis mortale piaculum esse potest. Ita Molina *tom. 2. de iust. d.* 342 *initio.* Salon. 2. 2 *q.* 77. *a.* 4. Morla *in empor. p.* 1. *tit.* 9. *q.* 10. Rebel. *de obligat. iust. p.* 2. *q. vlt. sect.* 2. Gutier. *l.* 7 *pract. qq. q.* 93. *n.* 42.

322 *Hoc verius esse credo.* Hoc verius esse reor, nempe Religiosos, & Ecclesiasticos lethaliter delinquere ex vnico actu grauis negotiationis. Addo in doctrinæ huius confirmationem, ex vnico actu gabellam esse debitam iuxta *legem Regiam* 7. *tit.* 18. *l.* 9. *recopil.* ibi: *No aya lugar en lo que los Clerigos vendien por via de mercaduria, trato y negociation.* Vbi solam venditionem spectat, licet mercatorem non constituat, vt pluribus allegatis, firma Gutier. *citatus num.* 42.

DVBIVM LXXXIII.

An negotiatio per interpositam personam sit Religiosis prohibita sub lethali, ideoque ex ea debeatur gabella?

323 *Non debetur gabella.* NOn est prohibita sub mortale Religiosis huiusmodi negotiatio, quando scilicet Religiosus solã pecuniã exponit, alij verò apponunt industriã, vnde ex hac gabella non debetur, quia textus loquentes de negotiatione, indicant, per propriam personam exercendam esse, vt colligitur ex *Clement. 1. de vita, & honest. Clericor.* in hac enim est vera indecentia, ac distractio: non autem in ea, quæ per interpositam fit personam ig tur negotiatio prohibita non est. Sic Medina *C. de restit. quæst.* 30. *art.* 2. Lessius *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 1. §. *vlt.* Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 20. *pun.* 5. Molina *to.* 3. *d.* 341. Sà *v. Clericus, numer.* 23. Salas *de empt. & vend. dub.* 2. *num.* 8. Hinc infertur Religiosum ex huiusmodi lucro gabellam non debere, quia non est negotiatio absolutè loquendo, ex qua gabella solui consueuit nimò quodammodo nec negotiationis nomine potest insigniri. Nam si absolutè negotiatio esset, Religioso esset omninò prohibita. Probabile hoc iudicat esse Castro Palao *tom.* 3. *d.* 4. *de statu Relig pun.* 13. §. 2. *n.* 7.

324 *Gabella debetur.* Licet non si prohibita sub mortali, negari non potest absolute esse prohibitam, quia aliquam continet indecentiam. Ergò ob hãc causam gabella est soluenda: negotiatio enim absolutè dici potest, ita Molina *vbi suprà.* Gutierez *lib.* 7 *pract. qq. vbi de gabellis, q.* 73. *n.* 30. Palao *citatus.*

325 *Hoc probabilius.* Hoc verius esse reor, quia respectu Religiosi negotiatio absolute (prohibita sit, vel non sit) negotiatio est, cum laicus negotij industriam adhibens Religiosi illius operatur ex nomine, & respectu illius negotiatio est, cui gabella est obnoxia. Addiderim, necessitatem propriæ personæ, quia aliter commodè prouidere non valeat sibi Religiosus, & Clericus sibi aut familiæ, causam esse excusantem eos à præfata negotiationis prohibitione, solutioneque gabellæ. Eo enim casu Pontificia prohibitio cessat. Quod probo ex *Concilio Elibertino, c.* 19. permittente in necessitate Clericis negotiari per se intra prouinciam, per alios extra.

DVBIVM LXXXIV.

Prælatus videns Regularem subditum in obseruatione depositi delinquentem, nec corrigens: tenaturne de depositio?

326 *Certa supponо.* CErtum est, Religiosos depositi capaces esse *argum. Cap.* 1. *de depositо.* At peccare graviter, si absque consensu saltem præsumpto Prælati potentis licentiam concedere, depositum graue accipiat ob contractum initum, & obligationem, quam propria authoritate suscipit. Molina *tr.* 2. *d.* 525. *S* nch. *l.* 6. Decal. *c.* 14. *num.* 27. Non autem posse Abbatem depositum apud Monachum existens auferre, & apud se retinere, nisi domino consentiente, quia illud esset, depositum remouere; & vindicare. Posset vero interdicere Religioso, ne apud se depositum habeat, sed domino reddat, vel ex illius consensu tradat procuratori. Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 14. *n.* 3. Quæsierim autem, num Prælatus videns subditum in obseruatione depositi delinquentem; nec corrigentem eum, depositо teneatur?

327 *Non tenetur de depositо.* Non tenetur, sicuti non tenetur confessarius restituere, omittens culpabiliter pœnitentem ad restitutionem faciendam obligare, quia nec Confessarius, nec Prælatus sunt cõstituti iudices in aliorum fauorem, sed in fauorẽ subditorum, vnde suorũ subiterũ cõparatione delinquunt contra iustitiam, non verò aliorum comparatione. Ergo de damno non tenentur. Sic Hostiens. *Cap Grauis. de depositо, num.* 14. Tabie. V. *Monachus, n.* 13.

328 *Tenetur quidem.* Tenetur profecto, quia ratione officij ab ecclesia concessi tenetur damna subditorum impedire, sicuti tenetur quilibet sæcularis gubernator. At hic omittens culpabiliter impedire damna à suis subditis facta, obligatus est resarcire; Ergo similiter Regularis prælatus, ita Gregor. Lopez *lege tert. Regia titul.* 3. *v. Religioso. parte quint.* Sanchez *l.* 6. *c.* 14. *numer.* 33.

329 *Probabilius hoc esse credidерim.* Probabilius hoc esse crediderim. Verum enim non est Prælatum Regularem constitutum tantum esse Iudicem in subditorum fauorem, etiam enim est constitutus Iudex in aliorum fauorem, si æquitas postulauerit; est enim Iudex inter partes. Addo, debere Prælatum subditum in obseruatione depositi delinquentem punire, sicuti cum in aliis delinquit obseruationibus. Quia nullus est textus hoc delictum à superioris eximens punitione. Sanchez mecum *n.* 31.

DVBIVM

DVBIVM LXXXV.

Excusaturne à mortali Religiosus, qui prohibito ludo ex consuetudine vtitur, si non principaliter ob lucrum, sed causa recreationis id agat?

330 *Certa suppono.* CErtum est Religiosis interdictum esse alearum, & taxillorum ludum, sub quo intelligitur omnis ludus fortunæ potius quam industriæ commissus. Putant autem communiter Doctores Clericis ac Religiosis consuetudinem ludendi esse prohibitam sub mortali, non autem vna, vel altera vice ludere. Illa enim verba *cap. penult. de vita, & honestate clericorum Can.* 41. & 42. Apostol. (relatis *cap.* 1. *dist.* 35.) *vacans, desertus, Aleator* consuetudinem ludendi, seu ludum quasi ex officio significant. Salas *de ludo, dub.* 24. *n.* 2. & 3. Azor. *tom.* 3. *l.* 5. *cap.* 27. *num.* ... *quæstio.* 2. Quæsierim verò, an Religiosus ludens ex consuetudine recreationis gratia, & non principaliter ob lucrum, à lethali peccato excusetur.

331 *Excusatur quidem.* Excusatur quidem, quia textus ludum prohibens videtur magis indecentiam Sacri status ex auaritia lucri gerendi, respicere, quam ipsam ludendi consuetudinem, si recreationis gratia fiat. Sic nonnulli, quorum meminit Emanuel Sà noster *v. Ludus num.* 1. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 6. *pun.* 5.

332 *Non excusatur.* Minimè excusatur, quia textus ludum prohibentes ponderant ludendi consuetudinem, non verò lucrari finem. Ita Sà *ibid.* Palao *tomo* 3. *de stat. Relig. d.* 4. *punct.* 13. *§.* 5. *num.* 2.

333 *Probabilius hoc longè.* Hoc longè probabilius esse reor. Nam scandalum ex graui hoc status Religiosi indecentia ortum, ex fine interno ludentis non tollitur. Et quidem ad recreationem Religiosi consuetudo ludendi inepta est prorsus, cum ex ludo grauiores animi solicitudines soleant pullulare.

DVBIVM LXXXVI.

Hæc ludendi prohibitio Clericis, & Religiosis in Sacris constitutis facta, extenditurne ad Religiosos laicos, seu conuersos?

334 *Non extenditur.* NOn extenditur, quia de clericis in Sacris expressè textus loquuntur: ergò absque fundamento ad Religiosos non clericos fiet extensio. Sic meus Ioan. de Salas *de Ludo, dub.* 24. *num.* 3. absolutè asserens Religiosum laicum assidue ludentem contra præfatos Canones non delinquere.

335 *Extenditur planè.* Extenditur planè, quia sub nomine clericorum quilibet Religiosi veniunt, quoties prohibitio decentiam respicit status. Ita Nauar. *sum. cap.* 20. *num.* 9. Valent. 2. 2. *d.* 5. *qu.* 6. *punct* 5. *v. Alterum est*, Rutil. Veconi. *in speculo l.* 1. *d.* 1. *q.* 7. *dub.* 2. Suar. *tomo quart. de relig. tract.* 8. *l.* 1. *cap.* 11. *num.* 2. & alij communiter.

336 *Cum his opinor.* Non possum non in hac quæstione à sapientissimo meo Magistro recedere, communique hæresceere sententiæ: cum existimem Canones ludum prohibentes status decentiam respexisse, quæ quidem tam ex Religiosi Clerici quam laici excessibus assolet obscurari.

DVBIVM LXXXVII.

An Religiosus possit gradu doctoris, vel Magistri in iure ciuili, vel Medicina insigniri?

337 *Status quæstionis.* CErtum est, posse Religiosum gradibus Doctoris, vel Magistri in iure Canonico, vel Sacra Theologia insigniri, præcedente Prælati facultate, & seruatis conditionibus, quas in huiusmodi licentia concedenda quælibet Religio pro suis subditis prudentissimè præscribit. Solùm est difficultas, an possit Religiosus etiam cum superioris facultate gradu Doctoris, vel Magistri in iure ciuili, vel in Medicina decorari.

338 *Non potest.* Non potest, quia harum facultatum studium est Religiosis interdictum *in cap. non magnopere, cap. super specula, ne clerici, vel Monachi*: ergò etiam receptio gradus in his facultatibus erit interdicta. Sic nonnulli Auctores antiqui.

339 *Potest quidem.* Potest equidem, si Religiosus his facultatibus antè Religionis ingressum dedit operam: imò etiamsi in Religione illis addiscendis contra sacrorum Canonum præscripta deliquerit, si tamen in illis peritus est, poterit ex superioris licentia gradu insigniri, quia nullibi huius gradus acceptio prohibita apparet. Ita Manuel. *tom.* 2. *qq. regul. quæst.* 74. *a.* 1. & 2. Felin. *cap. cum dilecta, de rescript. num.* 19. Nauar. *comment.* 2. *de regular. num.* 2. Salcedo *pract. qq. cap.* 59. Sanchez *l.* 6. *decal. cap.* 14. *num.* 45.

340 *Hæc asserendum esse confirmo.* Hoc asserendum esse iudico. Nam ea prohibitio induci nequit ex prohibitione studij illarum facultatum, quia est res omninò diuersa: & quia hoc studium prohibetur, vt Theologiæ crescat studium, qui finis non impeditur ex eo quod Religiosus gradum Doctoris, vel Magistri in iure Cæsareo, & Medicina accipiat post cursum harum facultatum perfectum. Addiderim receptionem cuiuscumque gradus absque superioris licentia, validam esse (esto peccaminosam) iure communi spectato, quia nullus est textus, ex quo irritam esse possit colligi. Credo tamen, nulli Religioni (excepta Prædicatorum Familia) hoc priuilegium irritans gradum assumptum absque superioris licentia, datum esse. Religioni verò Prædicatorum concessit Innocent. VIII. (teste Emanuele *citato, quæst.* 74. *a* 3.) vt nullus Frater Ordinis D. Dominici, seu

de observantia provinciæ, aut Congregationis Hispanæ Magistrij gradum, seu alium quemcumque in sacra Theologia, nisi ad illum per Capitulum dictæ Congregationis finaliter expositus, assumere præsumat: & qui aliter promoti fuerint, pro non promotis habeantur, & ad huiusmodi gradus inhabiles sint, & esse censeantur. Quæ Decisio ad alias Religiones non extenditur, imò nec ad Fratres Religionis Prædicatorum non reformatos.

DVBIVM LXXXVIII.

An Religiosi sint capaces suscipiendi tutelam Legitimam, *ex Prælati licentia?*

341 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, non posse Religiosos curatores minorum designari: neque à iudice deficientibus tutoribus, vel curatoribus testamentariis, & legitimis. Quod si ex testamento, vel à iudice designentur, ipsi nequeũt admittere *Cap. Peruenit, dist. 86. & authent. de sanctiss. Episcop. §. Deo autem amabilis, collat. 9. & l. Regia 45. titul. 6. part. 1. & leg. 14. tit. 16. part. 6.* At si hac prohibitione non obstante, hanc tutelam Religiosi admittant, nulla erit admissio, & consequenter omnia inde subsequuta irrita erunt. Azorius *to. 1. l. 12. cap. 11. q. 3.* Difficultas autem est circa curam, ac tutelam *Legitimam*, sic appellatam, quia à lege defertur consanguineis ab intestato succedentibus: num scilicet huius curæ, & tutelæ Religiosi sint ex Prælati licentia capaces?

342 *Sunt capaces.* Sunt quidem, quia in *Cap. Peruenit* hæc tutela permittitur Episcopis, quibus Religiosi æqu parantur. *leg. 14. tit. 16. part. 6.* & quamvis *§. Deo amabilis Authent. de Sanctiss. Episcop* sit quilibet tutela Religiosis interdicta, corrigitur hoc interdictũ per textũ in *cap. fin. dist. 86.* Sic Glos. *ad cap peruenit, v. Tutela, in 2 solut* & *ibi* Turrecrem, Angel. *v. Tutela, n. 1.* Sylu. *q. 3.* Tabie *q. 1.* Azor. *to. 1. l. 12. c. 11 q. 3.*

343 *Capaces non sunt.* Capaces non sunt, quia in *auth. de sanct. Episcop.* & *leg. Regia 14.* indistincte omnis tutela Religiosis interdicitur. Ita Glossa *Cap. Peruenit in 1. solut.* Gregor. Lopez *leg. 14. v. Nec pue* Sanch. *l. 6. Decal. cap. 14. numer. 25.* Gutier. *de tutela p. c. 1. num. 30.* Molina *tom. 1. tr. 2. d. 221. vers. Religiosis.*

344 *Probabilior hæc mihi sententia.* Hanc sententiam longè probabiliorem esse iudico. Nam textus in *Cap. Peruenit*, nullum verbum habet, ex quo colligi possim, hoc interdictum corrigi. Hoc autem verum est (vt annotant Sanctus, & Molina) etiam si tutela esset miserabilis personæ. Quia licet Episcopis permittatur in *Cap. Peruenit*: imò aliquando ad eam suscipiendam obligentur, possintque suæ Diœcesis Clericos cogere, ad illius administrationem, nunquam tamen Religiosis id permissum esse reperitur. Neque est simalis de Episcopis ac Religiosis ratio, cum Episcopi proprium habeant, quod possint tutelæ obligationi subiicere: secus Religiosi.

DVBIVM LXXXIX.

Si superior permittat Religioso subdito sepulturam eligere, eritne licita, ac valida electio?

345 *Certa sup-pone.* CErtum est, Abbatem posse si supremus Religionis Prælatus sit, sepulturã eligere, qui a habet velle, & nolle a Religione independens. Subditum vero minime posse, nisi à proprio Monasterio ita remotus sit, vt nequeat commode ad illud cum obit, deportari. *Cap. fin. de sepultura.* At si superior Religioso permittat sepulturam eligere, quæritur, num licita, ac valida sit electio?

346 *Non est licita, nec valida.* Non est licita, nec valida, quia textus in *Cap. Religiosi* expresse præscribit, Religiosos carere potestate eligendi sepulturam, eisque apud sua Monasteria tumulandos, nisi ita remotè à proprio Monasterio decedant, vt nequeant commodè ad illud deportari. Cum ergo textus designet sepulturam, & potestatem eligendi tollat, solumque in illo casu speciali distantiæ concedat, sit, nec licentiam à Prælato posse concedi, vtpote contra legem Pontificiam, nec electionem ex vi illius licitam, ac validam esse. Sic nonnulli, quorum sententiam perbabilem esse Palao indicat *to. 3. d. 4. de statu Relig. punct. 3. §. 8.*

347 *Licita, ac valida est.* Licita, ac valida est, eamque superior potest concedere, quia Prælatus eligere sibi sepulturam potest, vt vidimus: Ergo potest Religioso sibi subdito facultatem eligendi concedere: Neque enim maiori potestate secum vti potest, quam cum subditis, cùm tota potestas secum dispensandi prælato competens, ex officio gubernandi subditos provenit, atque adeò potius cum subditis, quam secum vti illa poterit, ita Castro Palao *citatus.*

348 *Idem affirmo.* Et quidem adhæreo. Nam textus in *Cap. Religiosi*, ea ratione ducitur, ad abnegandam Religioso potestatem, sepulturam eligendi, quia velle, vel nolle caret, idest, quia voluntate à Prælato independente privatur. Quæ quidem ratio solummodo probat, non posse Religiosum eligere sepulturam, Prælato inconsulto, at non probat, ex eius licentia eligere non posse. Nam ea posita, & velle, & nolle habet.

DVBIVM XC.

Prælati inferiores Regulares possuntne, sibi sepulturam eligere?

349 *Non possunt.* NOn possunt, quia absolutè velle, ac nolle non habent, cum illud habeant ab aliis superioribus Prælatis dependens. At *cap. Religiosus* Religiosis interdicitur sepulturæ electio, quia velle, ac nolle non habent; Ergo Prælati inferiores nequeunt sepulturam

pulturam eligere. Sic Sylvest. *v. sepultura, quæst. 6.*

350 *Possunt planè*

Possunt planè, quia eo ipso, quo Prælatus est, velle ac nolle habet in iis, quæ ad sui suorumque subditorum dispositionem pertinent, ita Manuel. *tom. tertio qq. Regul. q. 60. art. 1.* Sanchez *l. 6. Decal. c. 14. nu. 7.* alios citans.

351 *Eiusdem mentis sum.*

Idem assero. Si autem obiicias habere voluntatem dependentem à superiore Prælato, ex illiusque placito annullari posse: dixerim, antequam morte cõfirmetur, id verissimum esse: at morte confirmata non potest annullari, quia non adest nisi in effectu, quem obtinuit. Monuerim tamen, hoc procedere, dummodò superior moriatur: nam si deposito officio moritur cessat antefacta electio, quia cum tempore Prælaturæ sortita non fuerit effectum, perit illius valor, vtpote ad tempus pertineus inhabile, incapaxque electionis.

DVBIVM XCI.

Prælatus potestne subditis Religiosis sepulturam eligere?

352 *Potest quidem.*

POtest quidem, quia pater eligere potest filio impuberi sepulturam, est enim in eius potestate: At Religiosus est in potestate Prælati, Ergo Prælatus eligere ei potest sepulturam. Sic Manu. *to. 3. qq. Regul. 9. 60. a. 1.*

353 *Non potest.*

Non potest, quia pater non eligit sepulturam filio impuberi ratione patriæ potestatis, alias & filio puberi eligere posset, & vxori maritus, contra textum in *Cap licet, de sepult. in 6.* cum filij puberes sub patria adsint potestate, & vxor sub potestate mariti; sed eligit sepulturam, quia ita est consuetudine receptum, vt ex eo *Cap. licet* constat, qualis consuetudo pro Religiosi sepultura non inuenitur, ita Petr. Vuald. *apud Manuelem*, Sanchez *libro sexto Decal. c. 14. n. 6.*

354 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Licet enim Manuel obiecerat, Religiosi voluntatem translatam omninò esse in voluntatem Prælati, qua translatione cessante posset Religiosus sepulturam eligere, vnde infertur, id ipsum posse Prælatum ob eam voluntatis subditi translationem. Abnego consequentiam; quia non transfertur voluntas, quoad realitatem, sed quoad subiectionem iuxta Religionis regulas; At in nulla Religione hæc potestas concessa est Prælatis eligendi subditis sepulturam; quippe esset contraria Canonico iuri præscribenti locum sepulturæ carentibus electione.

CAPVT XII.

Circa Religiosi fugam, apostasiam, & expulsionem.

DVBIVM XCII.

Apostata estne Religiosus, qui è Religione fugit animo diù extra commorandi?

355 *Vere est apostata.*

FVgiens animo commorandi diù extra Religionem verè apostata est, quia diuturna commoratio moraliter perpetua censenda est. Alias enim Monachus dimittens habitum animo diuagandi per aliquot annos, & postmodum ad Ordinem redeundi, non esset censendus apostata contra communem modum loquendi, & Prælatorum sensum, qui hos tanquam veros apostatas puniunt. Porrò Clericus in sacris, qui dimisso habitu clericali sæculariter degit, verè ac propriè vocitatur apostata ab Ordine, etsi animum habeat Clericalem habitum resumendi, Ergò idem est in apostasia à Religione Sic P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. c. 1. n. 21. & c. 2. n. 14.*

356 *Non est apostata verè, ac propriè.*

Non est vere apostata, quia omnes Doctores fugitiuũ ab apostata distinguunt. At si ex animo diu morãdi, vel perpetuò permanendi extra Religionẽ non distinguuntur, non apparet inter eo sfirma distinctio, igitur qui fugit animo redeũdi, fugitiuus est; qui autẽ fugit animo manendi perpetuo extra Religionem, apostata est. Ergò non erit apostata, qui animo redeundi recedit, ita Caiet. 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. *dub.* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. *n.* 109. Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *qu.* 1. Manu. *to.* 1. *qq. Regul. q.* 30. *a.* 1. Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 8. *n.* 2. & alij apud ipsos.

357 *Ab hac communi sententia non recedo.*

Ab hac communi quidem sententia non recedam. Concedo namque aliquando Doctores fugitiuum appellare apostatam, sed large & impropriè hoc intelligendum; quod ex eo conuincitur, quia pœnis apostatę impositis, abnegant affici fugitiuum. Quòd si fugiens à Religione, diuque in fuga persistens apostata reputatur, & vt talis punitur, id fit, quia præsumitur fugisse animo nunquam reuertendi. Neque negari potest, apostatam ab Ordine esse, qui constitutus in sacris habitum Clericalem dimittit, & sæcularem induit tempore sufficienti, vt laicus communiter reputetur. Nam cum habitus in signum Clericalis Ordinis gestari præcipiatur, si eo se quis absque causa ita denudat, vt Clericus non reputetur, apostata ab Ordine meritò iudicatur: etsi animum gerat Clericale indumentum resumendi. Non autem sic in apostasia à Regulari statu; hæc enim consistit in recessu ab obedientia, secundum quod promissa est, cum autem sit promissa in perpetuum

tuum, non est censendus apostatare absolutè, qui animum habet limitato solùm tempore recedendi.

DVBIVM XCIII.

Censendusne est apostata, qui à propria aufugit Religione, aliam, invalidè quidem, assumens?

358 *Apostata est.*

APostata est, quia qui recedit à Religione aliam invalide ingrediens, verè est fugitivus, abstrahit enim se ab obedientia debita, in quo fugitivi ratio consistit. *arg. leg. 17. ff. de habilit. edict.* Ergo erit apostata, si animo nunquam revertendi recedat. Qui autem alium Ordinē init, hanc nunquā revertendi gerit voluntatem. Profectò sic fugiens nequit habere voluntatem commutandi statum prioris Religionis cum posterioris statu assumpto, quia est impossibilis talis commutatio. Ergo solum habet voluntatem discedendi ab statu assumpto. Igitur apostata est. Sic Suar. *to. 5. de censur. d. 31. sect. 6. num. 4. & to. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 12. num. 17.* Palao *to. 3. d. 4. de stat. Relig. punct. 17. numer. 7.*

359 *Non est apostata.*

Non est apostata, quia sua ex voluntate ab statu Religioso vt sic non recedit, tametsi recedat ab hoc particulari, ac proprio statu; habet enim voluntatem non relinquendi absolutè statum Religiosum, sed commutandi statum vnius Ordinis in alium. Et licet illa commutatio non sortiatur effectum, non obstat: quominus ille habuerit voluntatem sub illo statu Religioso viuendi. Itaque ex voluntate à Religioso non recedit statu, ergò non est apostata à Religione, ita Caiet. *2. 2. q. 12. a. 1.* Aragon. *ibi, dub. vni.* Bañes *dub. 1. concl. 4.* Valent. *d. 1. q. 12. cap. 17. q. 7.* Manu *to. 1. qq. Regul. q. 30. a. 1.* Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 13. num. 102.* Sanh. *l. 6. Decal. c. 8. n. 8.* alios referens.

360 *Primam sententiam eligo forte veriorem.*

Fateor, hanc sententiam esse communem admodumque probabilem. Attamen vt primæ adhæream cogit me Bulla Pauli III. incipiens *Licet debitum Pastoralis officij*, vbi postquam interdixerat transitum è Societate Iesu ad aliam Religionem (Carthusia excepta) concludit præpositum generalem posse puniri sic egressos, ac alios quoscumque Societatis apostatas. Vbi expendo particulam, *Alios* similitudinem denotãs. Et subiungit, in quocumque habitu contigerit præfatos apostatas inueniri, posse eos excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs suæ disciplinę submittere. Censet ergo Pontifex non excusari ab apostasia ob habitum alterius Ordinis inique quidem, ac invalide assumptum.

DVBIVM XCIV.

An Prælati Regulares teneantur, subditum fugitivum, seu apostatam licet noxius Religioni sit, revocare, siue ad reducendum diligentiam adhibere?

NOn tenetur, quia Religionis interest, ne 361 nocius subditus ad Fratres fortasse inficiendos dedecus Religioni afferendum reuertatur. Ergo non tenetur eo in casu Religio fugitivum quærere, ac revocare. Bono enim communi confert, incorrigibilem, & scandalosum abiicere, vt solus ipse pereat. Sic nonnulli haud immeriti Theologi, quos consului, quorum sententiam probabilitate non carere existimarim. *Non tenetur.*

Tenentur quidem, quia *Cap. vlt. de Regularibus* statuitur, Abbates, seu Priores fugitivos suos, & electos ex ordine annuatim solicitè requirere debeant. Et quidem si fugitivus non reputatur, ita noxius, vt dignus expulsione iudicetur: proculdubio obligatus est Prælatus illum, quoad possit, revocare, tum ob bonum Religionis, ne subdito vtili priuetur: tum in bonum subditi, ne in statu damnationis existat. At etiamsi fugitivus noxius sit meritóque debeat à Religione separari adhuc obligatur Prelatus capere, & pro qualitate culpæ punire, & in aliorum exemplum, & in bonum subditi cui fortasse vexatio, dabit intellectum, ità Nauar. *comment. 3. de Regular. numer. 50.* Miranda *manua. Prælator. to. 1. q. 51. art. 3.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 2. n. 17.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 13. n. 7.* *Tenentur quidem.*

Hoc longe probabilius esse reor. Oportet 363 enim fugitivum revocari quantũis nocivus existat, vt authoritate superioris à Religione separatus incedat, & non pro libito, ab statuque damnationis liberetur. Vnde cum Suario *n. 17.* adiicio, licet à Religione statim ac captus fuerit, sit eliciendus, teneri prælatum illum revocare. Attamen si fingeretur casus, quo absque graui Ordinis nota, vel scandalo, non posset superior capere fugitivum, deobligari à captura resoluo, quia Religionis bonum semper est bono subditi præcipue ex malitia peccantis præferendum. Deberet tamen (si ita expedire iudicauerit) absolutionem absenti fugitivo immittere, vt à fugæ crimine liberetur. Porro diligentia illa de annali inquisitione, *Capit. vltim. de Regularibus* præscripta, non est in in vsu, teste Suario *libro tertio de Religion. capite secundo num. 17.* & Sancio *lib. sext. Decalog. c. 9. n. 18.* *Hoc longe probabilius.*

***

DVBIVM

DVBIVM XCV.

Si quis Religiosi alicuius apostasiæ cooperetur absque vlla vi vel fraude, contrahitne obligationem restituendi Religioni omnia damna ex tali fuga prouenientia?

364 *Status quæstionis.*

PRæmitto duplicirer te posse ad apostasiam cooperari, positiue scilicet, ac negatiue. Positiue quidem, persuadendo exitum consuendo, approbando, adiuuando, post exitum fugitiuum recipiendo ac defendendo. Negatiue verò si cum valeas impedire, non impedias. Certè qui vi vel fraude apostasiã causat vltra grauissimum piaculum, tenetur omnia damna Religioni ex tali exitu prouenientia reparare. Si autem quis absque vlla vi, vel fraude, apostasiæ cooperetur, quæritur, an vllam restituendi contrahat obligationem?

365 *Nullam contrahit obligationẽ*

Nullam obligationem contrahit quia hæc restitutio potest esse de persona Religiosi fugitiui, vel de damnis occasione fugæ illius Religioni prouenientibus. A restitutione personę Religiosi ille excusatur ob impotentiam; hæc enim restitutio solum geri potest ab ipso met Religioso liberè ad ordinem redeunte. A damnis vero ex fuga Religioni accidentibus ob lucra non accepta, quæ ex Religiosi illius assistentia poterat Religio acquirere restituendis excusatur eo quod ad illa ius iustitię Religioni nõ habeat, nisi supposita Religiosi voluntate, quã tamen Religiosus liberè denegat, cum cooperator ille ad fugam nullam vim intulerit. Sic Suar. *to.* 4. *Relig. l.* 3. *c.* 3. *n.* 14.

366 *Obligatus est.*

Obligatus proculdubio est restituere Religioni lucra, quæ ob Religiosi exitum cessant, quia Religio ius habet iustitiæ ad retinendũ sibi Religiosum ob traditionem sui, quam in professione gessit: tradidit enim se Ordini gubernandum, ipsáque Religio obligatur eum in via Domini gubernare. Ergo Religiosus se ab hoc regimine contra Ordinis subtrahens voluntatem, est iniustus, cum ius Religionis iustitiæ lædat. Ergò eandem perpetrat iniustitiam, qui huic subtractioni cooperatur. Igitur vterque debet Ordini damna hæc restituere, ita Ferdinand. de Castro *tom.* 3. *d.* 4. *de statu Relig punct.* 19. *n.* 6.

366 *Placet hæc opinio.*

Placet sententia. Neque enim obstat, Religionem non habere ius iustitiæ ad tẽporaria lucra, nisi supposita Religiosi voluntate, quominus tam Religiosus, quam cooperans ad apostasiam teneantur ea restituere, si contra voluntatem Religionis cessent, quia Religio ius iustitiæ habet, vt ea sibi lucra Religiosus acquirat. Id vero compertum, te non esse obligatum Religionem ingredi loco illius quem extraxisti, licet illũ per vim, & fraudem extraxeris, quia status Religiosus est ita altioris ordinis, & difficilis, vt ob nullam causã cõtra voluntatem propriam sit assumendus. Neque teneri, alij Religionis ingressum persuadere, vt sic damnum ei illatum ex Religiosi fuga compensẽs, quia Regularis status non est ob huiusmodi fines assumendus. Neque teneri, ex bonis alienis satisfactionem pro damno à te facto exhibere Lege Nauarrum *lib. secund. de restitut. capite* 2. *n.* 12. & Lessium *l.* 2. *c.* 8. *dub.* 3.

DVBIVM XCVI.

Religiosus professus potestne à Religione expelli?

367 *Expelli non potest.*

EXpelli non potest, sed in carcere debet recludi, ibique pro delicti qualitate puniri, quia *Cap. fin. de Regular.* præcipitur Prælatis, vt electos, ac fugitiuos quærant, & in communem vitam emendatos, ac castigatos reducant, si Religionis statuta non obstent. At si hæc fieri statuta repugnauerint iubet eos in arctam custodiam reduci intra Monasterium, vel proxime ad illud: vel si hoc fieri nequeat absque graui scandalo, in aliis eiusdem Ordinis domibus recludi, ibique necessaria subministrari. Vnde sic efformo rationem Pontifex imperat electos, & fugitiuos quærere, & ad communem vitam reducere, vel saltem ad arctam custodiam, ne in animi perniciem diuagentur: Ergo non censet à principio permittendos esse liberè diuagari. Sic Abbas *Cap. cum ad. Monasterium, numer.* 13. Cardinal. *Clement.* 1. § *Quia vero, numer.* 5. *q.* 1. *De statu Monach* Graf. *p.* 1. *decis l.* 3 *cap.* 5. *num.* 145. & plures relati à Sanchez *l.* 6. *Decalog cap.* 9. *n.* 2.

368 *Potest expelli.*

Expelli potest, si Religioni sit nocuus, quod ex eius conuictu constat *Cap. cum ad Monasterii de statu Monach.* vbi decernitur, proprietarium esse expellendum. Constat ex vsu ac consuetudine omnium Religionum, quam contra rationem ordines à suo principio ex facultate sibi à Fundatoribus concessa introduxere. Constat demum ratione, quia bonum commune Religionis singulari est præferendum: At bonum communi Religionis expedit, te prauis imbutum moribus, nec volentem corrigi, ab aliorum consortio separari, ne alios inficias: recludi autem sub Monasterij custodia sæpe fieri non potest, nec expedit: Ergo eo casu licita est expulsio, ita Manuale Prælat. *to.* 1. *q.* 52. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 13. *num* 1. Suar. *tom* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 2. Sanchez *l.* 6. *Decal c.* 9. *n.* 3. Les. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 14. *n.* 106. Molin. *to.* 1. *d.* 140. Az. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 3. & alij apud hoscc.

369 *Hoc certũ vnice esse indico.*

Certissima hæc sententia est communiterque recepta. Cui quidem non obstat textus in *Cap. fin. de Regul.* Nam loquitur de iniuste expulsis vel ex defectu causæ, vel ex defectu potestatis dimittẽtis, vel quia in dimissione ordo iuridicus seruatus non fuit, quos reducere Prælati tenentur. Nauar. *comment.* 3. *de Regul. n.* 36. & *l.* 3. *consil. tit. de Regul. cons.* 51. Vnde iam primam sententiam defendibilem non esse quis dubitet?

DVBIVM

DVBIVM XCVII.

Licitumne est, Religiosum professum ex Ordine expellere, si ipse expulsioni repugnet, & correctioni consentiat?

370 *Non est licitum.* NOn est licitum, quia si quis excommunicationis sententia afficitur, dum paratus est correctioni acquiescere, non ligat censura; quæ quidem contumaces afficit: Ergo solum licet Religiosum expellere casu, quo ipse expulsioni consentiat, & correctioni subiacere repugnet. Sic Sylvest. *v. Relig* 6. §. 17. Armil. *eodem §. vlt.*

371 *Licitum est* Licitum est, quia hæc locum habent in pœna excommunicationis, eo quod sit pœna medicinalis in bonum excommunicati ordinata. At in expulsione non procedunt, quæ non tam in bonum expulsi, quam in bonum aliorum, quibuscum societatem habent, ordinantur, ita Suar. *to.* 4 *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 8.

372 *Hoc unice placet.* Hoc unice placet. Quare si semel atque iterum de gravibus delictis monitus quis fuit, & punitus, quo non obstante, iterum recidit, potest a Religione expelli, quamvis correctionem promittat paratus pœnam delicti sustinere, quia non præsumitur corrigendus, sed potius similia perpetraturus. Quod sufficit, vt iuste expellatur: sicuti sufficit in hæretico relapso hæc futuri lapsus præsumptio, vt morti damnetur.

DVBIVM XCVIII.

Vt quis iustè è Religione expellatur, debetne necessariò semper post trinam monitionem reincidisse?

373 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto, vt quis è Religione iuste expellatur, debere peccatum grave, ac scandalosum perpetrasse. Quia cum hæc pœna gravissima sit, non potest nisi ob graue delictum imponi: & cum imponatur non tam in bonum delinquentis, quam in bonum aliorum Fratrum, & Religionis: merito debet esse peccatum scandalosum, hoc est, quod possit aliis sociis esse nocivum; necessariò autem requiri præcessisse monitionem, imo & punitionem, quia omnia iura æquè de hac expulsione loquuntur, stylusque communis clamat, Monachos ob solam incorrigibilitatem expelli. At non est censendus incorrigibilis, quousque monitus, & iuxta delicti qualitatem punitus reincidat. Iam requiro, an vt quis iuste è Religione expellatur, semper debeat necessario post trinam monitionem reincidisse?

374 Necessariò semper debet esse post monitionem trinam reincidentia, quia sic fert omnium Ordinum praxis. Pro Ordine Minorum dicitur illum esse incorrigibilem, qui ter conuictus, & punitus de crimine, non emendatur. Toletanæ ordinat. *capite* 6. *titul. de incorrigibil.* In Reg. S. Benedicti *c.* 58. habetur, esse incorrigibilem, qui per desertionem Religionem post professionem factam, illud vero est certum, ad hanc incorrigibilitatem opus non esse, vt delicta sint eiusdem generis; sufficit si eiusdem gravitatis existant. *Cap. Vt famæ, de sent. excommun.* ibi: *Ad similia, & peiora facile labitur.* Si igitur ad expulsionem incorrigibilitas requisita est, non poterit quis ob delictum quantumuis graue vnquã expelli, nisi monitus & punitus sæpius reincidat. Sic D. Thom. *quodlib.* 12. *a. vlt.* D. Bonauent. *in Reg. S. Franc. q.* 14. Cardin. *Cap. Cum olim, de privil. numer* 4. Sylvest. *v. Religio* 6. *q. vlt.* Anton. Cucus *l.* 3. *institut. moral. titul. prim. num.* 130. & 139. Anton. Abbas, Malolus, Sayrus, Graffis, quos refert, ac sequitur Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 9. *n.* 4. *Debet semper esse reincidentia post monitionem trinam. nam.*

375 *Non semper debet esse reincidentia post trinam monitionem.* Non semper necessario debet expulsio fieri post trinam, seu repetitam monitionem. Quia potest perpetrari ita graue delictum, adeóque scandalosum, vt nequeat commode alia pœna puniri, neque honori Religionis conduci, nisi delinquentis expulsione. Potest ergo tunc professus expelli, quia bonum commune singulari est præferendum. Profectò sunt alia delicta, quæ si Religiosus ausus fuerit semel committere, merito præsumi potest, eadem & grauiora commissurus. Quo casu & si Religiosus de facto incorrigibilis non sit, quia non fuit correctus: est tamen incorrigibilis ex iuris præsumptione. Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 3. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Palao *tom.* 3. *d.* 4. *de Statu Relig. pun.* 19. *n.* 7.

376 *Cum his sentio.* Cum his sentio, quia sunt aliquæ Regulæ Ordinum permittentes ob delictum aliquod semel commissum posse reum a Religione expelli: ideò autem, quod præsumat Ordo eadem, & similia commissurum, ac proinde esse incorrigibilem iuris præsumptione, licet de facto non sit, quod videtur sufficere ad expulsionẽ. Imò licet spectato iure cõmuni, incorrigibilitas de facto expulsioni necessaria esset: at spectatis Religionũ priuilegiis, minime est necessaria sũt enim plura Religionum priuilegia cõcedẽtia expulsionẽ pro graui, & atroci delicto, cuius reus sine magno Religionis detrimento nõ potest inter Religiosos contineri. Leo X. id Minorum Religioni concessit. Pius V. Ordini D. Hieronymi, Gregor. XIII. Præposito Generali Societatis Iesu, Suario attestante *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 4. *nu.* 11. si autem rogites, quæ sint hæc delicta grauia, ob quæ semel patrata possit quis a Religione expelli? Respondeo, id Regularis prælati arbitrio relinqui, nisi a Regula designata extent. Putarim autem, peccatum quod a sæculari commissum pœnam mortis meretur expulsione esse dignum. Quia ratiõ huiusmodi criminis rens absque Religionis nota contineri in ea potest.

DVBIVM

DVBIVM XCIX.

Tacuisse in professione impedimentum, quo cognito, quia nullatenus in Ordinem admittendus esset: estne sufficiens causa, vt professus expellatur?

377 *Sufficiens causa est.*

SI quis celauit, se morbo affici gallico, vel ab infecto Iudæorum, vel Mauorum Sanguine ortū habere, vel esse ære alieno grauiter oppressum: præstat sufficientem causam expulsionis, quia per errorem ab illo causatum Religio eius professionem acceptauit, eumque in suam potestatem recepit. Ergò sufficiens adest causa eum expellendi licet professionem factam nequeat Ordo irritare. Sic Sayr. *Religio, num.* 34. Laym *l.* 4 *tr.* 5 *c.* 13. *n.* 1. Nauar. *l.* 3. *consil. tit. de Regular. cons.* 25. Vega *t.* 2. *sum. c.* 50. *casu* 4. Sanch. *l.* 7. *de matr. d.* 37. *num.* 53.

378 *Non est causa sufficiens.*

Non est sufficiens causa expulsionis, quia potest ille alia via sufficienter puniri, & aliorum scandalo, si forte adsit, facile satisfieri: præcipuè cum hæc culpa ex illis non sit, ob quas Relig o notam, & infamiam patitur. Creditur enim, potius deuotionis zelo, & affectu, quam ex malitia esse commissam. Ita Manu. *to.* 3. *qq. Regular. quæst.* 17. *a.* 9. Sanch. mutans sententiam, prudens plane, *l.* 5. *Decal. cap.* 4. *num.* 58. Palao *t.* 3. *d.* 14. *de statu Relig. punct.* 19. *num.* 9.

379 *Auctoris resolutio.*

Satis probabilem hanc sententiam esse credidi. Adhærerem autem primæ, si ob infectionem morbi, vel sanguinis aliquando crederetur probabiliter aut Religiosos esse inficiendos, aut Religionem grauiter professi retentione esse infamandam.

DVBIVM C.

Religiosus per sententiam definitiuam perpetuo à Religione expulsus: teneturne ad illam redire?

380 *Aliqua suppono.*

CErtum est, expulsum ad Religionem redeuntem noua professione non indigere, quia per expulsionem non fuit à prima expeditus. Vota autem quæ professioni coniuncta sunt, non extingui expulsione, sed suspendi illorum obligationem ex materiæ defectu, quia nulla est legitima causa, quare ea vota extinguantur, cum professio, cui annexa sunt, non extinguitur. Suspenduntur verò, quia illa emittentes non habuere intentionem ea extra Religionem obseruandi, maximè cum non sint expulsi apti ad eorum executionem. Sanchez *l.* 6. D *cal. c.* 9 *num.* 56. Quæritur vero, num qui per sententiam definitiuam perpetuò à Religione expellitur ad eam redire teneatur.

381 *Non tenetur.*

Non tenetur, neque ad id cogi à Religione licet sit emendatus, quia illa sententia *le*

expulsione perpetua Religiosi legitima sui *tur.* (vt suppono) ergo seruanda est iuxta *legt. Res iudicata, ff. de reg. iuris.* at non seruatur, expulso ad Religionem redeunte: ergo expulsus perpetuo non solùm non est obligatus ad reditum, sed nec recipi potest absque dispensatione. Certè expulsus, licèt sit emendatus, cogere non potest Religionem, vt ipsum in se recipiat: ergo nec ipsum poterit Religio cogere: quia in his æqua debet esse conditio. Sic Nauar. *comment. 2. de Regul. num.* 36. Sayr. *Thesau. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 9. *num.* 26. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *quæst.* 6. Manu. *t.* 1. *qq. regul. q.* 30 *a.* 20.

381 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem procurare ad Religionem reditum: & de facto redire, quoties Religioni placuerit, eum reuocare, quia *cap. fin. de Regular.* tam fugitiui, quam electi præcipiuntur quæri, & ad Religionem reduci: quod nullo modo fieret, nisi supponeret Pontifex fugitiuos, & electos obligationem habere redeundi. Porro electus verus est Religiosus, tametsi vt putridum membrum ab aliorum consortio separatus: ergò tenetur implere obligationem statui Religioso annexam. At obligatio statui Regulari necessariò annexa, & ab eo inseparabilis est obligatio ad vitam communem, & sub obedientia Prælatorum Regularium: nam id votis promisit: ergò electus hanc retinet obligationem. Igitur quatenus in se est, illius executionem debet procurare. Et quandocumque Religio permiserit, expulsum sub eius regimine viuere, ipse acceptare tenetur. Ita Sanchez *l.* 6. D *cal. c.* 9. *num.* 23. & 30. Laym *l.* 4. *tract.* 5. *c.* 13. *qu.* 3. Suar. *t.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Lessius *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. *n.* 111.

382 *Verius hoc mihi, id amplius explicanti.*

Veriorem hanc esse sententiam existimo. Concedo enim, illam sententiam fuisse legitimam, seruandamque esse, quoties Religio sibi iudicauerit expedire. Nam in illius fauorem lata fuit. Vnde illam conditionem virtualiter imbibit, vt expulsio duret, quamdiu sibi placuerit. Iudicante tamen Religione, expulsi reditum emendati expedire, ipse redire tenetur: nec potest cedere Religio obligationi retinendi Religiosum, illumque gubernandi, nisi quatenus expediens fuerit, vel ad delictum Religiosi puniendum, vel ad aliorum præcauendum damnum, quia ea sub obligatione se illius tradidit Religiosus obsequio. Ergò si Religio iudicet, delictum Religiosi esse sufficienter punitum, nullumque aliis damni periculum adesse, obligata esset electum reuocare. At quia rarò, vel nunquam tenetur præsumere illum expulsione temporali puniri, sufficienter delictum, quod expulsioni perpetuæ pœna legitimè est damnatum. Ideò raro, vel nunquam obligationem habet expulsum admittendi, & si expulsus obligationem habeat, quantum ex se est, procurandi admissionem. Suarius mecum *tom* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 5. *n.* 13. & Sanch. *l.* 6. *D. cal. cap.* 9. *num.* 32.

DVBIVM CI.

Vt ab vno Ordine ejectus possit in alio recipi, debetne litteras testimoniales Provincialis vel Generalis deferre: at si hæc conditio deficiat, estne validus ingressus?

383 *Certa recolo.* SCio, Religiosum ab vno Ordine ejectum obligatum non esse alium ingredi, sed secure posse in sæculo manere, quia status Religiosus, quem professus fuit, tolùm obligat illum ad perstendum in Ordine assumpto, non autem ad alium novum suscipiendum. Deindè scio, non posse aliam Religionem ingredi sine laxiorem, sive strictiorem, sive æqualem, nisi priori Ordini se præsentet emendatum, ita vt illi constet, per eum non obstare, quominus ad illam redeat: facta autem hac diligentia, etiam laxiorem ingredi posse. Sanchez *l. 6. Decal. cap. 9. num. 36.* Scio denique, debere huiusmodi ejectos litteras testimoniales provinciales, vel Generalis deferre, nec aliter recipi posse sine pontificis licentia. Quæsierim verò, an si hæc conditio deficiat, sit validus ingressus.

384 *Validus non est.* Non est validus, quia extat privilegium Religionibus à sede Apostolica concessum, ne quis recipi possit ab alio Ordine expulsus, quin huiusmodi deferat testimonium. Sic Manu. *t. 1. qq. Regul. qu. 30. a. 21.* Suar. *t. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 5. n. 19.*

385 *Est validus.* Validus est, quia in privilegio illo nullum est verbum indicans, litteras testimoniales requiri vt formam, & ex necessitate ingressus: sed solùm ex præcepto, vt ingressus conuenienti modo, fiat, statu ingredientis superioribus referato. Ita Manuel. idem mutans sententiam *tom. 2. sum. cap. 6. num. 21.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 9. n. 39.*

386 *Hoc verius.* Hanc sententiam crediderim esse veriorem. Prima enim debili fundamento nititur. Nam si Pontifex in illo privilegio vellet ingressum annullare, proculdubio id exponeret.

DVBIVM CII.

Expulsus à Religione eximiturne ab Obedientiæ voto?

387 *Non illa suppono.* PRæmitto, quoad obligationem expulsi ad vota substantialia, teneri illum castitatis votum seruare eodem modo, ac si expulsus non esset, quia cum materia huius voti sit abstinentia à licito, ac illicito concubitu, omnique re venerea, & hæc non pendeant ab hoc, vel illo statu, integre in statu expulsionis est obseruanda. Votum verò paupertatis seruandum esse circa exigentiam status, in quo est constitutus. Cùm autem expulsionis status non exigat, professum illum illius rei dominium habere, sed solum vsum, & liberam acquisitorum administrationem, Religio expellens vsum eum, & eam administrationem illi concedit, vel potius Pontifex iure ipso, & consuetudine introducta, cum libertum vsum, & administrationem permittit, modo non sit in vsus prauos, nec testamenti via. At de Obedientiæ voto est grauis difficultas, an expulsus ab eo eximatur.

388 *Omninò eximitur ab obedientia.* Eximitur omninò, quia Prælatis Regularibus eam non debet, cum ipsi cum à sua potestate, & dominio ejecerunt. Nec Episcopo, cui obedientiam non promisit, si Religio e qua fuit ejectus ab Episcopi est potestate exempta: si verò exempta non est, Episcopo obedientiam promisit sicuti aliis Regularibus Prælatis, scilicet, in statutum vitæ communis Religiosæ, non extra, quare expulsus à Religione, à dominio, ac potestate omnium prælatorum illius, & consequenter à dominio, ac potestate Episcopi manet exclusus. Vndè patet, nec eum esse sub potestate Pontificis, quatenus est supremus Religionis Prælatus: igitur expulsus eximitur omninò ab obedientiæ voto; non quòd in eo dispensatus sit, sed quia defectu materia circa quam versetur. Sic Sanchez *l. 6. Decal. cap. 9. num. 29. & 31.* Lessius *l. 2. cap. 41. fine.* Manuel. *tom. 1. qq. Regul. quæst. 30. a. 19.* Molina *tom. 1. d. 140. circa finem & tomo secund. 2. d. 276. §. quoad cæteros.*

389 *Non omninò eximitur.* Non est omninò ab obedientia exemptus, sed sub obedientia Prælatorum Regularium aliquo modo existit, sub Episcopi potestate simpliciter, sub Pontifice efficacius, sub Prælatis Regularibus, quia hi cogere possunt expulsum, vt ad Religionem redeat, ipseque tenetur obedire. Sub Episcopi potestate, quia expulsus in eo statu ligatus est voto obedientiæ, sed hoc intelligi nequit absque Ordine ad aliquem Prælatum, cui sit exhibenda; cum ergò is non sit Regularis Prælatus, restat, vt sit Episcopus. Et negari non potest, Episcopum regere posse, & debere omnes in sua Diœcesi existentes, quæ specialem exemptionem non habent secundum eorum statum, & conditionem: ergò debet regere Regularem expulsum secundum Religiosum statum, quem habet expulsioni accommodatum. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. c. 9. num. 4.* Zerola *prax. p. 1. v. Regularis, vers. 3.* Nauar. *comment. 2. de Regular. num. 34.* Palao *tom. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 23. num. 6.* De subiectione ad Pontificem quis possit dubitare.

390 *Min hoc probabilius.* Cum his probabilius sentiens, hinc colligo, Religiosum expulsum obligatum esse, se Episcopo manifestare, vt iuxta sui status conditionem ab eo valeat gubernari. Cum enim ex voluntate Episcopi, vtpotè sui Prælati, regendus sit, neque hoc fieri possit sine status manifestatione, infertur, necessariò statum esse manifestandum, vti relati Doctores annotarunt.

CAPVT

CAPVT XIII.

Circa Religiosi facti Episcopi, vel ad Parochialem Ecclesiam promoti, quoad vota obligationem.

DVBIVM CIII.

Religiosus assumptus ad Episcopatum, teneturne vota obseruare, quæ votis tribus constituentibus Religiosum statum in aliquibus Ordinibus solent annecti?

391 *Certa supposita.*

CERTVM est, Religiosum factum Episcopum voto obedientiæ sicut paupertatis, & castitatis adstrictum manere: sed soli Pontifici obedire debere in iis, quæ fuerint iuxta regulam: secus in iis, quæ extra, vel præter regulam antea fuerint, quia non illimitate, sed limitate iuxta regulã obedientiã promisit. Verùm supradictis votis constituentibus Religiosum statum alia vota in diuersis Religionibus annectuntur: vt in Ordine B. Mariæ de Mercede emittitur votũ incumbendi captiuorum redemptioni: in Minimorum Ordine votũ victus quadragesimalis: in Societate Iesu votum quartum solemne obedientiæ Pontificis summo in missionibus peragendis: deinde emittuntur alia quinque vota simplicia, nempè de non relaxanda paupertate, nec admittenda eius relaxatione; de non procuranda dignitate aliqua directè vel indirectè in Societate; de non procuranda Prælatione vel dignitate extra Societatem, nisi obedientia intercedat, de denunciandis ambientibus supradictas dignitates; & de audiendo Præposito Generali si quis in Prælaturæ constituatur statu, eiusque consilia sequendo, si meliora visa fuerint. Quæstio igitur est, an Religiosus in Episcopum assumptus hæc omnia vota obseruare teneatur eodem modo, ac antè assumptionem erat obligatus.

392 *Tenetur equidem.*

Tenetur equidem, quia obligatio voti est personalis: ergò comitatur personam in quotcumque existat statu: alias vouens calculum Virgineum quotidiè recitare, hoc voto non teneretur ad Episcopatum assumptus. Certè vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ persequitur in Episcopatu, & obligant ad sui obseruationem, quatenus cum Episcopatu non pugnant. Ergò etiam hæc vota perstitere debent, & obligare, quatenus eorum obseruatio cum statu assumpti obligatione non pugnat: sunt enim status Regulari accessoria, & non pugnant absolutè cum Episcopatu obligatione, sed potius plura ex illis Episcopatus iuuant perfectionem. Sic de voto quarto Societatis Iesu Vasq. 1.2. *d.* 165. *c.* 8. *num.* 89. Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 6. *n.* 15. De aliis verò Suar. *t.* 4. *de relig. to.* 8. *l.* 3. *n.* 8. & colligitur ex Soto *l. vlt. de iust. a. vlt. post medium.*

Non tenetur hæc vota seruare, sed suspenditur eorum obligatio, durante Episcopatu, quia ea vota, vt recepta constat ex praxi, præcipiuntur emitti, & à Religiosis emittuntur, vt status communitatis conseruetur, & crescat faciliori regularum obseruatione, specialique Religiosorum fructu, sæculariumque æstimatione. Cùm ergò post Episcopatus acceptionem à Communitate separatus existas, ab omni regularum obseruatione exemptus pro eo statu illis votis non obligaris. Addo, eorum obseruationem difficiliorem esse extra Religionem maximè in statu illo honorifico: ergò credendum non est, Religionem velle suos Religiosos huiusmodi obligatione grauare: neque Religiosos eam subire; sed potius oppositum præsumendum. Ita Sanch. *l.* 6. *Decal. cap.* 6. *n.* 15. & alij. 393 *Non tenetur.*

Cum his opinor verius planè, expendens vota singula. Verùm Religiosus Ordinis S. Mariæ de Mercede præsumi non potest, se voluisse obligari voto redemptionis captiuorum: nec Religiosus Societatis nostræ voto obedientiæ promissionibus peragendis instar Clerici sæcularis, sed Religiosi instar; & vt Religionis membrum, & in illius conseruationem. Cum igitur Episcopatus assumptione sint à Religione exempti & instar Clericorum sæcularium nõ est credendum illis votis se obligare voluisse. Idem argumentum procedit de abstinentiæ quadragesimalis voto: non enim debet præsumi, obligationem illius ad statum sæcularem extendi, maximè cum ad conseruationem Regularis status fuerit emissum. Apertius id constat in illis quinque votis à Professo Societatis Iesu emissis. Nam hæc emittuntur, vt conseruari, & augeri totum corpus Societatis in suo bono statu valeat, vt D. Ignatius *p.* 10. *constit.* expressit: ac proindè non respiciunt extrà corpus Societatis constitutos. 394 *Cum his verius opinor.*

DVBIVM CIV.

Si Episcopus Regularis, habitu suæ Religionis dimisso, sæcularis Episcopi habitum induat: incurritne excommunicationem?

INcurrit profectò excommunicationem latam *in cap.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6. aduersus Religiosos, qui sui Ordinis habitum dimittunt, quia vere Episcopus habitum sui Ordinis dimittit, cum Religiosus sit, & sæcularis Clerici indumentum assumat. Sic Maiol. *l.* 2. *de irregular. c.* 1 *num.* 13. Sylueſt. *v. Religio* 7 *q.* 11. Rainald. *cons.* 6. *n.* 7. *vol.* 1. Surdus *de alimen.* 18. *princ. n.* 79. *n.* 10. 395 *Incurrit quidem.*

Non incurrit, quia præfatus textus expresse loquitur de Religiosis intra claustra sub Abbatis 396 *Non incurrit.*

Abbatis obedientia degentibus : non de illis, qui extra clausura, & obedientiam Abbatis sunt constituti. Præterea excommunicatio illa imponitur vt periculosa euagandi materia Regularibus subtrahatur : at Episcopus sæcularis Episcoporum habitu indutus, periculosam vagandi materiam non habet. Ita Barbosa *p.1.cap.4. num.17.* Couar. *de testam. cap.1.num.18.* Manu. *tom.2.qq. Regul.q.58. a.3.* Sanchez *l.6.Decal.capit.6. numero 23.* Suar. *tomo 4.de Relig. tract.8.l.3. capit.17. num.11.*

397 *Auctoris sententia eadem.*

Cum his sentiens, crediderim, dici non posse temerariam habitus dimissionem, quæ in habitum adeò decentem, & ab Ecclesia probatum commutatur : maximè cum *in c. Deus qui, de vita, & honest. clericor.* Monachis in Ecclesia simul cum Clericis habitantibus permittitur habitu Clericorum vti, ne ob diuersitatem scandalum excitetur. Ergò Episcopus, qui ob hanc occasionem habitum sui Ordinis defereret non temere dimitteret, neque in excommunicationem incideret. Iam verò Clementis VIII. authoritate, vt habetur *in Rituali Romano ab ipso reformato*, concessum est Episcopis Regularibus vt retento colore habitus suæ Religionis, possit se conformare cum Episcopis sæcularibus in figura illius, cum birreto scilicet Clericali & mantilleto eiusdem coloris Religionis. Rochetum verò gestare non possunt ; sed cottam, seu superpelliceum in actibus Ecclesiasticis superponunt. Laym. *l.4.tract.5.capit.1. numero nono* Sanchez *l.sext. Decal. capit.6. num.22.*

DVBIVM CV.

Religiosus in Episcopum assumptus, teneturne Religionis regulas obseruare?

398 *Tenetur plane.*

TEnetur quidem, quia cum vouerit obedientiam secundum regulam, ab eoque voto ob Episcopatum liber non sit, videtur regulæ præcipienti obedire debere, maximè cum Episcopatus muneri non repugnat, sed potius illius promouet perfectionem. Sic D. Thom. 2.2. *quæst. 185. a.8.* Syluest *v. Religio 6. quæst.10.* Manu. *tom.2.qq. Regul.qu.58. a.3.* & alij relati à Sancio *l.6. Decal.c.6.n.18.*

399 *Non tenetur.*

Non tenetur Episcopus è Regulari statu assumptus vlla regulæ præscripta obseruare debito legali ad culpam obligante, quia expresse eximitur à iugo regulæ dicto *cap. vni. 18.quæst.1.* ibi. *Quem canonica electio à iugo Monastica professionis absolut.* Merito quidem ; quia cum extra regimen Religionis existat, non debebat illius regulis astringi. Hæ enim primò & per se communitatem Religiosam astringunt, in cuius augmentum, & conseruationem feruntur. Ita Sanchez *l.sext. Decal.cap.6.num.17.* Laym. *l.4.tract.5.c.1. num.10.* Suar. *t.4 de Relig.tr.8.l.3. cap.17.à num.17.* & alij apud ipsos.

Hoc dicendum existimo. Non enim obstat, Regularem Episcopum adstringi voto obedientiæ secundum regulam ; quia astringitur voto, cum est superior, qui secundum regulam præcipiat. At cum Pontifex qui solus est illius superior eas regulares obseruantias non imperet ieiuniorum, vigiliarum, orationum : sed solùm à Religionis Prælatis præcepta sint, à quibus Regularis Episcopus exemptus est : nullam illarum habet obligationem. Dixi, non teneri *ex debito legali* hoc est, ex illius legis, seu regulæ obligatione. Teneri enim ex debito saltem morali, & honestatis conuincor ex D. Thomæ doctrina *qu.185. a.8.* docentis, Regularem Episcopum *secum dispensare posse in regularum obseruatione, secundum quod requirit necessitas personæ, vel officij, vel conditionis hominum, cum quibus viuit.* Sic igitur dispensatio necessaria est, obligatio saltem ex honestate debet intercedere. Certè Episcopus in statu perfectionis adest : ergò desistere non debet ab obseruatione regularum, quæ hanc perfectionem valent promouere.

400 *Hoc dicendum existimo.*

DVBIVM CVI.

Debitum morale, quod gerit Regularis Episcopus seruãdi Ordinis regulas inducitne subveniali piaculo obligationẽ?

VIdimus Dubio proximo, Episcopum Regularem non teneri debito legali, secus, quoad morali, & honestatis, ad regularum Ordinis obseruationem. Quæritur autem, quam obligationem hoc debitum morale inducat ? an sub veniali piaculo.

401 *Statum quæstionis.*

Inducit obligationem sub veniali, quia est ex decentia, & honestate, rationi naturali omittere illud, quod iure naturali debitum est aduersum. Ergò est culpa saltem venialis Sic Caiet. *t.1. opusc.tr.25.qu.2.* Couar. *de testam.c.1.n.18.* Manu. *t.2.sum.c.10.n.4.*

402 *Inducit venialem.*

Non inducit, quia vbi nulla est legalis debiti obligatio, nulla culpa committitur. Ergò Episcopus omittens regularum obseruationẽ, omittit quidem, quod perfectum erat, & decens statui Regularis Præsulis, sed non debitum ex legis præscripto. Debitum autem illud morale, & honestatis nihil aliud est, quam opus pererogatorium, quod maximè deceret Episcopũ perfectionis studiosum : sed nec sub veniali piaculo debitũ. Ita graues Doctores.

403 *Non inducit.*

Quorum consilio lubens acquiesco. Non me fugit P. Ferdinandum à Castro *t.3.d.4. de statu relig. punct.24.num.15.* asseruisse Regularem Episcopum nullam obligationẽ moralem & honestatis habere, ne cogatur admittere, piaculum veniale contrahere, si regulas Ordinis nõ obseruet. Verùm, eius venia video in aliquibus ordinibus, v.g. in nostra Societate Iesu regulas Religiosis præscribi obseruãdas, quarum omissio nec veniale peccatum inducit. At non adest moralis obligatio decẽtiæ, & honestatis in eo, qui studium perfectionis profitetur ? quis dubitet ? Et tamen omissio vnius & alterius Regulæ, imò omnium sigillatim sumptarum peccatum veniale

404 *Hoc tenet, & expono.*

veniale non est, si leuis contemptus non adsit. Ergo Episcopus se perfectissimum ostendet, si illi obligationi decentiæ, & honestatis acquiescat; sed ex illius omissione non delinquet.

DVBIVM CVII.

An regularis Episcopus possit feria sexta, vel sabbatho in quo Natalis Domini incidit, carnibus vesci, si ex Regulæ præscripto id sit prohibitum?

405 *Certa recolo.* CErtum mihi, Regularem Episcopum non ligari censuris, & pœnis a regula statutis in transgressores suorum votorum, castitatis, paupertatis, & obedientiæ hæc vota violet. Quia integrè à iugo regulæ exemptus est. Nec obligari ad ieiunia, austeritates, corporis afflictiones à regula præscriptas ob eandem rationem. Sanchez aliis relatis, *l. 6. Decalog. tr. 5. c. 1. n.* 10. Quæsierim autem, an possit carnibus vesci feria sexta, vel sabbatho, in quo Natalis Domini solemnitas incidit?

406 *Vesci non potest.* Vesci non potest, quia textus in *Cap. explicari vlt. de obseruat. ieiun.* concedens eum carnium, illis diebus excepit eos, qui ex voto, vel ex regulari obseruatione tenentur. Ergo Episcopus assumptus ex Religione, in qua illis diebus esus carnium interdicitur, nequit carnibus vesci. Sic Barbosa *de potest. Episc. tit. 1. cap. 4. nn. 14.* & Suarius *citandus*, si non ex solo præcepto regulæ, sed ex voto à regula præscripto, vt in ordine Minimorum obligatio esset.

407 *Potest carnibus vesci.* Potest carnibus vesci, quando ex præscripto regulæ esus carnium est illis diebus interdictus, quia licet ante Præsulatum teneretur illis diebus ex regulari obseruatione à carnibus abstinere, assumpto Episcopatu, iam non tenetur, cum à iugo regulæ sit exemptus. Ergò non excipitur à priuilegio, Cap. Explicari Sic Caiet. *to. 1. Opusc. tr. 25 q. 2.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap 17 num* 19. Couar. *de testament. c. 1. num.* 18. Sanch. *l. 6. Decalog. capite 5. num.* 20.

408 *Auctoris resolutio.* Dixi, Suarium docere Episcopum obligatum esse illis diebus à carnibus abstinere; si vouisset ex præscripto regulæ illorum dierum abstinentiã. At probabilius esse reor ob eandem rationem idẽ in hoc casu esse dicendum. Quia vota ex præscripto regulæ facta, cessante regulæ obseruatione, cessant. Mecum Sanch. *vbi supr.* Addiderim nec obligari officium diuinum ex ritu sui ordinis recitare, nec secum socium habere, quia est ab Ordine separatus, ea vero obligatio solum est ex regulæ præscripto. Azor. *p. l. 12. c. 7. q. 4.*

DVBIVM CVIII

Episcopus Regularis fruiturne priuilegiis, gratiis, & indulgentiis sui Ordinis Religioso concessis?

409 *Non fruitur.* NOn fruitur, quia æquum non est, vt gratiis, & priuilegiis Ordini concessis fruatur, qui eius onera non sustinet. Sic Mandos. *de priuileg. glos. 3. num.* 11. Manu. *to. 2. qq Regul. q* 58. *a. 4.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 6. numero* 33.

410 *Fruitur quidem.* Fruitur equidem, quia licet non sustineat omnia Religionis onera sustinet tamen onera substantialia, ac præcipua: siquidem obligatus est castitatem, paupertatem, & obedientiam seruare. Meritò igitur priuilegiis Ordinis debet potiri: præcipuè cum loco regularium obseruationis obligationes Episcopatui annexæ succedant. Ita Suar. *to. 4. de Relig tr. 8. l. 3. c. 18. n. 2.* Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 24. n. 23.*

411 *Auctoris resolutio.* Existimo probabilius, Regularem Episcopũ vti posse omnibus priuilegiis, gratiis, indulgẽtiis, quę ita ordini conceduntur, vt singulis etiam concessa sint, quorumque vius absque vllo onere, & grauamine Religionis esse potest. Quia non adest efficax ratio, ob quã is debeat priuari. Vnde poterit indulgentias obtinere, absoluere, & absolui à peccatis, sicut reliqui ordinis illius Religiosi possunt. Verum si gratiæ, & priuilegia singulis concessa in Religionis detrimentum cedere possunt, qualia sunt, vocem actiuam, & passiuam habere, in domibus eorundem Ordinum residere, retinere supellectilem, cameram, & alia Ordines concernentia: solum eis fiu possunt de Prælatorum Ordinum consensu, & nõ alias, nec alio modo. Sic declarauit Sixtus IV. provt refertur in *monum. Ordinis Minorum, concess.* 365. Suar. *c.* 18. *n.* 3.

412 *Quæ dicta sunt de Episcopis, competunt Cardinalibus è Religione assumptis* Cęterum ex communi sententia, ea quę dicta sunt de Episcopis competere etiam Religiosis electis in Eccłesię Romanę Cardinales, eo quod maneãt à Regularibus Prælatis exẽpti, sed veri Religiosi. Quare adstringuntur voto castitatis, paupertatis, & obedientię: ideò testari non possunt nec sibi aliquid acquirere (sicuti nec Episcopi) obedire tenentur sũmo Prælato, non tantùm vt vniuersalis Ecclesię Prælato, ob iurisdictionem, quam ex vi Pontificiæ dignitatis habet; sed tanquam supremo Religiosorũ Præsuli, & ex vi voti, & iurisdictionis in illo fundata. Prælatis tamen Regularibus subiecti non sunt, sed à tempore electionis per Pontificem confirmatæ immediatè Romano Pontifici subiiciuntur: ac proinde ad Regulares obseruantias, votaque ex præscripto Religionis emissa non tenentur: habitum tamen sui Ordinis saltem quoad colorem deferre debent. Quod si à Cardinalatu deponantur, vel illum renuncient, crediderim, eos in Prælatorum Regularium obedientiam recidere, quia renunciatione

vel depositione dignitate priuantur, ob quam exemptio fuerat concessa. Non enim illa specialem consecrationem sicut Episcopalis habet. Mecum Palao *t. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 24. num. 25.*

DVBIVM CIX.

Religiosus ad parochialem Ecclesiam promotus, teneturne ad Regulares obseruantias, & vota ex præscripto regulæ emissa?

413 *Certa suppono.*

SI promoueatur ad parochialem Ecclesiam pleno iure Religioni subiectam, certum mihi, non solum esse obligatum tribus Religionis votis, sed etiam omnibus aliis ex Religionis præscripto emissis, aliisque Regularibus præceptis, quatenus in eo officio commode possunt asseruari, quia per assumptionem ad illam Ecclesiam, non desinit esse Religionis membrum, nec à Religione separatur. Sanch. *l. 6. Decal. cap. 6. num. 36.* alios referēs. Si vero beneficium sine Regulare sit siue sæculare, non sit Religioni pleno iure subiectum, quæsierim an Parochus hic ad obseruantias Religionis teneatur, & alia vota, quæ ex præscripto regulæ emisit?

414 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem, quia in huiusmodi Parocho non militat causa exemptionis, quę in Episcopo: non enim est, in culmine Magisterij constitutus, ac proinde regulę, Prælatisque regularibus subiici non dedecet. Sic Sanch. *l. 6. Decal. c. 6. num. 36.* Layman. *l. 4. tr. 5. c. 1. num. 11.*

415 *Non tenetur.*

Non tenetur, sed ab his omnibus exemptus est sicut Regularis Episcopus, hac tamē differentia, quod Episcopus non solum est exemptus ratione officij, ac beneficij, sed & dignitatis Episcopalis, quæ nec depositione nec renunciatione cessat: Parochus verò solum ratione officij, ac beneficij eximitur quo beneficio per renunciationem, vel depositione sublato, in Prælatorū regulariū recidit obedientiā. Ratio conclusionis est, quia susceptionē illius beneficij etiāsi regulare sit regularis manet à Religione separatus: manet enim Ecclesiæ, cuius est beneficium, vnitus à Religione, eiusque Prælatis independenter. At vota, quæ ex præscripto regulæ emittuntur reliquæque regulares obseruantiæ statuta sunt, pro Religionis corpore conseruando, & augendo. Ergò regularis, qui pars illius corporis non est, nec illud constituit, præfatis votis, & obseruationibus teneri non debet. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. a. 19. n. 24. & 28.* Palao *tom. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 25. n. 3.*

416 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam, adiiciens, certissimum esse, ad vota substantialia teneri; quia verus Religiosus est, & idem esse, de obligatione deferendi habitum Religiosum iuxta textum in *Cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* Quæ quidem obligatio strictior est, quam in Episcopis, & Cardinalibus, quia hi tenentur deferre habitum Religionis non solum quoad colorem, sed etiam quoad figuram: etsi id omittunt incidunt in excommunicationem *Cap. 2.* allegati, quia assumptione præcisa habitus Clericalis non tollitur occasio vagandi, sicut videtur sublata Episcopalis habitus assumptione.

DVBIVM CX.

Monachus translatus ad Ecclesiam Regularem, vel sæcularem pleno iure Religioni non subiectam, exemptusne est, ab obligatione grani habendi socium sui Ordinis?

417 *Status quæstionis.*

QVia hæc obligatio non ex regula, sed ex iure communi nascitur *Cap. Monachi 2. de statu Monachor.* & *Cap. Quod Dei timorem, eodem titulo* operæ prætium est expendere qualiter hæc obligatio sit intelligenda. Mihi itaque certum, Religiosum translatum ad Ecclesiam Ordini pleno iure subiectam socium eiusdem Ordinis sub grani culpa habere teneri, Canonicum autem regularem, ad quamcumque Ecclesiam trāslatus sit, debere socium habere, non absolutè, sed si commodè possit. Quæstio autem est num qui translatus est, ad Ecclesiam regularem, vel sæcularem pleno iure Religioni non subiectam, exemptus sit ab habendi socium obligatione?

418 *Exemptus non est.*

Exemptus non est, quia in *Cap. Monachi,* & in *Cap. Quod Dei timorem* ex Concilio Lateran. cauetur, ne *Monachi singuli per Villas, & oppida, per quascumque ponantur Ecclesias.* Ergo etiam in Ecclesiis non subiectis Religioni *singuli* poni non debnet. Dictio enim *Quascumque*, vniuersalis est, ideoque tam Ecclesias sæculares, quam regulares; & tam pleno iure Religioni subiectas, & non subiectas comprehendit. Sic nonnulli, quos refert Sanchez *l. 6. Decalogi capite sexto numer. 39.*

419 *Est exemptus.*

Exemptus est ab ea obligatione, quia constitutus in Ecclesia pleno iure Ordini non subiecta, à Religione est separatus. Ergo nec Religio tenetur, ei socium conferre, nec ille ad eum habendum obligatur. Ita Abbas *ad Cap. Quod Dei timorem, numer. 9.* Cardinal. *ibi, num. 6. q. 4.* Ioan. Andr. *numer. 17.* Azor. *p. 1. l. 12. cap. 19. quæst. 14.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 19. n. 28.*

420 *Auctoris resolutio.*

Existimo, longè probabilius est, imo mihi certum ex recepta consuetudine Monachum translatum ad Ecclesiam Ordini pleno iure non subiectam obligari habere socium, si cōmodè possit, sicuti de Canonico præmissi: ex necessitate autem, solum in Ecclesiis Ordini pleno iure subiectis. Neque obstant textus allegati. Fateor enim, nulli Ecclesiæ Monachos præficiendos esse solos, sed sub diuersa obligatione in Ecclesiis pleno iure Ordini subiectis, ac non subiectis pleno iure. In Ecclesiis namque pleno iure subiectis absolutè, & sub graui culpa; in Ecclesiis autem Religioni non subiectis ex decentia, & honestate, si id fieri valeat.

CAPVT

CAPVT XIV.

Circa transitum Religiosi ex vno in alium Ordinem.

DVBIVM CXI.

Eo ipso, quo Religio sit perfectior, estne strictiore seuerior?

421 *Nonnulla suppono ad totius capitis materiã.*

CErtum est, varias esse in Ecclesia Religiones, alias strictiores, alias laxiores, perfectiores alias. Illam autem dici perfectiorem, quæ finem perfectiorem spectat, & perfectioribus mediis, magisque proportionatis ad finem consequendum vtitur. D. Thom. 2.2. *quæstion.* 188. *a.* 6. Transitus igitur esse potest ex vna ex his Religionibus ad aliam, atque adeò ex Religione stricta ad minus strictam, æqualem, vel strictiorem. Quæstionem verò ad horum intelligentiam præmitto, num eo ipso quo Religio perfectior sit, sit etiam strictior.

422. *Non est strictior eo ipso, quod sit perfectior.*

Non est strictior eo ipso, quod sit perfectior, quia strictio Religionis & eius perfectio diuerso oriuntur ex capite: perfectio enim oritur ex perfecti ori fine, & mediis: at si strictio ex eo quod illa media asperiora sunt. Sed constat, Religiones Mendicantes perfectiorem finem habere, perfectioribusque mediis vti, cum attendant non solùm saluti propriæ, sed & proximorum verbo, & exemplo saluationi incumbunt: ergò Mendicantes perfectiores sunt non Mendicantibus: & tamen non habent eas asperitates in vestitu, silentio, clausura, abstinentia, chori diuturnitate, & similibus, quibus non Mendicantes vti assolent: Ergò non eo ipso, quo Religio est perfectior, est strictior. Sic Lessius *l. secund. cap.* 41. *dub.* 13. *numero* 100. Sanchez *lib. sext. Decal. caput. septimo quæstione tertia numer.* 19. Layman. *l.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *numer.* 10. & alij plures ab his citati.

423 *Strictior est eo ipso, quo perfectior sit.*

Strictior est eo ipso, quo perfectior sit, quia eo ipso quo est perfectior, perfectiores actus virtutis exercet: at quo perfectior est virtutis actus, eo est difficilior: virtus enim circa difficile versatur: ergò Religio perfectior, strictior est. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 39. *quæstion. secund. numero* 17. Suar. *tomo quart. de Relig. tract.* 8. *lib. tertio capit. nono num.* 11. Palao *tomo* 3. *d.* 4. *de Statu Relig. punct.* 26. §. 1. *num.* 2.

424 *Probabiliorem hanc*

probabiliorem hanc partem esse reor. Nam *capit. licèt, de Regular* vbi conceditur ex laxiori ad strictiorem Religionem transitus, indifferenter vtitur nomine *strictioris, & sanctioris*, apertè indicans Ordinem sanctiorem seu perfectiorem, strictiorem esse, & è contra. Verùm etsi hoc ita sit, Religio minus perfecta strictior esse potest quoad asperitates corporis, Religione perfectiori. *partem esse reor.*

DVBIVM CXII.

Moniales possuntne ex laxiori Religione ad strictiorem transire?

425 *Certa refero.*

CErtum est, ex Religione minus perfecta licitum esse, ad perfectiorem transire, quia huiusmodi transitu spiritualis profectus, & maius Dei obsequium obtinetur. Excluſa igitur speciali prohibitione, omnibus est licitum ex ordine laxiore ad absolutè strictiorem transitum agere, quia transitus ex Religione minus perfecta ad perfectiorem est. Deciditur *in capit. licèt, de Regularib.* dixt, *Absolutè strictiorem.* Nam potest esse Religio aliqua strictior in ieiuniis, aliisque corporis asperitatibus: quæ tamen absolutè strictior non sit, eo quod in obseruatione castitatis, paupertatis, & obedientiæ non ita strictè procedat. Religionis verò strictio, sicuti & perfectio ex hoc capite potiùs, quam ex aliis corporis asperitatibus est assumenda. Vndè censeo ex communi Doctorum sententia secluſa speciali prohibitione, licitum esse cuilibet Monacho, ad quamlibet ex Religionibus Mendicantibus transire, eo quod sint absolutè strictiores & perfectiores: non tamen è contra D. Th. *secund. secund. quæstion.* 189. *a.* 8. D. Antonin. *p.* 3: *tit.* 16. *cap.* 4. § 4. Nauar. *comment.* 4. *de Regular. num.* 2. & 3. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 9. *num.* 10. Quæsierim autem, an etiam Monialibus licitum sit ex laxiori Religione ad strictiorem transire.

426 *Non est licitum.*

Non est licitum, quia specialis clausura, quam professæ sunt, eas impedit, hunc transitum agere: non enim potest huiusmodi transitus fieri sine egressu è Monasterio, qui quidem egressus est Moniali omninò prohibitus. Sic Azorius *tomo primo l.* 13. *cap.* 8. *quæst* 1.

427 *Licitum est.*

Licitum est, quia olim permissus fuit hic transitus *in Concilio Triberiensi* 2. *quæst.* 4. *c.* 1. & refertur *cap.* 120. *quæst.* 4. sed per Tridentinum, & Pium V. clausuram indicentes hæc permissio reuocata non est, neque hic transitus interdictus: solùm enim prohibetur egressus è Monasterio vagationi periculosus, & Regulari obseruantiæ, propriæque perfectioni contrarius: qualis non est egressus in Religionem laxiorem, & sanctiorem. Ita Manuel. *tomo tertio qq. Regul. quæst.* 52. *a* 6. Sanchez *l.* 6. *c.* 7. *n.* 6. Suar. *tom.* 4. *de relig tr.* 7. *l.* 3. *c.* 10. *n.* 1.

428 *Ita certum hi.*

Hoc, Azorij mei venia certum esse non dubito. Imò non credo ad huiusmodi egressum requiri in Monialibus eam licentiam,

de qua *Cap. vni. de statu Regular. in 6.* & Trident. *sess. 25. c. 5.* & PIUS V. *in proprio motu* incipiente *Decori*. Quia in his decretis sermo est de egressu vagationi obnoxio, & obseruantiæ regulari contrario, non de egressu vagationem efficacius excludente & regularem perficiente obseruantiam. Mecum Sanchez *numero 6.*

DVBIVM CXIII.

Conuersis, & Oblatis licitumne est è Religione laxiori ad strictiorem transitum agere?

329 *Non est licitum.*

NOn est licitũ, quia hisce, ac sua Religionis obsequio veluti seruari tradiderunt Sic Abbas *ad Cap. Non est, de Regular. numer. 3.*

430 *Licitum est*

Licitum est, quia in voluntaria traditione semper censetur exceptus transitus ad melioris vitæ frugem. Alias oblatio, quæ in Dei obsequium, & animi salutem fit, irrationabilis esset: siquidem spiritualem profectum & maius Dei obsequium impediret. Ita Gregor. Lopez *leg. 9. titulo septim. parte prim. v. Religiosos.* Suarius *tom. 4 de Relig. tract. 8. libro tertio capite 10. num. 1.* Sanchez *lib. 6. Decalogi capite septimo numero 9.* alios citans.

431 *Hoc defendens alia adiicio.*

Non solum hoc verius esse puto, sed cum Suario existimo, si huiusmodi oblati, & conuersi velint Religionem profiteri: non solùm ex illo modo viuendi, qui sæcularis est, posse transire ad Religionem strictiorem, sed etiam ad quamlibet quantumuis laxiorem. Quia professione Religionis assumunt perfectionis statum, quo antea carebant. Dixi autem *Dubio 112.* hunc ad Religionem strictiorem transitum licere, *exclusa speciali prohibitione.* Potest enim Pontifex laxiori Religioni priuilegium concedere, ne liceat eius Religiosis strictiorem inire, tùm ob illius ordinis conseruationem, tum ob vitandam Religiosorum illorum inquietudinem, quia interdictio perfectioris vitæ ob bonum commune est tolerandum, maximè cum in qualibet Religione omnibus datum sit, si velint, perfectionem summo in gradu consequi. Iure quidem communi nullis est hic transitus interdictus, imò potius omnibus est concessus *Cap. statuimus. Capite Mandauimus 19. quæst. Tertia Capite Non est. Capite Licet, de Regular.* & alibi. Iure autem speciali plurimis Religiosis est hic transitus interdictus, saltem absque licentia expressa, de quo infertius.

DVBIVM CXIV.

Sufficitne vt quis ad strictiorem Religionem transeat, licentiam per literas postulare?

432 *De conditionibus necessariis ad huiusmodi transitum plura suppono.*

VT transitus ad ordinem perfectiorem sit licitus, ac validus triplicem conditionem textus in *Cap. licet, de Regularibus* assignat. primam, ne leuitate, aut temeritate quis ducatur: sed animo vero, ac puro perfectioris vitæ inchoandæ. Secundam, nè hic transitus in grauem iacturam, vel iniuriam defertæ Religionis cedat. Tertiam vt licentia à prælato expostuletur, licet non obtineatur. Porro quilibet harum conditionum defectus transitum reddit illicitum; quia haud charitatis zelo agitur. Verum si te licentiam petente, prælatus suo iudicio spectato, legitimè contradicat, controuersia decidenda est iudicio illius, qui inter duas illas Religiones, seu Monasteria assolet iudicare. Si vero licentiam suspendat, quovique examiner, an qualitates requisitæ teneantur: tenetur Religiosus à transitus abstinere toto tempore huic examini necessario. Strictior autem Religio recipere transeuntem non potest, nisi petitæ licentiæ litteras ferat, vel ei constet iniustè esse denegatam, quæ licentia concedenda non est, quousque strictior Religio eum recipere sit parata. Porrò hanc licentiam cõcedere potest non solum generalis aut Prouincialis: sed etiam immediatus Monasterij Prælatus. Quia textus in *Cap. Licet* solius Prælati mentionem fecit, & Prælatus conuentualis verus Prælatus est. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3 c. 10. n. 29.* Sanch. *lib. 6. Decalog. cap. 7. num 59.* sub hac vero regula non veniunt Monialium præfectæ; hæ enim sub nomine *Prælati* in iure non comprehenduntur, præcipue in ordine ad domesticam ac politicam gubernationem. Manu. *tom. 3. qq. Regul. q. 52. articulo 6.* At si in aliqua Religione causa hæc Generali, vel Prouinciali reseruetur non sufficiet à Prælato conuentuali licentiam postulare, maxime si ex Pontificis facultate hæc reseruatio facta fuerit. Si autem rogites, quonammodo licentia hæc postulanda sit. Respondeo textum solummodo dicere, debere peti cum humilitate, ac puritate. Puritati fit satis si integre, & absque fictione vlla tuum animum superiori manifestes, humilitati vero, si cum reuerentia debita licentiam expostules. His præmissis, quæsierim, an necesse sit ad hanc reuerentiam, licentiam postulari in superioris præsentia: an sufficiat eam per litteras peti, si contingat Religiosum ex eius facultate à Monasterio abesse, aut superiorem absentem existere?

433 *Non sufficit per litteras licentiam petere.*

Non sufficit per litteras licentiam postulari, si superior ea petitione contentus non sit, sed obligatus est Religiosus ille ad Monasterium regredi, & inibi negotium tractare, ab eoque debito modo egredi. Quia modus ille petendi licentiam est contrarius superioris, ad

ad cuius potestatem ille redire tenetur. Sic
434 Suarius *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 10. n. 51.*
Sufficit quidam. Sufficit quidem, quia textus in *Capite licet* solum exprimit petitionem humilem esse debere: At per litteras satis humilis, ac submissa esse potest. Ergo Præterea, consentiente superiore, nec Suarius negat illam petitionē sufficientem esse ad consensus, vel contradictio superioris petitionem non immutat: Ergò si in vno casu sufficiens est, etiam est in alio. Ita Castr. Palao *to. 3. d 4. de statu Relig. pun. 26. §. 3. n. 7.*

435 *Idē defendo.* Sapientissimo adhæreo Doctori. Neque enim verum est, ob solam petitionem in absentia & per litteras te esse obligatum ad superioris potestatem redire; quia sufficienter debitę humilitati, & reuerentię. Nihilominus tamen, si superior non sit satis certus de Religiosi animo, & sincere procedens veller in præsentia de illius resolutione speciale sumere documentum: debet (nisi aliud graue incommodum obstet) coram illo comparere. At huiusmodi comparendi obligatio non est ex petitionis insufficientia, sed ex diminuta informatione, quam superior haber, ad licentiam concedendam, vel denegandam.

DVBIVM CXV.

Defectus trium conditionum, quas Ius præscribit, vt Religiosus ad strictiorem Ordinem transeat, reddit̃ inualidam in strictiori Ordine professionem?

436 *Status quæstionis.* VIdimus *Dub.* 114. triplicem conditionem requiri ad transitum huiusmodi, nempe fieri melioris vitæ zelo, absque Religionis desertæ iactura, & licentia petita. Quæstio igitur est, si quis aliquam ex his conditionibus omittens, Ordinem strictiorem ineat, an sit valida in eo professio?

437 *Non est valida.* Non est valida, quia textus in *Cap. Licet de Regularibus* solum permittit transitum ad strictiorem Ordinem, si fiat corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. sed deficiente aliqua ex his conditionibus, dici nequit fieri transitum corde puro, & fide non ficta: Ergo illa professio permissa non est. Sic cōmunior sententia cum Sanch. *l. 6. Decalog. capite septim. num. 88.*

438 *Valida est.* Valida est, quia ille transitus ad Religionem strictiorem iure naturæ est validus: est enim commutatio voti in rem meliorem, tametsi prauæ circumstantiæ finis extrinseci, vel iacturæ Ordinis deserti, vel debitæ submissionis Prælato vitientur. At iure positiuo non inuenitur irritus, licet sit illicitus, aliqua ex his conditionibus deficiente: Ergo. Minorem probo. Non enim est irritus iure antiquo ante Innocentium III. nec per alium Pontificem, vti diserte probat Ferdin. à Castro *citandus* Excipio tamen constitutionem Martini IV. in *Extrauag. Vtam, de Regularibus* specialiter loquentem de Mendicantibus Ordinibus, de qua inferius sermo recurret. Ita Glos. *cap. sane, in fine, de Regular. & cap. licet, v. licentiam*, & *ibi* Innocent. *fine* Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 26. §. 4. n. 2.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 10. n. 12.* Syluest. *v. Religio 4. q. 1.* & alij plures relati à Sanch. *vbi supr. n. 94* quam sententiam ipse primæ adhærens satis probabilem esse docet.

439 *Hanc eligo partem.* Hanc eligo partem adiiciens Religiosum sic transeūtem post professionem in strictiori Ordine reuocandum non esse, sed pro qualitate culpæ ibidem puniendum. Quod (vt annotat Suarius) intelligendum est, quando constat, Religionem ad quam transit strictiorem esse; nam si dubium adsit, reuocari potest; transitus enim est nullus, quousque superior licentiam concedat, vel, eo renuente, per superiorem vtrique Religioni communem dubium decidatur.

DVBIVM CXVI.

Prælatus Monasterij potestne licentiam impertire, vt quis ad Religionem aquè strictam, vel ad laxiorem transitum agat?

440 *Non potest.* NOn potest Prælatus immediatus, sed in exemptis prouincialis vel Generalis: in non exemptis Episcopus hanc licentiam impertit, quia Religiosus ille non est traditus per professionem illi speciali conuentui, sed conuentibus totius prouinciæ; Ergò qui præest toti prouinciæ, & non alius poterit hanc licentiam concedere. Sic Anton. Cucus *l. 3. institut. Moral. tit. 1. n. 137.* Sanch *l. 6. Decal. c. 7. numer. 70.*

441 *Potest quidem.* Potest quidem spectato iure communi, quia prælatus immediatus conuentus per se habet potestatem bona conuentus, & illius personas administrandi; Ergò si à superiori prælato illi restricta non sit potestas, poterit Religioso sibi subdito hunc transitū concedere; pertinet enim huiusmodi concessio ad rectam subditi sui gubernationem. Fauet textus in *cap. Non est, de Regularib.* vbi ex Ordine Cisterciēsi, qui strictissimus reputatur prohibetur transitus ad aliam quamcumque Religionem *sine licentia Abbatum.* Ergo supponit textus ex Abbatum licentia permitti posse, ita Suar. *tom 4. dg Relig. tr. 8 l. 3. c. 11. n. 5.* Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 26. paragrapho 5. num. 7.*

442 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc verius esse credo. Nam contrarię sententię fundamentum manifestè probat solū totius Ordinis Generalem potestatem habere ad eum transitum concedendum, siquidem Religiosus per professionem non singulari conuentui, vel prouinciæ traditur, sed toti Religioni; vnde solus prælatus totius Ordinis posset illum à Religione alienare. Cum autem ea sententia censeat prouincialē posse, conuincitur manifestè ex potestate à tota Religione accepta, id præstare: idipsum ego de conuentuali prælato dixerim.

DVBIVM

DVBIVM CXVII.

An ad transitum ex vno Ordine ad alium æque, vel minus strictum, sit necessarius consensus Religiosorum Monasterij?

443 *Necessarius non est.*

NEcessarius non est, quia nullibi habetur necessarium esse. Nam textus in *Cap. statuimus*, qui ad id probandum inducitur, non de transitu ad laxiorem Religionem, sed ad strictiorem loquitur: in quo casu necessarius non est conuentus consensus; nam præfati textus dispositio restricta est per textum in *Cap. licet, de regul.* vbi sola petitio licentiæ, non illius concessio requiritur *Cap.* autem *statuimus &* petitio, & concessio requisita erat, vt constat ex illis verbis: *sine Patris*, (id est Prælati Monasterij) *& totius Congregationis permissione.* Qua re sublata necessitate consensus Prælati, tollitur necessitas habendi consensum conuentus. Addo, in aliquibus codicibus expunctam esse illam dictionem *Et*, legique, *sine Patris totius Congregationis permissione.* Sic Innocent. *Cap. fin. n. 1. de renunciat.* & *ibi* Ioan. Andr. *n. 7.* Hostiens. *n. 3.* Anton. *n. 13.* Additionator. ad Abbatem *Cap. Non est, de Regul. ad finem lit. C.*

444 *Necessarius est.*

Est necessarius, quia in his, quæ pertinent ad commune Religionis bonum, & illius conseruationem, nequit prælatus absque suæ Congregationis consensu disponere. At Religiosum dimittere, & illius debitæ obedientiæ cedere, ad commune Religionis bonum pertinet: Ergo nequit fieri absque Religionis consensu. Ita Sanch. *l. 6. Decal. c. 7. n. 66.* Les. *l. 2. c. 41. dub. 13. n. 103.* Glos. *Cap. cum singula, v. Canonicè de præbend. in 6.* Cardinal. *ad cap. fin. de renunciat. n. 2. q. 3.* & alij.

445 *Hanc eligo sententiam.*

Hanc eligo sententiam. Nam si absque conuentus consensu nullus ad professionem potest admitti à fortiori admissus dimitti non poterit. Ad hoc autem, textum in *Cap. statuimus* loqui precisè de transitu ad Religionē strictiorem, cum nullum sit verbum hanc indicans limitationem. Et quamuis eius dispositio restricta sit per *Cap. licet*, id intelligo non absolutè, sed quoad transitum ad strictiorem Religionem, quare interra manet dispositio *cap. statuimus* quoad transitum ad laxiorem, vel æqualem.

DVBIVM CXVIII.

Transitus ex vno gradu ad alium in eadem Religione, potestne fieri ex Prælati immediati Monasterij consensu?

446 *Status quæstionis.*

POtest in quacumque Religione transitus fieri ex vno gradu in alium, ex. gr. ex gradu illorum, qui choro assistunt ad gradum laicorum, ex gradu Scholasticorum in societate nostra ad gradum coadiutorum temporalium, vel è contra. Quæsierim itaque à quonam Prælato huiusmodi translatio facienda sit, num possit fieri ex Prælati immediati consensu?

447 *Non potest fieri.*

Fieri non potest, sed à solo Prouinciali, vel Generali, quia est res grauis. Sic Sanch. *l. 6. Decalog. c. 7. n. 81.* imo cum consensu (addit) conuentus.

448 *Per se fieri potest.*

Potest per se fieri ab immediato conuentus prælato, quia integrè, ac plenè bonorum, ac personarum conuentus ei commissa est administratio. Neque apparet causa, ob quam ad Prouincialem debeat esse recursus, præcipuè cum Prouinciali, vel Generali relinquatur potestas hāc translationem renocandi, si expedire iudicauerint, ita Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 26. §. 5. n. 12.*

449 *Hæc placet opinio.*

Placet hæc opinio, in cuius fundamēto notanter appositum est illud; *Per se.* Nā ex vsu, & consuetudine Religionis, vel speciali ordinatione poterit esse hæc translatio Prouinciali, vel Generali reseruata. Quemadmodum in societate Iesu est reseruata Generali, vnde nec Collegij Rector, nec Prouincialis Generali inconsulto, translationem ex vno in aliū gradum facere possunt. Scio tamen Reg. 67. Prouincialis ei permittū intra biennū applicare gradui scholasticorum, vel coadiutorū temporalium, quos indifferentes receperit. At hæc non est translatio ex vno in alium gradum, sed vnius determinatio.

DVBIVM CXIX.

Assumptus ex Ordine Mendicantium ad Episcopatum, Episcopatu deposito in Ordinem non Mendicantium transfertur: comprehenditurne in Gregorij XIII. constitutione?

450 *Multa recolo circa transeuntes ex Ordine Mendicātē ad non Mendicantem.*

SCio, trāslatum in aliam Religionem etiā strictiorem (esto Canonicus Regularis fit) reddi incapacem cuiuscumque beneficij curati. Trident. *sess. 14. c. 11.* Et quidquid in contrarium tentatum fuerit, irritum & inane decerni in *clement. 1. Vt professores, de Regular.* Finis autem seu causa huius prohibitionis sit, vt professores Ordinum Mēdicantium libentius in qua vocati sunt Religione persistant, trāseūteſque ad non Mendicantiū Ordinem in eodē conuersari quietius studeāt, quo in illis discordiarū, & Schismatum productiua ambitio reprimeretur. Porrò personæ aduersus quas lata est constitutio sunt Mendicantes, qui verè Mendicātes sunt ex instituto à Pontifice approbato, nempè Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitæ, Minimi, Trinitarij, Mercenarij, & Iesuitæ non solum professi, sed etiam Scholares dominium bonorū habentes, vt expresse declarauit Pius V. in Bulla edita an. no. 1571. quæ incipit, *Dum indefessa.* Aduersus, in quam, hos Mendicantes, in Ordinē non Mendicantium translatos hæc constitutio

tio fertur. Quare si Mendicans in Ordinem alium Mendicantem transferatur; vel ex non Mendicanti ad Mendicantem regrediatur nulla pœna afficitur. Sanchez. *l. 6. Decal. c. 7. n. 118.* solum est dubium, an assumptus ex ordine Mendicantium ad Episcopatum, si Episcopatu deposito ad ordinem non Mendicantem ex pontificis facultate trãsferatur comprehendatur in hac constitutione?

451 *Non comprehenditur.* Non comprehenditur. Quia hæc constitutio fertur, ne Mendicantes paupertatis Ordinem deserant, sed libentius in eo persistant: At Mendicans constitutus Episcopus mendicitatem exclusit: Ergò illum constitutio non comprehendit. Sic Bonifac. *Clement. 1. Vt professores n. 83. & 84.*

452 *Comprehenditur quidem.* Comprehenditur quidem, quia ob Episcopatum Regularis Mendicans non amisit mendicitatis statum etsi eius exercitium suspensum sit: atque ideo verum est, in vocatione Mendicanti non persistere; sed ex illa in non Mendicantem transire. Ergo comprehenditur sub constitutione lata aduersus quoslibet Mendicantes, qui ad non Mendicantium Ordinem transierint. Ita Sanch *l. 6. Decal. c. 7. n. 119.* Cui ego omninò assentio.

DVBIVM CXX.

Qui ex Ordine Mendicanti in non Mendicantem trãsfertur, si in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia obtinuerit administrationem, Prioratum, aut regimen quodcunque: priuaturne voce ac loco in Capitulo?

453 *Pœnas latas contra Mendicãtes translatos ad non Mendicantem Ordinem recolo.* SVppono, primam pœnam latam aduersus Mendicantes, in non Mendicantem Ordinem translatos, esse priuationem vocis, hoc est, tàm activæ, quam passiuæ: textus enim generaliter loquitur. Secundam priuationẽ loci in Capitulo honorifico, quale habetur pro electionibus, & tractatibus: secus in Capitulo ad correctionem, & disciplinam Religiosorum congregato; quia æquum non erat, ab hoc Capitulo quod in bonũ Religionis, & Religiosorum ordinatur, Religiosum excludere, loco autem in choro, aut aliis in locis minimè priuatur; quia textus solùm locum in Capitulo expressit, & pœnæ non sunt extendendæ. Certum præterea est has pœnas afficere non solum eos, qui tempore illius constitutionis ex Mendicantibus ad non Mendicantes translati erant, sed eos qui successu temporis transierint, vti ex verbis illis constat: Transibunt in posterum, quive hactenus transierunt. Tertiam denique pœnam esse, inhabiles fieri ad prioratus, administrationes, officia quæcumque: etiam tanquam Vicarios, & locum aliorum tenentes. Nomine prioratus, administrationum officiorum, intelligũtur illi prioratus, administrationes, & officia, quæ frequenter à Religiosis non Mendicantibus exercentur. Nauar. *comment. 4. de Regular. n. 14.* Vnde nequeunt fieri Prædicatores, Lectores, ex officio, neque Oeconomi, neque Oftiarij, neque Sacristæ, neque syndici: licet enim aliqua ex his officiis onerosa sint, honorem tamen secum afferunt & a multis Religiosis appetuntur, & à nemine libenter admittitur esse illis priuatum. His præmissis requisierim, an qui ex Ordine Mendicanti in non Mendicantem transfertur, si in Cathedrali, vel collegiata Ecclesia obtinuerit administrationem, prioratum, vel regimen, voce, ac loco in capitulo priuetur?

454 *Non priuatur voce, & loco.* Non priuatur, quia post aduerbium illud *Inibi* in constitutione appositum punctuatio adhibetur, ea autem punctuatione facta non comprehenduntur, qui eo tempore prioratus administrationes, aut regimen aliquod haberent extra non Mendicantium Ordinem: sed solum ij, qui *inibi*, scilicet, in non Mendicantibus Ordinibus prioratus, officia, & administrationes obtinerent. Sic Glos. *ad Clement. 1. Vt professores de Regularib.* Bonifac. *ibi, n. 60.* Imola *num. 12.* & alij, quos refert, ac sequitur Sanh. *l. 6. Decal. c. 7. n. 121.*

455 *Voce & loco priuatur.* Priuatur equidem, quia punctuatio ante aduerbium *Inibi* apponenda est. Vnde manifestè infertur voce & loco in Capitulo priuari eos non Mendicantes, qui in Ecclesia sæculari officia, regimen, vel administrationem haberent. Reddit enim hunc sensum constitutio: Translati ex Mendicantibus ad non Mendicantes, quamuis eo tempore, quo constitutio expeditur habeant prioratus, administrationes, & officia *inibi*. idest, ibi tales prioratus, &c. obtinent, vocem & locum in Capitulo non habeant. Ita Cardinal. *ibi, n. 5. apposit. 3.* & probabile esse affirmat Palao *to. 3. d. 4. de Statu Relig. pun. 27. n. 6.*

456 *Primam eligo sententiam.* Quemlibet ex his sensibus probabilem esse non dubito, sed priorem, probabiliorem quia correctiores codices punctuationem post aduerbium *Inibi* apponunt.

LIBER LVIII.

PROFESSIO RELIGIOSA.

QVAENAM ad Professionis Religiosæ requirantur, expedio. Ad quid Religiosus vi suæ Professionis teneatur, enuncio. Qualis sit Religiosi ex vi trium Votorum obligatio, expono.

SECTIO PRIMA.

De Professione Religiosa Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

Quænam requirantur ad Professionis Religiosæ valorem?

1 *Prima conditio ad professionis valorem requisita, ætas & annus probationis.*

AD Professionis Regularis valorem tres conditiones requiruntur. Prima est vouentis aptitudo, scilicet, vt decimum textum ætatis expleuerit annum, integrum annum Religioso habitu indutus, in probatione vixerit, nullumque habeat impedimentum, quod per statuta à summo Præsule confirmata in Ordine illo substantiale esse censeatur. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 6. & 7. Rodriguez 1. *m.* 2. *sum. cap.* 6. & alij communiter.

2 *Conditio secunda, Prælati acceptatio.*

Secúda est, cõsensus, aut acceptatio expressa, vel tacita prælati Ordinis, quia per hanc Religioni quis debet incorporari. Idque ordinariè, non tantum cum consilio, sed etiam cum consensu Capituli, aut maioris ac principalioris partis, iuxta cuiuscumque Ordinis statuta. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. Nauar. quem affert, ac sequitur Busemb. *l.* 4. *c.* 1 *dub.* 2.

3 *Tertia conditio, vt sit sponte facta.*

Tertia, vt professio sit sponte facta non cogente graui metu, qualis esset incarceratio, subtractio alimentorum, eo quod in professionem quis consentire noluerit: Itemque metus reuerentialis, non quidem se solo, sed accedente precum, banditiarum, ac imperij sæpius repetita importunitate, aut graui offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adiunctis etiam minis de subsidijs negandis, si ex Religione egrediatur. potè singula hæc, vel simul sumpta, considerata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum iustum possunt incutere, & professionem irritare. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub. secund.* Layman. *l.* 4. *tract. quinto capit.* 5.

4 *De eo, qui ex defectu alicuius præfatæ conditionis professionem irritam fecerit.*

Qui professionem irritam ex defectu alicuius præfatæ conditionis expresse, nisi eam postmodum tacitè vel expresè ratificauerit, egredi Religionem, & vxorem ducere potest. Attamen ob scandali euitationem causã egressus exprimere debet: & si ad forum externũ causa deferatur, defectum professionis probare, idque intra quinquennium à professionis die, post illud enim audiendus non est. Quia præsumitur eam interea ratificasse. Trindent. *sess.* 25. *c.* 19. At si sciret, illã iuris præsumptionem falsam esse, eo quod ignorans impedimentum, vel metu graui, aliaue iusta causa impeditus, intra quinquennium non potuerit reclamare: vel impedimentum sit essentiale, ac perpetuum, aut saltem vltra quinquennium duret: eo elapso, poterit reclamare debetque in iudicio saltem extraordinario audiri, vel in integrum restitui Sanchez *lib.* 6. *Decalog. d.* 37. *numer.* 22. Les. *lib. secund. capite.* 41. *dub.* 7. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q. vlt.* Dian. *p.* 3. *tr.* 2. *resolut.* 53. Barbos. *ad Trid. sess.* 25. *c.* 19. *num.* 8. plures citans. Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. addens, nisi aliud quid impediat, fugere posse. Quod si fuga sine graui scãdalo, vel incõmodo tentari non posset, monendũ esse à Confessario, vt professionem tacitè ratificet. Quod fiet si professorũ habitũ proprium deferat, actusque iis proprios exerceat, cum intentione, quod professus talis Ordinis esse velit. Diana *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 51. Vbi ex Trident. *sess.* 25. *c.* 19. ostendit, Episcopum de nullitate professionis sine interuentione superioris Regularis sententiam ferre non posse, & si faciam, fore nullam.

CAPVT

CAPVT II.

De iis, ad quæ Religiosus suæ professionis vi tenetur.

5 *Religiosus vi professionis tenetur perfectioni studere.*

RELIGIOSVS professionis vi tenetur aliquo modo perfectionis progredi in via, quia ex vi professionis obligatur, velle suum statum, qui est perfectionis, seu ad perfectionem tendentium seruare, (licet secundum se præcepti non sit sed consilij. Hoc autem est, intrinsecè velle ad perfectionem tendere. D. Thom. 2.2.q. 186.a.1.& secund.& q. 184. art. 5. Suar. *de Relig. tom.4.l.1.cap.* 4. Bard *de conf.d.*7. *cap.6 paragrapho quinto* Layman. *lib.* 4. *tr.* 5.*cap.*1.*n.*1.

6 *Hoc vbenas spatium expēdo*

Hanc itaque obligationem expendo. Non tenetur actu esse perfectus, sed tantùm perfectioni studere. Tenetur autem ad perfectionem tendere per media essentialia, per vota, per auxilia secundaria non contemnendo ea. Aliquibus mediis vti ex præfatis, quia si omnia abiiciat in statu salutis inesse non videtur. Tenetur aliqua opera bona præstare supererogationis, siue specialiter non præcepta, nec promissa, quia alias moraliter loquendo, haud potest debitā salutis intentionem habere. Suar. *tom.4.de Relig.l.1.cap.*4. Portò ad huiusmodi perfectionem debet tendere per media suæ Religionis non per alia. Hoc est, suas Regulas asseruando. Sanchez *libro sexto Decalog. capite quinto numero* 1. & 2.

7 *Professus potest tripliciter contrà statum delinquere.*

Peccat autem professus primo per Regulæ contemptum, id est, si nolit subiici. Secundo, si solùm velit obseruare, quæ sub lethali obligant, quia perfectionem proculdubio contemnit. Tertiò, per actum directè contrarium, hoc est nolendo perfectioni studere. Quod mortale quidem est Sanchez *lib.* 6. *Decalog.cap.*5.*n.*6.7.& 10. Bardi *de conf.d.*7. *c.*6.§.5.

8 *Lethale est intendere, nunquam seruare Regulam.*

Qui intendit nunquam seruare Regulam, etiamsi facilè possit, lethaliter delinquit, (secus autem, qui solum circa eius obseruationem sese solicitum non præstat) quia saltem non habere proximam dispositionem ad regulam seruandam, formalem arguit contemptum Suar. *tom.* 4.*de Relig.l.*1.*c.*4.*n.* 24. At si ex animi remissione, & sine vllo iusto titulo per directam intentionem velit aliquam Regulam non seruare erit veniale, quia leuis contemptus. Suar. *ibid.*

9 *Violare Regulam ex consuetudine, mortale est.*

Ex consuetudine Regulam violare, lethale est, quia qui sic se gerit, Regularem disciplinam perturbat: constituitque se in eo statu, vt velut incorrigibilis sit expellendus: tenetur autem quisque ratione votorum quibus se Religioni addixit, ita se gerere, vt, sit tolerabilis, & expelli non mereatur. At qui, nullum conatum ad perfectionem adhibendo Regulas sine discrimine transgreditur reddit se intolerabilem, vt debeat expelli, aut si tole-

retur, plurimum prauo nocet exemplo. Ergò per accidens & indirectè agit contra professionem, & lethaliter delinquit Sanch. *l.*6. *Decalog.capit.*4.*numer.*18. Laym. *l.* 4 *tr. quinto cap.*9.

10 *Qui de industria prauis moribus extorquet è Societate Iesu dimissionē non est liber à votis.*

Porro nostræ Societatis Iesu Scholasticus vel coadiutor temporalis, vel spiritualis, qui de industria prauis moribus dimissionem extorquet, non est liber a votis simplicibus, quos post vnum & alterum probationis annum emisit. Les. *l.*2.*c.*40.*dub.*15. Sanch. *l.*6 *Decal.c.*9.*n.*99. Laym. *l.*4. *tractat. quint. capite* 9 *num.*14.

11 *Peccat mortaliter, si non adhibet diligentiam, in vitandis defectibus ob quos se dimittendū præuidet.*

Præterea Religiosus societatis, qui non adhibet diligentiam ad cauendos defectus, ob quos se dimittendum præuidet, Et licet ita dimissus sit, liber sit in conscientia. si tamen sit dimissus ob fraudem, vel peccata in eum patrata finem, irrita est dimissio, vtpote obtē ta per dolum dantem ipsi caulam (sicut in matrimonio, & cæteris contractibus.) Vnde subiacet apostatarum pœnis Bonac. *de claus. q.*2 *pun.*13.§.1.

CAPVT III.

De Paupertatis voto.

12 *Ad quid Religiosus ex paupertatis voto obligatur.*

NIHIL proprium habere Religiosus ex paupertatis voto obligatur. Nomine proprij intelligo temporalia bona pretio æstimabilia, quorum dominium, vel disponendi facultatem liberam, ac independentem in perpetuū abdicauit *Cap. Non dicatis* 12.*q.*1.*Cap. Monachi.* Dixi *Temporalia bona*: retinet namque bonorum spiritualium honoris, famæ Dominium, ius eligendi, præsentandi, conferēdi Regulare beneficium, &c. D. Tho. 2.2.*q.*166.*a.*7. Sanch. *dub.*5. Laym. *l.* 4.*tr.*5.*c.*7. Dixi, *Dominium, vel facultatem disponendi* propter nostræ Societatis Iesu Religiosos, qui post vota emissa, retinent & acquirere possunt dominium radicale bonorum temporaliū: nō tamen habent ius actuale de iis, pro suo arbitrio disponendi, vel vtendi, in cuius abdicatione paupertatis Religiosæ essentia consistit. Addidi, *Independenter*, quia Religiosus etiam professus potest habere peculium dependens, ac reuocabile ad superioris nutum, quod nomine proprij non comprehēditur. Sanchez, & Layman. *vbi suprà.*

13 *Quæ paupertatis voto non repugnent, annoto.*

Vnde elicio, non repugnare paupertatis voto, Religiosos habere bona in communi etiam immobilia Et sine Papæ consensu non possunt se obligare communitati, quod ea nū quā sint acquisituri. Quia immunitati Ecclesiasticæ planè præiudicarent. Card. Lugo *Resp. Mor. l.* 3. *dub.* 8. Nec possunt fructus, seu reditus à donatore ad ea emenda destinatos, ad vsus alios, verbi gratia ad debita soluenda applicare. Lugo. *inbi.* Nec repugnare, si Religioso detur villa, vel alius locus administrādus Monasterij nomine idque in Monasterij cōmodū. Imò si detur in commodū ipsius Religiosi aliquod Ecclesiasti-

cũ beneficũ Quo casu ad eum pertinet reditus administratio, quos ad sui sustentationẽ piasque causas potest applicare; quod reliquum erit, pertinet ad Ecclesiam, vel beneficium, cui seruiunt. Donationes verò de reditibus beneficij factæ ab eo in vsu non pios, sunt inualidæ, ac contra iustitiam, neque accipientes non possunt eas tuta conscientia retinere. Suar. & Molin. quos citat, & sequitur Busembaum *l.4.c.1.dub.4* Ad Monasterium vero pertinent omnia alia, quæ alunde, quam ex beneficio acquiruntur, nisi ex consuetudine Ecclesiæ cedant Azor. *to. 1.l.12.cap.10.q.6.&* 7. Molin. *d.* 276. Laymann. *l.4 tr.5.c.7.n.12.*

14 *Qu modo contra paupertatis votum delinquatur.*

Delinquit verò contra paupertatis votum, si quid siue domi, siue foris, etiam ex iis, quæ ad victum, ac vestitum attinent, sine superioris consensu expresso, tacito, vel præsumpto, accipiat, retineat, absumat, permutet, donet alteri, vel accommodet. Dixi *sine consensu tacito.* Nam si Prælatus sciat, subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facile possit, tacitè consentire videtur. Vnde si in Religione aliqua viget consuetudo recipiendi, vel expendendi sine superioris facultate, id per tacitam approbationem Prælati, qui id tolerando, consuetudinem rationabiliter vigere declarat. Et si Prælatus subdito donet, vel donari permittat imagines, rosaria, &c. Sciens iis omnibus ad proprium vsum non indigere, tacitè facultatem concedere censetur aliis donandi. Talem autem consensum nisi in rebus paruis & crebro occurrentibus non præsumerem. Addidi, *Vel præsumpto.* Hic enim locum habet, cum res vrget, superiorque præsens non est. Excusaris vero à mortali, si præsumas ex superioris affectu, rem concessurum, si à te rogaretur, quia tunc censeris, rem ex voluntate superioris saltem virtuali, quæ in illo affectu latet, habere. Ideoque si inferior tantum sit inuitus quoad modum, venialiter quidem deliquisti, non tamen contra paupertatem. Suar. *tom. 4. de Relig l.8.cap.* 11. Sanch. *l.7. Decal.c.29. numero* 53. Layman. *l. 4. tract. 5. capite septimo numer.* 6. Lessi. *l. 2. capite 41.num.79.*

15 *Peccat qui in alium vsum expẽdit, vel culpabiliter perdit quæ ei data sũt ad vsum.*

Religiosus in alium vsum expendens, aut destruens, aut culpabiliter amittens ea, quæ data ei sunt ad vsum proprium, contra votum paupertatis delinquit, quia in his tantum habet vsum facti, idque precario quandiu superiori videbitur: estque dominij actus posse rem suo arbitratu destruere. Sanchez. *lib septim. Decalog cap.29.* Layman. *lib 4. tract. quinto capite septimo numero sexto* Less. *lib. secund. cap.41 n.79.*

16 *Et aliquid abscondit vt Prælati dispositionis sublucat.*

Peccat, si quid abscondat, vt id liberæ Prælati dispositioni subducat. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores quidquam possunt expendere præterquam quod Ordinis Regula, superioris voluntas, vel consuetudo postulat. Quia non sunt domini bonorum communium, sed solum administratores. Layman. *libro quarto tract. quint. capite septim. numer.* 9. ex Diu. Thom.

Demùm si Prælatus subdito permittat, vt bona ex quacumque causa, aut titulo prouenientia vanos, turpes, vel illicitos expendat in vsus: aut superflua pretiosa & statum non decentia penes se habeat: peccat & Prælatus, & subditus contra paupertatis votum, estque talis donatio, seu alienatio irrita, ac restitutioni obnoxia, quia Prælatus non potest dare veniam maiorem ei quam ipse habet: ipse autem cum dominus non sit, non potest bono suo arbitratu & inutiliter expendere; sed tantum in Religionis necessitatem, & vtilitatem. Less. us *libro secund. capite* 41. *dubio* 9. Molina *tom. secund. disput.* 276. Lugo *de iust. d.* 3. *sectio. septima numero* 131.

17 *Et qui in prauos vsus expendit etiamsi à Prælato licentiam acceperit.*

CAPVT IV.

De voto Castitatis,

EX Castitatis voto Religiosus tenetur in primis, coniugio abstinere. Deinde ab omni interno, & externo actu, qui sit contra castitatem, vt à turpibus cogitationibus, ac delectatione morosa, à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi contractu, ab impudico aspectu; & ab omnibus iis, quæ aliquo modo contra virtutem castitatis existant, quidquid enim in sæcularibus extra coniugium est aliquo modo contra castitatem peccatum, est in Religioso Sacrilegium contra votum; ac proindè duplicem habet malitiam tamen vt malitia sacrilegij mortalis sit in iis actibus in quibus libidinis malitia sit lethalis; venialis autem, in quibus ella venialis est. Sanchez *l. 5. Decal.c.6.num* 9. Suar. *to.1.de Relig. l.3.c.3.* Laym. *l.4. tract. quinto capite octauo numero primo*

18 *Ad quid Religiosus è castitatis voto tenetur.*

Profectò quia difficile est, Religioso, qui cõiugio non potest post voca emissa colligari, vt licitis voluptatibus potiatur, castitatem seruare, à Doctoribus monetur, vt octo mediis efficacibus quidem ad tutelam eius vtatur. Primum est humilitas, vt nostra fragilitate cognita ad Deum recurramus, inxta illud *Sap.* 8. Scio, quod non possum esse continens nisi Deus dederit mihi, Secundum sobrietas. Vnde Heronymus *Difficilè seruatur inter epulas pudicitia.* Tertium, carnis mortificatio. 1. *Cor.* 9. *Castigo corpus meum.* Quartum, sẽsuum custodia *Eccl.* 9. *Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias mulierem alienam, propter speciem enim mulieris multi perierunt.* Quintum, Occasionum declinatio, sante Paulo, *Fugite fornicationem* Sextum, Virilis tentationum resistentia, qua dœmonis suggestiones repellimus. *prim. Petr. quint. Cui resistite fortes in fide* Septimum, feruens Dei dilectio, qua amantissimam voluptatum delectationem facilè despicimus, quia *gustato spiritu, desipit omnis caro* Octauum mortis

19 *Quæ iuuãt ad hoc votũ seruãdum.*

mortis meditatio, & consideratio ignis æterni. O quam stultum, pro brevi voluptate, æterna, supplicia sustinere?

CAPVT V.

De voto Obedientiæ.

Ex Obedientiæ voto Religiosus ad plura tenetur.

10 EX Obedientiæ voto Religiosus ad plura tenetur. Primò, ad Regulæ præcepta. Secundò, ad non agendum contra Regulam, aut mandatum superioris ex contemptu; censetur verò, ex contemptu violare, qui contrafacit non ex negligentia, & cupiditate, sed quia non vult Regulæ, aut superiori esse subiectus. Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub* 9. *n.* 74. D. Tho. 2. 2. *q* 186. *a.* 9. Caiet. & Sylu. *ibi*. Tertiò ad omnia, quæ superior iuxta Regulã aut institutum præcipit. Et quidem si in virtute Sanctæ Obedientiæ imperet, sub mortali debet obedire: si verò hac præcipiendi forma non vtatur non videtur velle sub lethali obligare, nisi aliunde constet. Sanch. *l.* 6. *Moral c.* 2. *n.* 8. Vasq. 1. 2. *d.* 154. *c.* 4 *n.* 20. Quarto, si superior præcipiat aliqua contra Regulam, non tenetur subditus obtemperare, nisi forte ille possit fortasse in ea parte Regulæ dispensare, & legitima causa contratium præcipiendi subsit. Caiet. 2. 2. *q.* 104. *a.* 5. Quintò si superior percipiat aliquid suprà Regulam vt ire ad infideles, vbi manifestum mortis, vel seruitutis adest, longo tempore ieiunare, à carnibus ad vnum vel duos menses abstinere: haud tenetur inferior obedire, quia superiori potestas datur, vt subditos secundum Regulam perficiat, non vt ad maiora obliget, D. Tho. 2. 2. *q.* 104 *a.* 5. *ad* 3. Nauar. *sum. c.* 23. *n.* 39. Manu. *to.* 2. *sum. c.* 9. *n.* 1. Azor. *to.* 1. *l.* 13. *c.* 11. *q.* 19. Porro licet hæc & similia imponi nequeãt ad virtutis exercitamentum, possunt tamen ad alicuius criminis pœnam imperari. Vel si pulentur necessaria ad vota seruanda. Sic Monialibus arctissima clausura præcipitur, etiamsi eam antea non vouissent.

Item ob aliquã publicam necessitatem quædam austeriora possunt omnibus ad tempus imponi, quia & hoc est Regulæ consentaneum. Corduba *in Reg. S. Franc. c.* 10. *q.* 2. Sylues. *v. Religio* 6. *q.* 6. Sylu. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. Caramu. *in Reg. S Bened. d.* 50. & 51.

Obedire, non tenetur quãdo præceptum in falsa præsumptione fundatur.

21 Scandalo cessante, non tenetur Religiosus obedire, quando superioris præceptũ fundatur in falsa præsũptione: vt si Religioso imponatur pœna pro delicto quod vere non patrauit, si ea pœna sit secreto exequenda, subditus ad eam nõ tenetur; si vero in publico, obligatur ob aliorum exemplum, quia in priori casu pœna non imponitur ad aliorum exemplum, sed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget. Vasq. 1. 2. *q.* 96. *a* 5. *d.* 174. *c. vlt.* Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 2. *n.* 11.

Quid si dubitet, rem præceptam esse licitam

22 Si dubitet subditus, num res præcepta sit licita, obedire tenetur, maximè si obediendo, sibi, vel tertiæ personæ magnum damnum in rebus, honore vel fama, aut corpore non timeat. Alias in hisce casibus non teneretur in dubio obedire: Vt si superior interroget de proprio, vel tertij delicto, & est dubium, an iuridice roget: tunc in eam partem inclinandum est, in qua minus damni, ac periculi apparet, & ea est amplectenda, ac proinde non obediendum. Tùm quia maius est periculum illud imminens, quam semel non obedire. Tùm quia in dubio fauendum est reo, & ei, de cuius damno agitur: etsi enim subditus non est in possessione suæ libertatis, est tamẽ in possessione suæ securitatis, seu iuris, quo possit se rebus periculosis conseruare. Vnde non tenetur, in ea se conijcere, nisi constet, superiorem iuste præcipere, similiter si Prælatus tibi præcipiat longum agere iter aut rem valde difficilem inire, vt longam abstinentiam, vel aliud opus valde austerum, & tunc dubites, an possit superior, id tibi imperare, non teneris cum tanto incommodo statim obedire, donec constet tibi de iure præcipiendi, quia tanta rei difficultas vna cum dubio potestatis imperandi, præponderat possessioni superioris, & fauet potius subditi libertati. Medina 1. 2. *q.* 19. *a.* 6 *dub* 4 Manu. *p.* 2. *sum. c.* 9. *n.* 3. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 9. Sotus *de secreto, memb.* 3. *q.* 2.

SECTIO SECVNDA.

De Professione Religiosa Dubia.

CAPVT VI.

Circa Religiosi susceptionem status per Professionem.

DVBIVM I.

Si Professio fiat sub conditione honesta de futuro, requirituine novus consensus, conditione purgata?

23 *Nonnulla præmitto.*

PRÆMITTO, professionem Religiosum statum constituentem duplicem esse, tacitam scilicet, & expressam. *Capite Religiosi de sentent. excomm.* Tacita iure antiquo duplici via inducebatur, nempe gestatione habitus professorum, vel alicuius actus professorum exercitio. Expressa fit quomodocumque consensus sive verbo, sive scripto, sive nutibus declaretur. Porro si professio fiat sub conditione repugnante observationi paupertatis, castitatis, & obedientiæ, (traditione enim tria hæc vota continente debet necessariò professio fieri) ea in Religione præscriptæ, professio non tenet. Quæritur vero, an si fiat sub conditione honesta, (id est, non repugnante) de futuro, requiratur novus consensus, conditione purgata? ex. gr. in Religione approbata, & in manu legitimi Prælati promittis castitatem, paupertatem, & obedientiam, si tuus pater consensum præstiterit, consentit pater: valetne professio?

24 *Novus consensus non requiritur.*

Valet equidem, nec novus consensus requiritur. Quia consensus præcedens conditionalis, purificata conditione, transit in absolutum, & absolutam inducit obligationem. Sic Sanch. *l. 5. Decalog. cap. 4. n. 88.* & plures de matrimonio loquentes, quos ipse refert, ac sequitur *l. 6. de matrim. d. 8. num. 4 & 10.*

25 *Requiritur novus consensus.*

Non valet, sed debet novus consensus accedere. Quia ad professionem necessarius est eō ēffus quo professus se Religioni tradat: sed consensus sub conditione de futuro non est huiusmodi, quippe non est consensus in traditionem præsentem, sed in futuram pendentem, scilicet à conditione: Ergo non potest esse consensus ad professionem sufficiens. Ita plures Doctores, quos refert, ac sequitur Gutier. *l. 3. can. qq. de matrim. capit. 13. & 14* Expresse Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. cap. 12. à num 18.*

Idem censeo. Existimo enim talem professionem non esse professionem absolute appellandam, sed votum simplex professionem seq. emittendi, impleta conditione. 26 *Ita censeo.*

DVBIVM II.

Professio tacita inducitur ne ex vsu, & exercitio actuum professorum?

27 *Quæstionis status.*

INnui *Dub.* 1. fieri (ex communi sententia) professionem tacitam, exercitio alicuius actus professorum, quod quidem ad trutinam refero, requirens, an vere inducatur tacita professio ex huiusmodi actus professorum exercitamento?

28 *Inducitur plane.*

Inducitur quidem, Quia *C. Vidua de Regul.* vidua sponte suscipiens conversionis velum quamuis non sacrum, & in Ecclesia offerens oblationem, quam aliæ virgines velatæ, & sacratę offerebant, coacta fuit, perseverare: ergo ex solo exercitio actu absq; habitus inceptione professorum, professio inducebatur. Certè si habitus professorū gestatio (vt innui dub. 1.) sufficiens est ad professionē tacitam inducēdam, cur non erit actus professorum exercitamentum, cum non minus efficax signum sit actus, quam habitus. Sic Sylu. *v. Relig. 3. q. 19.* Az *p. 1. l. 12. c. 4. q. 3.* Sanch. *l. 5. Doc. c. 3. n. 20* & alij à Sylvestro relati. Addidi, *Absque susceptione habitus professorum*, nam suscipere nouitiorum habitum antea necessarium erat omnino ex *Cap. Vidua.* Ne scilicet præsumatur, eum actum professorum exercentem potius esse iurisdictionis alienæ vsurpatorem, quam verum professorem Religionis.

29 *Non inducitur.*

Minimè inducitur professio tacita ex vsu & exercitio actus professorum absque habitus eorumdem saltem communis delatione. Quia professio tacita induci non potest nisi ex signis à iure statutis, nam est præsumptio iuris, & nullibi ius statuit exercitium actus professorum cum nouitiorum habitu à professorum indumentis distinctio esse professionis signū. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 19. à n. 6.* Palao *tom. 3. d. 2. de statu Relig. punct. 1. num. 7.*

30 *Hæc mihi amplius placet opinio.*

Scio, primam sententiam communem esse satisque probabilem. At probabiliorem reor esse secundam. Nec enim contrarium ex *Cap Vidua* citato colligitur. Poterat namque velum illud esse non sacrum, quia non

non erat velum virginum, quod bene dici solebat bene tamen viduarum professarum quod carebit benedictione. Verum qui gestans professorum habitum addiderit actus professis proprios in ætate pubere, professionem tacitam procul dubio inducet.

DVBIVM III.

Vt actus professorum exercitaito inducat professionem tacitam: requiriturne triduana saltem in eo perseuerantia?

31 *Requiritur quidem.*

REquiritur qui ië, quia in *Cap. constitutionem in 6.* expresse dicitur triduanam perseuerantiam in delatione habitus professoram necessariam esse ad inducendam tacitam professionem, & cum nullam exceptionem fecerit exercitij actuum professorum, ab illa debemus abstinere. Neque obstat in *Cap. Vidua* videri esse factam exceptionem; quia ille textus antiquior est, & consequenter per textum in *Cap. Constitutionem* censebitur limitatus: & quia non de solemni professione, sed de voto simplici castitatis videtur intelligi. Sic Suar. *tomo tertio de Relig. libro sexto capite 19. numer. 14.*

32 *Non requiritur.*

Non requiritur, sed sufficit assumptio habitus cum exercitio actus professorum, quia sola triduana delatio habitus professorum in anno nouitiatus absque vllo professorum actu tacitam professionem inducit. Ergo ex actu professorũ nulla specialis præsumptio inducitur, si in actu professorum cum delatione habitus professi tridua perseuerantia requiratur. At communis sententia defendit, inducì tacitam professionem professorum actu: Ergò indnci debet sine triduana habitus professorũ delatione. Ita Sanchez *lib. quinto Decalog. cap. 3. num. 21.* Lessius *lib. secund. cap. 41. dub. 7. num. 47.* Layman. *lib. 4. tr. 5. capite 5 in prine.*

33 *Verius hoc esse reor.*

Verius hoc esse reor. Licat enim in *Cap. Constitutionem* generaliter dictum sit, requiri habitus professorum per triduum delationem, hoc est intelligendum, absque exercitio actuum professorum: vt sic iura iuribus conforment. Igitur assumptionem habitus cum exercitio actus professorum, licet non adsit triduana perseuerantia, ad professionem tacitam constituendam sufficientem esse defendo.

DVBIVM IV.

Qui Religionem ingressurus in re aliqua graui accidentali decepit: potestne expelli, post emissam professionem?

34 *Certum est.*

CErtum est invalidam esse professionem ante decimum sextum ætatis annum *Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. expletum emissam. Trident. *sess. 25. capite 15.* Item metu cadente in constantem virum factam. Si enim hic metus professuro incutiatur, omnes Doctores sentiunt irritam reddi professionem saltem iure Ecclesiastico; quia sic supponitur consuetudine introductum in *Cap. 1. De iis, quæ vi*, vbi fœmina ex metu professionẽ emittens, non cõpellitur in professione perseuerare. Inualida etiam erit professio, si ex parte Prælati error sit in persona admissa, aut in conditionib. substantialib. requisitis. Ex solo autem errore in accidentalibus, irrita non redditur. Vnde elicio, non esse irritam professionem tacentis morbum contagiosum, quo declarato, non reciperetur, quia cum hic morbus neque ex iure, neque ex speciali constitutione Religionis (vt suppono) professionem annulliet, eius ignorantia vel error in admittente ad errorem in accidentibus, non in substantia pertinet. Sanchez *l. 5. Decalog. c. 4. num. 57.* Quæsierim autem, an sic admissus expelli è Religione possit?

35 *Potest expelli.*

Potest quidem expelli, quia in eiusmodi vitij taciturnitate grauis in Religionem ipsam culpa commissa fuit, quæ merito potest expulsione vindicari. Sic Nauar. *l. 3. consil. tit. de Regularib. cons. 25. alias 48. n. 2. & 3.* Sanchez *l. 7. de matr. d. 37. n. 53.* Sà *v. Religio, n. 34.*

36 *Expelli non potest.*

Expelli non potest, quia non videtur res adeò grauis esse, vt eius causa expulsio à Religione supplicium plane grauissimum, valeat infligi. Ita Manu. *tom. 2 sum. c. 6. num. 3. & to. 3 qq. Regul. q. 17. a. 9.* Et Sanch. mutans sententiam *lib. 5. Decal. c 4. numer. 57.* plures referens

37 *Distinctione vtor.*

Ego autem cum Ferdin. à Castro *to. 3. d. 2. de statu Relig. pun. 2. §. 2. n. 4.* distinguo si tentatis remediis per annum morbus non curetur poterit expelli tùm ob deceptionis culpam, tùm ad aliorum damnum, ac contagij periculum præcauendum. Addit Doctor in Societate Iesu absque vllo scrupulo expelli posse qui sic decipiens, vota Scholarium emitteret, quia cum non sint solemnia minorem causam ad sui dissolutionem exposulant, quam ea, quæ ad expellendos alio Religiosos professos expostulantur. Sanch. *n 57.* annotauit.

DVBIVM V.

Validane est, Professio à seruo emissa sine domini consensu?

38 *Nonnulla suppono receptiora quidem.*

AD professionis valorem etiam requiritur, vt quis seruitute ligatus non sit, quia fieret grauis iniuria domino, si seruus occasione Religionis absque placito domini ab eius se subraheret obsequio, cui ipse, ac sua tradita sunt. *Capite si seruus 1. & 2. 17. q. 4.* Porrò si seruus Religionis habitũ assumeret, & in eo per triennium computandum vel à die, quo dominus id scire potuit: vel, vt aliis placet, à die assumpti habitus, perstiterit absque

absque domini reuocatione: eo ipso a Religione posse admitti, quia iuris dispositione censetur à domino dimissus, *Cap. siquis incognitus 17. q. 2.* At si intra illud triennium dominus seruum repeterit, etiamsi professionem fecisset, debet reddi, fide tamen accepta de impunitione, quod si dominus noluerit professum seruum habere, sed pretium illius, probabile satis iudico, teneri Religionem eius voluntati acquiescere, si culpabiliter seruum ad professionem admisit. Si vero nullam patrauit culpam, non video qua ratione obligetur æstimationem serui domino reddere: sufficienter enim satisfaciet, seruum reddendo. Lege Suarium *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 6. per totum.* Lessium *l. 2. c. 4. dub. 3. n. 51.* Quæritur autem, an illa professio ante triennium facta absque domini consensu, sit valida?

39 *Non est Valida.* Valida non est, quia seruus quoad actiones vtiles traditus est domino: Ergo tradere se Religioni non potest. Sic Paiud. *in 4. dist. 38. quæstion. 4. a. 2. num. 30.* Lessius *citatus.* Sanchez *lib. 5. Decal. c. 4. numer. 49.* Azorius *p. 1. l. 12. c. 1. q. 3.*

40 *Valida est.* Est valida. Quia neque apparet irrita ex iure naturali, neque ex positiuo. Non ex naturali. Nã omnia vota seruorum valida sunt, neque dominus ea valet irritare absolute: sed solũ impedire vtum sibi damnosũ: Ergo stare optimè potest, quod professio valida sit, & quod dominus illius vsũ quoad obedientiã possit impedire: neque inde fit non vouere obedientiam, vouet namque in animi præparatione. Ius autem positiuum nullum est hanc irritans professionem. Ita Sylvest. *v. Religio 2. quæst. 3.* Gregor. Lopez *leg. 6. tit. 7. part. 1.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 6. c. 6. n. 3.* & plures alij relati à Sancio *vbi suprà.*

41 *Auctoris resolutio.* Ego his hærens existimo, non solum ius nõ esse huiusmodi professionem irritans: imo ex *Cap. si quis incognitus* non leuiter colligi validam iudicari: siquidem triennio transacto admissus ad professionem seruus reddi domino non debet, nisi ob distantiam præsumatur sufficienter non posse à domino reperiri. *Ea tamen præsumptione facta, & domino reddetur, quamuis professus sit*, Supponit ergo textus professionem validam fieri posse, domino non consentiente; & non obstante eius valore, obedientiæ religiosæ vsum posse impediri. Illud omnino certum, in Religione Societatis Iesu nullam esse professionem seu incorporationem per vota biennij à seruo factam, quia est vnum ex quinque impedimentis essentialibus. *Exam. gener. c. 2. & p. 1. constit. c. 3.*

DVBIVM VI.

Qui sinè coniugis licentia professionem emisit, voretine coniuge non petente, Religionẽ propria authoritate deserere?

42 *Certa refero.* CErtum est, ad professionem requiri, ne professurus matrimonio cõsummato sit illigatus. Non consummato autem, licitus est ad Religionem transitus, si aliud non obstet impedimentum. Post illius consummationem erit licitus, si detur occasio perpetui diuortij ob fornicationem, hæresim, vel læsionẽ. Porrò post matrimonium cõsummatum, nullaque data perpetui diuortij occasione, si ad Religionem quis transit, in eaque profiteatur sine coniugis licentia, nulla erit professio, ob præiudicium coniugis, cui est ius quæsitum *Cap. licet, & Cap. Quidam. de conuers. coniugat.* Vnde coniux in sæculo manens poterit eum a Religione reuocare, illeque debet obedire, reuocatus tamen debitum non potest petere, esto reddere teneatur, quia professio illa quoad obligationem non petendi acceptata fuit ab Ecclesia, vtpote quæ non cedit in coniugis non consentientis præiudicium. Quod intelligo, nisi expressam voluntatem ille haberet non aliter se obligandi ad castitatem, quam dependenter ab statu Religioso; quia hac expressa voluntate posita, nulla potest esse obligatio, cum nullus vere sit Religiosus status assumptus. Sanchez *l. 7. de matr. d. 34. num. 3.* Quæritur verò, an quis sine coniugis licentia professionem emisit possit coniuge non petente, Religionem propria authoritate deserere?

43 *Potest quia propria authoritate.* Potest quidem. Quia solum professionis virtute astringi quis poterat, in Religione perstere; sed professio non tenuit. Ergo cessat causa obligationis, poterit igitur propria authoritate Religionem deserere. Sic Sanch. *l. 7. de matrim. d. 34. num. 15.* citans Glossam, Innocentium, Archidiaconum, & Bellameram,

44 *Non potest authoritate propria.* Non potest propria authoritate, sed necessaria est Iudicis Ordinarij facultas. Quia in Trident. *sess. 25. capite 19.* cauetur neminem posse habitum Religionis dimittere, nisi causa nullitatis coram Ordinario examinata: causa nullitatis coram Ordinario examinata: aliàs tanquam apostata debeat puniri. Et meritò sic statutum est, ne Religiosi occasionem vagandi arriperent. Cum enim publice constitit Ecclesiæ de professione, publice etiam debet ei de illius nullitate constare, vt dissoluta censeatur. Ita Basil. Legion. *l. 9. de matrim. c. 11. num. 8.* Palao *to. 3. d. 2. de statu Relig. punct. 2. §. 4. n. 3.* Fanetque decisio quædam Cardinalium apud Farinac. & Barbos. *in supradicto Decreto.*

45 *Auctoris vtraque sententia resolutio.* Cum his sentiens, primæ sententiæ Doctoribus adhæreo circa priorem Dubij partem, nempe posse illum Religionem deserere absque coniugis petitione. Nec enim aduersatur textus in *Cap. Placet.* dum inquit *Redire verò ad sæculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti.* Quia intelligi debet de reditu ad sæculum, coniugali copula intercedente, vti ex contextu constat, quod in sola mariti potestate erat: siquidem ipsa ad debiti petitionem ob votum castitatis emissum erat impedita. Non tamen ibi negatur, posse illam ad sæculum redire à petitione debiti abstinendo. Licet autem possit absque coniugis petitione ad sæculum redire, non tamen absque Iudicis Ordinarij authoritate. Nam estò sic professus contra coniugis voluntatem teneatur sese ei restituere: id tamen præstare debet iuris ordine seruato, scilicet

scilicet authoritate Iudicis, qui causa cognita, nullitatem professionis declaret.

DVBIVM VII.

Episcopus, qui absque Pontificis facultate Religionem ingreditur: emittitne professionem validam?

46 *Certa supponо.*

COnditio requisita ad professionem est libertas à vinculo Episcopalis dignitatis alterius ve beneficij. Regula certissima est Episcopum, qui absque summi Prælatis licentia in Religione profitetur, graviter delinquere. Quia ob bonum Ecclesiæ, cui Episcopi sunt addicti illis est interdictum *Cap. licet, de Regul.* & *Cap. Nisi cum pridem, de renunciat.* Quæritur verò, an sic facta professio valida sit?

47 *Non est valida.*

Valida non est, quia professio vinculum Episcopale non dissolvit, illo autem non dissoluto, non potest consistere. Non enim apparet, quonammodo Religionis obsequio, & regularis Prælati voluntati se allegate valeat Episcopus, maximè cum suscipiens Religionem, statum minus perfectum eligat. Sic Valent. 2. 2. *d.* 10. *q.* 3 *pun.* 4. *vers. Tertius casus.*

Est valida, quia ex iure positivo non innititur irrita, vt ex *Cap. Nisi cum pridem, de renunciat. Cap. Inter corporalia, de translat.* & *Cap. licet, de Regular* quæ expressius de hac materia loquuntur, constat. Ex his enim testibus solummodo constat, neminem posse Episcopatui renunciare absque Pontificis authoritate, & ex cautis à iure præscriptis: non tamen professionem esse nullam. Ex iure vero naturali non annullari, mox ostendam, ita Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.* 8. *num.* 7.

48 *Hoc defendo.*

Sapientissimo hæreo Doctori. Cui resolutioni non obstat, si quis obiciat, impedita, & annullata renunciatione Episcopatus, impediri, & annullari transitum ad Religionem, qui cum retentione Episcopatus, & obligatione ibi assistendi, & illius exequendi munera consistere nequit. Non inquam obstat, quia Religiosi status essentia saluari oprimè potest ex eo, quod assumens illū, se Religioni tradat paupertatē, castitatem, & obedientiam obseruaturus quantum possit: tametsi ex aliqua occasione, & obligatione antecedenti ab eius plena executione impediatur. Vt videre est in Religioso assumpto ad Episcopatum, qui retento statu Religioso, & illius natiua obligatione, muneris Episcopalis obligationem subit. Et ex hac ratione constat, iure naturali non annullari professionem ab Episcopo factam.

DVBIVM VIII

In necessitate graui teneturne Religiosus parenti succurrere, etiamsi opus sit habitum deserere?

49 *Nonnulla recolo.*

COnditio ad statum Regularem ineundum est, ne parentes graviter indigeāt. At nō est necessaria ad professionis valorem, sed vt licitè status assumatur, quia nullus est textus, quo professio huiusmodi irrita reddatur. Porrò liberent Religiosus professione emissa ab obligatione succurrendi parenti, si Monasterium eam velit subire. Certum autem est, in necessitate extrema teneri filiū parenti succurrere eo modo, quo possit, siue parens in eam egestatem inciderit post professionem, siue antea in ea fuerit constitutus, quia hæc necessitas semper videtur excepta. Quæritur verò, an in graui necessitate teneatur, etiamsi opus sit habitum dimittere?

50 *Tenetur quidem.*

Tenetur filius, etiam Prælato inuito, subuenire parenti, relinquendo Religiosum habitum si opus fuerit, siue parens affectus extiterit graui necessitate hac ante professionem, siue post in illam inciderit, quia obligatio filij comparatione parentis est adeo intrinseca, ac naturalis, vt ab ea eximi non valeat ob statum perfectionis assumptum, censendus enim est illum statum assumpsisse salua hac obligatione. Sic Iantem. *in concor. Euang. cap.* 60. Palac. *in* 4. *dist.* 38. *d.* 1. *ad* 3. & alij relati à Sancio *l.* 4. *Decalog. cap.* 20. *n.* 25. & à Suario *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *capit.* 9. *numero* 4.

51 *Non tenetur.*

Non tenetur filius professus egredi è Monasterio absque legitima Prælati licentia nec à fortiori habitum dimittere, licet parēs professionis tempore in graui necessitate fuerit constitutus, quia professione ita mutauit statum, vt sui iuris non sit, sed Prælati; Ergo nolente Prælato: vt è Monasterio egrediatur ad subueniendum parentibus, cēsendus est Religiosus ille factus impotens, sicut enim nequit Religiosum deserere statū, sic nec potest obedientiam omittere, ita D. Thom. *secunda secundæ quæst.* 101. *articul.* 4. *ad* 4. Caietan. *ibi.* Corduba *sum. quæst.* 141. *articul. secund. in* 4. *opini.* Sà *v Religio, num.* 2. Manu. *Regul. qq. tom. secund. q.* 57. *articulo* 3. Sanchez *l.* 4. *Decalog. cap.* 20 *n.* 17. alios citans Layman. *libro quarto tract.* 5. *capitæ* 4 *num.* 2.

52 *Mediam vero viam.*

Vnam & alteram sententiam probabilem esse iudico. Ast ego cum Toleto *lib.* 5. *c.* 1 *n.* 6. Suario *to.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.* 9. *à n.* 8. Lessio *l.* 2. *c.* 41. *dub* 3. *n.* 34. & aliis, mediam tero viā asserens Religiosum professum obligatum esse è Monasterio egredi, & si sit opus, habitum dimittere, vt parentibus subueniat, casu, quo ill tempore professionis in ea fuerint necessitate, secus si post professionem in illam incidenit. Ratio prioris partis est, quia filius, qui tempore professionis adstrictus est subuenire parentibus Religioni se tradit

cum eo onere. Nec enim æquum erat, vt per professionem à se hanc natiuam obligationem excluderet. Secundam partem probo, quia obligatio filij succurrendi parentibus aduenies professioni factæ, metienda est iuxta statum Religiosum: siquidem hunc filius nequit relinquere: sed status Religiosus non permittit, inuito Prælato è Monasterio egredi, & habitu dimisso, in sæculo viuere: Ergò filius professus non tenetur hac via parentibus subuenire.

DVBIVM IX.

Generalis, vel Prouincialis Religionu potest potestatem inferiori traditam ad acceptandum professuri traditionem ita restringere, vt eo inconsulto, irrita sit receptio?

53 *Nonnulla suppono.* SVppono, debere esse aliquem, qui nomine Religionis traditionem Religiosi acceptet, obligetque Religionem ad Religiosum retinendum, alendum, ac gubernandum iuxta Religionis institutionem, quia professio est mutuus contractus, ac reciproca obligatio Religiosi, & Religionis. *Cap. Porrectum, Cap. Ad Apostolicam, de Regularib.* Verū in nostra societate huiusmodi potestas acceptandi traditionem penes solum Præpositum generalem est, qui eam communicat, quibus expediens esse censet. Regulariter autem etiam ad vota biennij nulli Rectorum generaliter communicatur, sed solis Prouincialibus. In aliis Religionibus spectanda est forma à sede Apostolica præscripta, provt vsu & consuetudine est declarata. Regulariter nullos Prælatus absque sui conuentus consensu potest nouitios ad professionem admittere: neque conuentus sine sui Prælati consensu, quia illa redeptio vtrique vtilis, vel nociua est. Lessius *l. 2. c. 41. d. b. 7. numer. 61.* Sanchez *l. 5. Decal c. 4. num. 65.* Difficultas autem est, an Generalis, vel Prouincialis ita possit facultatem inferiori traditam ad acceptandam professionis traditionem, ita restringere, vt eo inconsulto irrita sit receptio?

54 *Non potest.* Non potest, quia inferior Prælatus v. gr. Prior, Abbas, Guardianus, Rector conuentus non accipit potestatem recipiendi nouitios ad professionē à Prouinciali, vel Generali sed immediatè à Pontifice, seu à tota Religione ex Pontificia authoritate eo ipso, quo superior est, vt supponimus: Ergo nequit superior Prælatus hanc potestatem inferiori restringere; in ea enim potestate ei subordinatus non est, neque inferior dicendus. Sic nonnulli quorum sententiam Ferdinandus à Castro indicat esse veram, cum contrariam ait esse veriorem.

55 *Potest quidem ex causa iusta.* Potest quidem potestatem illam, causa iusta intercedente, restringere, quia esto inferior Prælatus potestatem admittendi ad professionem à superiore non recipiat: at vsum, & exercitium illius ab illo habet dependentem; id enim recto Religionis regimini accommodatum cum sit illi inferior, & subditus absolutè, expediebat in re tam graui plenè illi esse subiectum, ac subordinatum. Ita Palao *to. 3. d. 2. de statu Relig pun. 3. n. 5.*

Placet opinio. Hac enim de causa Nicolaus III. *in Cap. Exiit, de verbor. significat. in 6. §. Verum quia* expresse dixit, Generalem Ordinis D. Francisci posse Prouincialibus licentiam recipiendi coactare, non obstante, quod potestas recipiendi inre ordinario Prouincialibus competat. Mecum Sanch. *vbi supr.* duplici exemplo id confirmans. 56 *Hac placet opinio.*

DVBIVM X.

Religio potestne compellere Religiosum qui tentauit Professionis nullitatem, nec probauit, vt illam ratificet?

CErtum mihi, nullam esse obligationem seruandi paupertatem, castitatem, & obedientiam ex professione nulla, quia ea obligatio oriri nequit nisi ex vero voto: sed votum in professione emissum nullum est, nulla existente professione: quippe est illi essentiale, vel accessorium: Ergò nulla est obligatio. Addo, inualidè professum obligatum non esse suam professionem ratificare, quia professio est status ita difficilis, vt ad illum suscipiendum contra propriam voluntatem nullus sit obligatus; Quæstio autem est, an Religio compellere possit Religiosum, qui tentauit suæ professionis nullitatem, nec probare potuit, vt verè & ex animo illam ratificet? 57 *Certa premitto*

Potest quidem, quia Religio habet ius huiusmodi professum retinendi: Ergo habet ius vt debito modo retineat: sed debitus ac conueniens modus retinendi Religiosum est eum votorum vinculis, & professione alligare: non enim debet esse retentio coacta, sed voluntaria: Ergo. Sic Suar. *tom. 3. de Relig. l. 7. c. 2. n. 7. & 8.* 58 *Potest quidem.*

Minime potest Religiosum ad veram ratificationem cogere, quia hæc Religionis potestas haud potest nisi ex professione oriri: Ergo pro qualitate professionis est potestas. Cùm autem professio vera non sit, sed solùm præsumpta potestas cogendi Religiosum vera esse non potest, sed solum præsumpta, ita Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37. num. 38.* Lessi. *l. 2. cap. 41. dub. 7. num. 55.* Natar. *l. 3. consil. tit. de Regular. consil. 5. & comment. 4. de Regular. num. 74.* 59 *Non potest.*

Scio Suarium primam sententiam probabiliorem esse dixisse. Ast ego probabiliorem credo esse secundam. Nam leges in falsa præsumptione fundatæ obligationem in conscientia non inducunt, vti docet Palao *tr. de legib. d. 1. pun. 14. num. 12.* Ergò ex vi legis, & præcepti impositi ob hāc falsò præsumptam professionem nulla in conscientia potest obligatio induci, Addiderim, Religiosum media professione non se Religioni tradere, vt illū compellat ad profitendum, sed vt illum compellat ad seruandam professionē. Ergo solummodo hanc compulsionem potest Religio gerere, non illam. 60 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM

DVBIVM XI.

Ad ratificationem Profissionis inualidæ, nouitiatus esne repetendum?

61 *Plura de ratificatione professionis.*

CVm impedimenta plura sint, ex quibus professio valeat annullari, vel se tenentia ex parte solius professi, vel ex parte solius Religionis, vel ex parte vtriusque: ad ratificandam professionem debet tolli impedimentum, & adesse nouus consensus tum professi, tum Religionis: qui quidem consensus debet esse ex nouitia nullitatis. Porrò reualidatio professionis inualidæ induci potest delatione habitus professorum per quinquennium, & exercitio eorundem, quia his signis potissimus ius præsumit, professum post scientiam nullitatis suæ professionis, denuo consentire. Quæstio autem grauis volitur, num ad hanc reualidationem agendam sit nouitiatus repetendus? Et quidem quando professio nulla fuit ex eo, quod integer annus probationis præmissus nõ fuerit certum est præmitti debere, quia Trident. *sess. 25. c. 15.* expresè annullat professionẽ factam ante decimum sextum ætatis annum, & ante expletum annum probationis integrè & validè præcessit, & professio ob aliud impedimentum nulla fuit, requirò, an sit nouitiatus iterandus?

62 *Repetendus est nouitiatus.*

Repetendus quidem est, quia nouitiatus ita professioni est necessariò præmittendus vt professio immediate nouitiatum succedat. alias interruptione illa quasi extinctus censeri debet. Sic Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 7. c. n. 34.*

63 *Non est repetendus.*

Non est repetendus, Quia finis Tridentini statuentis probationis annum, fuit, vt Religiosi mores professis, & professus asperitates Religionis satis experiretur: sed hoc experimentum eodem prorsus modo habetur siue professus sub titulo nouitij, siue sub titulo professi in Ordine persistat. Ergo eo casu probatio rigorosa necessaria non est. Certè si annus probationis ad reualidandam professionem necessarius esset, deberet professus manifestare Religioni professionis nullitatem vt eum in probatione retineret: At dum Religio reputat illum professum esse, nequaquam in probatione retinet, de cuius sententia est probatum dimittere, si displicuerit: sed potius illum retinet, quia existimat, rite esse probatum, nullamque eum dimittendi potestatem habere. Debet ergo Religio cognoscere, se Religiosum probare, vt ipse in probatione consistere censendus sit. Hoc autem præterquam quod difficillimum est, admodumque durum, admittendum non est absque manifesto textu, vel ratione, quę nulla sunt. Igitur in eo casu nouitiatus necessarius est ad professionem ratificandam. Ita Azor. *p. 1. l. 12. c. 19. 6.* Sanch *l. 7. matrim. d. 37. num. 47.* Les. *l. 2. c. 41. dub. 7. n. 66.* & alij.

64 *Sententiam esse iudicarim.*

Veriorem, Suarij venia, hanc sententiam esse iudicarim. Nam quando nouitiatus validus, ac integer præmissus fuit tanquam certum supponit Sanch. *num. 45.* Tridentinum enim solum requirit ad professionis valorem vt illam emittens per annum post habitus susceptionem in probatione exiterit. Quod optimè verificatur de eo, qui inualide professus fuit, & per annum integrum post susceptum habitum in probatione extitit. Neque inde fit, nouitiatum iterandum non esse ab eo, qui completo anno probationis, nouit professionem facere, sed Religionem dimisit, vel ab ea fuit expulsus, & postea habitum re resumpsit, quia de eo non verificatur, post susceptum habitum quẽm professio subsequitur in probatione per annum extitisse; nam prima susceptio habitus dimissione illius omninò fuit extincta.

hanc veriorem esse existimo.

DVBIVM XII.

Quinquennium, intrà quod licitum est Religioso ex nullitate Professionis reclamare, computaturne à Professionis die?

65 *Decretum Trident. præmitto.*

TRidentini decretum *sess. 25. capite 19.* præmitto. *Quicumque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velletque habitum dimittere qua de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum: non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur: interim verò nullo suæ Religionis priuilegio iuuetur.* Ex quibus verbis quæstio grauis excitatur. An quinquennium computandum sit à die professionis.

66 *Non est computandum quinquennium à die professionis.*

A professionis die computandum non est, quia sæpe ab illo die non cessat impedimentum, quod nullam reddit professionem, & sæpè ignoratur, ob illud impedimentum professionem nullitate laborare, quomodo ergo ab eo die quinquennium erit computandum Deinde ex hac quinquennij perseuerantia præsumit ius Religiosum illum suam professionem ratificasse, casu quo nulla fuisset: At si toto fere quinquennio duranit impedimentum quod reddidit professionem nullam, aut illius ignarus ille fuit, nulla ratione poterit ius eo tempore præsumere, professionem ratificari, cum id sit impossibile: Ergo quinquennium, ex quo præsumptio hæc desumitur, non à die professionis, sed à die sublati impedimenti cogniti est computandum. Sic Palao *tomo tertio d. 2. de statu Relig. p. n. 7. n. 3. & 5.* & Sanchez *citandus* ait esse probabilem.

67

Computandum est à professionis die. Quia Concilium,

A die professionis est computandum.

Concilium, *Nisi intra quinquennium* (aiet) *tantum à die professionis* computandum, Ponderanda etenim dictio illa *Tantum*, quæ exclusiua est, & affirmatiua illius quod ponit, & negatiua omnium aliorum casuum præter expressos, *leg. Ob eas, C. de prædiis minor. leg contractum, ff. de regul iuris. cap. cum Ecclesia, de causa posses. & proprietat.* Præterea dictio *Tantum* necessario non erat, sed addita fuit maioris gratia claritatis, & vt nullus ambigendi locus superesset, numerationem agendam à professionis die, procedereque contra ignorantem, & impeditum. Ita Sanch. *l. 7. de matr. d. 37. à n. 19.*

68 *Priorem sententiam eligendam esse.*

Priorem sententiam probabiliorem planè eligo. Nam hoc quinquennium, quo transacto, interdicitur Religioso potestas suam professionem oppugnandi, licèt præscriptum non sit in odium suæ negligentiæ, sed in Religionis, ac Religiosorum quietem: at præscriptum est ob præsumptionem professionis eo tempore ratificatæ: sed durante impedimento, illudque ignorante Religioso, professio nequit ratificari: ergò non potest esse præsumptio pro illo tempore. Cæterum hæc doctrina non pugnat cum Tridentini decreto dicentis quinquennium ad reclamandum, computandum esse *à die professionis tantum.* Quia id debet intelligi casu, quo ab ea die cessat impedimentum, quod verè esse tale Religiosus dignoscebat.

DVBIVM XIII.

Si quis certo dignoscat, suam Professionem esse nullam, nec ratificasse: peccatne lethaliter, habitum dimittens, & fugiens absque sui superioris, & Ordinarij licentia?

69 *Status quæstionis.*

NOtanter dixi, *si certo dignoscat.* Nam si dubius hæret, spectanda est natura dubij, vt indè inferatur, pro quanam parte sit possessio, an pro illius, an pro Religionis parte. Sed in casu certo peccatne lethaliter qui habitum dimittit, & fugit absque superioris, & Ordinarij facultate.

70 *Non peccat lethaliter.*

Non peccat, quia cum non sit verè Religiosus, ex nullo capite nasci potest obligatio perpetuo in Religione manendi. Neque obstat Tridentinum graviter puniri imperans sic fugientes, quia punit, eo quod præsumit verum Religiosum esse, & consequenter absque legitima causa fugere. Sic Nauar. *comment 4. de regularib. num 77.* Sa *v. Religio, num 71.* Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 104. num 12.*

71 *Lethaliter peccat.*

Peccat equidem, quia cum in foro Ecclesiæ tanquam Religiosus habeatur, merito debet Ecclesiæ iudicio dissolui, (si id facile fieri potest) ad graue scandalum vitandum, Ita Suar. *tom 3. de Relig. l. 7. cap. 3. num. 11. 12. & 13.* Lessi *l. 2. c. 41. dub. 7. n. 65.* Sanchez *l. 7. de matrim. d. 37. n. 1.*

72 *Distinctio.*

Ego quidem crediderim si professio ita nulla sit, vt credat ille absque graui difficultate se posse illius probare nullitatem, mortaliter delinquere, si secreto fugiat, habitumque dimittat; quia Religionem propria authoritate priuat possessione quam habet eum retinendi. At si absque graui difficultate nequit professionis probare nullitatem, vel quia à Religione impeditur, vel quia ob eam causam diuexatur, vel quia testes nolunt veritatem aperire, vel quia impedimentum eius naturæ est, vt probationem non subeat: nullum perpetrabit delictum fugam, dimisso habitu, arripiendo, quia id quod absque graui difficultate fieri nequit, moraliter est impossibile: sed stante impossibilitate probandi nullitatem professionis, non tenetur Religiosus eam probationem intentare: ergò, omissa illa probatione, fugere potest; quia ius propriæ libertatis obtinet, nulloque Religionis vinculo tenetur. Mecum Palao *tom. 3. d. 2. de statu relig. pun. 7. n. 10.* *ne vtar.*

DVBIVM XIV.

Si sublatum sit impedimentum Professionis, & nulla adfuit impotentia intra quinquennium reclamandi: potestne Religioso illi dari in integrum restitutio?

73 *Nonnulla suppono.*

PRæscribit Concilium in illo decreto *sess. 25. capit. 19. ne elapso quinquennio Religiosus audiatur*, hoc est, admittatur ad allegandas causas nullitatis suæ professionis: eo quod præsumit, eo tempore professionem ratificasse, si forè nulla fuit. Porro si impedimentum professionis intra quinquennium sublatum fuit, & nulla adfuit impotentia reclamandi, vel illa adfuit, eam probare liquido non potest, & ex alia parte professionem non vult ratificare: nulla superest via, vt audiatur, nisi vtatur restitutionis in integrum beneficio. Quæsierim autem num possit in hoc casu dari Religioso illi restitutio in integrum.

74 *Dari non potest.*

Dari non potest, quia matrimonium & professio semel facta, indissolubilia sunt, & restitutio conceditur ad dissoluenda ea, aduersus quæ datur. At Tridentinum statuit reualidari professionem gestatione habitus professorum, & eorum exercitiis per quinquennium: ergò eo elapso, non potest esse restitutio, quæ hanc reualidationem infirmet. Sic Flamin. *l. 13. de resignat. benef quæstione quint. numero 46.* Zaual. *pract. qq. quæst. 500. fine.*

75 *Potest dari.*

Potest dari aduersus hunc quinquennium restitutio, sicut in aliis materiis, quia restitutionis beneficium aduersus præscriptionem longi temporis iure speciali, & extraordinario tam minoribus, quam maioribus conceditur, diuersimodè tamen, vt constat ex *cap. 1. & 2. de restit. in integrum l. 6. & ex leg. 1. §. fin. ff. ex quibus causis.* Sed Concilium non interdicit huius restitutionis beneficium aduersus quinquennij præscriptionem. Nam licet dixerit, eo elapso, non esse audiendum, intelligi

intelligi potest via ordinaria, secus hac extraordinaria via. Leges enim generaliter actionem interdicentes non intelliguntur de actione competenti iure speciali, & extraordinario: sed ex iure ordinario, & communi, iuxta Glossam receptam *in leg. Postquam, C. de pactis.* Ita Lessi. *l.2 c.41. dub.7. n.65.* Barbosa *p.3. de potest. Episc. allegat.104. n.108.* Riccius *resol. 550. num.6.* Azor. *p.1. l.13. cap.4. q. vlt.* Sanch. *l.7. de matrim. d.37. n.22.* & alij.

76 *Cum his longè probabilius opinor.*

Cum his longe probabilius opinor. Fateor enim non posse dari restitutionem aduersus professionem certam, sicuti nec aduersus matrimonium certum; quia dissolui non possunt; bene tamen aduersus professionem, ac matrimonium præsumptum. Quia probari potest veram non esse præsumptionem, neque in veritate fundatam: eo quod vere professio nec facta, nec ratificata sit, nec matrimonium contractum.

DVBIVM XV.

Ad votorum commutationem quæ fit virtute professionis, opusne est, speciali vouentis voluntate.

77 *Plura recolo circa professionis effectus.*

VArij sunt effectus Religiosæ professionis. Primus & quasi substantialis est, vt professus in dominium, & potestatem Religionis transeat obsequuturus in omnibus, quæ sunt iuxta ipsius regulas, & constitutiones: ipsaque Religio vicissim obligetur illum sustentare, & gubernare, sicut mater filium. Ex quo effectu soluitur patria potestas. Quia à Religione is gubernandus assumitur. Sanch. *l.5. Decal. c.5. n.29.* Secundus est plenaria peccatorum remissio quoad pœnam. D. Thom. 2.2 q.189. *a.3. ad 3.* Suar. *l.6. c.13. n.4.* Tertius est commutatio omnium votorum antecedentium professionem, siue sint personalia, vti fere omnes Doctores tenent: siue sint realia vt communior fert opinio. Constat ex *cap. Scripturæ, de voto.* Quæstio autem est, an commutatio huiusmodi fiat ex vouentis voluntate, an ipso facto ex iure naturali diuino, an Ecclesiastico.

78 *Opus non est vouentis voluntate.*

Opus non est speciali vouentis voluntate: sed iure ipso diuino naturali, & Ecclesiastico hæc commutatio Regulari professione inducitur. Quia Religionis professione omnes suas facultates, ac vires Deo ille confecrat: ergo abundantius soluit, quam si particularia obsequia præstaret. Quemadmodum si Antonio magnam summam deberes, omnesque facultates quas habes, & habere poteras illi offerres, & insuper te in seruum traderes: abundantissimè satisfaceres. Sic D Thom. 2.2. *q.88. art.12. ad 1.* Sanchez pluribus relatis *l.5. Decal. c.p.5. num.38.* Laym. *l.4. tract.5. cap.10. num.3.* Palud. *in 4. dist.38. q.4 a.1.n.3. concl.6.*

79 *Opus quidem est.*

Speciali vouentis voluntate est opus. Quia nullum est ius Ecclesiasticum scriptum hanc commutationem expresè statuens. Nam textus in *cap. Scripturæ*, non de omnibus votis, sed solum de incompossibilibus loquitur: & licet de omnibus loqueretur, non indicat ipso iure commutationem fieri, sed potius vouentis voluntate. Inquit enim: *Nec voti factus reus habeatur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.* Ita nonnulli. Et quidem ex vouentis voluntate fieri posse nemini est dubium.

80 *Existimo facto ipso fieri votorum commutationem.*

Existimo longè probabilius esse non ex vouentis voluntate sed facto ipso hanc fieri votorum commutationem. Nam si quis voueret strictiorem Religionem posset ingressum in laxiorem commutare, cum delinqueret laxiorem ingrediendo; at si de facto in laxiori profiteatur, extinguit Religionis strictioris, etiam perseuerantiæ votum: ergo signum est, facto ipso, & non speciali vouentis voluntate, huiusmodi commutationem fieri. Sed quo iure id fiat? Verius crediderim, non iure ipso naturali, nec diuino positiuo: sed solum Ecclesiastico consuetudine introducto.

DVBIVM XVI.

Religiosis illegitimis conceditur ne, posse vlla Beneficia Ecclesiastica habere, cum irregularitas ex defectu natalium ob Professionem aufertur.

81 *De alio professionis effectu, nempe de ablatione irregularitatis ex defectu natalium.*

ALius professionis effectus est sublatio irregularitatis ex defectu natalium prouenientis, *cap.1. de filiis Presbyteror.* Excipit tamen textus Prælaturam, quæ sub prohibitione, & susceptione præcedenti comprehendebatur. Intelligenda autem est exceptio de Prælatura tam intra Religionem, quam extra. Sanch. & alij referendi. Dubitas autem, an non solùm Prælatura, sed quodlibet aliud beneficium etiam simplex his Religiosis sit interdictum? an ob oblationem irregularitatis illius eis concedatur, posse Ecclesiastica beneficia habere?

82 *Non conceditur posse beneficia habere.*

Non conceditur. Quia textus in *cap.1. citato* solum concedit his Religiosis sacrorum Ordinum susceptionem: ergo susceptionem beneficij non concedit. Neque exceptione Prælaturæ, id colligi potest; quia illa exceptio necessaria non erat, sed ad tollendam omnem dubitationem apposita fuit. Sic Suar. *tom.5. de censur. d.50. sect.5. n.15.*

83 *Conceditur, posse habere simplex beneficiū.*

Conceditur eis beneficia simplicia posse habere, non vero beneficia curam animarum habentia. Quia *cap. fin. de filiis presbyteror.* illegitimi excluduntur à qualibet dignitate, & beneficio Parochiali: tacitè ergo eis beneficium manuale simplex conceditur. Ita Nauar. *l.1. consil. tit. de Presbyteris cons.3. alias 6.* Lessi. *l.2. cap.41. dub.8. fine.* Sanch. *l.5 Decal. c.5 n.16.* alios citans.

84 *Ex vi iuris crediderim posse quā-*

Non dubito hanc sententiam sequendam esse in praxi, vtpote communem. At si iuris rigorem expendam, existimo non solum beneficium simplex, sed & curatum, modo Prælatura non sit, his Religiosis illegitimis concedi.

libet beneficia habere.

concedi, quia licèt *in c. fin. de filiis presbiter.* Illegitimis interdicantur dignitates, beneficiaque curata, ab hoc interdicto eximuntur cum profitentur: siquidè *in c. vt filij, cui finale* non debet esse contrarium, sub prohibitione suscipiendi Sacros Ordines plena irregularitas illegitimi constituitur, vt ipse Suarius *vbi s.* docet: sed ab ea eximuntur si Monachi fiant, alias non exciperetur Prælatura, si sub prohibitione, & exemptione antecedenti non esset comprehensa. Comprehendebatur, inquam quodlibet beneficium simplex, curatum, & Prælatura. Cum ergo Religiosis sola Prælatura expressè interdicatur, omnium aliorum beneficiorum capaces existunt.

DVBIVM XVII.

Illegitime natus, & sine dispensatione ordinatus, si Religionem ingrediatur: potestne in susceptis Ordinibus ministrare?

85 *Non potest.* MInimè potest, quia textus *in cap. 1. de filiis presbyteror* inquit: *Ad Sacros Ordines non promouentur, nisi Monachi fiant.* Ergo concessum est ei qui fit Monachus ad Sacros Ordines posse promoueri, non autem exercere posse Ordinem Sacrum sine dispensatione antea susceptum. Sic Sayr. *1. Thesaur. l. 6. c. 11. n. 3.*

86 *Potest planè.* potest profectò, quia ex concessione suscipiendi Sacros Ordines censetur concessa facultas susceptis vtendi. Nam minor est, & in maiori inclusa; siquidem præcipue ob vsum Ordinum facultas illos recipiendi conceditur. Ita Sanchez *l. 5. Decal. cap. 5 numer. 10.* Laym. *l quart. tract. quint. capit. 10. numer. 4.* Palào *tom. 3. d. secund. de statu Relig. punct. 8. num. 8.*

87 *Hoc longè verius, imo erè certum.* Hoc longè probabilius, imo fere certum esse iudicatim. Nam sub ea concessione excluditur omnis irregularitas, & inhabilitas, quæ prohibitione recipiendi Sacros Ordines erat introducta. At illis verbis: *non promoueantur ad Sacros Ordines filij ex fornicatione nati*, introducta erat integra irregularitas non solùm suscipiendi Sacros Ordines, sed etiam in susceptis administrandi, recipiendique quodlibet beneficium: ergò illa concessione *nisi Monachi fiant*, hæc irregularitas remouetur.

DVBIVM XVIII.

Irregularitas ex defectu natalium orta tollitur ne & non tollitur nouitiatus ingressu?

88 *Tollitur nouitiatus ingressu.* NOn solùm tollitur professionis emissione, sed & ipso nouitiatus ingressu, quia nouitius vere Monachus dicitur præcipue in fauorabilibus. Imo esto verè Monachus non sit, saltem in congregatione canonica regulariter viuit. Cum ergo *in cap. 1. de filiis presbyt.* ab irregularitate eximantur illegitimi, qui Monachi fiunt, & qui in congregatione canonica regulariter viuunt, efficitur nouitios non exire. Sic Manu. *tom. 1. qq. Regul. quæst. 13. a. 4.* subditque, exeuntes à Religione in eandem irregularitatem incidere, & ab vsu susceptorum Ordinum prohiberi. *gressu.*

Solùm tollitur hæc irregularitas professionis emissione, non verò nouitiatus ingressu, quia cum hæc irregularitas absolutè tollatur, & non ad reincidentiam, vti aiebat Manuel: expediebat tolli ob causam ex se perpetuam, qualis est sola professio, & non probationis ingressus. Ita Suar. *tom. 5. de censur. d. 50. sect. 5. à num. 12.* Azorius *p. 1. l. 12. cap. 5. quæstione 12.* Sanchez *l. 5. Decal. cap. 5. num. 12.* plures citans. 89 *Non tollitur ex nouitiatus sed ex sola professione.*

Hoc dicendum esse non dubito. Nam cum textus inquit ab hac irregularitate illegitimos excludi, si Monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuant: non loquitur de Monachis seu nouitiis in congregatione canonica regulariter viuentibus, sed de Canonicis Regularibus. Neque *c. 1. dist. 56.* loquitur de probatione nouitiatus, sed de probatione per probatam, ac Religiosam vitam. Addiderim votis biennij in Societate Iesu emissis hanc irregularitatem æque ac per professionem tolli, quia his votis verè Religiosi constituimur: & textus *in capit. 1. de filiis presbyteror.* & *cap. 1. dist. 56.* solùm id expostulant. Sanchez *l. 5. Decal cap. 5. nu 13.* Laym. *l. 4. tra. 5. cap. 10. num. 4.* At si Religiosus simplicibus his votis solutis, è Religione dimittatur in eam irregularitatem non reincidit, sed omninò liber manet, quia nullibi cauetur hæc reincidentia, & non est imponenda irregularitas nisi in casibus à iure expressis. Mecum Sanch. *vbi supra.* 90 *Hoc dicendum esse non dubito.*

DVBIVM XIX.

Fœminæ illegitimæ excluduntur à Prælatura Monialium?

91 *Non excluduntur.* NOn excluduntur, quia hæc exclusio est quasi quædam irregularitas: at hæc non contrahitur nisi in casibus à iure expressis, & in iure expressum non est, fœminas illegitimas à Prælatura sui conuentus excludi. Nam licèt *in capit. 1. de filiis presbyter.* Filij illegitimi à Prælatura excludantur, ad fœminas hoc decretum non debet extendi, quia odiosum, & quia expressè de filiis incapacibus suscipiendi Ordines loquitur. Certè si ex professione Monialis illegitima capax Prælaturæ non redditur, nullum priuilegium Religiosa professio ei concedit. Sic Manuel. *tom 1. qq. Regul. quæst. 13. a. 21.* Indicat Tabiena *v. Virginum consecratio n penult.*

92 *Excluduntur.* Excluduntur quidem, quia illo *c. 1.* à Prælatura excluditur Religiosus illegitimus: sed sub

sub nomine Prælaturæ, Abbatissę aut Priorissæ munus continetur, vt docent communiter Doctores in *Cap. Indemnitatibus de elect. in 6.* ubi *Vt à dignitate eiiciatur electa.* Ergo illegitima à Prælatura excluditur. Et licet in illo textu nomen Filij expressum sit, videturque loqui de capacibus Sacros Ordines suscipiendi, at quia est dispositio Religioso statui fauorabilis, ideò fœminas comprehendit ea parte, qua capaces sunt. Ita Glos. *ad Cap. Indemnitatibus, & ibi.* Ioan. Andr. Anchar. Archidiac. & alij. Nauar. *comment. 2. de Regular. numer. 69.* Flamin. *de resignat. l. 3. q. 12. n. 11.* Sanch. *l. 5. Decalog. cap. 5. numer. 19.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 6. numer. 14.* Sayr. *to. 1. Thesau. lib. 6. c. 11. n. 5.*

93 *Auctoris resolutio.* Ergo quidem existimo, sententiam primam spectato iuris rigore tenendam esse: at spectata consuetudine communique Doctorum interpretatione, amplectendam secundam. Assero itaque, nullam illegitimam posse in Abbatissam, vel Priorissam perpetuum vel temporalem eligi. Dixi autem *Perpetuam, vel temporalem.* Qua aliqui primam sententiam limitant, vt locum habeat in Abbatissis temporalibus, secus in perpetuis, seu benedictis. Sed est sine fundamento limitatio, cum esse perpetuam, aut temporalem non variet iurisdictionem. Concedo autem Manuelli Roderico, nullum speciale priuilegium Moniali huiusmodi ex professione hoc in casu concedi, cum capax non sit Ordines suscipiendi. Alij enumerantur Religiosæ professionis effectus, nempe purgatio inhabilitatis ad temporales actus ratione delicti commissi: vt si ex furto, falsove testimonio inhabilis factus sis ad testimonium ferendum. Ingratudinis nota aboletur, id est, macula, seu nota ingratitudinis antea commissæ, ob quam filius exhæredari poterat vel legitima patris portione priuari. Denique irritatio matrimonij subsequentis, & antecedentis rati.

obligatum esse, abstinere ab omni actu tam interno, quam externo venereo: ita vt delinquens contra castitatem, simul contra votum peccet, sacrilegusque existat. Si violatio castitatis mortalis sit, mortale esse peccatum contra votum: si venialis, veniale. Hoc autem intelligendum esse in castitatis propriæ violatione, non in alienæ. Nam si tuo facto, vel aspectu per se veniali alius ad mortale induceretur: peccares ex praua intentione lethaliter ex scandalo: sed aduersus votum venialiter solùm, quia votum castitatis non se extendit ad castitatem alienam conseruandam. Sanchez *libro quinto Decalog. capite sexto numero decimo* aduertit. Certum denique, violationem voti castitatis solemnis à voto simplici aliqualiter differre vt ex se patet. Quæsierim autem, an hæc differentia sit necessario in Confessione declaranda?

Declaranda necessariò est: Quia votum solemne à simplici essentialiter differt. Sic nonnulli, quos citat Sanchez *lib. septimo de matrim. disput. 27. num. 23.* 95 *Est declaranda circunstantia voti solẽnis.*

Non est necessariò declaranda. Quia differt votum solemne à simplici non essentialiter, sed accidentaliter differentia notabiliter aggrauante. At circunstantia notabiliter aggrauans est necessario in Confessione aperienda: Ergo. Ita alij apud eundem Sancium. 96 *Non est necessario declarãda.*

Ego quidem verius existimo cum eodem Doctore *numero 27.* non oportere exprimere, an votum sit solemne, vel simplex, modo explices te voto esse ligatum, quia hæc differentia non in obligatione, castitatis seruandæ, sed in matrimonij contrahendi irritatione consistit, qui effectus vtpotè omninò extrinsecus, & accidentalis obligationi castitatis, eius violationem aggrauare non potest. 97 *Idem assero*

CAPVT VII.

Circa Castitatem, ac Paupertatem Religiosam.

DVBIVM XX.

Differentia voti solemnis Castitatis à voto simplici, estne necessario in confessione exprimenda?

94 *certa refero de castitatis voto solemni, ac simplici.* CERTVM est, Religiosum ex castitatis voto obligari primò ad abstinendum à coniugio, nisi votum faceret iuxta normam militum Ordinis Alcantaræ, Calatrauæ, & D. Iacobi, qui non emittunt absolutæ castitatis, sed coniugalis tantùm votum emittunt. Præterea

DVBIVM XXI.

Si Religiosus Iesuita post vota biennij de facto via testamenti, donatione, aut renunciatione de suis bonis, inscio superiore, disponat: an dispositio hæc proculdubio illicita erit valida?

98 *Plura de voto paupertatis recolo.* CERTVM est, votum solemne paupertatis Religiosum priuare iure, ac dominio pecuniæ, aliarumque rerum pecunia æstimabilium. & reddere inhabilem acquirendi. *Cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum* & Tridentin. *sessio 25. capite secund. de Regular.* Votum verò simplex, quale emittitur ab Scholaribus, & Coadiutoribus societatis nostræ expleto biennio probationis, nec tollere dominium habitum, nec reddere incapacem acquirendi, vti expressè deciditur à Gregorio XIII. in *Bulla, Ascendente Domino*, & habetur *parte quarta constitution. capite quarto lit. E.* Quod quidem Religioso statui

non obstat, cum ex vi voti illi obligentur, dominio eo non vti absque superioris voluntate, & ex alio capite expedit Societatis regimini: vt sic liberius, & minori cum offensione dimitti, si opus fuerit, è Societate valeant, vti dixit, Gregorius *vbi s.* Profecto Societatis alumnus disponens de his rebus, de quibus dominium habet non consecio, & approbante superiore, si dispositio alicuius momenti sit, certum est peccare mortaliter, quia votum paupertatis hoc specialiter respicit, ne hi Religiosi re propria tanquam propria vtantur. Ex quo fit via testamenti, renunciatione, aut donatione de his bonis disponentes superiore non approbante, etiamsi sit in paupertatis, & iuxta constitutionis normam, mortaliter peccaturos Sic decidit *Congregat. gener. 5. & decreto 7. & 39.* traditque Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 4. cap. 6. numero 3.* Quæsierim verò, si de facto via testamenti, donatione, aut renunciatione de suis bonis, insscio superiore, disponeret, essetne valida dispositio.

99 *Non est valida dispositio.*

Valida non esset, quia Religiosus post votorum emissionem non est sui iuris, sed Religionis, eiusque voluntas omninò est Prælato subiecta: ergò nequit validè, eo non approbante, disponere. Sic Lessius *l. 2. c. 4. dub. 5. n. 28.* Molina *t. 1. de iust. d. 139. versi illo, qui tempore.*

100 *Valida est.*

Esset omninò valida, quia hæc dispositio nec iure naturali nec positiuo est irrita, cum sit dispositio rerum, quarum Religiosus habet Dominium, & administrationem: & licet illam habeat impeditam ex virtute Religionis ob paupertatis votum: hoc non tollit, quominus si de facto disponat, valida non sit dispositio, quia votum non tollit dominium, nec annullat dispositionem: sed eam infidelem reddit: nullum verò est ius positiuum nec Canonicum nec Societatis, quod talem dispositionem reddat irritam: ergò asserendum est validam esse. Ita Suar. *tomo 4. de Relig. tract. 10. l. 4. cap. 6. num. 12.* Sanchez *l. 7. Decal. c. 18. n. 28. & c. 8. n. 25.* vbi specialiter de testamento loquitur Laym. *l. 4. tra. 5. cap. 7. n. 3.*

101 *Cum his probabilius opinor.*

Cum his probabilius opinor, monens quidem, etsi valida sit dispositio huiusmodi, irritari tamen posse, & reuocari à prælato ob potestatem dominatiuam, quam in subditi voluntatem, & in eius actiones habet.

DVBIVM XXII.

Statuto ciuili potestne Monasterium, alias capax successionis, ab ea excludi?

102 *Nonnulla circa Monasterij successionem recolo.*

PRæmitto, alia Monasteria esse succedendi capacia vel ipso iure, vel ex Religiosi voluntate: alia vero incapacia vtroque modo. Religionesque omnes (præter Minores de Obseruantia, & Capucinos, & Societatem Iesu) succedere Religioso professo nihil de suis bonis disponenti. Colligitur ex Tridentin. *sess. 25. cap. 3.* vbi omnium Religiosorum Monasteriis tam virorum, quam mulierum (exceptis domibus S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minores de Obseruantia vocantur) concedi immobilium possessionem, & consequenter successionem hæreditariam. Minores de Obseruantia, & Capucinos excepit ob eorum singularem paupertatem. Et licet Societatem Iesu Concilium non exceperit, sed potius visum fuerit, sub priuilegio omnibus aliis Religionibus concesso comprehendisse; quia tamen non obligat Religiones eo priuilegio vti, ideo possunt ei renunciare, si iudicauerint expedire. Sic Societas nostra nullam Religionum suorum successionem ab intestato admittit. Hinc fit professentem in Religione Minorum, & Capucinorum & Societatis Iesu absque suorum bonorum dispositione, non posse de eis amplius disponere, sed hæredes ab intestato succedere. Quia ex vi professionis omnium suorum bonorum dominium amisit: & cum ipso iure Monasterium non succedat, fit consequenter, ne bona illa domino careant, hæredibus ab intestato competere. Sanch. *l. 7. Decal. cap. 25. num. 21.* plures citans. Monasteria verò, quæ Religiosis succedunt, id habent ex iure Ecclesiastico, & ciuili, non ex naturali. Ex ciuili quidem *§. si qua mulier. Authent. de Sanctis Episcop.* Et alibi: ex Ecclesiastico liquet ex Gregor. Mag. *capit. quia ingredientibus 19. quæstion. 3.* Ex his quæstio exoritur, an iure ciuili possit excludi Monasterium à successione bonorum ex persona Religiosi prouenientium, si capax sit successionis?

103 *Potest ciuili excludi a successione.*

Potest quidem, quia iure ciuili hæc successio est illi concessa; ergò poterit iuris conditor eam concessionem reuocare. Sic Menchaca *de succes. creat. l. 3. §. 21. numero 179.* & alij.

104 *Excludi non potest.*

Minimè potest, quia priuilegium Ecclesiæ concessum & ab ea acceptatum nequit qui iuris superior nō est derogare. Et quia successio hæc non tantum iure Ciuili, sed Ecclesiastico est statuta: at iuris ciuilis conditor statuta Ecclesiastica abrogare non potest: ergò nequit hanc Monasterij concessionem derogare. Ita Menoch: *cons. 196. num. 32. vol. 2. & de præsumpt. l. 4. præsumpt. 83. n. 24.* Couar. *de pactis p. 3. §. 2. num. 4.* Sanchez *l. 7. Decal. capit. 25. numero 18.* Zenall. *qq. commun. quæstione 423. fin.*

105 *Auctoris resolutio.*

Ego autem existimo, esto statuto ciuili Monasteria excludi non possint à successione ob personam Religiosi: consuetudine tamen introduci id posse. Nam cum hæc successio non iure naturæ, sed positiuo Monasteriis competat, derogari consuetudine potest: sicuti in Regnis Galliæ factum esse asserit Couar. *citatus*, lege Sancium *l. 7. Decal. capit. 12. numer. 14.* optimè annotat, debere spatio quadraginta annorum hanc consuetudinem præscribi.

DVBIVM

DVBIVM XXIII.

Religioso professionem emittente, competitne vsusfructus bonorum illius Monasterio?

106 *Non competit.*

VSusfructus Monasterio non competit, sed professione Religionis extinguitur, quia professione Religiosus quasi mortuus censetur, ac vsufructuarij obitu vsusfructus extinguitur, §. *fin instit. de vsufructu.* Et quia vsusfructus nequit manere in Religioso cum sit incapax ob votum paupertatis habendi proprium. Neque potest in Religionem transferri, cum ius transmissibile non sit iuxta textum *in §. fin. citatum, & leg. si vsusfructus 67. ff. de iure dotium*: ergò extinguitur. Sic Glos. *ad casi. si qua muliter, 19. quæst. 3.* Zeuall. *opin. commun quæstion. 64. fine.* Fachin. *l. 6. controu. capit 12.*

107 *Competit quidem.*

Vsusfructus apud Religiosum professum manet, commoditas verò Monasterio inhæret, quia non videtur inconueniens, Religiosum capacem esse proprij, cuius nullam dispositionem habeat: sicut non est inconueniens, coniugatum, manente coniugij vinculo, fieri Religiosum. Ita Couar. *de testam. cap. 2. num. 9.* Anton. Gomez *leg. 48. Tauri, numero 8.* Molin. *tom 1. d. 9. circa finem.* Et probabile reputat Suarius *tom. 3. de Relig. cap. 13. num. 6.*

108 *Mediam ineo viam.*

Mediam ineo viam, asserens, vsumfructum minime extingui professione sed Monasterio acquiri, durante Religiosi vita, lege sic disponente. Non extingui, est constans fere omnium Doctorum placitum. Adquiri Monasterio hic probo, quia generale est, omnia iura, & actiones Religiosi in Monasterium transferri, *Authent. ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* Et quia Religiosus voto solemni paupertatis non solum vtu, sed qualibet proprietate priuatur: ergò vsusfructus Monasterio acquiritur. At quia non acquiritur ex consensu, ac voluntate domini proprietatis: sed ex lege, seu consuetudine recepta, qua constat in Monasterium esse hoc ius translatum: ea de causa non amplius durat, neque extenditur, quam extenderetur, si Religiosus ille sæcularis esset. Vnde Religiosi morte vsusfructus finitur; nisi forte esset relictus pro se, & hærede suo, quia tunc nouus vsusfructus in Monasterio constituitur: ideò centum annis durare debet. Nam id tempus definitum est vsufructui directè Monasterio relicto, *leg. an vsusfructus. ff. de vsufructu*, & *leg. Regia 26. tit. 31. part. 3.* Doctrinam autem limito, vt procedat in Religione succedendi capaci. Nam in Ordine habendi proprium incapaci non acquiritur vsusfructus, sed penè, & cum proprietate consolidatur, eo quod nec in Religioso, neque in Religione manere valeat. Suar. *t. 3. de Relig. l. 8. c. 13. n. 4.* Sancha *l. 7. Decal. c. 13. n. 53.*

DVBIVM XXIV.

Monasterium succeditne in maioratu habente clausulam expressam, vel tacitam excludentem Religiosos: si Religiosus eum ante professionem possideat?

109 *Status quæstionis.*

HAbet maioratus clausulam expressam Religiosos excludentem: vel tacite illos excludit eo quod institutus est cum iurisdictione in aliquod Oppidum, vel ad conseruandam agnationem, vel cum onere deferendi arma & familiæ nomen: in quibus casibus iuxta omnium sententiam, non succedit Religiosus professione emissa, nec ratione illius Monasterium. Quæsierim, an idem dicendum sit quando ante professionem Religiosus successerat, & illum maioratum possidebat?

110 *Monasterium succedit.*

Non est idem dicendum, sed Monasterium succedere, quia licet Monachus, & ratione illius Monasterium incapax sit acquirendi de nouo eum maioratum: ad retinendum verò illum capax esse potest; nam plura requiruntur ad nouam rei acquisitionem, quam ad conseruationem illius. Deindè quia sola institutoris voluntate Religiosus potest priuari maioratu acquisito: at institoris voluntate excludente Religiosos à successione, non priuatur Religiosus maioratu acquisito, sed solum acquirendo; quia solùm priuatur succedere: eo autem casu non succedit Religiosus, sed successionem continuat. Sic Mieres *de maioratu, p. 2. q. 3. n. 33.*

111 *Non succedit Monasterium.*

Dicendum idem est, nempe non succedere Monasterium, sed maioratum ad sequentem successorem transire, quia institutor excludens Monachos à successione maioratus Monasterium successorem excludit, ipsa enim professione & Monachus, & Monasterium erat exclusum. Ita Sanchez *l. sept. Decal. c. 15. capit. 31.* Molina *l. 1. de primog. cap. 13. num. 93.* Molina noster *tom. 3. de iust. d. 623. num. 3.* Manuel. *tom. 2. qq. Regul. quæst. 78 a. 12.* Palao *t. 3. d. 3. de statu Relig pun. 4. §. 3. num. 4.* asserens hanc sententiam probabiliorem esse.

112 *Primæ sententiæ adhæreo.*

Attamen, eius venia, primam crediderim veriorem existere. Nam ad Monasterij exclusionem clarissimæ coniecturæ voluntatis institoris desiderantur, quando excludit illud, vt optimè probat Couar. *l. 1. variar. capit. 15. numer. 11.* quæ tamen in præsenti casu non apparent: cum satis congruenter dici possit, voluisse excludere à noua maioratus successione, non ab antiqua. Equidem hæc sententia Religioni fauet, ideoque eam lubens defendo.

DVBIVM XXV.

Emphyteusis concessa ea conditione, ne ad Ecclesiam, aut personam potentiorem transferatur: transitne adhuc ad Monasterium succedendi capax?

113 *Transit quidem.* TRansit quidem; quia intelligi debet hæc conditio de tranſactione voluntaria, & directa possessoris: non de translatione indirecta, & in consequentiam, & à lege inducta: qualis est, quæ professione Religionis inducitur. Sic Felin. *cap. in præsentia, num. 36. & 49. de probationib.* Sylvest. *v. Emphyteusis, quæst. 20. num. 27.* Manu. *tom. 2. qq. Regul. quæst. 78. a 9.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. 15. num. 65.*

114 *Non transit.* Minimè transit, quia finis apponentis eam conditionem fuit, ne dominus proprietatis ob Ecclesiæ priuilegia, aut emphyteutæ potentiam obsequio debito priuetur: qui in translatione directa ac indirecta procedit. Alias etiam fiscus succederet in Emphyteusi prohibita alienari, emphyteuta delictum confiscationi obnoxium committente, (quod Sanch. non concedit) quia etiam hæc est alienatio non voluntaria, sed indirecta, & inducta per legem. Ita Bartol. *Authent. ingressi. C. de sacros. Eccles. in 2. lectura, n. 19. ibi.* Bald. *num. 31.* Paulus *nn. 25.* Iason *num. 64.* Barbac. *cap. in præsentia, de probation. n. 121.* Velascus *consil. 101. num. 8. tom. 1.* Flores de Mena *addit. ad Gama. decis. 6. n. 2. concl. 3.*

115 *Hoc defendo.* His hæreo. Nam maioratus habens, clausulam, ne Monasterium succedat, Monasterio competeret, quia posset quis interpretari, id esse intelligendum de successione directa, perpetua: & non de temporaria, & per legem inducta. Ne ergò hæc admittantur, dicendum est, Emphyteusim prohibitam transferri ad Ecclesiam nullatenus Monasterio acquiri. Attamen esto sententiæ primæ lubeat hærere, minimè concedendum est in perpetuum transferri, sed solum vita Religiosi durante: ne voluntati concedentis emphyteusim aduersemur.

DVBIVM XXVI.

Hæreditas, & legatum Monacho post professionem delatum, deferturne ipsi immediate?

116 *Status quæstionis.* NOn procedit quæstio de professis in Ordine Minorum: in his enim, nec Religioso, nec Monasterio defertur hæreditas; sed aliis hæredibus ab intestato. Nec de Religiosis nostræ Societatis. Nam si vota biennij sola emiserint, ipsis, & non Collegio defertur hæreditas. Si verò professionem, aut vota coadiutorum formatorum emiserunt, neque ipsis, neque Collegio hæreditas acquiritur: sed aliis hæredibus. De aliis itaque Religionibus quæstio procedit, num hæreditas, & legatum, post professionem, immediatè deferatur Monacho an Monasterio?

117 *Immediatè defertur Monacho, non Monasterio.* Immediate defertur Monacho, non Monasterio, esto in Monasterij deferatur vtilitatem, quia is, cui defertur hæreditas, adit hæreditatem: at eam Monachus debet adire, vt probat textus *in leg. Deo nobis. §. 1. C. de Epiſcop. & clericis.* Sic Fachin. *l. 6. controu. cap. 16.* Menchaca *de succession. l. 3. §. 11. numero 25.* Et alij relati à Sanchez *l. sept. Decal. capit. 12. num. 35.*

118 *Immediatè defertur Monasterio, non Monacho.* Non defertur immediate Monacho, sed Monasterio, quia omnia iura, & actiones Religiosi sunt in Monasterium translata. *Authent. ingressi. C. de Sacros. Eccles.* Ergò est translatum ius adeundi; quia hoc ius esto non sit directè transmissibile, est tamen transmissibile in directè, & per consequentiam ad translationem personæ. Cùm ergò Religiosi persona in Monasterium transferatur, ipsique incorporetur: translatum censeri debet ius adeundi. Ita Couar. *de testament. cap. primo numero 21.* Moli. *tomo primo de iust. d. 140. vers. Non solum* Sanch. plures referens *l. 7. Decal. c. 12. n. 36.*

119 *Veriorem esse iudico.* Veriorem hanc partem esse iudico. Nam voto paupertatis Religiosus incapax fit dominio hæreditatis, eiusq; proprietate, sic iure hanc partem disponente: at si ipsi immediatè hæreditas deferretur, ipseque nomine proprio adiret: *quam* capax dominij esset: neque valet dicere, id *gis expun.* in Monasterij vtilitatem exundare; alias enim posset omnium bonorum suorum dominium retinere, facta professione, esto in Monasterij vtilitatem: quod nullatenus est concedendum. Cæterum quia probabile est, hæreditatem, & legatum immediatè Religioso in Monasterij vtilitatem deferri, ipsumque eam adire posse; monuerim, ex consensu Prælati eam adire debere, ne proprietarius fiat. Quod si absque eius consensu legatum accepter, & hæreditatem adeat: valet acceptio; quia hæc non potest Monasterio præiudicare; at hæreditatis aditio non tenet; quia in his, quæ Monasterio possunt præiudicare, qualis est hæreditatis aditio, nequit Religiosus absque Prælati consensu validè præstare. Sanchez Mecum *l. 7. Decal. cap. 12. nu. 37.* Lessius *l. 2. cap. 41. dub. 11. n. 87.*

DVBIVM XXVII.

A Tridentini tempore interdictumne est Religiosis peculium?

120 *Præmittitur ius antiquum ac nouum pro hac quæstione.* ORitur quæstio hæc ex iure antiquo, & ex nouo Trident. Nam antiquum Iure concessit Religiosis peculium ex causa administrationis, *cap. Monachi de statu Monachor.* Trident. *vero sess. 25. c. 2. Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat, &c. bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo*

modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere: sed statim ea superiori tradantur, Conventique incorporentur. Neque deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum superiorum amouibiles pertineant. Porro ante Tridentinum poterant Religiosi possidere aliqua bona mobilia, vel immobilia ad sui sustentationem, & vsum dependenter à voluntate superioris: esto dominium illorum bonorum penes Monasterium fuerit. Suar. *tomo tertio de Relig. l. octauo capit. 14. numero quart.* Verum à tempore Trident. mi quæstio procedit, & requiro, num peculium sit Religiosis interdictum, peculium, inquam, id est retentio bonorum præcipue immobilium, non quidem ad præsentaneum vsum, sed ad vsum accessu temporis contingentem.

121 *Interdictū per Tridentinum Religiosis peculium est.*

Interdictum est, quia Concilium prohibet Religiosis retinere bona siue mobilia, siue immobilia, etiam nomine Conuentus: sed præcipit ea superiori tradere, Conuentuique incorporari; negatque superioribus posse alicui Regulari concedere facultatem, bona stabilia ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, sed iubet per Officiales Conuentus administrari; quæ quidem omnia peculio repugnant. Sic Valent. *secund. secunda d. prima quæstion. quart. punt. tertio corol. quart.* Sanchez *l. sept. Decal. c. 22. numer. 7.* Corduba *sum. quæst. 54.* Manu. *to. 3. qq. Regul. quæstion. 29. a. 12.* Mol. *t. 2. d. 276.* Nauarra *l. 3 de rest. c. 1. p. 3. dub. 1. num. 163.* & alij apud ipsos.

122 *Non est interdictum ex superioris licentia.*

Non est interdictum peculium Religiosis ex superioris facultate, quia Tridentinum nihil noui statuit, quod iure antiquo statutum non esset, *cap. Monachi*, esto, clarioribus verbis id expresserit. Nam licet prohibuerit bonorum immobilium, & mobilium possessionem, etiam ad vsum, ac nomine Conuentus: id debet intelligi absque causa iusta, vel ad quemcunque vsum, siue necessarium, siue superfluum. Et eodem modo explicanda est prohibitio superioribus facta, ne bona immobilia subditis concedant etiam ad vsum, seu administrationem, scilicet crebro, & absque causa iusta, vel ad vsus profanos, ac superfluos: ergò stante legitima causa, optime poterit superior peculia, bonorumque immobilium administrationem Religiosis permittere ad vsus honestos, Religionique conuenientes. Quod confirmatur ex plurium Religionum vsu, præcipue fœminarum, qui si Concilio contrarius esset, non ita facile permitteretur. Ita Nauar. *comment. 2. de Regular. Sa v. Religio, num 48* Manu *tomo 2. qq. Regul. quæst. 125. a 4.* Sanchez *l. 7. Decal. cap. 22. num. 11.* Miranda *in Manua. Prælat. t. 1. q. 28. a. 8.* Graf *p. 1. decis. l. 5. c. 5. n. 53.*

123 *Auctoris resolutio.*

Profecto si Concilij verba spectem, primam sententiam omninò tenendam indicabo, *Ne* (inquit) *deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere.* Verbum enim *Deinceps* indicat ab illo puncto prohibitionem esse, esto antea nulla fuerit. Præterea præcipit, ne superiores subditis necessaria negent: supponit ergo, immediate à superioribus prouidendos esse, & non ex seruato sibi peculio. At dum video receptam apud Moniales consuetudinem habendi annuos redditus: & aliqua bona mobilia, & immobilia passim aliquibus Religiosis concedi administranda ea conditione, vt pensionem aliquam conuentui reddant, & reliquo vtantur: censeo rigorem Concilij consuetudine temperatum esse; ac proindè ex illa licitum esse singulis Religiosis ex suorum prælatorum consensu bona mobilia, seu immobilia habere, vt inde sibi prospiciant, & in vsus honestos expendant. Si enim Tridentini decreto statutum est, vt singulis Religiosis necessaria ministrentur, quod in pluribus Religionibus ob earum inopiam aliasque causas non obseruatur: quod mirum, quod peculia hac occasione in ipsis sint introducta? Mecum Basil. Ponti. *q. schol. 9.* Et probabile reputans Vasquez *opusc. de reddit. c. 3. d. 2.*

DVBIVM XXVIII.

Si Fratres Minores non absolute hæredes instituantur, sed adiecta clausula, vt hæreditas vendatur, & in ipsorum vtilitatem pretium cedat: valetne institutio?

124 *Nonnulla præmitto.*

CErtum est, omnes Religiosos capaces successionis esse, Minores, & Capucinos si excipias (mitto in præsenti quid de nostra Societate asserendum sit, de qua *lib. 5 8.* sermo recurret.) Tridentin. *sess. 25. cap. 3. Clement. Exiui, de verb signific.* Minores itaq; & Capucini incapaces successionis sunt tam ex testamento, quam ab intestato: tam immediate, quam mediate. Vnde infero, si de facto Minores, vel Capucinos hæredes quis instituat, nullam esse institutionem vtpote factam in persona incapaci: succedentque hæredes ab intestato, si nullum alium cohæredem, aut substitutum designauerit. Eo autem designato, integram potest hæreditatem adire. Quæsierim verò, si non absolutè Minores instituantur hæredes, sed clausula adiecta, vt hæreditas vendatur, & in ipsorum vtilitatem cedat pretium, an valeat institutio?

125 *Institutio valet.*

Valet plane, quia eo casu hæreditas videtur in legatum conuerti, & Minores legatarios quidem, non hæredes esse. Addo, in illa dispositione duo separabilia contineri, scilicet Minores hæredes institui, & hæreditatem vendi, pretiumque illius Minoribus ad subleuandas eorum necessitates applicari. Poterit ergò hæc secunda dispositio subsistere, licet prima corruat. Sic. Bartol. *tr. de Minoric. l. 1. dist. 5. c. 2. num. 30. & 31.* Sorbus *in compend. priuil. Mendic. v. Hæreditas, vers. Quæritur.* Manu. *t. 2. qq. Regul. q. 78 a. 4.*

126 *Non valet Institutio.*

Minimè valet institutio, vnde Minores pretium illius hæreditatis capere nō possunt, quia alias acciperent institutionis pretium,

quod illis est penitus interdictum. Neque est simile, cum tertius instituitur hæres cum onere vendendi hæreditatem, & lucrandi pretium Fratribus minoribus: quod fere omnes Doctores approbant, quia tunc Minores non recipiunt pretium ex institutione, sed ex legatione, mandatoque testatoris, & donatione obligatoria hæredis instituti. At cum Minores instituuntur cum clausula, vt vendatur hæreditas, pretiumque illius recipiant: pretium hæreditatis, cuius sunt incapaces, recipiunt: ig tur institutio non tenet. Ita Baldus *Authent. ingressi n. m. 50. C. de sacros. Eccles.* Felin. *cap. in præsentia de probationib. num 52.* Duennas *reg 381. ampliat 8.* Corduba *reg D. Francis. c. 6. quæst. 11. pun. 3.* Sanch. *l. 7. Decal. cap. 25. num. 11.*

127 *Hoc longè probabilius.* Hoc longè probabilius esse crediderim. Nam venditio hæreditatis & pretij acceptio est modus, & qualitas adiecta institutioni: ergò corruente institutione, corruet venditio, & pretij acceptio, vt porrò omninò accessoria, ipsique innitens.

DVBIVM XXIX.

Si quis instituat non Minores ipsos, sed eorum Ecclesiam, vel Sacristiam valetne institutio?

128 *Valet equidem.* VAlet equidem, quia Ecclesia quælibet, seu Templum capax est hæreditatis, *leg. 1. C. de sacros. Eccles.* Sed Templa Ordinis Seraphici nullo iure ab huiusmodi capacitate excluduntur. Nam textus *in Clemen. exiuit*, Religiosos excludit, non Ecclesiam, vel Sacristiam. Sic Abbas *cons. 63. n. 4. l. 2.* Bartol. *tr. Minoric. l. 4. dist. 4. & 6. cap. 1. num. 20.* Anton. Cucus *l. 3 instit. maiorat. tit. 1. num 37.* Manuel. *tom. 2. qq Regul. qu. 78. a. 5.* Et probabile reputat Sorbus *in compend. privileg. Mendicant. v. Hereditas, vers. sed cum fratres.*

129 *Non valet.* Non valet, quia exclusis Religiosis, Ecclesia eorum manet exclusa. Non enim ipsum Templum materia, vel Sacristia hæres instituitur, quippe nec velle, nec nolle habet: sed Religiosorum congregatio ibidem assistens. Certè si prima sententia probanda esset, constitutio denegans Minoribus etiam in communi hæreditariam successionem prorsus labefactaretur, cum facile testator optans Minoribus hæreditatem relinquere, posset omisso nomine conuentus, Ecclesiæ appellatione vti. Ita Bartol. priorem retractans sententiam *leg. vni. fine. C. de conductorib. l. 11.* Bald. *Authent. ingressi nu. 55.* Corduba *Reg. D. Franc. cap. 6. quæst. 11. punct. 1* Sorbus *vbi s.* Azorius *tomo 1. l. 12. cap. 23. quæstion 15.* & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *l. 7. Decal. c. 25. num. 14.*

130 *Hoc probabile esse defendo licet contrarium probabilius esse fatear.* Validam esse huiusmodi institutionem vt satis probabile defendo licet non possim non fateri contrariam sententiam esse probabiliorem. Nam si testator vellet congregationem Religiosorum hæredem immediate instituere, non exprimeret Ecclesiam, sed conuentum. Exprimens autem Ecclesiam, tacitè Præfectum illius instituit. Cum autem hic nullus alius sit nisi Pontifex, & illius nomine syndicus, qui hæreditariæ successionis capaces sunt, fi, validam esse hanc institutionem, obligatumque esse Pontificem, & eius nomine syndicum ex vi illius, hæreditatem in Ecclesiæ materialis reparationem, conservationem, & ornatum expendere; quia ad hunc finem sunt hæredes instituti.

DVBIVM XXX.

Quis hæredem, vel legatarium instituit sub obligatione reddendi annuam singulis pensionem Minoribus: valetne legatum?

131 *Certum suppono.* REgulam generalem præmitto: omnes Religiones (præter Minores de obseruantia, & Capucines) capaces sunt cuiuslibet legati & donationis, siue rei mobilis, siue immobilis. Tridentin. *sess. 25. capite tertio.* Porro Minores & Capucini incapaces sunt legati continentis totam hæreditatem, vel maiorem illius partem. Et legati rei immobilis, vt illud sic retinere valeant. Certa hæc. Dubito autem, an si quis hæredem, vel legatarium instituat sub obligatione reddendi singulis annis pensionem Minoribus, valeat legatum.

132 *Non valet legatum.* Non valet, quia hi verè sunt annui redditus perpetui, quorum Minores sunt incapaces. Sic Bartol. *tr. Minoric. l. 2. dist. 6. cap. num 33.* Abbas *cap. in præsentia, de probation. num 63.* Nauar. *l. 3 consil. tit. de testam consil. 14. alias 8.* Sanch *l. 7. Decal. cap. 26. num 46.* alios citans.

133 *Valet quidem.* Valet equidem, quia licet hæredi, vel principali legatario imponatur obligatio perpetua donandi Minoribus annuos redditus: at hæc obligatio non est ex iure aliquo ciuili Minoribus quæsito; sed ex hæreditate relicta à testatore, & comparatione illius, sicuti si tuo famulo donares diuitias pauperibus distribuendas famulus obligatus esset pauperibus donare, non ex iure aliquo, quod pauperes acquisierint; sed ex tuo imperio, ac dispositione. Ita Syluest. *v. legatum 2. quæst. 3. dicto 3.* Angel. *eodem n. numer. 5.* Tabien. *n. quæst. 4. numero 5.* Manuel *tom. 2. qq. Regul. quæst. 126. a. 4.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. cap. 17. num. 19. & 25.* Et probabile reputat Sanchez *n. 35.*

134 *Verius hos esse reor.* Verius hoc esse existimo. Nam cum Pontifex prohibet Minoribus annuos redditus, intelligi debet de redditibus, qui comparatione Religiosorum, & de iure ipsis competenti sunt debiti: non de redditibus, qui comparatione Religiosorum Eleemosynæ sunt, & gratis donantur.

DVBIVM

DVBIVM XXXI.

Professis habentibus descendentes legitimos licitum cum sit bona inter eos dividere, talis divisio habetne testamenti rationem?

135 *Quæstionis status.*

CErtum est Religiosos professos non posse absque superioris licentia testari. At habentibus descendentes, legitimos concedi bonorum divisionem. Verum hæc dispositio iure Canonico non tam scripto, quam consuetudine introducto approbata est. Quæritur in vero, an hæc bonorum concessa divisio habeat testamenti rationem?

136 *Habet rationem testamenti.*

Habet quidem, quia est vltima voluntas quæ morte ciuili confirmatur, succedque loco testamenti, quod ante professionem fieri debebat. Sic Azor. *tom. 1. l. 12. cap 6. quæst. 5.* Suarius *tom. 3 de Relig. l. 8 cap. 16. num. 2.* Glos. *ad C. p. Si qua mulier, 9. quæst. 3. v. dividere*, Bartol. *Authent. si qua mulier. n. 10.*

137 *Non habet testamenti rationem.*

Non habet testamenti vim, quia nullum est verbum indicans hanc divisionem bonorum testamentum esse; cur ergò asserendum est, & corrigenda lex generaliter prohibens Religiosis testamentum condere præcipuè cum ex hac sententia Religiosi dividentes bona fauorem recipiant: quippe sua dispositio via divisionis, & cuiusdam administrationis facta firmior persistit, quam via testamenti. Nam ex testamento oritur actio, quæ divisioni denegatur. *Leg. Divisionis placitum, ff. de pactis.* Ita Nauar. *comment. 2. de Regular. numer. 45.* Lessi *l. 2. cap. 41 dub. 10. num. 82.* Sanchez *l. 7. Decal. c. 9. n. 11.*

138 *Hanc eligo partem probabiliorem esse.*

Hanc eligo partem planè probabiliorem. Nam in Hispania nostra, vbi idem numerus testium requisitum est pro testamento inter liberos ac inter extraneos. *Leg. 3. Tauri, tit. 4. l. 5. compilat.* duplici teste hæc divisio contenta erit, quæ si esset testamentum septem testibus indigeret. Addo, si illa divisio testamentum est, non videtur posse ante mortem naturalem confirmari; nam mors ciuilis, quæ est professio, præcessit, qua non obstante lex concedit testamenti factionem: Ergo debet illam concedere iuxta materiam subiectam, & testamenti conditionem, quæ est, vt sit vsque ad mortem deambulatoria. Dicendum ergò est, illam divisionem testamentum non esse, sed administrationis actum à lege permissum.

DVBIVM XXXII.

Patre professo debeturne statim filiis legitima, licet professus adsit in Ordine successionis capaci?

139 *Certa supponо.*

CErtum est, à puncto professionis deberi legitimam filiis, si pater professionem emisit in Religione succedendi incapaci, quia cum tunc illa bona non transeant in Monasterium, neque à Religioso retineantur: necesse est, vt deueniant ad filios necessarios scilicet hæredes. Sanchez *l. 7. Decal. c. 10. num. 1.* Gutier. *l. 2 canon. qq. c. 1. n. 93.* Hanc doctrinã indubitatam mihi, exrẽdo ad professos, & coadiutores formatos Societatis Iesu; quia ipsi, & Religio ratione ipsorum incapaces sunt proprij retinendi. Quæstio igitur est de patre ingrediente Monasterium successionis capaci, an eo professionem emittente statim filius legitima debeatur?

140 *Debetur statim.*

Debetur statim, quia *Cap cum simus, de regular.* Pontifex concedit filio Monasterium deferente bona paterna, quæ ipsi ex successione proueniũt, postulare, ex successione inquam patris qui professionem emiserat: supponit enim textus patrem, ac filium Religionem iniisse, patre autem profitente, filium ad sæculum recurrisse. Et quia in *Authent. si qua mulier*, patri professo permittitur bona inter filios dividere, quod non videbatur permittẽdum, si bona professi toto eius vitæ tempore Monasterio competerent; fieret enim graue Monasterio præiudicium. Sic Azor *tom. 1 lib. 12 cap. 8. q. 7.* Molina *tom. 1. d. 140. vers. An vero statim.* Less. *l. 2. c. 41 dub. 10. n. 86.* Sanch. innumeros referens, *l. 7. Decalog cap. 10. num. 3.* Suar. *tom. 3. de Relig l. 8. c. 6. num. 7.* Nauar. *comment. 2 de Regular. num. 48 & 54.* Couar. *de testam. c. 2 n 7.*

141 *Non statim debetur.*

Non debetur statim, quia statutum à iure est legitimam non deberi filio, viuente patre, sed post eius naturalem mortem, *leg. 1. § si impubere ff. de collat bonor. leg. lex Cornelia, ff. de vulgar & pupillar. substitut.* Sed ab hac generali regula recedendum non est absque manifesto textu, vel ratione: nullus verò adest textus, nec manifesta ratio probans, à die professionis patris legitimam filiis deberi: Ergo. Ita Matienzo *l. 5. recopil. titul. 4. l 3 glos. 2. n. 3.* Gutierrez *l. 2 canon. qq. c. 1. n. 79.* Gregor. Lopez *leg. 17. v. Sus hijos tit. 1. part. 6* Manu. *tom. 2. qq. Regul. q. 80. articul 2* Palao *to. 3. d. 3 pun. 14. n. 3.* & alij plures apud Sanchez *ibidem num. 2.*

142 *Primam sententiam præfero.*

Primam sententiam probabiliorem planè defendo. Nam professi nulla potest esse successio, cum nulla bona habeat, sed omnia illius bona in Monasterium transferantur: Ergo frustra filij eius naturalem mortem expectabunt. Addo, si filius non debetur statim legitima patris, sed durante eius vita Monasterij potest illius bona retinere: obligarentur filij alimenta à Monasterio petere, ipsumque teneretur ea impertire; quod quidem & filiis durũ & Monasterio admodum onerosum: esset

quidè sepè ex suis bonis obligarẽtur Religiosi filiis illis succurrere legitima parentis non sufficiente : sicuti obligatur pater filiis alimenta præbere, cum legitima non sufficit.

DVBIVM XXXIII

Religiosus contrahens sine facultate superioris obligaturne naturaliter, licet non ciuiliter obligetur?

143 *Status quæstionis.*

LIquet, Religiosum ex voluntate expressa, vel tacita superioris validè contrahere, obligarique naturaliter, & ciuiliter stare contractui, quia in eo contractu legitima authoritate inito concurrunt requisita ad naturalem, ac ciuilem obligationem. Abbas *Cap. Ex rescripto, num.* 1. *de iureiur.* Felin. *ibi, n.* 1. & alij. Quæsierim verò, an Religiosus contrahens sine superioris expressa, vel tacita facultate, saltem naturaliter obligetur?

144 *Non obligatur ciuiliter, nec naturaliter*

Non obligatur ciuiliter, nec naturaliter, hoc est, nec in foro externo, ne in conscientiæ foro, quia eius voluntas dispositioni Prælati subiicitur. *Cap. Non dicatis,* 12 *q.* 1. ideóque dici assolet, Religiosum nec velle, nec nolle habere. *Cap.* 2. *de testament. in* 6. Sic Hostiens. *sum. de sideiussor.* §. *pro quo possis.* Abbas & Felin. *Cap. Ex rescripto, de iureiur. num.* 1. Iason *leg. si id quod ff. de condicti indebiti num.* 1. Zeuall. *commun. opinion. q.* 446. & alij à Sancio *l.* 7. *Decalog. cap.* 31. *num.* 36. relati.

145 *Naturaliter obligatur.*

Obligatur saltem naturaliter, quia si Religiosus sic promittens, & cõtrahens non obligaretur naturaliter, nec eius fideiussor obligaretur: cum receptissima sit Doctorum sententia principali non obligato saltem naturaliter, fideiussorem non teneri *leg.* 1. *&* 2. *ff. de fideiussor.* Idemque esset dicendum de pignore dato pro securitate obligationis: Profectò nulla est lex, quæ magis obligationi Monachi promittentis resistat, quam serui obligationi: At seruus contrahens sine domini consensu naturaliter obligatur, *Leg. Naturaliter. & leg. si id quod ff. de condict. indebiti.* Ergò & Monachus contrahens absque Prælati consensu obligabitur. Ita Sanchez *citatus, num.* 37. Abbas *vol.* 1. *cons.* 10. Sylvest. *v. Religio, num.* 8 *q.* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *q.* 5. *c.* 11. Lessi. *l.* 2. *c.* 2. *dub.* 1. *num.* 6. Rebel. *de iust. p.* 2. *l.* 1 *q.* 8 *sect.* 1. *n.* 4.

146 *Vtor distinctione in vtriusque sententiæ concordiam.*

Dixerim cum Nauarro *comment.* 2. *de Regular. num.* 42. Religiosum naturaliter obligari ex contractu, qui non sit contra regulam in genere, nec in specie, donec Prælatus irritet, aut contradicat. At contractus qui ca temporalia absque Prælati consensu, non solum contra regulam, sed contra votum est: Ergò nullam inducit obligationem. Secus vero esse de contractu circa actionem personalem, qui licet sit absque superioris voluntate, non indè infertur esse contra ipsam, nec contra regulam: ac proinde obligare potest, dum Prælatus non irritat.

DVBIVM XXXIV.

In contractibus temporalia respicientibus contrahens cum Religioso obligatusne est, stare contractui, expectareque superioris consensum?

147 *Obligatus est.*

COntrahens cum Religioso sui Prælati licentiam non habente, circa temporalia tenetur stare contractui expectareque consensum, vel dissensum Monasterij, vt valeat resilire. Quia Religioso cõcedendum est, gaudere minoris, ac pupilli priuilegio, qui si contrahant absque authoritate tutoris, vel curatoris cõtractus ex parte sua claudicat; sicenim stare non tenentur: At cum illis contrahentes obligati sunt, vti deciditur *Instit. de author. tutor. & leg. Iulianus,* §. *si quis à pupillo, ff. de actionib. empti.* Sic Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 31. *numer.* 28. plures citans, quos tamen, existimo de contractu stipulationis pro Monasterio facto esse loquutos.

148 *Non est obligatus.*

Contrahens cum Religioso huiusmodi, nullam obligationem habet, standi contractui sed potest pro libito resilire, quia regula generalis est in contractibus æqualitatem inter contrahentes seruandam esse, à qua regula non inuenitur exceptus contractus cum Religioso factus sine Prælati licentia: imò nec videtur expediens talis exceptio, ne pauperatis violationis, & contrahentium deceptioni faueat. Ita Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 12. *n.* 90. Palao *tomo tertio d.* 3. *de statu. Relig. puncto* 15. *numer.* 7.

149 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Nam argumentum assũptum ex pupillo, & minore non vrget, quia in priuilegiis, præcipuè à iure exorbitantibus non est facienda extensio de vno casu ad alium, eadem etsi ratio concessionis militet, quin imo in casu nostro diuersa est ratio. Nam contractibus pupilli, & minoris conceditur illud priuilegium in odium contrahentium, qui præsumuntur intendisse eos decipere, vtpotè seductioni ob defectum ætatis obnoxios. At consideratio hæc in contractibus cum Religioso locum habere non potest.

DVBIVM XXXV.

Religiosus tenecturne soluere mutuum malè consumptum

150 *Nonnulla.*

EX delicto Religiosi etiam Prælati, Monasterium nullam satisfaciendi contrahit obligationem. Ex contractibus vero ante *innuo.* professionem a Religioso initis, obligatur Monasterium pro viribus hæreditatis tantùm. Ex contractibus autem post professionem, nulla est Monasterio obligatio. Vt autem

constet

consster,nec ex mutuo male consumpto Regiosi Monasterium obligari,requiram. Vtrũ Religiosus ipse teneatur id soluere,& ex quibus bonis ?

151 *Non tenetur soluere.* Non quidem tenetur,quia Religiosus filiofamilias comparatur, qui male mutuum expendens,soluere non tenetur. §. *penultim. instit. quod cum eo, qui aliena*: & *leg.* 1. *C. ad Macedonianum.* Sic nonnulli doctores, quorum meminit Palao *tom.* 3. *d.* 3. *de statu Relig. pun.* 17. *n.* 7.

152 *Soluere tenetur.* Tenetur omninò,quia licet Religiosus filiofamilias comparetur,ex eo quod vterque habet debitam subiectionem, ac subordinationem,non inde infertur,omnia priuilegia filiofamilias concessa Religiosis impendenda esse, præcipuè cum diuersa insit ratio. Nam filiofamilias conceditur, ne mutuum acceptum & male expensum soluat, ne mortem patris cui successurus est captet, causa illud solnendi, quæ ratio cessat in Religioso qui nec Prælato,nec conuentui succedere potest. Ita Zeuallos *commun. opin. q.* 446. *n.* 19. Sanchez *l.* 7. *Decalog. capite* 31. *n.* 22. Palao *citatus.*

153 *Auctoris sententia.* Mea resolutio est, Religiosum obligatum esse soluere mutuum acceptum, & malè expensum,vel ratione cõtractus,si validus fuit, vel ratione iniustæ acceptionis,si fuit nullus. Bona autẽ,ex quibus hæc solutio faciẽda est, sũt ea, quorum Religiosus liberam à Prælato dispositionem habet,nõ bona Monasterij nullatenus ad huiusmodi debita soluẽda obligatũ

DVBIVM XXXVI.

Cum Religiosus ex vno Ordine in alium transit, secundus ordo hæreditatem, quæ delata fuit Religioso illi eo tempore, quo in primo morabatur, & prima Religio non adiit, potestne adire ?

154 *Certa recollo.* CErtum est,acquisita durante prioris Ordinis professione,deferre,non posse Religiosum,qui ex vno Ordine in alium siue laxiorem,siue strictiorem, siue æqualem transit. Nec hæreditatem,vel legatum plenè priori Religioni acquisita,si legatum absolutum sit,illiusque capax ille extitit tempore mortis testatoris,quia priori Religioni fuit planè acquisitum absque dependentia ab hac accidẽtali mutatione. Suarius *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. Dubitarim vero, an priori Religione non adeuñte hæreditatem Religioso delatam, possit secunda Religio, ad quam postmodum est translatus, illam adire? Pono autem,vtramq; Religionem successionis esse capacem.

155 *Secunda Religio potest hæreditatem adire.* Secunda Religio potest adire hæreditatem exclusa priori,quia ad hereditatem acquirendam non tam inspicitur tempus, quo alicui delata est,quam tempus, quo eam adire potest. §. *In extraneo, Inst. de hæred. qualit. & differen.* ibi: Ius hæredis eo maxime tempore inspiciendum est, quo acquirit hæreditatem, quod exemplo serui cui delata est hæreditas, & ante additionem dominum mutauit expono. Acquisitio enim huius hæreditatis non prior domino,sed secundo competit,solusque secundus eam potest adire, *leg. si seruus eius, ff. de acquirenda hæredit.* & *leg.* 2. § *si duo sunt hæredes. ff. de bonor. possess.* Ratio est, quia ius adeundi hæreditatem domino competit ex persona serui,& Monasterio ex Religiosi persona. Ergo sicut translato seruo,ad alium dominum,transfertur in illum ius adeundi hæreditatem seruo delatam, neque aditam ; sic transferendum est in posteriorem Ordinem translatione Religiosi in eum facta, sibique imputare debet prior Religio, sicut & prior dominus,quod hæreditatem non adierit. Sic Bartol. *leg.* 2. § *si seruus eius* Bald. *leg. si quis mihi, ff. de acquir. hæred.* & alij plures relati à Sancio *l.* 7. *Decal. c.* 31. *n.* 7.

156 *Non potest.* Non potest secunda Religio hæreditatem adire,priore exclusa,quia eo ipso,quo Monasterio delata est hæreditas ob personam Religiosi, quam secum habet,cõpetit ei ius eam adeundi. At hoc ius Religiosus mutare non potest,neque variare,non enim ab eius voluntate pendet,sed à lege,Nulla autem est lex indicans, transmigratione Religiosi in alium Ordinem hoc ius à priori amitti,& à secundo acquiri; Ergo. Ita Sanchez. *vbi supra num.* 18. Couar *de testam. c.* 1. *num.* 21. Molina *l.* 2. *de primog. c.* 13. *n.* 36. Les. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 11. *numer.* 88. & alij plures apud ipsos.

157 *Verior mihi sententia* Verior mihi sententia hæc. Concedo enim ad perfectam, ac completam hæreditatis acquisitionem tam tempus delationis, quam aditionis spectari,abnego tamen ex ure competenti Religioni ob delatam sibi hæreditatem eam adire non posse, quia ex persona Religiosi sibi incorporata tempore delationis,eam adiit. Neque est simile de seruo dominum mutante,quia domino non competit ius hæreditatem adeundi eo præcisè, quod seruo delata est, sed insuper requiritur, vt seruus consentiat additioni; at Religioni independenter à Religiosi voluntate,imò illo inuito, ius adeundi competit. Ergo quamuis Religiosus in alium Ordinem transferatur, non obinde ius adeundi priori Religioni quæsitum,amittitur.

DVBIVM XXXVII.

Bona delata priori Religioni in consequentiam personæ, Religiosus translatus in aliam, potestne eo in eam deferre ?

158 *Status quæstionis.* AD quæstionis statum suppono, dupliciter bona hæc potuisse Religiosum hunc priori Religioni deferre,vel ex dispositione iuris, quo statutum est,omnia bona Religiosi simul cum persona in Monasterij transferri, & ex consequentia hic modus nuncupatur; vel ex donatione, aut testamento cõdito. Iuxta priorem modum. Quæstio procedit,num bona delata priori Religioni in consequentiam

consequentiam personæ Religiosus translatus in aliam, possit in eam deferre?

159 *Defert ea bona potest.*

Potest quidem deferre secum in Ordinem secundum, quia sic delata Ordini priori in consequentiam personæ, cum persona translata debet transferri, vtpotè accessoria. Et quia bona illa priori Ordini delata fuere vt ex illis Religioso alimenta impertirentur. At Ordo hic ex quo Religiosus in alium est trãslatus, non tenetur post translationem alimenta submministrare, sed eam obligationem suscipit Religio, in quam denuò transfertur: Ergò huic Religioni debent bona concedi, & à priori auferri. Sic Gos. *Cap. Quod à te de Cler. coniugat. fine*, Menoch. *l. 2. de arbitr. cent. 5. cap. 436. à numero 13.* Cardinal. *ad Cap. Quod à te, num. vni. oppos. 4.* & alij plures relati à Sanchez *l. 7. Decalog. cap. 32. numero 4.*

160 *Non potest ea bona deferre.*

Non potest vlla bona, quæ priori Religioni detulit secum in sequentem transferre quia esto, illa bona in consequentiam personæ Monasterio translata fiunt: at sunt absolutè translata absque dependentia vlla, seu cõditione, quod in illo Ordine Religiosus perseuerabit. Nemo enim talem conditionem apposuit, cum in iure nullum habeat fundamentum. Neque enim ex eo, quod ius permittit Religioso transitum ad strictiorem ordinem, inferri potest, concedere bonorum trãslationem; quę sunt priori Religioni quęsita: cum parata sit Religiosum retinere, & alere. Ita Nauar. *comment. 4. de Regular. numero 24.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 3. c. 14. n. 5.* Molina *tom. 1. d. 140.* Azor. *tom. 1. l. 12. c. 15. q. 3.* Sanchez *vbi supra num. 8.* & alij apud ipsos.

161 *Longè hoc probabilius*

Hoc probabilius esse non dubito. Concedo enim bona in consequentiam personæ deferri, se non dependenter ab illius in Religione perseuerantia, quam ius semper præsumit. Nego autem bona deferri, vt Religiosus ex illis alatur; sed potius vt Religio habeat, vnde omnes alere possit. Sed esto bona deferantur, vt Religiosus ex illis alimenta percipiat: id intelligo, dum in ea Religione perseuerat, secus si illam deserit.

DVBIVM XXXVIII.

Bona, quæ ex liberali donatione quis detulit Religioni priori, translatus in alium seculùne transfert, Ordinem?

162 *Secũ trãsferri bona illa.*

SEcum transfert, quia hæc bona videtur ille Religioni donasse priori, eo quod existimauit, in ea perpetuo victurum. Cum autem hic finis licitè cesset translatione in Religionem aliam: reuocari donatio debet. Certè Monialium dotes, Monasterio in alimenta perpetua Monialium concedũtur. Si vero Monialis in aliud Monasterium transfertur, cessat finis, ob quem dos priori Monasterio fuit concessa. Debet ergò simul cum Moniali in aliud Monasterium, quod alimentorum obligationem suscipit, transferri. Sic Abbas *Cap. Quod à te, de Cleric. coniugat. n. vlt.* Rosel. *v. Religio 4. numer. 12.* Socin. *vol. 2. cons. 222.* Tapia *Authent. Ingressi, v. sua, cap. 6. num. 10.* Cod *de sacros. Eccles.* Reduan. *de spoliis Eccles. q. 8. numero septimo* & alij.

163 *Non transfert.*

Non transfert secum, quia absolutè, (de more) bona illa donauit conuentui priori: sicuti si donatio facta esset pauperibus vel Hospitali. Vnde sicut pauperes, & Hospitale obligati non essent tibi mutanti Religionem bona accepta reddere, neque etiam prior Religio debet obligari. Hanc enim obligationẽ contrahere poterat prior Religio vel ex conditione perseuerantiæ in donatione inhibita, vel ex alimentis ei Religioso debitis. At nullum est fundamentum, quod in illa absoluta donatione per seuerantiæ conditio inhibeatur, cum semper ius præsumat, quemquam Regulare institutum amplecti animo firmo in eo perpetuo manendi. Ex occasione autem alimentorum obligatio illum alendi priori Ordini esse non potest; siquidem secunda Regio ob professionem in ea factam huiusmodi obligationem subit: ei enim inseruit, & acquirit. Ita Castro Palao *tom. 3. d. 3. de statu Relig. pun. 17. §. 2. n. 6.*

164 *Auctoris resolutio.*

Profecto si Religiosus ille bona priori Ordini sub conditione expressa, quod si aliquando contigerit, se ad aliam tranmeare, bona illa in sequentem Religionẽ transferantur: non dubito, eum translatum secum illa bona transferre, quia hæc bona non fuere priori Ordini plene acquisita, sed dependenter à Religiosi perseuerantia. At si absque hac expressa conditione donauit, vt fere semper accidit: censendus est absolutè donasse, nec ius habet, ad bona illa in alterum Ordinem transferendi. Certè concedens Moniales dotẽ Monasterio concedere in sui alimenta: vnde infero, Monasteriũm teneri eas alere, dum inibi persistunt; non tamen inde infertur, quod volentes exire, & aliud inire Conuentum eas inibi alere teneatur, seu dotare. Non enim sub hac conditione dos à priori Monasterio fuit accepta

DVBIVM XXXIX.

Religiosus absolutè, seu in perpetuum è Religione expulsus sibi non acquirens, bona potestne tamen administrare?

165 *Nonnulla suppono.*

SI iustè sit expulsus (vt semper est præsumendum) pro limitato tempore, omnia ab eo acquisita Religioni expellenti cedunt. Quia cum omnibus his, finito expulsionis tempore, debet ad eam reuerti. Suar. *to 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 6. n. 19.* At si absolutè seu in perpetuum sit expulsus, communi ex sententia Monasterio minimè acquirit, eo quod cum illo iam communicationem non habeat & illum à se expellendo omnia illius simul abiicere

abdicere videtur. Sanch. *l. 7. Decal. c. 33. n. 26.* controuersia vero est inter Doctores, quinam ille acquirat, si Monasterio non acquirit? An sibi ipsi acquirat?

166 *Sibi non acquirit, nec administrationē.*

Non acquirit sibi, sed eo, administrante Episcopo in cuius recidit obedientia n, quia sibi ob incapacitatem, quam ex professione habet, acquirere non potest. Sic Nauar. *comment. 2. de Regular. numer. 33.* Vel dicendum est, de iis bonis iudicandum esse ac de bonis vacantibus, quæ ad Princ pem, vel Rempublicam deueniunt, ac proinde Pontifici acquiri, & nomine ipsius Episcopo, vel Ecclesiæ, quæ, illo vita functo, bona distribuere potent. Sic Sayr. *in clani, l. 6. c. 9. n. 28.* Sanch. *l. 7. Decal. c. 33. n. 28.* Azor. *to. 1. lib. 12. capite 16. quæst. 9.*

167 *Sibi acquirit administrationem.*

Sibi quidem acquirit administrationem liberam, esto ad dominium minime, quia hoc necessarium est expulsionis statui. De illis tamen testari non potest, quia ei concessu n nō est, nec adest necessitas concedendi. Ita Less. *l. 2. cap. 41. dub. 15. nu. 113.* Molina *to. 1. d. 140. circa finem.*

168 *Auctoris resolutio.*

Scio aliquos asseruisse, huiusmodi Religiosum nulli acquirere, quia nullius est. Sed absque fundamento sententiam esse iudico. Ad sententiam illam Nauarri asserentis dominū bonorum acquiri Deo, administrationem vero Episcopo, respondeo, omnia bona temporalia in dominium humanum cadere debere, & non tantum in diuinum. Deinde Episcopo nullatenus horum bonorum administrationē competere posse, cum Religiosus expulsus in eius obedientiam non recidat arctius quam alij Clerici sęculares. Præterea Religioso illi concessa est administratio, & vsus bonorum durante expulsione, etiam cum perpetua non est, & ille Conuentui acquirit. Ergo Episcopo minime competit.

DVBIVM XL.

Religiosus expulsus habetne ita liberam administrationem bonorum, vt valeat ea expendere etiam in vanos, vel illicitos vsus: validaque sit distributio, sicuti à Clerico sæculari facta?

168 *Distribuere ea valide potest.*

Distribuere ea potest, validæque erit distributi, quia licet dominium bonorum non habeat, habet tamen illorum administrationem, ac si dominium haberet. Et quidem vsu receptum est, sic insumentes bona, & sic recipientes administrationem, ad restitutionem non teneri. Sic Less. *lib. secund. capit. 41. dub. 15 n. 113.* Molina *tom. 2 tr. 2. d. 276. vers. Quoad cæteros.*

170 *Non potest ea valide distribuere.*

Non potest ea bona in vsus prauos expendere, sed in vsus honestos, & eius statui, conuenientes, & aliter distributa erunt obnoxia restitutioni, quia non est, cedendum, Religioni, vel Ecclesiæ, cui illa bona quoad dominium ac proprietatem competunt, eam expulso illi administrationem concedere, vt in quoscumque vsus etiam varios, & turpes possit expendere, cum concessionis hic modus nec necessarius sit, nec decens. Ita Suarius *tomo quarto de Relig. tract. 8. l. 3. c. 6. num. 21.*

171 *Quid dicēdum, vberius expendo.*

Et quidem vt *Dub. 39.* & præsenti vberius satisfaciam, affero probabilius esse, omnia à Religioso abiecto vel ad tempus, acquisita Religioni quoad proprietatem, & dominium cedere. Quia ex eo quod illum vt sibi inutilem, & nociuum abiecerit: non infertur, bona ab eo aequisita abiicere, cum hæc non sibi nocumentum, sed vtilitatem afferant. Item Religio non eum ita efficaciter abiicit, quin emendatum non possit, imò debeat admittere. Signum ergò est, Religionem non amisisse expulsione ius in illum ac in bona quæsitum. Demùm iure statutum est, omnia bona Religiosi cedere Religioni. Sed ab hoc iure electus non reperitur exemptus: Ergò eius bona Religioni cedunt. Mecum Molina *tom. 1. d. 140.* Lessius *l. 2. c. 41. dub. 15. num. 112.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 6. numer. 22.*

DVBIVM XLI.

Grauis, vel leuis materia in voto paupertatis desumiturne absolutè ex proportione ad leuem, vel grauem furti materiam?

172 *Desumitur absolute iuxta furti materiam.*

Desumitur granis vel leuis violatio voti paupertatis ex materia furti, vt illa sit in paupertate Religiosa grauis materia, graueque peccatum constituat, quæ ex se in furto grauis est, graueque peccatum constituit: illa vero sit leuis materia, ac leue piaculum, quæ in furto leuis est, nec venialem culpam excedit. Dixi *Quæ ex se in furto grauis est.* Ex se inquam, ideſt exclusis circūstantiis. Nam certum est, sæpè esse graue furti peccatum, si ab homine paupere argentum vnum surripias, vel duos, ob damnum graue, quo inde afficitur: è contra verò esse leue peccatum, surripere à Rege vel homine ditissimo duos, vel tres aureos, si solummodo damnum, quod inde accepit, spectetur. Non igitur ex hac diuersitate grauitas, vel leuitas violationis paupertatis voti est, desumenda; sed ex materia furti secundum se, quia eius grauitas vel leuitas desumenda est ex eo quod res suscepta graviter conducat ad humanas actiones. Sic Azor. *tom. 1. l. 12. cap. 12. quæst. 6.* Sanch. *l. 7. Decalog. cap. 20. num secund.* Nauar. *lib. tertio consil. titulo de Regularibus cons. 75. numero 18.*

173 *Non absolute desumitur.*

Non desumitur absolute grauitas vel leuitas in materia paupertatis ex leuitate vel grauitate materiæ furti, quia sæpe stante violatione iustitiæ (in furto scilicet) leui secundum se, violatio paupertatis graui esse potest, quia maior quantitas ad grauem iustitiæ violationem videtur requiri, quam voti paupertatis violationem. Nam violationis iustitiæ grauitas desumitur ex læsione proximè facta in bonis

bonis externis ad vsum vitæ necessariis quæ latiorem viam habet, quam paupertatis læsio, quæ desumitur ex infidelitate, quam in Deum Religiosus præstat, non exequendo promissa quæ infidelitas, vtpote diuini cultus omissio ad sui grauitatem leuiori materia contenta est. Ergo grauitas vel leuitas materiæ in voto paupertatis non est absolutè sumenda ex proportione ad furti materiam secundum se. Ita Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 6. num. 9.* Palao *to. 3. d. 3. de Statu Relig. punct. 20. n. 3.*

174 *Hoc teneo, & confirmo*

Hoc teneo, & confirmo ex voto etogandi in pauperes tres vel quatuor argenteos, cuius transgressio grauis esset censenda, & lethale peccatum ob diuini cultus notabilem imminutionem: tametsi in materia furti tres vel quatuor argentei leuis materia reputetur. Cum igitur in voto eleemosynæ quatuor argentei censendi sint materia grauis: eorum etiam dispositio, inuito superiore, in materia paupertatis grauis censenda erit. Lege Suarium.

DVBIVM XLII.

An delinquere possit Religiosus aduersus iustitiam, quin peccet aduersus votum paupertatis?

175 *Nonnulla suppono.*

Quoties Religiosus peccatū perpetrat aduersus paupertatis votū sępe simul furti & iniustitię peccatum cōmittit, non autem semper. Verum quoties res Monasterij vel expendit vel à sæcularibus sibi absolutè donatas recipit, retinet, vel expendit, superiore inconsulto, peccatum proprietatis & furti perpetrat: quia est inuitum Monasterium in cuius dominium sunt translatæ. At si sæcularis sic tibi donata concederet, vt nollet, in Monasterium eorum dominium, ac administrationem transire: solùm peccatum sacrilegij aduersus paupertatis votum committeres, illis vtendo: non tamen furti, & iniustitiæ: cum dominus non sit inuitus. E contra autem quæsierim, nùm Religiosus delinquere possit aduersus iustitiam, quin peccet aduersus paupertatis votum?

176 *Potest quidèm.*

Potest equidem, quia id accidit, si à sæcularibus furetur, non sibi retinendum, sed Monasterio dādum vel aliena contra domini voluntatem destruat, quia in his actionibus nihil sibi vsurpat. Et idem est, si ex voluntate superioris furtum commissum retineret: peccaret, inquam, contra iustitiam, sed non contra paupertatis votum. Non enim proprio, sed alieno nomine rem vsurpat, sic Sanchez *lib. 7. Decalog. capite 20. n. 10.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 15.*

177 *Minime potest.*

Minime potest, quia rei temporalis vsus, & administratio sine superioris legitima licentia paupertatis violationem constituit. At furans rem alienam, vt Monasterio tradat, cui tradere non potest, alienam rem vsurpat, illaque absque legitima superioris facultate vtitur: Ergò delinquit contra paupertatis votum. Ita Valentia 2. 2. *d.* 10. *q.* 4. *pun.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *n.* 79.

Cum his probabilius opinor. 178

Cum his probabilius opinor. Non enim illum excusat, quod illa accipiat, vt Monasterio tradat. Ea enim traditio nulla est; sicut non excusaret, si ea acciperet, vt traderet sæculari cuique. Neque eum liberat à paupertatis transgressione, quod ex superioris voluntate furtum committat, quia superioris ea voluntas vtpote iniqua, nullius est effectus. Nam superior concedere non potest sibi subditis recipere, quæ ipse nequit administrare.

DVBIVM XLIII.

Violaturne paupertatis votum, si Religiosus res vsu non consumptibiles palam habeat: ita tamen cum aliis rebus ex superioris licentia possessis immixta, vt vix superior distinguere possit, vel inuenire?

179 *Plura res. tenam circa graue, ac leue materiam voti paupertatis grauc, vel leue peccatum constituentem.*

Quæ accipere Religiosus potest, vel sunt bona conuentus, vel externorum. Si conuentus sint, eaque in vsum proprium occultet, moraliter peccat contra iustitiam, & Religionem, si grauis materia existat. Quia nomine proprio vtitur re pretio æstimabili, inuito domino. Suar *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 11. num. 59.* Ex comestibilibus, quæ communiter Religiosorum sustentationi designantur, si ad suum vsum recipiat, multo grauior materia desideratur, vt lethaliter peccet, quia superiores in hac parte non sunt æque inuiti, sed instar patris cum filio se habent. Sanch. *l. 7. Decal. c. 21. num. 31.* Quanti vero comestibilia hæc sint æstimanda, vt occultè accepta materiam grauem, & peccatum lethale constituant, prudenti arbitrio est definiēdum asserit Suarius *vbi supra.* Portò si paulatim ille modica accipiat, etiam cum animo firmo persistendi in ea iniqua acceptione, peccatum lethale non committet, nisi fortè Religioni grauis damnificatio fiat, Religiosique alij debita sustentatione priuentur. Sanch. *l. 7. Decal. c. 21. numer. 31.* At si simul hæc comestibilia accipat, vt occulte retineat, & paulatim absumat: credit Palao *tom. 3. d. 3. de statu Relig. pun. 21. num. 2.* eum lethaliter peccaturum, si valorem vnius aurei excederent, quia grauem deformitatem, huiusmodi acceptio & retentio continet, meritoque superior est inuitus; si autem comestibilia accipiat à conuentu, vt vendat, vel externis distribuat, minor quantitas sufficit ad mortale piaculum constituendum, quia in eo vsu vtpotè Religioni magis nocuo superior inuitus magis est. Lessius *l. 2. cap. 12. dub. 8. numer. 48.* Verum si quæ ex conuentu accipit, non sint vsu præsentaneo consumptibilia, qualia sunt libri, imagines, horologia, vestes, &c. distinxerim, vel ea accipit, vt occultè retineat, & inscio superiore vtatur, ne possit ab eo auferre si libeat: manifestum est eum vsum esse mortaliter peccaminosum, si per longum tempus vnius scilicet anni fiat. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8.*

l.8.c.12.n.4. Quid verò se non occultè retineat, sed palam habeat, ita tamen cum aliis rebus ex superioris facultate possessis immixta, vt vix superior valeat distinguere, & inuenire.

180 *Non violatur grauiter paupertas.*

Non violatur grauiter paupertas, si non in perpetuum, sed ad tempus ea si velit ille retinere, licet diuturno tempore horum, retentio continuetur. Quia eis vtitur velut in deposito habitis, nec grauideo Monasterium incommodo afficitur. Sic Azor. *tom.1. l.12.c.12.q.3.*

181 *Grauiter violatur.*

Grauiter paupertas violatur, si longo tempore eorum retentio producatur. Quia est retentio absque superioris placito ita occulta, vt superior moraliter loquendo his retentis vti non possit, nec de illis pro libito disponere. Ita Suar. *tom.3.de Relig.l.8.c.12. numer.4. & 6.* Sanch. *l.7. Decal. cap. 19. num.57.*

182 *Huic sententiæ adhæreo.*

Probabiliori huic hæreo sententiæ. Nam licet à principio ex voluntate superioris ea ille acceperit, si postea timens, ne ea afferat, vult ita celare, vt nequeat superior pro libito auferre: proprietatis crimen incurret. Quia vult possidere rem irreuocabiliter, & independenter à superioris voluntate. Addiderim, si accipiat ab externis grauem quantitatem, vt sibi reseruet, eaque vtatur, graviter delinquit; si vero recipiat, vt superiori tradat, rarò poterit esse lethale. Demum accipere à sæcularibus pecuniam in custodiam, vt opportuna occasione ex licentia superioris vtatur, crediderim grauem culpam non esse. Quia nec dominium, nec vsum, neque administrationem illius pecuniæ acceptat: sed hæc omnia vult esse apud deponentem solo officio custodis admisso. Laym. *l.4.tract.5. cap.7.q.1.*

DVBIVM XLIV.

Vt Religiosus à transgressione voti paupertatis excusetur, necessarione debet, licentiam à superiore absque iniustitia habere.

183 *Status quæstionis.*

CErtum est licentiam debere esse voluntariam, non vi extortam. An actus turpes concessam, esse nullam, idemque ad vanos, ac superfluos. Quæsitum autem, an vt quis à transgressione voti paupertatis liberetur, debeat necessario licentiam à superiore absque iniustitia collatam habere.

184 *Debet necessario licentia esse iusta.*

Debet necessariò licentia esse iusta, id est, absque iniustitia concessa; si enim ex Prælati voluntate surripiat aliena, & de ipsis disponat: non solùm iniustus, sed & sacrilegus aduersus paupertatis votum erit. Quia Prælatus potestatem non habet de alienis rebus, suis dominis inuitis, disponendi: Ergò nec potestatem habet, vt Religioso illi huiusmodi dispositionem concedat. Ergo cum de facto concedit, ea concessio est nulla, *Escob. & Mand. Theol. Moral.* Tom. VII.

neque in ea concedenda vt superiorem, ac prælatum à Deo constitutum se gerit. Debet igitur licentia esse iusta, vt vitium violationis paupertatis excuset. sic Nauar. *comment. 2.de Regularib. n.21.* Nanarra *l.3. de restit. c.1.p.3. dub.1. n.168.* & alij relati à sancio, *l.7. Decal.c.19.n.21.*

185 *Non debet necessario licentia.*

Non debet necessariò iusta esse licentia. Quia Religiosus non obligatur ex voto paupertatis vitare iniustitiam, sed solummodo paupertatem, quæ in eo consistit, nè rebus temporalibus proprio nomine vtatur. At cum aliena ex superioris consensu surripit, & de illis disponit: non proprio, sed alieno nomine illis vtitur: Ergò vitat proprietatem. Igitur non est necessaria licentia iusta pro vitanda paupertatis transgressione. Ita Suar. *tom.3.de Relig.l.8.c.11.n.15.* & alij plures à Sancio citati *vbi s.n.20.*

186 *Idem affirmo.*

Sapientissimo Doctori Suario lubens subscribo. Nam si pro suffragio ferendo, vel opere seruili in die festo aliquid ex licentia superioris accipias, & expendas: valida est acceptio, ac distributio. Ergo signum est, validam esse licentiam tametsi inique impendatur. Ergo ad vitandam paupertatis voti violationem, quæcumque licentia, siue iusta sit, siue iniusta sufficiet.

DVBIVM XLV.

Vt Religiosus votum paupertatis non transgrediatur, sufficitne præsumpta superioris licentia?

187 *Nonnulla suppono.*

LIcentiam superioris debere esse expressam, vel tacitam saltem affirmant omnes. Illam voco tacitam licentiam, quæ virtute alia expressa continetur, vt si superior tibi impertiat licentiam peregrinationem instituendi, nec prohibeat, aliquid recipere, & recepta expendere: eo ipso censetur concessisse. Suarez *tomo tertio de Religios. libro octauo capite 11. numero septimo.* Item si consuetudine sit receptum, te posse aliqua recipere, retinere, vel expendere, & superior consuetudinem non reuocet, cum possit: ea omnia censetur approbare. Sanchez *libro septimo Decalog. capit. 19. numero septimo.* Quæstio solum est de licentia præsumpta, quando scilicet Religiosus præsumit, superiorem daturum fore licentiam, si ab eo peteret, & ille præ verecundia, aliove humano respectu petere omittit, an eo casu à proprietatis vitio excusetur ex licentia præsumpta?

188 *Non sufficit licentia præsumpta.*

Non sufficit huiusmodi licentia, vt Religiosus votum paupertatis non transgrediatur. Quia cum de facto non sit superioris licentia, non potest efficere, vt nomine illius dispositio præstetur. Sic nonnulli, quos consului Doctores.

189 *Sufficit sane.*

Sufficit profecto, ad vitium proprietatis vitandum. Quia ad hunc effectum satis

satis est, quod voluntati superioris saltem futuræ nixus ille operetur, sic enim ad vitandum furtum, ex præsumptio de voluntate Domini sufficit, vt constat ex *leg. Inter omnes ff. de furtis, §. Recte.* à fortiori sufficit ad vitandam proprietatem. Ita Nauar. *comment. 2. de Regular. n. 20.* Nauarr. *l. 3. de restit. c. 1. p. 3. dub. 1. n. 160.* Azor. *p. 1. c. 12. l. 12. q. 2. 3. & 4.* Sanch. *l. 7. Dec. c. 19. n. 4.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 4.*

190 *Cum his opinor.* Certè non credam vouentes paupertatem strictius se obligare voluisse, igitur ex præsumpta superioris voluntate Religiosus à proprietatis piaculo excusatur.

DVBIVM XLVI.

Sufficitne probabilis cognitio voluntatis superioris futuræ circa licentiam impertiendam, vt præsumptio illius liberet Religiosum à piaculo proprietatis?

191 *Non sufficit probabilis cognitio.* NOn sufficit cognitio probabilis, sed certa requiritur. Quia alias aderit periculum operandi absque vlla licentia, & absque superioris voluntate. Sic Mol. *to. 2. d. 276. circa finem* Petrus de Ledes. *to. 1. sum. tr. 8. c. 21. diffic. 7.*

192 *Probabilis cognitio sufficit.* Probabilis cognitio sufficit. Quia sic operans, moraliter certus est de superioris voluntate, neque periculo morali operandi sine licentia exponitur, esto physico exponatur. Ita Nau. *comment. 2. de Regul. n. 20. & sum. c. 17. n. 5.* Les. *l. 2. c. 2. dub. 8 n. 49.* Mendoza *quodlib. q. 8 concl. 8.* Sanch. *l. 7 Dec. c. 19. n. 13.* Suar. *to. 3. de Relig. l. 8. c. 11. n. 11.*

193 *Idem defendo* Idem teneo. Sed moneo, in hac receptione, & bonorum dispositione ferè semper peccatum veniale committi, eo quod superior cum commodè audiri potest, ægre ferat hanc clandestinam, ac furtiuam receptionem, ac dispositionem, vtpotè Religiosæ obseruantiæ, & paupertatis puritati satis aduersam. Attamen quia hæc contradictio, solùm est de modo clandestino, ac furtiuo, non de ipsa receptione, & dispositione culpam venialem non excedit. Mecum Suarius, Sancius, & Nauarrus *citati.*

CAPVT VIII.

Circa Regularem Obedientiam.

DVBIVM XLVII.

Episcopus habetne potestatem compellendi Religiosos non exemptos ex vi voti obedientiæ ab eis emissi, ad obseruantiam regularem?

194 *Plura de* CErtum est, pontificem summum potestatem habere obligādi quoslibet Religiosos ad Regularem obseruantiā, non solum ex iurisdictione sibi à Christo concessa, sed etiā ex obedientiæ voto, quod ipsi censendum est emitti, tanquam supremo omnium Religionū Generali. Quia cum ipse omnium Prælatorum caput sit, ab eoque eorum iurisdictio dependeat: conueniens erat, vt obligatio illis ex voto acquisita, efficacius ei acquireretur Sanch. *l. 6. Dec. c. 1. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 3.* Si verò de Episcopo loquamur, duo certa præmitto. Primum, Monialibus sibi subiectis posse in virtute obedientiæ præcipere. Quia illarū superior est, instar aliorum Prælatorū Regulariū. Secundum in Religiosos exēptos (quales sunt ferè alij omnes Religiosi) non habere ex vi voti potestatem præcipiendi. Quia absolutè non est eorum superior quoad Regularem obseruantiam: tametsi in aliquibus actionibus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus eos subiectos habeat: videlicet in librorum impressione, in audiendarum confessionum, & officij prædicandi licentia, in obseruatione festorum, & censurarum, in assistentia ad publicas processiones, in componendis de præcedentia locorum controuersiis, in Religiosi publicè delinquentis punitione, in puellæ professuræ exploratione voluntatis. Quos tamen Religiosos si priuilegium habeant à Sede Apostolica, ne possint excommunicari, suspendi, & interdici (quale habent omnes Mendicantes ex eorum *compend. v. exemptio, n. 9. 23. & 24.* & societas Iesu ex Bulla Pauli III. edita anno 1549. & omnes alij Religiosi, qui in Mendicantium priuilegiis communicant) nequit Episcopus ad hæc obseruanda censuris Ecclesiasticis cogere, nisi in casibus à Trident. expressis: videlicet, cum absque licentia celebrant in oratorio priuato, & horis non debitis, superstitionesve in celebratione admittunt, *session. 22.* vel quando clausuram Monialium tentant impedire, *session. 25. capite 5.* vel cum nolunt bona nouitiis resipiscentibus restituere eadem *session. cap. 16.* In aliis autem casibus depositione, detrusione in arctius Monasterium, aliisve pœnis arbitrariis procedere debet. Sanchez *l. 7. de matrim. d. 33. n. 23.* Barb. *p. 3. de potest. Epis. allegat. 78. n. 25.* Quæstio vero est de Episcopo comparatione Religiosorum non exemptorum (si qui vltra Moniales sint) an habeat potestatem ex vi voti obedientiæ ab illis emissi, eos ad obseruantiam Regularem compellendi?

Pontifici, Episcopique potestate in Religiosos.

195 *Non potest eos compellere.* Potestatem non habet. Quia ex iuribus constat, solum debere admitti compulsionem in iis, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam, in qua Episcopus Prælato Regulari est præferendus, sic Sanchez *libro sexto Decalog. capit. prim. numero 13.* aliis relatis. Layman. *libro quart. tractat. quint. capit. octauo numero secund.* & videtur esse Diu. Thomæ *in 2. dist. 44. expos. litteræ ad 3.*

196 *Compellere potest.* Habet quidem potestatem, vt cogat huiusmodi Religiosos ad Regularem obseruantiam non solum ex potestate iurisdictionis, sed etiam ex potestate dominatiua orta ex voto obedientiæ, & traditione Religiosorum sibi facta. Quia si hi Religiosi non essent obligati Episcopo obedire

dire, sed suo Regulari Prælato in pertinentibus ad Regularem obseruantiam, absolutè exempti esse ab Episcopi iurisdictione, quod est contrà suppositum. Ita Petr. Ledesma *t. 2. sum. tr. 10. c. 7. notab. 2.* Inclinat Suar. *to. 3. de Relig. l. 10. c. 11. n. 15.* Tenet Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig pun. 2. n. 6.*

197 *Hanc eligo sententiam.*

Sciens, primam sententiã esse communem, adhuc reor secundam esse probabiliorem. Nam Prælatus Regularis huiusmodi Religiosorum aut habet in eos iurisdictionem immediatè à Papa, aut medio Episcopo. Si immediatè à summo præsule, erit Religio exempta, de qua non est sermo. Si medio Episcopo; ergo Episcopo vipotè principali Prælato, & à quo Regularis Prælati iurisdictio dependet, obedientia promittitur. Habet igitur potestatem, eos ad Regularem obseruantiam compellendi.

DVBIVM XLVIII.

Estne in peccato lethali Religiosus ex consuetudine violans regulas sub mortali non obligantes?

198 *Nonnulla circa regulas certa præmitto.*

IN Religionibus præscribuntur regulæ obligantes sub mortali, vel sub veniali, vel ad nullam culpam; quæ diuersitas ex verbis constitutionis, & ex cuiusuis Ordinis consuetudine est desumenda. Si regula obliget sub mortali, illius transgressio mortalis erit contra obedientiæ votum, si sub veniali solum, transgressio illius contra votum venialis existet. Potest autem ex duplici capite ad veniale obligare. Primò ex leuitate materiæ. Secundò ex voluntate legislatoris. At si per se regula ad nullam culpam obliget, vt sunt regulæ Sanctissimi Ordinis Prædicatorum, Minorum, & Societatis Iesu: illius transgressio ob votum obedientiæ nullam culpam inducit, quia illud votum non est de seruanda illa regula, sed de seruandis Religionis præceptis siue à iure, siue ab homine latis. At regulæ nullam in conscientia obligationem ad sui executionem inducentes præcepta non sunt. Ergo de illis non est obedientiæ votum. Suar. *tom. 3. de Relig. c. 7. n. 13.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 11. & 12. iunct. c. 1. n. 2.* Verum licet violans regulas nullam coram Deo culpam haberes, non inde excusaris subire pœnam transgressoribus præscriptam, quia hæc pœna, quæ propriè pœna non est, sed quædam pœnalitas, non ob culpam moralem, sed Regularem imponi potest. Suar. *tom. 3. de Relig. l. 10. c. 7. n. 16. & to. 4. tr. 8. l. 1. c. 2. num. 6.* Crediderim verò regulariter culpam venialem in trangressione cuiusuis regulæ committi. Tùm quia non recto fine transgressor ducitur, sed ex otiositate, torpore, ac libidine. Tùm quia occasionem exhibet Religiosã disciplinã labefactã li. Laym *l. 4. tr. 5. c. 8. n. 7.* Vasq. *1. 2. t. 2. d. 258. c. 3. n. 16.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 14.* Quæsierim autem circa Religiosum, qui consuetudinem habet transgrediendi regulas sub nulla culpa obligãtes, vel obligantes ad venialẽ tantùm, an in peccati mortalis existat statu?

199 *In mortali existit.*

In mortali existit, quia assuetus transgredi regulas, caret proposito firmo eas seruandi: Ergo à perfectionis via deficit, quam assumptione Religiosi status professus est. Ergo in lethalis culpæ statu persistit. Et quidem hac praua consuetudine affectus, non se vult subiicere regulæ. Ergo illam contemnit: At contemptus regulæ est mortale. Ergo sic D. Th. *2. 2 q. 186. a. 9.* Caietan. *ibi.*

200 *Non existit in mortali.*

Non existit in mortali per se loquendo, qui intentionem seruandi eiusmodi regulas non habet. Quia consuetudo eam solam culpam inducit, quam inducunt actus, ex quibus coalescit; nam ab ipsis non distinguitur. At actus, ex quibus consuetudo hæc coalescit, nullam culpam habet, vel tantum venialem; nam amnes ille regulæ vel ad nullam obligant culpam, vel ad venialem solùm: Ergo neque consuetudo mortalem inducit trãsgressionem. Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 4. à num. 10.* latè id confirmans Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 3. n. 6.*

201 *Cum his longè verius sentio & vberius expono sententiam.*

Cum his longè probabilius opinor, quia non est propositum transgressionis alicuius obligationis sub mortali, (esto quod quis propositum haberet illas nunquam obseruandi) cum omnes hæ regulæ obligationem venialis piaculi non excedant. Neque in hoc proposito est periculum morale, ac proximũ transgrediendi aliquam regulam sub mortali obligantem, si quidem compati potest cum illius firma obseruatione. Neque infertur, illum hac praua consuetudine regulas propriè contemnere: alias quoties quis vellet aliquã regulam violare, censendus esset illius contemptor esse, & peccati mortalis reus, quod falsum proculdubio est. Requiritur etenim ad contemptum vt regulam violet tanquam inutilem, friuolam, & nullius considerationis: vel eam violet animo detetminato ob illius transgressionẽ pœnæ se minime subiiciendi, sed resistendi Prælato, secluſa verò hac intentione, nec propositum violandi regulas, nec illarum violatio est formalis contemptus. Nec denique ex hoc proposito prauaque consuetudine fit, Religiosum à via perfectionis incepta desistere in necessariis, qualia sunt obseruatio votorum, ac præceptorum Religionis: licet in accidentalibus, & leuem obligationem inducentibus deflectat. Dixere autem Suarius & Palao notanter *Per se* peccatum lethale non committere. Nam per accidens credunt sæpe peccati lethalis reos esse Religiosos huiusmodi, nisi efficaciter proponant, ac procurent, ab ea praua consuetudine recedere. Contingit autem hoc peccatum, cum Religiosus aduertit, ex suo irregulari modo operandi graue detrimentum & sibi, & Religioni accidere.

DVBIVM XLIX.

Prælatus Regularis poteſtne ſubditis præſcribere expeditionem ad Indos, vel hæreticos, alioſvè infideles, eorum conuerſioni daturis operam?

202 *Plura recolo circa obedientiæ obligationem.*

MIhi certum, nequaquam poſſe Prælatum Religioſis ſibi ſubditis præcipere, quæ ſunt abſolutè extra regulam. Quia nequit obligare ſuo præcepto ſubditos niſi ſecundum quod ipſi Religioſi ſe illi obediẽdo tradidere, eſt enim hæc ſubiectio voluntaria. At Religioſi voto obedientię ſolum ſe tradiderunt obediendo in iis, quæ ſecundum regulam fuerint. Ergo hæc ſolum Prælatus præcipere poterit. Aliàs ſi quælibet honeſta præcipere quiret, poteſtatem haberet obligandi Religioſum, ad mutandum ſtatum, quod falſum eſt. Igitur ſolùm præcipere poteſt quæ in regula obligante expreſſe, vel tacitè continentur. Quia hæc omnia obedientiæ votum comprehendit. Aliquos tamen caſus expendam, ex quibus alij colligi poterunt, an ſub regula comprehendantur, & requiro in primis, an ſub regula comprehendatur miſſio ad Indos, alioſvè infideles, ita vt poſſit Prælatus ſibi ſubditis hanc expeditionem imperare.

203 *Præcipere poſſunt expeditionẽ ad infideles.*

Omnium Ordinum Prælati id præcipere poſſunt, omnium inquam, quorum inſtitutum eſt, non ſolum propriæ, ſed etiam ſaluti proximorum incumbere. Quia ad hunc finem conſequendum valde eſt eiuſmodi expeditio neceſſaria. Sic aliqui Doctores, quos preſſo nomine memorat. P. Caſtro Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 4. n. 6.* Sotus ita ſupponere videtur *l. 7. de iuſt. q. 2. a. 4.*

204 *Id non poſſunt præcipere.*

Id non poſſunt præcipere. Quia ex ſolo illo fine generali procurandi proximorum ſalutem non ſatis probatur, ſub regula illarum Religionum contineri miſſionem ad Indos, reliquoſque infideles, & hæreticos: quippe hæc miſſio, horumque conuerſio, & ſi Eccleſiæ valde ſit neceſſaria, difficillima eſt, multiſque periculis tum animæ, tum corporis obnoxia: ad quæ ſubeunda nemo præſumendus eſt obligatus ex generali promiſſione procurandi proximorum ſalutem, ſed neceſſario requiritur ſpecialis, ac expreſſa obligatio. Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 4. n. 22.* Leſ. *l. 2. c. 41. dub. 9. n. 77.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 2. n. 47.* Man. *to. 3. qq. Regul. q. 19. a. 7.* Lud. Lopez *p. 1. inſtru. c. 56. verſ. Et an Prælatis.*

205 *Cum his opinor*

Cum his opinor, dummodo in infidelium huiuſmodi terris aliquis conuentus Ordinis non ſit ædificatus. Nam ſi inibi conuentus adeſſet, poſſet Prælatus Religioſos illuc immittere, & ad ibi inhabitandum compellere. Quia non compelleret ad habitationem ſuæ profeſſioni alienam; ſed maximè propriam, ac debitam, vt poſſit conſeruari. Nauar. *comment. 3. de Regular. n. 22.* Monuerim autem Religioſos Societatis Ieſu non ſolum qui profeſſi ſunt quatuor votorum, ſed omnes alios, tametſi ſolis biennij votis adſtrictos immitti poſſe ad Indos, ac Sarracenos conuertendos, etiamſi nulla domus, vel collegium Societatis inibi ſit ædificatum. Quia finis Societatis nobis cunctis propoſitus eſt, omnes Orbis peragrare plagas, vbi maius Dei obſequium, & proximorum ſalus ſperatur.

DVBIVM L.

Religioſus ex vi Profeſſionis factæ ante regulæ reformationem teneturne eam reformatam obſeruare?

206 *Teneturquidem.*

TEnetur quidem. Quia illa non eſt noua auſteritas, ſed antiquæ debita reſtitutio: Et quidem Religionis Prælato cum Capitulo generali conceſsum eſt, poſſe Religionem collapſam erigere, & conſtitutionibus denuo editis reparare, ne penitus depereat: ſed hoc efficaciter præſtare nequit, niſi ſimul valeat ſibi ſubditos ad eã obſeruantiam monitis, & præſcriptis adducere: Ergo reformatione facta omnes Prælato circa eius obſeruationẽ obedire tenẽtur. Sic Sylu. *v. Relig. 6. q 6.* Az. *to. 1. l. 23. c. 11. q. 17. & 19.* Vaſq. *1. 2. d. 154. c. 4. n. 15.* Sanch. *l. 6. Dec. c. 1. n. 35.* plures citans Suar. *to. 3. de Relig. l. 10. c. 8. n. 19.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. q. 4.*

207 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia ex voto obedientiæ ſolum quis obligari poteſt ad regulam obſeruandam quatenus viget cum profeſſio emittitur, non quatenus olim vigebat. Ita Caſtro Palao *to. 3. d. 4. de ſtatu Relig. pun. 4. p. 11.*

208 *Auctoris reſolutio.*

Ego autem cum eodem Doctore crediderim, primam ſententiam ſolummodo eſse veram caſu, quo reformatio iudicaretur maximè expediens, ſeu moraliter neceſſaria, ad conſeruationem Religionis aſsumptæ in ſtatu relaxationis, vel mitigationis per legitimam conſuetudinem introductæ. Quia obligari tãtum ille poteſt ad obſeruanda: quę neceſſaria ſunt ad illius ſecundum ſtatum conſeruandũ, vtpotè tacite, & in virtute ſãctæ obedientiæ ſub regula cõprehenſa: non tamen ad ſtatuta quæ neceſſaria non ſunt moraliter ad regulæ mitigatæ conſeruationem, quia ſub illo voto nec expreſſe, nec tacitè continentur. Alias poſſet ad nouam Religionem obligari. Quod ſi rogites, quando indicabitur reformatio moraliter neceſsasia ad Religionis aſsumptæ conſeruationem? ex Laymani calamo *l. 4 tr. 5. c. 9. q. 4. con. 2.* reſpondeo Tũc reformatio regulæ neceſsaria videri debet ad Regularis Ordinis conſeruationem, ſi cum præſenti obſeruatione pauciſſimi ad perfectionem Religioſam peruenire ſtudeant: ſi cum ſcandalo, & querela ſæcularium viuant, vt expediret magis Religionem diſsolui, quam ita continuari: ſi neque eſsentialia vota, v. gr. quæ ad paupertatem Religioſam ſpectant, communiter obſeruentur. Sic Laymanus.

DVBIVM

DVBIVM LI.

Abbatissa, vel Priorissa potestne, in virtute sanctæ Obedientiæ suis Monialibus præcipere.

209 *Non potest.* NOn potest. Quia Abbatissa (iure Ecclesiastico saltem) incapax est spiritualis iurisdictionis: At ad imperandum ex virtute obedientiæ iurisdictio spiritualis videtur requiri: nam ille modus imperandi finem spiritualem spectat. Sic Sanch. *l.6. sum. c.1. n.22.* Victoria *de potest. Eccles. q.2. num.4.*

210 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia cum à Religione sit constituta Monasterij gubernatrix, & hanc gubernationem nequeat conuenienter præstare absque iurisdictione: ideo ad imperanda, quæ expedire iudicauerit ad sui Monasterij temporalem, seu politicam gubernationem, iurisdictio est illi concessa. Vnde potest Monialibus prohibere, ne cum externis loquantur, ne litteras scribant, vel accipiant, & alia similia, quæ rectæ gubernationi domesticæ, & bono conuentus nomini congruunt. Ita Sotus *in 4. dist. 20. q.1. ar.4.* Barthol. de Ledesm. *sum. vbi de clausura, diffic.4. dub. vlt.* Sanch. *l.6. Decal. c.1. num.17.* alios referens.

211 *Cum hâc opinor.* Non solum hanc longe probabiliorem sententiam esse affirmo, sed adiicio, Abbatissam ex vi voti obedientiæ non modo præcipere posse ea, quæ innui, quatenus rectæ domus gubernationi congruunt; sed quatenus accinunt spirituali cuiuscumque profectui: atque adeò præcipere posse omnia illa, quæ iuxtà regulas, & constitutiones Monialis obseruare tenetur. Quia negari non potest, quem posse voto simplici obligari fœminæ, vel laico obedire in iis, quæ ipsi iudicauerint, ad eius spiritualem profectum conuenire, tametsi ex hoc voto nullam spiritualem iurisdictionem obtineant. Ergò credendum est ex intentione votum emissum esse, cum id sit Religioni conuenientius.

DVBIVM LII.

Religiosi ob delicta ad perpetuum carcerem vel ad triremes damnati possuntne aufugere.

212 *Certa recolo circa Religiosi ad pœnas propter delicta subiectionē.* CErtum est, Religiosum delinquentem punitioni Prælati esse subiectum. Quia est communitatis Regularis Pater, qui ratione dominij professione acquisiti, & ratione iurisdictionis à Pontifice concessæ potestatem habet subditos puniendi. Vnde quilibet Regularis Prælatus, etiam localis (nisi ex consuetudine, aut constitutione Religionis limitatum sit) potest Religiosum delinquentem excommunicationis, suspensionis, & interdicti personalis censuris innodare. Quia huiusmodi potestatis concessio correctioni delinquentis, illiusque punitioni necessaria erat. Suar. *tom.4. de Relig. tract.8. l.2. c.9. n.4.* Porro Abbatissa his spiritualibus pœnis coërcere, punireque nequit Monialem delinquentem. Quia iurisdictione Ecclesiastica caret, solumque ei à Pontifice conceditur potestas dominatiua gubernationi domus necessaria. Quoad pœnas vero corporales attinet, nulli Regulari Prælato concessum est subditum delinquentem mortis pœna punire. Quia id interdicitur, *cap. Cum non ab homine, de iudiciis.* Idem dicendum de mutilatione, ac de verberatione publica. Quia huiusmodi punitio aliena esset a Religiosa pietate, & eiusdem rationis cum pœna mortis. Suar. *c.10. n.1. & 2.* Habet autem potestatem pœna triremium delinquentem afficere subditum, si delictum ei pœnæ sit obnoxium, scandalosum inquam, & nimium graue. Sanch. *l.6. Decal. c.8. n.16.* Pœnas demum incarcerationis temporalis, aut perpetuæ, ieiuniorum & alias similes potest infligere, & subditus eas exequi obligatur. Quæsierim autem; an obligati sint pœnam triremis, aut perpetui carceris exequi pœnam, an fugere possint.

213 *Non sunt obligati, eā pœnam subire, sed possunt fugere.* Non sunt obligati, sed possunt aufugere. Quia sæcularis his pœnis damnatus licitè potest fugere: extrà humanam enim potestatem esse videtur reum obligare, vt in seipsum exequatur pœnam adeo acerbam, & duram: sed votum obedientiæ censendum non est aliter obligare, quam præceptum: obligatio enim voti instar præcepti est: Ergo cum præceptum humanum ad exequendam illam pœnam non extendatur, neque etiam votum debet extendi. Sic Bañes 2. 2. *q.* 69. *art.* 4 *post* 5. *concl.* Indicat Suarius *tom.4. de Relig. tr.10. l.11. c.3. n.4.*

213 *Obligati sunt, nec fugere possunt.* Obligati sunt exequi eas pœnas, nec aufugere possunt. Quia obligari potest Religiosus ex voto obedientiæ non solùm ad sustinendam iustam pœnam carceris, & triremis, sed etiam ad eam non fugiendum, cum condemnatus fuerit: at sic est præsumendum quemlibet obligari velle, cum votum obedientiæ emittit: ergo fugere non potest. Ita Sanch. *l.6. Decal. c.8. n.12. & 16.* Manu. *tom.2. qq. Regul. q.22. art.6.* Sayr. *in clau. l.12. c.18. n.9.* Suar. *vbi s. n.10.* Salcedò *pract. c.157.* Palao *tom.3. d.4. de statu Relig. pun.14. n.10.* Caiet. *2. 2. q.69. art.4.* Nauar. *comment. 4. de Regular. n.63.*

214 *Resolutio Auctoris.* Ego quidem cum Sapientissimo meo Ferdinando de Castro Palao admodum eram propensus ad primam sententiam sustinendam: sed tamen cum eodem cogor secundam probabiliorem quidem defendere communiter à Doctoribus receptam. Quia licet ex præcepto, & lege absolute quis non possit obligari ad carcerem asperum non fugiendum: at ex obedientiæ voto potest obligari; quia ita vouit. Certum tamen mihi, eum fugere posse, si carcer ita sit durus, vt vitæ periculum meritò timeat, vti Nauarrus, Sayrus, Salcedo, & Sanctus annotarunt.

DVBIVM LIII.

Casu quo fas sit Religioso ex sententia inferioris Prælati ad superiorem appellationem interponere: potestne (si occasio non suppetit appellandi) ad superiorem licentia ab inferiori non petita, iter arripere?

215 *Non potest.* NOn potest, quia Trident. *sess.* 4. Religiosis prohibet, à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Ergò prohibet Concilium supradictum recessum. Sic Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 15.

216 *Potest quidem.* Potest quidem. Quia si in eo casu permissa est verbalis appellatio, etiam permitti debet appellatio realis, quæ facto ipso fit iuxta textum in *Cap. Delicti. 2. de appellat.* Neque Concilium credendum est hunc recessum interdixisse; nam interdiceret debitam naturæ defensionem; neque item præsumi potest Religiosum voluisse se adstringere ad petendam licentiam à superiore grauante, quando moraliter est certus, petitam non fore concessurum: sed potius timet, ob id amplius se esse grauandum. Ita Nauar. *comment. 2. de Regular. n.* 61. Sanchez *l.* 6. *Decalog. cap.* 8. *num.* 17. Barbosa *remiss. Concilij sess.* 25. *c.* 4. Manu. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 30. *a.* 3. & *in sum. cap.* 45. *num.* 40. Azor. *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 11. *quæst.* 7. Sà *v. Religio, n.* 71.

Verius longè censeo, te posse in supradicto casu ad superiorem arripere viam, si occasio non suppetit interponendi appellationem, nec superiorem grauantem licentiam concessurum præsumis. Neque obstat, recessum à Monasterio prætextu accedendi ad superiorem qualibet ex causa vrgenti semper fuisse prohibitum, & Concilium aliquid nouum prohibere voluisse: in hoc namq; casu nil nouum prohibere, si huiusmodi, progressum non prohibeat. Non inquam obstat, quia sufficit, si prohibitionem antiquam, & non satis cognitam reuocet, si autem quis rogitet, quandonam licitum erit Religioso recusare superiorem suspectum, & recusatio sit admittenda? Respondeo, ei licere, quoties certitudine morali timet, superiorem graniter & iniuste illum diuexaturum, quia stante graui & iniusta vexatione, ei licet appellatio. Ergo & recusatio licet ad vitandam eam grauem, & iniustam vexationem. Nam eo casu, quo permittitur appellatio, antecedens recusatio permittitur, vt colligitur manifestè ex textu in *Cap. Super eo el 2. de appellationibus per argumentum à contrario.* Sanchez *l.* 6. *Decalog. cap.* 8. *num.* 111.

217 *Hoc mihi longè verius.*

E. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: LVIII. VII
E. IV
6

LIBER

LIBER LIX.

RELIGIO SOCIETATIS IESV.

POSTQVAM ea, quæ cunctis Religionibus sunt communia expressi, Societatis Iesu Alumnus non potui non plura, quæ ad eius institutum speciatim pertinent, explicare. De nouitiatu igitur, de votis simplicibus, de professione, aliisque Iesuitarum obligationibus Tractatum instituam.

SECTIO PRIMA.

De Societatis Iesu Religione, eiusque obligationibus receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De iis, qui ab ingressu in Societatem ob substantialia, & accidentaria præscripta in constitutione impedimenta excluduntur.

1 *Quinque sunt substantialia impedimenta quæ annullant ingressum.*

QVINQVE substantialia impedimenta ad Societatis ingressum *Cap. 2. Examin. gener. & p. prim. constit. c. 3.* annumerantur. Substantialiaque dicuntur, quia quodlibet illorum ita in societatem ingressum impedit, vt contrà attentatum prorsus irritet, & annullet. Quia *p. 1. const. citata* dicitur. *Omnino excludunt.* dictio enim *Omnino* non solum illicitum, sed & inualidum denotat ingressum. Sanchez *l. 3. Decalog. cap. 4. num. 60.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. c. 1. à n. 17.*

2 *Primum impedimentum ab Ecclesiæ gremio recessisse.*

Primum impedimentum est, recessisse à Sanctæ Ecclesiæ gremio, quod quatuor partes continet. Prima est, recessisse fidem abnegando. Secunda, recessisse in errores contra fidem incurrendo, vt damnatus ob aliquam hæreticam propositionem quis fuerit. Tertia, si vt hæresis suspectus per sententiam publicam sit declaratus. Quarta, si infamis per excommunicationem tanquam schismaticus, spreta Sanctæ Ecclesiæ authoritate extiterit. Abnegatio fidei debet esse perfecta, ac proinde requiritur, vt interius, & exterius fidem abnegauerit. *Ex societatis constit* Certe non quodcumque schisma hoc impedimentum inducit, sed schisma inducens excommunicationem infamem, quod non contingit, nisi cum personaliter, & non more rationis excommunicatus quis esset, vti in *p. 1. const. c. 3. in glosa* annotatur.

3 *Secundum impedimentum, homicidium illicitum commissum.*

Secundum impedimentum est, homicidium aliquo tempore perpetrasse, vel publicè infamem propter enormia peccata fuisse. Non comprehenditur homicidium in propriam defensionem factum. Quia nec irregularitatem inducit, nec sacri ministerij impedit vsum. Nec homicidium publica ex authoritate perfectum. Quia homicidium in rigore non interfectionem licitam, sed illicitam significat, D. Thom. 2. 2. *quæstion.* 100. *articul.* 68. Et quia S. Ignatius in hoc secundo impedimento, sicut in primo loquebatur de delictis, *ibi. Propter enormia peccata*, & expressit homicidium ob eius grauitatem. Igitur de homicidio peccaminoso constitutio intelligitur. Palao *tom. 3. d. 1. de statu Relig. punct. 8. §. prim. numero 10.* Mandantem verò, vel consulentem homicidium minimè comprehendi reor. Quia cum constitutio de consulente, aut mandante nihil dixerit, non de perpetrante homicidium morale, sed physicum est intelligenda.

4 *Tertium impedimentum sumpsisse Ordinis habitum.*

Tertium est, assumpsisse Religionis habitum, vel Eremitam cum vestitu Monachali fuisse. Vnde qui gestaret habitum huiusmodi etiam per vnicum diem animo illam vitam profitendi, impeditus esset. *Gloss. cap. 3. const. p. 1. lit. E.* Additum fuit *cap. secund. Examin.* pro maiori declaratione, habitum alicuius Religionis *Fratrum, & clericorum*, seriò alterius habitum.

vt innueretur, debere in alia Religione à Societate habitum esse susceptum: & præterea sumpsisse habitum Religionis Equitum D. Iacobi, Calatravæ, Alcantaræ, D. Ioannis impedimentum non præstare, quia non est Religio Clericorum, nec Fratrum communiter viuentium. Esset tamen impedimentum si habitum Clericorum horum Ordinum assumpsisset, quia hi propriè & in rigore sunt Clerici Religiosi. Suarius *t. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. c. 1. n. 16.*

5 *Quartum impedimentum, matrimonio, vel seruitute ligari.*

Quartum est, vinculum matrimonij, vel legitimæ seruitutis, solum matrimonium consummatum hoc impedimentum adducit. Quod cessabit, si dimittum, vel si coniux licentiam dederit, seruatis iuris circumstantiis, nempe alterius coniugis in Religionem ingressus, si iuuenis sit, vel periculum habet incontinentiæ: si vero senex sit, & absque periculo incontinentiæ, voti castitatis emissio. Vnde si solum ex coniugis licentia quis societatem ingrederetur, his circumstantiis non seruatis, nullus esset ingressus quia non seruat conditionem sub qua cessat impedimentum. Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. lib. secund. cap. prim. numer. 22.* De vinculo seruitutis monuerim, dominum concedere posse seruo licentiam ingrediendi Religionem, & eo ipso impedimentum cessare.

6 *Quintum impedimentum, pati iudicij defectum*

Quintum denique est pati iudicij defectum, vel ad id notabilem præ se ferre dispositionem. Quod si de hoc defectu dubium existat, Medicorum consilio, accedente Præpositi Generalis assensu est decidendum. Palao *tom. tertio dict. prim. de statu Relig. pun. 8. §. 1. n. 24.*

7 *Nouem accidentaria impedimenta adiicio, ex constitutionibus.*

Alia annotantur à D. Ignatio *p. 1. constit. cap. 3.* impedimenta, quæ secundaria, seu accidentaria nuncupantur: & licet quem à Societatis ingressu non excludant, reddunt tamen minus idoneum. Hæc sunt, quoad interiorem hominem attinent: Primò, passiones vel affectus, qui comprimi perdifficile posse videantur: vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio speretur. Secundò, intentio minus recta, quam par esset ad Religionis ingressum, vt quæ cum humano aliquo fine esset admixta. Tertio inconstantia seu remissio animi notabilis, ex qua quis minus vtilis futurus credatur ad munera Societatis obeunda. Quartò, indiscretæ deuotiones, quæ in causa esse assolent, vt in illusiones, & non exigui momenti errores quis incidat. Quintò, litterarum ignorantia, vel ingenij, aut memoriæ defectus ad eas addiscendas, vel linguæ ad explicandum. Sextò, iudicij defectus, vel notabilis in proprio sensu obduratio, quæ omnibus Congregationibus multum assolet negotij facessere. Verum quoad exteriorem hominem secundaria impedimenta sunt: Primò, defectus in corporis integritate, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas. Secundò, ætas valde tenera, vel plus satis prouecta. Tertiò, æs alienum, vel ciuiles obligationes. *p. 1. const. c. 3.*

8 *Duo præterea addidit Congregatio gen. 5.*

Hisce impedimentis secundariis alia duo addita fuere à Societate in *Cõgregatione generali.* Primum est, ne ingressurus Societatẽ ex infecto sanguine Iudæorum, & Sarracenorum procedat *Congregat. 5. can. 3.* Postea in *Congregat. 6.* hoc decretum fuit temperatum, vt solum quoad quintam generationem, informatio defumatur. Secundum est, Maioratus Hispanus. Vnde iure maioratus gaudens in Hispania, nisi habita facultate à R. admodum Generali Præposito, non recipitur. Et hic debet esse iis donis ornatus, vt spem magnam exhibeat se post biennium probationis forè talem, qualem nostræ constitutiones requirunt, vt ad trium votorum professionem queat admitti. Porrò ad huiusmodi professionem admittitur, nisi qualitas maioratus eiusmodi sit, vt promotio ad sacrum Ordinem firmitati illius abdicationis sit satis: tunc enim non professio, sed ordinatio procuranda erit. Intelligenda autem est constitutio de maioratu siue Regia facultate, siue propria fundatoris sit institutus, quia verè ac propriè, cõmunique acceptione maioratus est *leg. 45. Tauri, que hodie est lex 4. titul. sept. m. l. 5. compil.* ibi: *El que hiciere algun maiorazgo, conque sea con authoridad nuestra.* Supponit ergo lex, sine facultate Regia verum maioratum institui posse. Gregor. Lopez *Leg. 2. tit. 15 parte secund. glos. 1.* Molina *de primog. l. 1. cap. 1. n. 25.*

9 *Nulla erit receptio illius, qui aliquo ex his impedimentis affectus dispensatu non fuerit.*

Porrò si quis aliquo ex præfatis impedimẽtis secundariis affectus, Societatem ingrediatur receptus ab eo, qui potestatem non habet in illis dispensandi, nulla erit receptio, siue recipienti manifestetur impedimentum, siue non, quia est receptio facta ab eo, qui nulla recipiendi facultate fruitur. Nam in Societate illi superiores, qui potestatem habent recipiendi nouitios ad probationem, habent potestatem in his secundariis impedimentis dispensandi: & è contra *p. 1. constit. c. 3. lit. H.*

10 *Prouincialis in his dispensat, nonnullis exceptis.*

Prouincialis potest in his impedimentis secundariis dispensare, si tamen excipias impedimentum deformitatis & notabilis defectus qualem Eunuchi habent, & ætatis teneræ, vel prouectæ, matrimonij rati, generis infecti, & maioratus. *Regula Prouincialis 35. & 36.*

CAPVT II.

De Societatis Iesu Nouitiatu.

11 *Nullus ante decimum quartum ætatis annum potest ad Societatis probationem admitti.*

NVLLVS infrà decimum quartum ætatis annum potest ad probationem recipi. Et licèt Præpositus Generalis valeat aliquem nondum complentem pubertatem sub regimine nouitiorum admittere, sicuti possunt aliorum Ordinum Prælati impuberes induere habitu Regulari: at quousque pubertatem compleat verus nouitius non est, nec verum nouitiatum vtilem professioni, seu incorporationi cõstituit. Quia in hac parte nullum speciale priuilegium Societas contra ius commune obtinet, neque habere expediebat. Sanchez *lib. 5. Decal. c. 4. n. 22.*

Præter

12 *Duplex probationis annus Iesuitis præscribitur.*

Præter annum probationis, integrum quidem, qui communiter cunctis Ordinibus indicitur, alius annus à Societate adiicitur *exam. cap. 1. § 11.* concessus sanè à Paulo IV. Iulio II. & Gregor. XIII. *in sua constit. Ascendente Domino.* vbi dicit, hanc longam probationem in Societate statutam fuisse, quia eius ministeria viros diu probatos, & in solidis virtutibus fundatos requirunt.

13 *Potest R. P. Generalis ad vota biē. admittere Socium non expleto biennio, sed non licitè.*

Porro Generalis Præpositus potest validè admittere ad vota Scholasticorum, vel Coadiutorum Nouitium hand expleto biennio, tametsi ea admissio esset illicita, quia *constitution. p. 5. cap 1. lit. C.* biennium Præposito Generali contrahere, iusta intercedente causa permittitur. At in *decreto 9. & 50. Congreg. 5.* hæc potestas non adimitur, sed solum vsus prohibetur. Expressè enim *decreto illo 9.* inquit Congregatio, se non intendere eam facultatem Præposito Generali abrogare, sed solummodo facultatis vsum prohibere, vndè si de facto ante expletum biennium Nouitium admittat ad vota scholasticorum, vel Coadiutorum, validè admittet, sed illicitè faciet. Lege Ferdinandum à Castro *to. 3. d. 1. de statu Relig. pun. 14. n. 5.*

CAPVT III.

De dispositione bonorum, renunciationeve eorum à Societatis Nouitio facienda.

14 *Fit renunciatio absolutè & independenter à perseuerantia.*

QVOTIES renunciatio fit à Nouitio Societatis (& fortiori ab iis, qui vota Scholasticorum emiserunt) in pauperes, operave pia, sit absolutè, & independenter à perseuerantia in Societate: ac proinde si ante votorum emissionem, vel post ante professionem, è Societate dimittatur, nulla debent ei bona restitui, quia Nouitius, vel Religiosus Societatis de suis bonis in pia opera disponens, præsumitur, eam intentionem in sua dispositione habere, quam Societatis constitutiones præscribunt; semper enim quis præsumitur operari conformiter ad sui status regulas, & obligationes. At Societatis regulæ præscribunt, renunciationem fieri independenter à conditione professionis, seu votorum emissione, siquidem præscribunt eroganda pauperibus vel in alia pia opera iuxta propriam cuiusque deuotionem diuidenda, omnem à se fiduciam submouendo eadem vllo tempore recuperandi. *Exam. gener. cap. 4. & p. 3. constit. cap. 1. num. 7. & 25. & p. 4. cap. 4 lit. E.* Molina *tom. 1. de iust. d. 19.* Suar. *tom. 4. de Relig tract. 8. l. 3. cap. 14. num. 22. & tract. 10. l. 4. cap. 4. n. 19.* Sanchez *l. 7. Decal. c. 1. n. 24.*

15 *Quid si renunciatio*

Profecto si renunciatio facta sit in fauorem Societatis tempore nouitiatus, & ante vota biennij Nouitius dimittitur, omnia ei redduntur ex æquitate, quamuis ex iustitia *fiat in fauorem Societatis.* nulla est obligatio. Verùm si post biennij vota dimittitur, solùm debet Societas pro qualitate, ac quantitate receptæ donationis alimenta renuncianti præbere, dum egenus est, & aliundè non habet, vndè sustentetur: alioquin ob ingratitudinem renuncians donationem poterit reuocare. Ex Sudi *de aliment. tit. primo quæstion. 48.* doctrina annotat Sanchez *l. septimo Decal. capit. primo numero 39.* Idem colligo ex Suario *tomo 4. de Relig. tract. 8. l. tertio capit. 14. numero 22. & 23.*

16 *Quid si facta sit extra constitutionum normam.*

At si renunciatio facta sit extra constitutionum normam, nempe in consanguineos, & amicos non egentes, aliave opera profana, crediderim probabiliter, non procedere ex animo, vt firma sit, professione non sequuta, quia non apparet specialis ratio hunc animum absolutè donationis potius in Societate, quam in aliis Religionibus præsumendi. Sanchez *l. septimo. Decal. capit. primo numero 37. & 38.* Additque votis biennij hanc donationem non confirmari.

17 *Non habet locum prohibitio Trimestri in renunciationibus Iesuitæ.*

Certum verò est, prohibitionem, & annullationem renunciationis factam à Tridentino *sess. 25. capit. 16.* & solemnitatem ibi-dem requisitam pro renunciatione intra bimestre professioni proximum non habere locum in renunciationibus Iesuitarum iuxta eorum institutum factis, cum expressè Concilium eos exceperit dicens: *Per hæc tamen non intendit sancta Synodus aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu iuxta eorum institutum pium à sancta Sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit.* Ex quo fit, quocumque nouitiatus tempore, & absque licentia Ordinarij Nouitios Societatis suis bonis cedere posse. Manuel. *tomo secund. qq. Regul. quæstion. 47. a. vlt.* Sà *v. Religio, numero quinto.* Molina *tomo primo d. 139.* Lessius *l. secund. capit. 42. dub. quart. numer. 41.* Sanchez *l. sept. Decal. capit. 5. num. 9.* Barbosa *p. tertia de potest. Episc. allegat. 99. fine.*

18 *Facta renunciatione in Societatis fauorem, potest Societas ea bona capere, ac retinere.*

Facta vero hac renunciatione in fauorem Societatis, potest Societas ea bona capere, ac retinere, quia Concilium approbat renunciationem, & donationem quamlibet factam à Nouitiis Societatis iuxta pium eius institutum. Ergò approbat donationem, ac renunciationem factam in fauorem Societatis vtpote eius conformem instituto. At ex hac approbatione manifestè fit, bona renunciata Societati tradi posse, & debere, cum sit renunciatio absoluta, & absque vlla recuperationis spe. Ergò Societas potest, ea bona capere ac retinere. Sanchez *l. 7. Decal. cap. 5. num. 11.*

CAPVT

CAPVT IV.

De obligatione ingrediendi Societatem tribus substantialibus votis annexa.

19 *Votis simplicibus annexa ingrediendi Societatem promissio, votum est.*

SCHOLARES, & Coadiutores non formati emittentes in Societate vota simplicia, simul promittunt, se Societatem ingressuros, vt vitam in ea perpetuo degant, promissionem hanc intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones. Hæc quidem promissio votum est; quia fit *diuinæ Maiestati*, vt constat ex formula, qua emittitur. Ita declarauit Congreg. 5. Generalis *decreto 3. & can. 2.*

20 *Huius voti materia.*

Huius voti materia est, professionem, vel vota Coadiutorum formatorum emittere, prout placuerit Societati. Obligat ergo se hoc votum emittens, ad acceptandum gradum professorum, vel Coadiutorum formatorum, prout Præposito Generali ad maius Dei obsequium fore videbitur. *Exam. cap. 7. §. 1. & 5. Congreg. gener. 5. decr. 3. can. 2.* Profecto materia hæc digna est voto, quia gradus Professorum, & Coadiutorum formatorum perfectior est, quam gradus Scholariis, & Coadiutoris non formati.

21 *Quies superior designat absolutè gradũ, ex vi voti illius teneris acceptare.*

Hinc fit, quoties superior designat Scholari, aut Coadiutori non formato gradum absolutè & efficaci voluntate, teneri eum ex vi quarti illius voti acceptare, quia eo ipso impletur conditio sub qua votum fuit emissum. At si conditionatè tantũ gradus offeratur, vt contingit, cum gradus offertur vti gratia, ac beneficium Religionis, quod subditis præstat, haud erit transgressor voti eum gradum non admittens, quia non ei absolutè offertur, sed sub imbibita conditione, si gratus ei fuerit. Palao *tomo 3. d. quint. de statu Relig. punct. 1. num. 4.*

CAPVT V.

De obligatione specialis curæ in puerorum eruditione Professis, ac Coadiutoribus formatis annexa.

22 *Materia huius obligationis.*

PROFESSI, ac Coadiutores spirituales formati, cum sua vota emittunt, exprimunt se vouere obedientiam specialiter circa puerorum eruditionem. Materia huius obligationis est puerorum (sub quibus rudes homines comprehenduntur) eruditio tum in iis, quæ ad fidem pertinent, eos in doctrina Christiana, & mysteriis diuinis instruendo; tum in iis, quæ ad mores attinent incitando ad præceptorum obseruationem, & ad pietatis, Religionisque officia. Hanc itaque curam vouent Professi, & Coadiutores spirituales formati sibi à Superioribus per virtutem obedientiæ illis mandata sic. Sic in formula *Et secundum eam* (scilicet obedientiam) *peculiarem curam circa puerorum eruditionem.* Vndè seclusa obedientiæ præcepto, nulla est illis huiusmodi eruditionis obligatio.

23 *Debent illi quadraginta.*

In huius autem ministerij promotionem, & obseruationem cauetur, vt quilibet professus quadraginta diebus huic eruditioni incumbat. *Cong. gener. 2. decr. 48.* ibi: *Quinis ta diebus professus quatuor, vel trium votorum, quinis hanc eruditionem coadiutor spiritualis formatus post editionem professionem, vel vota simplicia intra annum per quadraginta dies continuos, vel interpolatos doctrinã Christianam pueros, atque rudes personas docere teneantur.* Teneantur quidem sub voto, si eis sub obedientiæ virtute præceptum sit; aliàs solùm ex regula, & instituto ad peccatum non obligante.

24 *Idem Rectoribus cum officium suscipiunt, imperatur.*

Præterea Rectoribus cum primum officium suscipiunt iniungit D. Ignatius *p. quar. Const. cap. 10. §. 10.* vt per quadraginta dies doctrinam Christianam legant, aut doceant: *cum officium legant, inquam, & doceant per se. Si tamen suscipiunt,* conuenire non videbitur ad ædificationem, vel ob aliam causam sufficientem, vt Rector ipse legat; re cum Prouinciali communicata, si eiusdem ille sententiæ fuerit per alium illud munus obire poterit.

CAPVT VI.

De quarto Professorum voto circa specialem summo Pontifici obedientiam.

25 *De Professis quatuor votorum.*

PROFESSI Societatis Iesu, qui quatuor votorum vocantur, vltra tria vota solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittunt aliud quartum etiam solemne obediendi summo Pontifici in missionibus peragendis ad animarum salutem. *Const. p. 5. cap. 3. §. 3.* Hac vero forma emittitur: *Insuper promitto specialem obedientiam summo Pontifici circa missiones, prout in litteris Apostolicis, & constitutionibus continetur.* Ex vi huius voti tenentur Professi exequi quidquid circa hoc Pontifex Romanus imperauerit, sine vlla tergiuersatione, ad quascumque prouincias eos immiserit, siue mittat ad Turcas, ad Indos, aliasve Infidelium regiones. Lege Bullam Iulij III. nostrum institutum confirmantem: & Bullam Gregorij

gorij XIII. incipientem, *Quanto fructuosius*,

26 *Huius quarti voti materia.*

Materia itaque huius voti est summo Præsuli obedire in missionibus peragendis, v.g. ire siue equites, siue pedites in quascumque orbis plagas iusserit, ibique commorari, & ministeria spiritualia iuxta Societatis morem in animarum salutem exercere Pontificis arbitrio, quia hæc omnia sub *Missione* continentur. Quæ debent præstari nulla *tergiuersatione, & excusatione* apposita, id est, quæ frinola sit, & inanis; secus de excusatione iusta, & legitima, hanc enim Superiori proponere & menti Pontificis, & Societatis constitutionibus est conforme. Suar. *tomo* 4. *de Relig. tract.*10. *l.*6.*cap.*4. *num.*11. Sanchez *l.*6. *Decal.cap.*18.*num.*6. Præterea hæc præstare debent nullo viatico petito, subsidiove expectato, tum pro itinere peragendo, tum pro ibi commorando. Solum enim permittitur Pontifici repræsentare, quæ sit ipsius mens de modo itineris gerendi, & ibidem quò mittitur manendi: num ex Eleemosynis propter Christi amorem emendicatis, an alio modo viuendo. Porro ad hæc præstanda ex obligatione hoc votum necessarium fuit, quia reliqui Christi fideles, & Religiosi aliorum Ordinum, & Societatis non professi, obligari nequeunt à Pontifice, vt in remotissimas mundi partes proficiscantur, ibique commorentur, nisi communi Ecclesiæ bono maximè expediret: neque tunc obligantur ex voto, sed ex subiectione, quam debent Pontifici tanquam vniuersalis Ecclesiæ capiti, ac Christi Domini Vicario, Palao *t.*3.*d.*5.*pun.*4. *numer.*3.

27 *Votum hoc quartum solemne est.*

Votum autem hoc solemne esse, haud potest in dubium adduci, cum expresse definitum sit à Gregor.XIII. *in Bulla*, quæ incipit, *Ascendente*, ibi: Tribus illis substantialibus votis solemnibus quartum similiter solemne addunt speciale summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ. Verùm solemnitas huius voti in eo consistit, quod medio illo se Religiosus tradit in dominium, & potestatem Pontificis in ordine ad missiones peragendas, ita vt in ordine ad hunc finem iam non sit sui iuris, sed Religionis, & Pontificis. Quod adeo est verum, vt si Religiosus, emisso hoc voto, vellet de se aliter disponere, infirma esset dispositio, ac peccaret non solùm contra Religionem, sed & contra iustitiam ob ius à summo Præsule acquisitum. Quæ in voto simplici obedientiæ non procedunt. Suar.*tom.*4.*de Relig.tract.*10.*l.*6.*capit.quart. num.*38.*&* 39.

28 *Quando sub graui culpa teneatur Professus quatuor votorum, obedire circa missiones.*

Demùm vt innotescat quando Professus noster sub graui culpa teneatur obedire Pontifici, vel Præposito Generali nomine ipsius iniungenti missiones, affirmo, quoties in nomine Iesu Christi, seu virtute obedientiæ præceperit. Quoniam enim suam voluntatem his verbis, vel æquiualentibus explicet, non censetur velle præceptum imponere, & grauem obligationem inducere, quia censendus est præceptum imponere modo Societati accommodato. At in Societate *p.*6.*Const. cal.vlt.* cautum est, non esse censendum præceptum, nisi præfatis verbis impositio fiat. Ergo quousque Pontifex suam declaret voluntatem, obligationem grauem non inducit. Suar. *tom.*4.*de Relig.tract.*10.*l.*6.*c.*4.*n.*36.

CAPVT VII.

De obligatione Professi quatuor aut trium votorum circa paupertatem non relaxandam.

29 *Votum hoc explicatur.*

TRIVM & quatuor votorum solemnium Professi Societatis statim post emissam Professionem in Ecclesia coram domesticis, ac externis ad Sacristiam accedunt, ibique quinque vota simplicia emittunt, quorum meminit Gregor. XIII. *in Bulla Ascendente Domino.* Votum primum est de non relaxanda Societatis paupertate. Finis quidem, qui D. Ignatium mouit ad huiusmodi votum præscribendum, fuit, vt Societas in suo primæuo feruore conseruaretur; asseruit namque *p.*10.*Const.*§.5. paupertatem murum esse, ac propugnaculum aduersus dæmonis insidias.

30 *Huius voti materia.*

Materia autem voti distincta est à materia voti solemnis paupertatis, quia alias non essent vota distincta. Nam materia voti paupertatis prohibita est vsus cuiusuis rei temporalis tanquam propriæ stante lege, ac consuetudine prohibente sub voto prædictum vsum. At materia voti non relaxandi paupertatem est non alterandi, nec immutandi prædictam legem. Hoc votum est negatiuum; negat enim omnem actionem, & consensum pro paupertate in constitutionibus ordinata immutanda. Proinde facies illi satis nihil agendo. Prohibet equidem in primis assensum siue consultiuum, siue decisiuum de immutanda paupertate præstare in conuentu totius Societatis congregatæ. Deinde prohibet quamlibet procurationem, diligentiam, ac positiuum fauorem ad dictam immutationem obtinendam. Ex Suario ac Thoma Sanchez.

31 *Transgressionis huius voti grauitas.*

Cæterum de qualitate obligationis voti huiusce certum mihi votum hoc grauem inducere obligationem; quia materia grauissima est, vtpote Religionis conseruationi maximè necessaria. Vnde cum Palao *tom.*3. *d. quint. punct.*4. *num.*7. existimo, non solum suffragium decisiuum in Congregatione pro relaxanda paupertate, sed quamcumque illius procurationem lethale peccatum aduersus hoc votum simplex existere.

CAPVT

CAPT VIII.

De voto simplici non ambiendi Prælationem intra Societatem.

32 *Votum secundum, de non ambiendo intra Societatem Prælationẽ.*

VOTVM secundum, quod Professi in Societate emittũt, est de non ambienda prælatione vlla, vel dignitate in Societate. Esse hoc votum licitum, ac sanctum nemini potest esse dubium, cum sæpè à sede Apostolica sit approbatum, speciatim a Gregorio XIII. *in Bulla, Ascendente.* Certè Societati est conuenientissimum, cum hac via præcluditur aditus ambitioni, contentiones, inuidiæ, dissensiones, calumniæ aliaque huius generis mala vitantur, & felix Societatis asseruatur status, sunt quidem hæ rationes quæ D. Ignatium adduxere ad huius voti, præscriptionem. *p.* 10. *const.* §. 6.

33 *Huius voti materia.*

HUIUS voti materia est negatiua, nempè non agere, nec prætendere etiam indirectè aliquam in societate prælationem, vel dignitatem. Vnde huic voto professus satisfaciet, dum non agit, nec prætendit: etsi non desideret, appetatque dignitatem, obligari enim voto ad non desiderandum, vel appetendum interius dignitatem, conueniens non erat, quia multis scrupulis, & conscientiæ anxietatibus esset expositum. Vas. 1. 2. *q.* 74. *a.* 8. *d.* 115. *c.* 3. *fine.* Suar. *to.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 6. *c.* 7. *n.* 9. Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 18. *n.* 28.

34 *Quid nomine prælationis, & dignitatis hîc intelligatur?*

Quid autem nomine prælationis, & dignitatis in societate intelligatur, explicat *Congregatio 7. decreto 44. aliàs 37. & 38.* asserẽs nomine dignitatis & prælationis idem in societate significari: ac proinde venit intelligẽda dignitas & prælatio ordinaria, ac delegata. Ordinaria dignitas est est Generalis, Prouincialis, Præpositi, & Rectoris. Delegata Cõmissarij, Visitatoris, Vice-Generalis, Vice-prouincialis, Vice-Præpositi, & Vice-rectoris. Sanch. *l.* 6. *Decal c.* 18. *n.* 25. Vnde infero, non esse contra hoc votum prætendere esse Procuratorem, esse Assistentem, Ministrum, prædicatorem, Lectorem Theologiæ, quia hæc omnia officia sunt, non dignitas, neque prælatio. Suar. *to.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 6. *c.* 7. *n.* 14. Qui quidem de officio Procuratoris satis inclinat, sub voto debere comprehendi ob potestatem quã suscepit societatem gubernandi, & Generalem eligendi. Cui quidem assentior.

35 *Pœna huius voti transgressoribus præscripta.*

PORRÒ huius voti transgressoribus imposita est pœna inhabilitatis, & incapacitatis ad quamcumque prælationem. *Const. p.* 10. §. 6. Vt autem pœna hęc locum habeat, opus est sententia saltem declaratoria criminis, quę sine probatione manifesta dari non potest. Demum qualiter ambitionis Generalatus probatio agenda sit à *const. p.* 8. *c.* 6. §. 2. traditur.

CAPVT IX.

De voto nullam prælationem aut dignitatem extra Societatem procurandi, acceptandive illam, quin à summo Præsule obligentur.

VOTVM tertium, quod Professi emittunt, est non procurandi vllã prælationem, aut dignitatem, extra societatem, neque illam acceptandi, nisi ex præcepto teneantur. Vt scilicet vnusquisque animarum saluti iuxta nostrę professionis humilitatem, & submissionem inseruiat. Et ne societas eis viris, qui ad propositum sibi finem sunt ei necessarij, priuetur. *Const. p.* 10. §. 6. & *Bulla* Gregor. XIII. *Ascendente.* 36 *Tertium votum pręs professionẽ emissũ.*

Materia huius voti est exclusio cuiuscumque negotiationis circa dignitatem, seu prælationem extra societatem, etiamsi ea prætentio non finem vanum, sed aliàs honestum haberet. Deinde est negatio liberę & spontaneę acceptationis dignitatis oblatę. Ea enim repugnantia non euacuat perfectionem obedientię, sed perficit. Gregor. relatus in *Cap Sciendum* 8. *q.* 1. *Si obedientiæ* (inquit) *palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione, aduersis etiam ex deuotione militamus.* 37 *Huius voti materia.*

Prælationis nomine Episcopatus, Abbatia, Prioratus, Vicariatus Episcopi, & quęlibet alia dignitas iurisdictionem habens intelligitur, sub *dignitatis* vocabulo non solùm Cardinalatus, sed quęlibet dignitas tum Ecclesię Cathedralis, tum Collegiatę, licet iurisdictionem non habeat, comprehenditur. Palao *p.* 3. *d.* 5. *de statu Relig. punct. quinto numero secund.* 38 *Quid prælationis & dignitatis nomine intelligatur.*

Contra votum hoc delinquentibus nulla specialis pœna ipso iure præscribitur, sicuti ambientibus prælationem intrà societatem, quia hoc crimen magis priuatum est, nec ita Religioni nocet. Vnde iudicatum fuit satis esse, pœnam superiorum arbitrio remittendam. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 6. *c.* 7. *num.* 16. 39 *Nulla specialis pœna delinquenti præscribitur.*

CAPVT X.

De voto ambientes prælationem manifestandi.

VOTVM votum simplex à professis emissum est de denuciantibus societati, vel eius præposito ambientibus dignitatem intra, vel extra societatem. 40 *Quartum votum simplex.*

Societatem *Congr. tertia gener. decre. 34 alias* 46. Approbatur a Gregor. XIII. *in Bulla Ascendente.*

41 *Eius materia.* Materia huius voti est denunciatio non solùm quæ alias est obligatoria ex iustitia, vel Charitate: sed etiam illa, cuius nulla est obligatio: honestè tamen & vtiliter fieri potest, quia votum generaliter absque vlla restrictione emittitur, vnde quamlibet denunciationem honestè faciendam comprehendere debet.

42 *Tenetur denunciare delictum hoc non emendatum quoad effectum.* Delictum non emendatum quoad eius effectum denunciare professus tenetur, licet emendatum sit, quoad culpam. Potest enim contingere, quod aliquis prælationem ambierit, & de ea pœnitentiam egerit, attamen effectus ambitionis emendatus non sit, sed tñ in pendenti, efficaciterque electorem monens ad electionem. Eo casu iudico obligatum esse denunciare, quia ille ambitiosus in virtute & in effectu, molitur, agit, & procurat prælationem. Et quia finis, ob quem votum iniungitur, nempè ne dignitates ambitione obtineantur, integer perseuerat. Suar. *tomo quart. de Relig. tract.* 10. *l. sext. capit.* 10. *numero* 17. Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 18. *num.* 60.

43 *Debet certo ei constare emendatum esse quoad culpam, & quoad effectum vt excusetur à denunciatione.* Vtà denunciatione quis excusetur, constare ei certo debet, delictum tam quoad culpam, quam quoad effectum esse emendatum. Si dubius est, denunciare tenetur, quia votum est certum, certaque eius obligatio, quam ob dubiam excusationem haud potest excutere. Sanchez *l. sext. Decal. capit.* 18. *num.* 60. *fine.*

44 *Requiritur certa delicti notitia.* Necessariò requiritur certa delicti notitia ad denunciandi obligationem: tametsi aliquando expediat suspicionem delicti superiori vt Patri manifestare, vt ipse diligentius ad damna præcauenda inuigilet. Et vt ab eo tollat suspicionem, si firmo fundamento caret. Suar. *tomo quart. de Relig. tract.* 10. *l.* 6. *capit.* 10. *numer.* 11. Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 18. *num.* 55.

45 *Non est opus, delictum esse publicum.* Opus non est, delictum esse publicum, vt quis ex vi huius voti denunciare teneatur, quia cum denunciatio hæc non tam ordinetur ad puniendum delictum, quam ad corrigendum delinquentem, & bono communi consulendum: publicatione non indiget, sed qualibet certitudine morali contenta est. Suar. *t.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 6. *c.* 10. *numero* 12. & 23. sanchez *l. sext. Decal. capit.* 18. *numero* 56.

46 *Non tenetur, sed potest fraternam præmittere correctionẽ.* Ex obligatione voti non tenetur Professus correctionem fraternam præmittere, quia solum vouit denunciare, non tamen correctionem denunciationi præmittere. Neque regulariter ex Charitate tenetur, Quia est delictum cedens in detrimentum communitatis, taroque per secretam monitionem impeditur. Suar. *tomo quart. de Relig. tract.* 10. *l. sext. capit.* 10. *numero* 32. & 33. Verum ex voto non impeditur quin correctionem fraternam, si velit, præmittat, quia non vouit denunciare, nulla correctione præmissa. Neque ex eo quod præmittat correctionem à voti executione impeditur: cum possit, delinquente plenè non emendato, denunciationem agere. Expectare vero hanc materiæ mutationem ex correctione & Charitate proximi consentaneum est, nec voto contrarium. Suar. *ibid.* 31.

CAPVT XI.

De voto audiendi Præpositi Generalis consilium, idque exequendi, si Professus in Episcopum assumatur.

VOTVM quintum Professi est, non detrectandi consilia Præpositi Generalis, vel ab eo substituti audire, eaque exequi, si meliora, & Deo gratiora iudicauerit. si fortè fuerit alicuius Ecclesiæ electus in Præsulem. *Congregat. prima & tertia.* Huius voti finis est, vt propriæ ille saluti consulat, & recte sese in muneris sibi impositi administratione exerat. 47 *Votum quintum à professo emissum.*

Materia est duplex. Prima non detrectare Generalis, vel alterius è societate ab eo substituti audire Consilium de rebus ad propriam animæ salutem, & rectam officij administrationem pertinentibus. secunda vero est executio illorum consiliorum, quæ meliora, & Deo gratiora esse iudicauerit. Non voues sequi Generalis consilium etiam si honestum sit: quia id esset tacitè ac virtualiter Generali obedire, quod Episcopali dignitati non expediebat, sed voues illud exequi, casu quo iudices melius & honestius existere, quam quod tibi in mentem venerit. *Constit. p.* 10. §. 6. 48 *Duplex huius voti materia.*

Profecto Præpositus Generalis nullam habet obligationem præter communem Charitatis, per se, vel per alios hos Prælatos monendi, quia nec eam obligationem habet ex voto, vt de se constat: neque ex constitutionibus, cum potius *p.* 10 §. 6. *in declarat.* ab ea obligatione eximitur. *Non tamen* (ibi) *obligatur Societas, ad hoc munus suscipiendum, quandocumque alicui ex ea Episcopatus esset admittendus: imo libera manet, vt id oneris, & relinquere, & assumere possit, vbi multum referre ad Dei obsequium iudicauerit.* 49 *Non obligatur P. Generalis hos Prælatos monere.*

CAPVT XII.

De Dimissione è Societate.

IN Societate alij sunt Religiosi simplicibus solum votis alligati, alij solemnibus. Quicumque ex his dimitti 50 *Duplex genus Reli-*

gioſorum Societa, is diſtinguo, circa dimiſſionem.

dimitti poteſt, ſed diuerſimode. Nam votis ſimplicibus alligati liberi dimittuntur: alij vero ſuis votis adſtricti, ſicuti reliquarum Religionum Profeſſi, *p. ſecund. Conſtit. capit. primo & ſecund.* & *Bulla Gregor. XIII. Aſcendente.* Hæc autem diuerſitas naſcitur ex modo diuerſo, quo hæc vota ſimplicia, & ſolemnia emittuntur. Nam emittens vota ſimplicia Religioni traditur, quouſque Religio eum retinendum eſſe iudicauerit: quare ſi Religio iudicet, expediens eſſe eum dimittere, ceſſat eius obligatio ad vota ob defectum conditionis, ſub qua fuerunt emiſſa. At Profeſſionem, ſeu ſolemnia vota emittens, non ſub ea conditione emittit, ſed abſolute: ipſaque Religio ſe obligat ad illum ſaltem quoad vinculum & votorum firmitatem perpetuo retinendam: ac proindè cum illum dimittit, liberum dimittere non poteſt, ſed votis illigatum. Poteſtas hæc dimittendi tam Profeſſos, quam non Profeſſos penes ſolùm Præpoſitum Generalem reſidet, eamque aliquando Prouincialibus committit reſpectu non Profeſſorum. *Conſtit. part. ſecund.*

51 *Ad quatuor capita reducuntur cauſæ, quibus Societas ſuos Religioſos non profeſſos valeat dimittere.*

D. Ignatius *p. ſecund. Conſtit. capit. ſecund.* cauſas enumerat, ex quibus Societas ſuos Religioſos non profeſſos dimittere valeat, eaſque ad quatuor capita reducit. Primum eſt, ſi grauiter diuina Maieſtas offenderetur ex tua in Societate retentione; eo quod ita ſis perditus moribus, vt incorrigibilis cenſearis. (Ex hoc capite etiam profeſſi in aliis Religionibus poſſunt dimitti.) Secundum eſt, ſi exiſtimaretur tui in Societate retentionem contra eius bonum fore; bonum enim commune ſingulari eſt præferendum. Porro retentio cenſenda erit contra Societatis bonum ſi in probationum decurſu aliqua impedimenta, vel inſignes defectus, quos antea in examine tacuiſſes, degerentur. Vel ſi damnum allaturus aliis malo vitæ exemplo iudiceris: ac præcipuè ſi iniquum te oſtendas, & verbis, aut actibus offendiculum aliis exhibeas, eos ad inſtabilitatem vocationis præcipue ſuadendo, vel ad diſcordiam: vel ſi quid contra ſuperioris, vel Societatis commune bonum moliaris. Tertium caput eſt, ſi Religioſi in Societate perſeuerantia iudicaretur eſſe in eius, ac Societatis damnum. Quod tam ex parte corporis, quam ex parte animi poteſt accidere. Ex parte corporis, ſi tempore probationis ante Profeſſionem, vel gradum Coadiutoris formati deprehendatur morbum, vel debilitatem habere, quorum non poſſet progredi in laboribus, quos noſter procedendi modus requirit ad Deo inſeruiendum. Quartum denique ſi illius in Societate retentio cederet in damnum aliorum, qui è Societate non ſunt; quia bono nomini Societatis contradicit miniſtros ſuos cum aliorum iniuria retinere. Vnde ſi quis deprehendatur vinculo matrimonij, vel ſeruitutis legitimæ, ve'ære alieno magni momẽti adſtrictum eſſe: debet expelli, & præcipuè cum ea tacuerit, dum initio fuit examinatus. Ex *Conſtit. ſecund. & quart. p.* de ſumpſit

55 Enim verò liber à votis non dimittitur, ſed vere eſt apoſtata, apoſtatarumque cenſuris ac pœnis ſubiacet, qui dimiſſionem obtinet non ex veris ſed fictis cauſis, v. gr. ſi fingas graues lapſus carnis grauiaque alia crimina, vel grauem difficultatem in illis ſuperandis ad dimiſſionem extorquendam. Hæc enim dimiſſio nulla eſt, quia non adeſt cauſa ratione cuius fuerit conceſſa. Sanch. *lib ſex to Decalog. cap. 9. nnmer. 67.* & expreſsè traditur in *Congreg. 9. 7. decret. 18. §. 4.* Idem dixerim, ſi ex cauſis veris, ſcilicet grauibus delictis ſine extorquendi dimiſſionem perpetratis, dimiſſionem obtineas. Quia eſto tibi conceſſa ſit dimiſſio illorum delictorum occaſione: at creduntur ea delicta ex infirmitate, indoleque depranata fuiſſe commiſſa: non autem ex induſtria, & ad finem extorquendi dimiſsionem. Sanch. *illo cap. 9. n. 66.* *Dimiſſio eſt nulla ſi cauſæ fictæ obtineantur, vel ex veritate, ea in ſtratu.*

Qui autem iniquis mediis dimiſsionem extorquet, tenetur ad Religionem redire, quia dimiſsio nulla fuit. At ſi fraude detecta, ſuperior poteſtatem habens recipiendi, ac dimittendi, nollet eum recipere, eo ipſo liber à votis erit, quia illa repulſa eſt tacita dimiſſio, ac præcedentis dimiſſionis ratificatio. 56 *Quo ſic dimiſſionem impetrauit tenetur ad Religionem redium procurare.*

Si magna inſtantia, & continua importunitate quis dimiſsionem extorqueat, valida erit dimiſsio. Quia inſtantia illa non reddit conceſsionem ſimpliciter inuoluntariam: & ex alia parte præſtat ſocietati ſufficientem expulſionis cauſam; ſocietas enim ad ſua miniſteria exercenda ſocios voluntarios, & inſtituto ſuo bene affectos expoſtulat. Aſt ille à peccato mortali non excuſabitur, quia perſeuerantiæ obligatio fuit à votis inducta, quantum eſt ex parte Religioſi: At ad obtinendam huiuſmodi perſeuerantiam neceſſaria eſt voluntas illius, & ad ſelſgionem affectus: Ergo qui voluntatem, & affectum ſaltem mediocri diligentia non procurat, ſed potius ſua inſtantia, & continua importunitate à ſe remouet, aduerſus votum procedit. Sanchez *l. 6. Deſal. cap. 9. num. 60.* Qui quidem *n. 69.* addit culpam mortalem committere, qui mediocrem diligentiam non adhibet in vitandis culpis aliàs non grauibus, ex quibus quis præſumit, ſe à Religione dimittendum. 57 *Si magna inſtantia quis dimiſſionem extorqueat, valida erit dimiſſio. Sed grauiter ille delinquet.*

CAPVT XIV.

De tranſitu è Societate in alium Ordinem.

58 *Societatis priuilegia circa eos, qui ad alios Ordines tranſferri licet votorum ſimplicium ad alium Ordinem, præter quam Carthuſienſium, tranſire poſsit, niſi curare teneatur cenſeo.*

SOCIETAS priuilegium à Paulo III. in Bulla incipiente *Licet debitum* edita anno 1549. & à Pio V. in bulla quæ incipit *Æquum reputamus* edita anno 1565. obtinuit, vt nullus ſiue profeſsus, ſiue coadiutor formatus, ſiue Scholaris ſtriam ſcilicet votorum ſimplicium ad aliũ Ordinẽ, præter quam Carthuſienſium tranſire poſsit, niſi curare teneatur cenſeo.

de expressa licentia Præpositi Generalis, aut sedis Apostolicæ sub pœna excommunicationis reseruatæ Pontifici, vel Societatis Præposito tam aduersus recipientes, quam receptos: declaratque Pontifex transitum esse nullum. Volenti verò ad Carthusiam transire, tempus trium mensium est præscribendum: ad alium autem Ordinem Generalis Præpositi arbitrio relinquitur. Quod si intra præfatum tempus non ingreditur, vel non admittitur, vel non peruenerat admissus, ad Societatem redire tenetur sub prædicta excommunicatione: quam tam ipse, quam eum recipientes, vel ei auxilium, consilium, vel fauorem præstantes incurrunt. Insuper concessit Pius V. viuæ vocis oraculo: confirmatumque est à Gregorio XIII. in Bulla incipiente, *Dilecte fili* edita anno 1584. vt quilibet è Societate semel tantum absque Præpositi Generalis consensu tentare valeat Carthusiæ ingressum: cuius gratiæ communicationem aliis Religionibus interdixit. Præterea Gregorius XIII. in Bulla incipiente, *Cum alias felicis recordationis* edita anno 1582. intendens dubitationem tollere, quæ ex his priuilegiis oriri videbatur: an, inquam, Præpositus Generalis posset etiam Professos ex causis id exigentibus à Societate emittere? aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quemuis alium Mendicantium, vel non Mendicantium Ordinem transferre? Re perpensa, diligentiusque examinata, Societatis puritati, ac incremento, emissorumque saluti consulere volens, statuit, vt deinceps in perpetuum liceat Generali Præposito, quos iudicauerit à Societate emittere, eosque de ipsius Prælati licentia non tantum ad Carthusiam, sed ad quemuis alium Mendicantium, vel non Mendicantium paris, laxioris, aut arctioris obseruantiæ Ordinem per ipsum Præpositum Generalem illis præscribendum, de consensu tamen superiorum loc. illius, quo destinabuntur demigrare. Interdicitque hanc gratiam Ordinibus reliquis communicari. Denique Paulus V. anno 1610. & 3. April. Carmelitis discalceatis concessit, vt nullus ex Ordine suo possit ad Carthusiam transire, nisi petita, & obtenta facultate à suis Superioribus, quam facultatem sibi Generalis reseruauit. Quo priuilegio Societas per viam communicationis fruitur, iuxta Bullam Pij V. quæ incipit. *Dum indefesse* editam anno 1571. & iuxta Bullam Gregorij XIII. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, editam anno 1575. Ex quibus omnibus infero Societatis Religiosos ad nullam Religionem, etiam Carthusiam transire posse sine Sedis Apostolicæ, vel Præpositi Generalis consensu: præpositumque Generalem transitum concedere posse etiam ad Ordinem laxiorem iis, quos è Societate emittere iudicauerit. Sanchez *l. sext. Decal. capit. septim. numer.* 31.

59 *Pontifex non interdixit Iesuitis in*

Vndè elicio, Religiosis Societatis non interdici transitum ad aliam Religionem, quod Societas omnium strictissima, & perfectissima iudicetur: sed quia forte non apparet alia perfectior; & in obseruatione vo-

torum, ac constitutionum strictior, etsi in corporeis asperitatibus aliæ strictiores inueniantur. Ob quā rationem permittere potuit Pontifex vnicum transitum ad Carthusiam, sed non multiplicem. Addo, Pontificem non prohibere Iesuitis in aliam Religionem transitum, sed ne fieret absque eius, vel Præpositi Generalis consensu. Nam cum in huiusmodi transitu non solum spectanda sit perfectio & strictio Ordinis, ad quem fit transitus, sed eius cum Religioso transituro proportio, & conuenientia, animusque ipsius an leuitate, an zelo iustitiæ ducatur: ac denique iactura Religionis desertæ: iustè Pontifex transitum ad perfectiorem Religionem potuit non absolutè, sed absque præfata licentia prohibere, vt hac prohibitione facta, transitus debita consideratione, & consilio maturo fiat. Suar. *t. 4. de Relig. tra. 8. l. 3. c. 12. à n. 5.* *aliam Religionem transitum, sed ne fiat sine licentia.*

60 *Si propositum quis mutet, vel à Religione quam ineat curat, non recipiatur, tenetur ad Societatem regredi.*

Si ante tempus à superiore præfixum, mutet quis transeundi propositum, vel cognoscat in ea Religione non esse admittendum: tenetur sub graui piaculo regulariter ad Religionem Societatis redire, si firmiter mutet ingrediendi propositum, vel certio dignoscat in ea Religione admittendum non esse, tametsi diligentissimè procuret, quia iis positis, inutilis, & frustranea est negotiatio; at licentia concessa est ob spem vtilis & fructuosæ negotiationis: ergò cessante ea spe licentia cessat. Alias Religioso liceret, extra claustrum morari, nulla necessitate, vel vtilitate intercedente; quod non est dicendum. Suar. *tomo quart. de Relig. tract. 8. l. 3. cap. 12. num.* 27.

61 *Societas eum debet recipere regredientem, si in alio Ordine (vt suppono) sed solummodo, vt aliam Religionem experiatur. Sylvest. v. Religio 5 non quart. quæstione quint.* Sanchez *l. sext. Decal. fuit. cap. 7. n. 104.* Suar. *t. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. c. 12. numer.* 30.

Societas verò, ex cuius licentia quis Carthusiam, vel aliam Religionem ingressus est, tenetur eum redeuntem recipere, si ante professionem in Ordine illo factam, regrediatur, quia verus Religiosus Societatis est, à quo non fuit absolutè dimissus, sed

62 *In nulla Religione potest recipi animo extra claustra diu manendi.*

Religio autem, ad quam ex facultate legitima quis Iesuita transit, eum recipere non potest animo impertiendi ei licentiam, vt extra claustrum perpetuo, vel per multos annos remaneat, nisi causa graui, existente, quia esset irrationabilis concessio, & contra bonum Religionis, & etiam subditi, cui occasio diuagandi dátur, & multis periculis exponitur. Profectò is modus recipiendi prohibitus est à Concilio Tridentin. *sess. 14. cap. 11.* Nauar. *comment. 4. de Regul. num. 11. & 12.* Sanchez *l. 6. Decal. c. 7. n. 82.*

CAPVT XIV.

De capacitate Societatis eiusque Religiosorum ad hæreditariam successionem ex testamento, & ab intestato, & ad quodlibet legatum.

Qui solum vota biennij emisit, omnium horũ est capax. Secus Professi & Coadiutores formati, qui solum legati capaces existunt.

63 IN Societate alij sunt Religiosi Professi, alij Coadiutores formati, alij Scholastici, qui Scholares vocitantur. Ex conuentibus autem aliæ sunt Domus Professæ, alia Collegia domusque probationis. Religiosi, qui solum vota biennij simplicia emiserunt capaces sunt cuiuslibet hæreditariæ successionis, & legati, non solum quoad vsum, & administrationem illius ex superioris licentia: sed etiam quoad dominium. Constat ex Bulla Gregor. XIII. *Ascendente Domino*. Professi verò, & Coadiutores formati cuiuslibet hæreditariæ successionis sunt incapaces: non tamen legati, vt Bulla illa, & constitutiones decidunt. Legatum verò ipsis relictum acquiritur Collegio, vel domui, in qua residenti: & iuxta huius capacitatem, vel incapacitatem legatum tenet.

Domus professa incapax est habendi bona stabilia, præter vineam vel hortum ad recreationem.

64 Domus professa incapax est habendi bona stabilia, quales sunt possessiones, annuique reditus, etiam Sacristiæ aut fabricæ Ecclesiæ applicati, præter communem, ac consuetam habitationem, sub qua domus, Ecclesia, & hortus contiguus comprehenditur: & præter aliquam vineam, vel hortum cum sua domo ad Religiosorum leuamen, qui si fructus aliquos habeat, nec locari, nec vendi possunt: tametsi eis Professi vti possint ad sui sustentationem. *Constit. p. 6. cap. 2.* Constat ex Bullis Pauli III. Iulij III. & Gregorij XIII. Societatis institutum confirmantium.

Si aliquid stabile domui professæ relinquatur, debet illico vendi.

65 Si domui professæ aliquid stabile relinquatur, non necessarium ad Sacristiam, vel habitationem, vel recreationem, aut legetur aut donetur: vendi debet quam primum possit. *Const. p. 6. cap. 2. num. 5.* At quia contingit sæpe, statim emptorẽ non inueniri, qui iustam æstimationem impertiat, ideo opportunitas est expectanda. Ex *Constit. præfatæ declaratione.*

Non est contra hanc paupertatẽ reditus ad fabricam relicti. dum modo domus nulla competat actio.

66 Verumtamen non est aduersus hanc strictam domus professæ paupertatem, si aliquis ex fundatoribus domus, vel Ecclesiæ vellet reditus aliquos ad fabricæ vsum relinquere; dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit vnde ei competat actio in illos (quamuis id curæ illi esset, vt is cui tale munus commissum est suum officium præstaret) & sic in rebus similibus. Habetur. *Const. p. 6. c. 2. in declarat. lit. B.*

Nec est contra paupertatem hanc posse haredem bonorum non stabilium instituere.

67 Neque item est aduersus hanc paupertatem, quod domus professa possit hæres instituere, modo non sit de aliquo bono stabili, quia nullibi cauetur, incapacem esse hæreditariæ successionis, in citato enim *Constitut. loco numero 12.* solum dicitur hanc incapacitatem habere ratione suorum Religiosorum: tacitè innuens ex alio capite, scilicet, ex libera testatoris voluntate institui hæredem posse, sicut & Collegium. Molina *t. 1. de iust. d. 195. vers. A regula proposita* Sanchez *l. 7. Decal. c. 27. n. 15.*

Qualiter interdictum sit nobis, ad Eleemosynas domus professæ fidelis excitare.

68 Cum autem domus professæ debeant eleemosynis victitare subdit D. Ignatius *Const p. sexta, capit. secund. numero sext.* Ne vllus ad Eleemosynas perpetuas elargiendas domibus vel Ecclesiis Societatis professæ fideles excitet, ob maiorem scilicet ædificationem, & paupertatis puritatem. At si aliquis simplici suasione excitaret, haud crediderim peccaturum, quia hæc excitatio non est materia voti paupertatis: & ex alio capite sola constitutione prohibetur, & non in virtute obedientiæ: ergò nullo ex capite potest esse peccatum. Suar. *tomo quart. de Relig. tract. 10. l. quart. capit. nono numero nono & capit. 11. fine.* Sanchez *l. septim. Decal. cap. 27. numero 11.* Palao *tom. 3. d. 3. de Statu Relig. punct. 10. num. 6.*

CAPVT XV.

De prohibitione, quam Iesuitæ habent recipiendi pro Missis concionibus, aliisque ministeriis stipendia.

Interdictum est Iesuitæ pro Missis, concionibus &c. stipendium accipere.

69 RELIGIOSIS Societatis est interdictum, pro Missarum Sacrificiis, concionibus, lectionibus, Sacramentorum administratione, aliisq; piis officiis, quæ Religio nostra iuxta institutum exercet, stipendium vllum, vel Eleemosynam, quæ ad compensationem horum ministeriorum conferri assolent, admittere. *Exam. gener. c. 1. n. 3.*

Qualis sit hæc obligatio.

70 Non autem leuis est difficultas, an hæc obligatio sit solùm iuxta regulam, ac constitutionem, vt perfectius paupertatis votum obseruetur, ac cum maiori proximorum ædificatione: an vero sit materia ipsius voti? Nam si solummodo Religiosi Societatis à receptione stipendi huius vel Eleemosynæ abstinere ex regula, & non ex voto obligantur, nullum per se peccatum committent ex illius transgressione, cum nostræ Religionis regulæ ad culpam non obligent, sed solùm ad arbitrariam pœnam. Cuius decisio ad secundam sectionem spectat.

Hoc

71 *Si pecunia detur pro requisitis ad ministeria exequēda potest. recipi.*

Hoc verum existimo si pecunia non pro ministeriis, & in illorum compensationem, sed pro requisitis ad illa exequenda, concedatur, vt si detur pro Religiosorum sustentatione, pro viatico aliisque necessariis ad verbum diuinum seminandum, omninò esse licitam receptionem. Dummodo Societas, vel eius Religiosi non obligentur ad spiritualia ea ministrāda ex obligatione iustitiæ: sed ex gratitudine, aut fidelitate. Palao *t. 3. d. tertia pun. 11 numero sext.* Sanchez *l. 7. c. 28. num. 3. & 4.*

72 *Si accepit quis nostrū pro Missis stipendia & consumpsit, nec Missas celebrauit potest, si non est soluendo, imo debet Sacra illa facere.*

Si Societatis Religiosus stipendium ad Missæ Sacrificia accepit (inique quidem) & consumpsit, neque Sacra fecit, nec est soluendo: vt obligationi ex stipendio accepto satisfaciat, poterit Sacra facere, quia illis Sacris non acquirit stipendium, sed obligationi iustitiæ ex illius acceptione, ac consumptione ortæ satisfacit. Imo non solum posse reor, sed teneri affirmo, quia tenetur obligationi iustitiæ satisfacere, cum id facere possit absque suæ professionis detrimento. Sanchez *l. septim. Decal. capit. 28. n. 15.* addens, *n. 23.* hoc à fortiori procedere, si ante Religionis ingressum, vel nouitiatus tempore, hæc stipendia recepit, ac consumpsit, *sect. 2.* plura.

CAPVT XVI.

De Iesuitarum ratificatione Professionis, reclamatione, ac mutatione habitus.

73 *Potest in Societate Professio ratificari.*

ALICVI videbitur in Societate non posse inualidam professionem, vel incorporationem ratificari, quia modus ordinarius ratificandi professionem inualidam, est tacita professionis emissio. At in Societate non datur tacita professio, cum ei essentiale sit scripto publicè legi, *Const. p. quint. capit. tertio.* At dicendum est, verè esse in Societate professionis, seu incorporationis inualidæ ratificationem, seu reparationem, quia hæc reparatio non solùm iure antiquo, sed nouo Tridentin. *sess. 25. capit. 19.* Taciturnitate quinquennij approbata est in fauorem Regularis status, & in pacem, ac quietem Religiosorum à quo inre Societas excepta non est, nec expediebat excipi. Neque obstat professionem seu incorporationem tacitam non habere in Societate locum, quia hoc est verum de professione, vel incorporatione tacita, quæ primo ac per se fit: secus autem de ea, quæ fit ad reparationem professionis, vel incorporationis inualidæ. Nam cum de hac reparatione nihil Societas disposuerit, & Tridentinum in suo generali decreto Societatem non exceperit, sit plane comprehendere voluisse. Suar. *tomo quart. de Relig. tract. 10 l. 3. cap. 8. a num. 5.*

84 *Et locus datur reclamationi circa Professionē inualidam.*

At cum non semel contingat, professionem esse inualidam, nec sic professum velle eam ratificare: constat ex *Tridentin. citato*, dari resic inualide Professum intra quinquennium à die professionis, & non vltra allegare posse nullitatis suæ professionis causas: modo tamen habitum propria authoritate non dimittat, neque ex Religione sine superiorum licentia, habitu retento, discedat. Nam si habitum sponte dimittit, denegatur illi audientia, & pœnis apostatæ afficitur, nulloque Religionis priuilegio iuuatur. Quod dicendum æque de incorporatis per vota biennij in Societatem, loquitur, ac de Professis tum Societatis, tum aliarum Religionum, quia vere Religiosi sunt, & quantum est ex parte sua se Religioni, & diuino obsequio perpetuo emancipārunt. Suar. *tomo quart. de Relig. tract. 10. l. 3. cap. 8. num. 6.*

75 *De habitus temeraria depositione. Vbi de Iemeraria habitu ad infideles pergētibus.*

Vidimus superius, depositionem Religiosi habitus temerariam interdictam esse professis sub excommunicationis pœna ex *capit. vt periculosa, Ne clerici vel Monachi, in 6.* Quod si rogites, quænam sit *temeraria* habitus depositio? respondeo, non esse dimissionem temerariam, cum illum deponi ad dormiendum, ad quiescendum, ad natandum, aliamve similem actionem. Petit namque habitus dimissio depositionem illius fieri animo occultandi statum, & se alium ab eo, qui est significandi. Vndè fit, non esse propriè habitus dimissionem, si illum deponas, vt aptius personam in ludo repræsentes, vt cursum velociorem consummes, vt lapidem expeditior proiicias, quia illa depositio non est status voluntaria occultatio. Azorius *tomo primo l. 12. capit. 13. quæstione quint.* Suar. *tomo quint. de censur. d. 23. sect. quart. numero 27.* Sanchez *l. sext. Decal. capit. octauo numero 55.* Adiicio non esse temerariam, sed laudabilem admodum habitus mutationem, cum Religiosi apud hæreticos, seu infideles quosque degentes sæculari indumento vtentes curant ne Sacerdotes aut Religiosos esse dignoscantur, vt facilius possint fidei propagationi, & proximorum vtilitati Sacrum munus impendere. Sic Societatis Iesu Religiosi ad Angliam, ad Iaponiam; ad Sinas quotidie proficiscuntur, vt maiori Dei gloriæ se accommodent, & tot fructus Ecclesiæ litent. Rogarim verò, an si quis temere dimitteret habitum (quod absit) mortaliter delinqueret, & excommunicationem incurreret. Huic *sect. 2.* quæstioni satisfaciam.

CAPVT XVII.

De promotione Iesuitarum ad Doctoris, vel Magistri gradus.

76 Expendo priuilegium Iulij III. latum in Societatis fauorem ad graduum receptionẽ.

PRæmitto Iulium III. in Bulla, quæ incipit, *Sacræ Religionis* edita anno 1552. quam Pius IV. in Bulla incipiente. *Exponi nobis* confirmauit; concessisse Religiosis Collegiorum Societatis existentium in Vniuersitatibus alicuius studij generalis, si præuio rigoroso examine publico in eisdem Vniuersitatibus reperti fuerint idonei, & Rectores Vniuersitatum eos gratis promouere recusauerint, vt in prædictis Collegiis à Præposito Generali, de eiusve licentia à quouis ex inferioribus Prepositis vel Rectoribus huiusmodi Collegiorum cum duobus, vel tribus Doctoribus, seu Magistris per eosdem eligendis, promoueri possint ad Baccalaureatus, Magisterij, Licentiaturæ, ac Doctoratus gradus. Religiosis vero Collegiorum existentium extra Vniuersitates concessit, vt absoluto studiorum suo cursu, & rigoroso examine præcedente, à Præposito Generali, vel de eius licentia à quouis ex Prepositis, vel Rectoribus huiusmodi Collegiorũ cum duobus, vel tribus Doctoribus vel Magistris per eosdem eligendis ad prædictos gradus valeant promoueri. Hi verò promoti gaudent omnibus priuilegiis, ac prærogatiuis, quibus fruũtur qui in Vniuersitatibus rigoroso examine prævio, ac alios iuxta ibi obseruari solitos, & requisitos ritus promouentur. Lege *compendium priuileg. Societatis verb Gradus*, & Manuelem Rodericum *to. 2. qq Regul. quæst. 74. artic. 3.*

77 Requiritur licentia generalis Præpositi ad graduum receptionem.

Certum in primis est neminem alicuius scientiæ gradu posse absque Præpositi Generalis facultate insigniri. *Regula 64. Prouinc.* conditiones autem, seu qualitas pro his gradibus recipiendis seruandæ *4. p. const. c. 6. num. 17.* & præfata Prouincialis *regula 64.* præscribuntur.

78 Quinque conditiones ad gradus recipiendos in externa Vniuersitate.

Prima est, vt per diligentem examinationem digni inueniantur, qui gradum suscipere debent. Secunda, ne loca certa, quamuis ea in Vniuersitate, vbi gradum accipiunt, dari soleant, recipiant, sed extra numerum se constituant, vt ab omni ambitionis specie, atque ab aliis affectibus parum temperatis recedant. Tertia, ne sumptus, qui pauperes non deceant, in gradibus huiusmodi faciant. Quarta, ne ob aliud, quam vt possint proximis ad Dei gloriam esse vtiliores, promoueri debeant, vt nullum detrimentum humilitas patiatur. *Constit p. 4 cap. 6. §. 17.* Quinta habetur *regula 64. Prouincial* ne nomine *Doctoris* vel *Magistri* ratione gradus inter se Religiosi utantur. Hæc pro recipiendis gradibus in externis Vniuersitatibus præscribuntur.

79 Tertiam conditionem declaro.

At pro collatione graduum in Vniuersitatibus Societatis regimini commissis, hæ haud dissimiles conditiones indicuntur: Prima est, ne quis nisi diligenter ac publicè examinatus per designatas personas, quæ benè suum agant officium, & idoneus ad perlegendum eamdem scientiam inuentus promoueatur, siue ille de Societate sit, siue extra illam. Secunda, vt præcludatur ostium ambitioni, nullis locis certis eis, qui ad gradus promouentur assignatis: quin potius honore se inuicem præuenire, nulla locorum differentia obseruata, curent. Tertia, vt quemadmodum Societas gratis docet, ita & ad gradus gratis promoueat, & non nisi exigui admodum sumptus (licet voluntarij sint) externis permittantur; ne consuetudo vim legis tandem obtineat, & in ea parte decursu temporis fiat excessus. Quarta, ne Rector Magistris, vel vllis aliis de Societate sibi aut Collegio pecuniam, aut dona quæuis ab vllo pro re quauis in ipsorum vtilitatem facta accipere permittat. Quinta, ne in horum graduum collatione pilei, aut chirothecæ, vel quid aliud detur. *const. p. 4. c. 15. §. 4.*

Torsdem procollationem graduum in Vniuersitatibus Societatis regimini commissis.

80 Primam conditionem expono.

Circa primam conditionem adneto, si gradus suscipiendus sit in Societatis Vniuersitate non subiecta spectanda esse eius statuta, quæ si pro omnibus indifferenter hoc examen præscribunt, nullus erit gradus, eo omisso, licet gradnandus notorie doctus existat. Quia creditur pro forma exigi, qua deficiente, corruit actus. An si gradus in Vniuersitatibus Societatis est recipiendus, poterit Rector Vniuersitatis habita licentia, à Generali, vel Prouinciali iustas ob causas examen publicum remittere. *Const. p. 4. c. 15. §. 4. in declar. lit. E.*

81 Secundam explico.

Conditio secunda de locis extra numerum accipiendis facile poterit asseruari in Vniuersitatibus Societati subiectis: at in aliis, in quibus frequentes loca pro cuiusque antiquitate assignantur, haud facile erit, sed non ideo à recipiendo gradu in illis Vniuersitatibus Religiosi nostri excludundur. Quia hæc conditio intelligi debet cum commode asseruari potest, & quantum est ex parte Religiosorum. Hi enim quantum erit ex se loca certa non accipient, sed aliis facile cedent, sèque extra numerum constituent. Si tamen Vniuersitas non solùm ea loca certa tribuat, sed quasi ad ea recipienda compellat, cum ea receptio potius sit necessaria, quam libera, humilitati non derogat, neque speciem præ se fert ambitionis, seu prauum aliquem fouet affectum. Suarez *tomo quart. de Religios. tractat. 10. libro quinto capit. quart. numero 10.*

82 Tertiam declaro.

Tertia conditio de non gerendis sumptibus, qui deceant pauperes in Vniuersitatibus Societatis optime potest asseruari, in externis difficile. Hoc autem non impedit, quominus Religiosi Societatis possint in iis Vniuersitatibus promoueri, non quidem frequenter, sed raro quando scilicet bono nomini Societatis, eiusq; doctrinæ, institutique defensioni, & proximorum vtilitati indicabitur expedire, eoque casu non nisi selectæ personæ sunt promouendæ. Palao *to. 3. d. 4. de statu Relig pu. 8. §. 6. n. 6. ex* Bulla Pij IV.

Quarta

83 *Quartam, & quintam eodo.* Quarta demum, & quinta conditio & facile seruari possunt, & debent omnino. Quia humilitatem spectant. Hæ enim probant, non esse accipiendum gradum propter honorem, & luctum, quæ ex gradibus assolent prouenire, sed ob maiorem Dei gloriam, & proximorum salutem. Suar. *tom. 4 de Relig. tr. 10. l. 5. c. 4. num. 11.* conditiones verò requisitæ in collatione graduum à Societate, haud indigent explicatione.

SECTIO SECVNDA.

De Religione Societatis Iesu, eiusque obligationibus Dubia.

CAPVT XVIII.

Circa eos, qui ab ingressu Societatis specialiter excluduntur.

DVBIVM I.

Vt abnegatio Fidei à Societatis excludat ab ingressu, debetne esse publica?

84 *Publica esse debet necessariò.* ABnegatio fidei (quam *sect. 1.* diximus ingressum Societatis impedire) publica esse debet. Quia aliàs sic abnegantes nullam notam haberent, qua minus idonei Ministri ad Euangelizandum haberentur. Sic nonnulli Doctores.

85 *Non debet necessario esse publica* Non debet necessariò esse publica, sed sufficit delictum quomodocumque commissum fuerit. Quia si vltra delictum publicatio postularetur cur D. Ignatius eam non expressit, sicut expressit *in 2. 3. & 4.* illius primi impedimenti. Ergo non est necessarium, abnegationem esse publicam, sed sufficit, si occulta sit. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tractat. 10. l. 2. cap prim. numero* 14. addit tamen huiusmodi occultam abnegationem debere esse probabilem. Contestatur Palao *to. 3. d. 1. de statu Relig pun. 8. §. 1. n. 7.*

86 *Existimo, saltem debere esse probabilem, scilicet duobus notam.* Existimo, verum esse, quod si Doctores affirmant, nempe necessarium non esse abnegationem esse publicam, sed sufficere occultam, dummodo probabilis sit, id est nota duobus ad minus testibus. Quia alias non satis percipitur, quonammodo abnegans notam contraheret, quæ illum minus idoneum Ministrum Euangelij redderet. Neque obstat hinc publicitatem non expressisse D. Ignatium in illa *p. 1.* impedimenti, sicut in reliquis tribus expressit; iudicant enim, ex ratione qua motus fuerat, sufficienter exprimi: eaque de causa *Const. p. 1. cap. 3* non subiecit infamiam schismatico, sed solum dixit, *Vel se more schismaticorum ab Ecclesiæ vnitate seiunxisse.* Addo, aliud esse famosum, & per sententiam publicam: aliud probabile. Dicimus itaque abnegationem fidei probabilem, constituere impedimentum, licet non sit publica per sententiam, vel famosa. Quia sola illa probabilitas videtur sufficiens, vt tali delicto affectus notam habeat, quæ illum minus reddat idoneum ad verbum diuinum disseminandum.

DVBIVM II.

Quis per sententiam declaratus fuit hæresis suspectus, cum tamen verè in errores non inciderit: Estne à Societatis excluſus ingreſſu?

87 *Excluſus est* EXclusus est. Quia sententia in falsa præsumptione fundata eodem modo illum minus idoneum reddit, ac si omni ex parte legitima esset. Et quidem in his impedimentis non tam delictum spectatur, quam illius infamia. Si quidem patratores grauium delictorum ex consensu Præpositi Generalis recipi potest eo in loco, vbi infamis non est. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse indicat Castro Palao *tom. 3. dist. prim. puncto octauo §. primo numero octauo.*

88 *Non est excluſus.* Non est excluſus. Quia sententia in falsa præsumptione fundata, vera sententia non est. Et quia non excluditur quicumque suspectus, hæresis per sententiam damnatur: sed qui sic incidit in errores, vt per sententiam de aliqua hæretica propositione damnatus fuerit, vel vt suspectus hæresis declaratus. Ergò si verè in errores non incidit, non est in hoc impedimento comprehensus. Ita Palao *citatus.*

89 *Verius hoc esse reor.* Verius hoc esse existimo. Neque enim obstat eundũ effectũ ex vna sententia, ac ex alia inferri, si sub verbis legis cõprehensa non sit. Neque verũ est, non tã spectandũ esse delictũ quam infamiam. Vtrumque enim spectatur, Primò autem delictum, Secundò infamia. Infamia vero sine delicto impedimentum non præstat, quia in re iniqua & iniusta subsistit. Hoc quidem ex nostri iuris rigore dixerim. Nam si prudentem gubernationis morem spectem, expediens admodum iudi-

carim, nullatenus debere recipi infamia, licet immerito laborantem ob primæ sententiæ rationes: & sic credo in Societate ad praxim adduci.

DVBIVM III.

Casuale homicidium sufficitne, vt quis à Societatis excludatur ingressu?

90 *Status quæstionis.*

SEcundum impedimentum Societatis ingressus, dixi esse homicidium perpetrasse illum qui ingredi intelligendum est de homicidio illicito, ac peccaminoso. Quæsierim vero, an debeat esse directe voluntarium, an casuale sufficiat?

91 *Casuale sufficit.*

Sufficit casuale, quia ita videtur in Societate esse receptum. ET quia quando leges aliquid volunt disponere de homicidio voluntario, ita vt casuale non comprehendatur, illud exprimunt: vt constat ex *Trident. sess. 14. capite 6.* Sub homicidio enim non solùm voluntarium, sed casuale propriissimè continetur. Cum ergo constitutio absque vlla distinctione homicidium præscripserit pro impedimento irritante, non solùm de voluntario, sed & de casuali est intelligenda. Sic Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. lib. secund. c. 1. n. 9.*

92 *Non sufficit casuale.*

Non sufficit casuale culpabile etiam, quia sub constitutione, ac lege imponente aliquâ pœnam homicidio, non venit homicidium casuale etiam culpabile. *Leg. 1. C. ad leg. Cornel. de sicar. & leg. 1. §. Diuus Adrianus ff. eodem.* ibi: *Si non occidendi animo hoc admiserit, absolui posse.* Farinac. *q. 119. n. 4.* dixit, stante statuto, quod homicida condemnetur in pœnam pecuniariam, puta, in centum, quæ si non soluerit intra mensem, decapitetur: non comprehendi, nisi homicida fuerit dolosus, & voluntarius. Cum ergò exclusio ab statu religioso homicidio imponatur, non de quocumque homicidio, sed de voluntario debet intelligi. Ita Castro Palao *tom. 3. d. 1. pun. 8. §. 1. num. 13.*

93 *Auctoris resolutio.*

Dixerim, Homicidium casuale inculpabile & culpabile non esse impedimentum in Societate: sed præmeditarum, & simplex. Simplex dico, quod eo tempore directè volitum est, quo contingit, vt fit in subitaneo impetu, & rixa. Præmeditatum verò quod tempore antecedenti cogitatum est, ac deliberatum fieri, vti latius tradit Farinac. *q. 126. initio.* Ratio meæ conclusionis est. Quia homicidium simplex ex directa voluntate commissum non distinguitur à præmeditato in effectu, neque in voluntate: sed solum in aliqua accidentali circumstantia. Quare constitutio puniens homicidium absolutè tam de præmeditato, quam de simplici intelligi debet. Profectò homicidium casuale etiam culpabile non esse in Societate impedimentum, mihi persuadet verbum, quo D. Ignatius vtitur, nempè, *perpetrasse homicidium*, quod sanè indicat propositum, animumque deliberatum delicti. Nam *perpetrare* propriè, & in rigore latino significat ad effectum perducere id, quod iam in mente inceptum est siue in bonam, siue in malam partem. Ambros. Calep. *v. Perpetro.* Præterea quia Societati concessum est priuilegium dispensandi in irregularitate orta ex homicidio casuali cum ingredientibus in eam, *Compend. priuileg. v. dispensatio*, §. 2. Ergò supponit Pontifex, habiles, ac capaces esse huiusmodi ingressus. Alias frustraneum esset priuilegium, quod nequit executioni mandari.

DVBIVM IV.

Constitutio prohibens homicidæ Societatis ingressum, intelligendane solùm est, de homicidio publico?

94 *Non est intelligenda de publico solum.*

NOn est solum intelligenda de publico homicidio, sed secretum sufficit, imò nec secretum probabile esse requiritur, quia constitutio non limitat ad publicum: Ergò absque euidenti ratione non potest limitatio adhiberi. Certè si quis fateretur, se homicidam fuisse, absque eo quod interrogaretur, an publicè? an secretè? statim absque vlteriori progressu vti inhabilis repelleretur: Ergo signum est, homicidium quantumuis occultum esse essentiale impedimentum Sic Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 2. c. 1. n. 12.*

95 *Solum de homicidio publico intelligenda est.*

Solum intelligenda est constitutio de homicidio publico, non de occulto; dum enim videtur, ob homicidium simplex publicum occultissimum; cuius nullum adest periculum manifestans esse quemquam à Religione. so Societatis Iesu statu excludendum, quia grauius delictum est, & verbo diuino seminando magis contrarium abnegatio fidei, quam homicidium: & tamen de fidei abnegatione Suarius *cap. 1. num. 14.* fatetur esse necessarium vt saltem sit probabilis, vt ingressum impediat: Ergo id ipsum de homicidio fateri debet: cum nulla specialis ratio in fidei abnegatione, quam in homicidio reperiatur, ob quam abnegatio fidei occulta non præstet ingressui societatis impedimentum, præstet verò homicidium: nam in vtroque impedimento eadem est decidendi ratio, vt manifestè constat ex illis verbis *Exam. cap. secund. num. 6. Prædicti casus, &c.* Contextus autem verborum idem est omninò in abnegatione fidei, ac in homicidio: Ergo nullo ex capite apparet huius diuersitatis fundamentum. Ita Castro Palao *tom. 3. d. 1. de statu Relig. punct. 8. §. prim. numer. 16.*

96 *Secundam sententiam præfero.*

Probabilem admodum P. Suarij sapientissimi sententiam esse iudico, sed eius venia affirmo cum Palao, sicut de abnegatione fidei resolui, requiri esse ad minus probabilem, hoc est, duobus testibus notam, idem de homicido esse dicendum, id est, debere esse probabile, vt impedimentum præstet ingressui. Moueorratione dicendi à D. Ignatio appositâ, scilicet, ne ministri Societatis notam aliquam contraherent, ob quam minus apti & idonei essent ad

ad verbum diuinum disseminandum propter consuetam, & communem hominum infirmitatem : At hanc notam habere non possunt ob delictum occultum, & improbabile : Nam delictum dum est occultum notam non irrogat. Nota enim (vt pluribus comprobat Ambros. Calep.) infamia, & ignominia est. Ergo stante delicto occulto, nulla est nota, cum infamia nulla sit.

DVBIVM V.

Receptus est quis in Societate in quatuordecim annorum completorum ætate antequam quindecim expleret : valetne receptio?

97 *Quæstionis status.*

QVæstio procedit ex iuris societatis vi, seclusa speciali facultate, quæ Prouincialibus assolet à R. Generali præposito concedi. Quæstio igitur est circa impedimentum secundarium de ætate tenera, num receptus cum aliquis sit antequam quindecim annos, receptio valeat?

98 *Non valet receptio.*

Non valet receptio, quia in *regula Prouincialis 36.* cauetur, ne possit Prouincialis recipere in Societate nouitium infra 15. & vltra 50. annos expletos. Quæ verba supponunt, non posse recipi à Prouincialibus nouitium non habentem quindecim expletos annos, quia dictio illa *Expletos annos* vtrumque numerum comprehendit & 15. & 50. Deinde esto in constitutionibus solùm decimus quartus annus completus postuletur. pro nouitiatus ingressu *constit p.1.c.2.numer.* 12. tamen cum in Prouincialis regula cauetur debere esse quindecim, aliquid speciale spectatum fuit à Generali Præposito. Alias enim vt quid stylum, & numerum in constitutionibus aserutum mutauit. Sic nonnulli quorum sententiam probabilem admodum esse indicat meritò Castro Palao *tom. 3. d. 1. de statu Relig. pun. 8. §. 2. n. 5.*

99 *Receptio valet.*

Receptio valet à Prouinciali facta, dummodo recipiendus ad probationem quatuordecim annos habeat completos, & incœptũ decimũ quintũ, quia dictiones illæ *Infrà*, & *vltra* sunt termini oppositi, ac correlatiui : dispositumque in vno censetur in altero per oppositionẽ dispositum ex *l fin. C. de Indicta viduit.* & multis probat Euerard. loco à relatiuis, *n.* 8. sed sic est, quod in dictione *Vltra quinquaginta annos expletos*, requiritur quod recipiendus illos ita completos habeat, vt neque vnus dies desit. Ergo in dictione, *Infrà* decimumquintum completum necessariũ est vt neq; vnus dies decimi quinti anni desit. Nam si aliquem diem illius decimi quinti anni habeat, iam non habet, in toto rigore completè & perfectè infra quindecim completos, sed infra quindecim incœptos. Qui enim decimumquartum annum completum habet, & dimidiatum decimumquintum, non est propriè infrà quindecim completè, sed incœpti : seu potius est infra quindecim. Vnde dictio illa, expletos annos iũcta dictionibus *Infrà*, & *Vltra* potius probat sufficere decimumquintum incœptum. Ideoque *p.1. const. cap. 3. lit. K.* vbi numero quarto signatur ætas recipiendorum non dicitur *Ne sit minor.* 15. quia alius numerus 15. ibi signatus, non fuit oppositus, sed conformis. Sed in *regula Prouincialis 36.* appositæ fuere dictiones *Infrà* & *Vltrà* oppositæ. Meritò igitur in tenera ætate signatus fuit numerus 15. vt clarè colligeres, sicut in numero 50. requiritur vt excluſus ob prouectam ætatem à potestate prouincialis habeat 50. annum ita completum, vt neque vnus dies desit : ita vt per teneram ætatẽ excludatur, ita sit infra 15. vt neque vnum diem decimi quinti habeat. Ita doctissimus Ferdinandus de Castro *vbi supra n. 6.*

100 *Hanc eligo sententiam, quã vberius expono.*

Certè negare non possum hanc expositionem valde esse probabilem quam defendam esse reor, ne censeatur Prouincialis regula à constitutione deuiare, iusque commune, & aliarum Religionũ, corrigere, quibus concessum est pubertate adepta, nouitios recipere : Iuris verò correctio odiosa est, & omnino vitanda. *Leg. Præcipimus C. de appellationib.* Quod ita verum est, vt vitandę correctionis iuris gratia à propria verborum significatione sit recedendum, vti pluribus relatis probat Sanchez *l. 1. de sponsal. d. 17. n. 6.* & Suar. *t. 3. de Relig. l. 6. cap. 20. n. 4.* Hoc quidem si ius societatis spectem. At si ad praxim & stylum receptum Societatis attendam, indubitatũ id mihi est. Prouinciales enim nũquã requirũt, an ingressuri quindecim annos completos habeant, sed solũ an habeãt decimum quartum completum, ac incœptum decimum quintum. Et in hac ætate in variis Prouinciis plures noui fuisse receptos. In hac Prouincia Castellæ quotidie recipiuntur. Loquor expertus, qui hanc gerens ætatem feliciter fui ad Societatem admissus. At consuetudo recepta sufficit ad legem illam derogãdam, regulæque limitationem, ac relinquendam Prouinciali integram potestatem.

DVBIVM VI.

Si quis aliquo ex impedimentis secundarijs à regula præscriptis illigatus, in Societate recipiatur ab eo, qui potestatem habet in eis dispensandi, validane est, receptio, si malitiosè opertum fuerit?

101 *Quæstionis status.*

SI impedimentum recipienti manifestetur, nulla est dubitatio : cum eo ipso censeatur dispensare. Quid si malitiosè impedimentum illud fuerit opertum?

102 *Non est val. dæ.*

Non est valida receptio, quia absque recipientis est facta consensu. Neque enim recipiens voluntatem habet recipiendi tali impedimento illigatum. imò potius gerit intentionem eum à Religionis ingressu excludendi. Quod efficacius vrget, si impedimentum eius conditionis esset, vt eo detecto, minimè à superiore sic ligatus reciperetur.

retur, ne Religio præiudicium acciperet. Sic docti viri, quos consului.

103 *Valida est receptio.* Receptio est valida, quia dùm impedimentum substantiale ac primarium non est, superior consétit in ingressus substantia. Sicut cum Prælatus admittit ad Ordines quẽquam excommunicatum, admissio est valida, quia in substantiali collatione Ordinum consensui non obstat, quod impedimento detecto, minimè consentiret. Non enim præsens consensus ex euentu futuro regulatur, præcipuè cum circũstantiæ omnino mutétur. Ita Nau. *l. 3. cons. tit. de Regul. cons.* 25. Manu. *t. 3. qq. Reg. q. 17. a. 9.* & alij relati à Sãcio *l. 5. Decal. c. 4. n. 57.* quatenus asserũt professionẽ factam ab eo, qui morbo gallico, vel alio impedimento non irritante laboraret, quo detecto, omninò excluderetur, validam esse. Ergò supponunt receptionem ad nouitiatum cum huiusmodi impedimento valuisse. Quia professio valida esse nequit, si nouitiatus nullus existit. Palao expressè *tom. 3. d. 1. de statu Relig. pun. 8. §. 2. n. 9.*

104 *Hoc verius esse iudico.* Hoc verius esse iudico. Fateor tamen, si recipiens haberet expressam voluntatem non admittendi in Religionem eum, qui impedimento huiusmodi ligatus esset, & non manifestato, peteret admitti: nullam esse admissionem. Sed hæc voluntas ob inconuenientia, quæ inde nascerentur, nec iusta esset, neque præsumenda; potius enim præsumendum esse crediderim, eam voluntatem habere, quæ suæ cognitioni, ac rebus ipsis conformetur: ac proinde velle nouitium illum recipere, abstrahendo, an habeat, vel non habeat impedimentum.

CAPVT XIX.

Circa Societatis Iesu Nouitiatum.

DVBIVM VII.

Si Prouincialis ex consensu nouitij ante biennium probationis expletum, eum ad vota simplicia Scholasticorum admittat, eritne valida admissio?

105 *Valida erit.* VALIDA erit, quia ex vi iuris communis solus integer annus probationis ad professionem, seu statum Religiosum assumendum est requisitus. Ex vi autem iuris Societatis non est biennium essentialiter requisitum, cum de facto à Præposito Generali valeat imminui, vt *sect. 1.* vidimus. Ergò prouincialis ad vota Scholasticorum aliquem haud expleto biennio admittens, valide admittit. Nam esto potestatem non habeat in biennio decurtando, indè non infertur, inualidam esse admissionem, cum fiat ab eo qui potestatem habet admittendi; sed solum esse illicitam, vtpotè antè legitimum tempus factam. Sic Suarius *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 2. cap. 4. numer. 9.*

106 *Non erit valida.* Non erit valida. Quia licet biennij probatio non sit ad incorporationem simpliciter necessaria stante potestate in recipiente. Sed solum vnius anni probatio: At recipientis potestas omninò necessaria est: & ex huius defectu Prouincialis admissio nulla redditur. Ita Sanchez *l. 5. Decal. c. 4. n. 20.*

107 *Hoc probabilius lõge.* Existimo lõgè probabilius Prouincialis potestatem non extendi ad vota Scholasticorum validè admittenda antè expletum biennium. Nam vidi in societate vota facta haud expleto biennio, declarari nulla, sicque emittentem liberum relinqui, vt possit è Societate discedere. Signum igitur perspicuum est, potestatem à Generali concessam ad eiusmodi casum non extendi.

DVBIVM VIII.

Nouitij Societatis possuntne testamentum concedere validè?

108 *Nõ possũt.* NOn possunt, quia *exam. gener. cap. 4.* cauetur, nouitios nostros debere ante ingressum in probationem disponere de omnibus bonis, quæ habent, & habere possunt, in pauperes, aliaque opera pia absque spe, & fiducia ea iterum recuperandi. Quod si renunciationem non fecerint, debeant in ingressu promittere facturos post primum nouitiatus annum, quando à superiore fuerit iniunctum. Sed hæc omninò obstant testamenti dispositioni, vtpotè reuocabili saltem ante professionem: ac proindè non constituenti verum pauperem, neque remouenti spem ea recuperandi bona: Ergò testamentaria dispositio nouitiis Societatis est omninò interdicta, Sic non immeriti Theologi constitutionum normæ hærentes.

109 *Possunt planè.* Possunt planè siue ante ingressum, siue post validè condere testamentum, quia esto non sit dispositio iuxta constitutionum normam, est tamen dispositio facta ab habili, & capaci. Nam ius, & dominium habet illarum rerum, quarum dispositionem gerit. Et quia iure cõmuni non inuenitur impeditus, vt patet: neque ex Societatis constitutionibus, quæ nullam in hac parte inhabilitatem statuunt. Ita Sanchez *lib. septim. Decalog. cap. prim. numer. 31. & 32.*

110 *Auctoris resolutio.* Validam esse dispositionem credo, sed peccare nouitium aduersus illam promissionẽ in ingressu factam sic de bonis suis in nouitiatu disponentem, vel non reuocantem eam dispositionem, cum à superiore iniungitur: dignumque expulsione existere, si superioris consilio non acquieuerit. Quale autem peccatum committat in hac testamenti effectione vel non reuocatione. P. Ferdin. de Castro huic sententiæ adhærens *tom. 3. d. 1. de statu Relig. pun. 15. numero 15.* affirmat non satis exploratum esse: credit tamen probabilius, culpam solum venialem committere, quia, vt dicitur in *Congreg. gener. 3. decr. 9. can. 1.* promissio

missio illa renunciandi, non est votum, sed solum humana promissio obligationem tantum fidelitatis inducens : ac proinde solam culpam venialem.

DVBIVM IX.

Renunciatio facta iuxta Societatis constitutiones ab eius nouitijs, vel ab eis, qui vota biennij emiserunt esne absoluta, & independens à professione, seu votorum emissione, ita eis dimissis à Societate nulla sint bona restituenda?

111 *Non est absoluta, & independẽs.* NOn est absoluta, & independens à votorum emissione, vel professione, quia nullus maximè nouitius præsumi debet velle bonis omnibus spoliare, nisi quatenus credit, se in Societate perpetuò victurum : Ergò cessante hoc fine, vel quia Religio illum dimittit, vel quia ipse cũ nouitius sit libere Religionem deserit, cessat efficacia renunciationis, quippe ab illo fine tanquam à conditione videtur pendere. Sic nonnulli, queis non improbabilis hæc sententia videtur.

112 *Absoluta, & independens est.* Absoluta est, & independens. Vnde quoties renunciatiofit à nouitio Societatis (& à fortiori ab eo, qui vota Scholasticorum emisit) in panperes, operane pia etiam si id pium opus sit in fauorem Societatis, fit absolutè, & independenter à perseuerãtia in Societate, ideoque si ante votorum emissionem nouitius, vel post biẽnij vota ante professionem Religionem deserat, aut ex ea dimittatur, nulla debent ei bona restitui, quia nouitius, vel Religiosus Societatis de suis bonis in pia opera disponens præsumitur eam intentionem in sua dispositione habere, quam Societatis cõstitutiones præscribũt: semper enim quis præsumitur operari, conformiter ad sui status regulas, & obligationes. At Societatis constitutiones præscribunt, renunciationem fieri independenter à conditione professionis, seu emissionis votorum : siquidem præscribunt eroganda pauperibus, vel in alia pia opera iuxta propriam cuiuscumque deuotionem, omnem à se fiduciam submouendo, eadem vllo tempore recuperandi, *Exam. gener. c.4.& p.3.constit.c.1.num.7.& 25.& p.4.c.4.lit. E. & p.6.c.2.lit. H.* Quæ certè vera non essent, si dependenter à professione, vel votorum emissione renunciatio ageretur, cum satis firma esset spes ea bona aliquando recuperãdi, nempe votis non emissis, aut dissolutis. Ita Mol. *tom.1.d.19.versilli qui, & vers. nonitij.* Suar. *to.4. de Relig.tr.8.l. 3 c. 14.n.22.& tract.10.l.4.cap.4.n.19.* Sanchez *lib.7. Decal.c.1.n.24.*

113 *Hoc vnicè defendo.* Hanc sententiam vnicè defendendam esse iudico. Fateor enim neminem præsumi bonis renunciare, nisi quatenus credit, se in Religione perpetuo victurum : eo enim proposito renunciat. At non inde infertur renunciare sub perseuerantiæ conditione potius autem præsumi debet renunciare absolutè, ne bona enunciata recuperationis spe eius animum propositumque rectum infirment, & à via perfectionis incœpta desistere faciant. Adnoto tamen (quod *sect.1.* iam innui) si in societatis fauorem facta est renunciatio probationis tempore, & ante biennij vota nouitius dimittitur, omnia ei reddi ex æquitate, quãuis nulla ex iustitia sit obligatio. At si post vota biennij dimittitur, solum debere Societatem pro quantitate receptæ donationis alimenta renuncianti exhibere, dum egestate afficitur, & aliundè non habet vnde sustentetur : Alioquin ob ingratitudinem renuncians renunciationem poterit reuocare. Ex Surdo *de aliment. tit.1.q.48.* Sanchez *l.7. Decal.c.1.num.39.* Suar. *tom.4.de Relig.tr.8. l.3.cap.14.nnmer.22.& 25.* At si bonorum renunciatio facta est extra constitutionum normam nempè in consanguineo, vel amicos non egentes, aliaue opera profana, credi probabiliter potest, non processisse ex animo, vt firma sit, professione non secuta, quia non apparet specialis ratio animum absolutæ donationis potius in societate, quam in aliis Religionibs præsumendi, Sanchez *vbi supra nnmero 37.& 38.*

DVBIVM XX.

Si nouitius Societatis in consanguineos, vel extraneos, non egentes, aliaue opera profana renunciationem faciat : eritne iuxta Tridentini decretum valida renunciatio?

REcolo Tridentini *sess. 25. cap.16.* illa verba, quibus excipit Societatem à communi decreto, quod circa nouitiorũ renunciationem agendam præscripserat. *Per hac tamen* (inquit) *non intendit sancta Synodus aliquid innouare, aut prohibere quin Religio Societatis Iesu Clericorum iuxta eorum institutum pium à sancta sede Apostolica approbatum Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint.* Ex quo patet, quocumque nouitiatus tẽpore, & absque ordinarij licentia Societatis nouitios suis bonis cedere posse, sed quid si nouitius in consanguineos, vel extraneos non egentes, aliaue opera profana agat renunciationem ? Eritne iuxta Concilij mentem valida renunciatio ? 114 *Nonnulla suppono.*

Non erit valida, quia talis renunciatio non est iuxta pium Societatis institutum, sed potius ei contraria. At Concilium solum videtur excepisse renunciationem Iesuitarum factam qua Domino & eius Ecclesiæ iuxta pium eorum institutum valeant inseruire. Cum ergo in huiusmodi renunciatione Domino, & eius Ecclesiæ iuxta pium eorum institutum non inseruiant: videtur sub generali prohibitione comprehendi huiusmodi renunciatio ac proinde inualida esse, sic nonnulli, quorum sententiam innuit Palao *tom.3.d.2.de statu Relig pun.18.num.2.* esse probabilem. 115 *Non est valida.*

Valida

116 *Valida est.* Valida erit. Quia licet constitutiones societatis præscribant in opera pia pro cuiusque deuotione renunciationem esse faciendam : at aliter factam non irritant, sed potius validam esse supponunt, maximè si facta fuerit ante ingressum in societatem. Sed Concilium dicit, se non intendere innouare, aut prohibere, quin Religio Societatis Iesu Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possit iuxta pium eius institutum : ergo non innouat, neque prohibet, quin Deo insertiat præstita hac valida renunciatione. Ita Palao *vbi sup.* Sanch. *l.7. Decal. cap.5.n.10.*

117 *Hanc sententiam veriorem longe esse iudico.* Veriorem admodum hanc sententiam esse crediderim. Nam ex societatis instituto si facta non sit renunciatio ante probationis ingressum, facienda est, quando superior iunxerit. At ex dispositione Concilij solum intra bimestre professioni proximum facienda est : ergo Concilij dispositio Iesuitarum renunciationes minimè comprehendit. Vnde si renunciatio illa, de qua quæstio, salua constitutionum præscriptione agitur, valida erit.

DVBIVM XXI.

Nouitius societatis, vel sui biennij vota gessit, hæreditati paternæ renunciauit in fauorem societatis, & viuente patre professionem vel vota coadiutoris formati emisit : postmodum vero, superstite filio, pater obiit : Societas potestne in huius hæreditatem succedere?

118 *Non potest succedere.* SVccedere non potest. Quia si filius decedat priusquam pater, hæreditas patris filio non defertur, quoniam nequit deferri filio viuente patre, cum viuentis nulla sit hæreditas, *leg. superstitis, ff. de acquir. hæredit.* At professio in societate morti naturali æquiparatur, cum nec ipse professus, nec Societas ratione illius capax hæreditatis esse potest : ergo. Exemplo Fratrum Minorum confirmatur, quorum ratione Monasterium succedere nequit. At æque professus societatis est hæreditatis incapax. Ergo Societas non potest succedere. Sic Thom. Sanch. *l.7. Decal.c.9.n.25.*

119 *Potest succedere.* Potest succedere. Quia illa hæreditas parente mortuo non defertur societatis professo (sicuti nec professo aliarum Religionum in fauorem Collegij, operisve pij renunciati :) sed defertur ei, in cuius fauorem facta est renunciatio ob ius acquisitum per renunciationem : ergo illa hæreditas defertur Societati ob ius per renunciationem concessum à professo tempore, quo valide concedere poterat. Ita Castro Palao *tom.3. d.2. de statu Relig. pun.18.n.4.*

120 *Verius hoc mihi.* Veriorem hanc iudico esse sententiam. Nam vt ipsemet Sancius *l.7. Decal.c.3.n.68. & 78.* & Molina *de primog.l.1.c.13.circa finē*, testatur, mors ciuilis, qualis est professio, morti naturali æquiparatur quando eundem effectū habet : secùs quando diuersum habere potest. At in præsenti professio in societate diuersum effectum à morte naturali potest habere : nam professio hæc non extinguit iura societatis in tertium translata, sed quæ ipse professus eo tempore haberet. Conuenientia autem Minorum cum professis Societatis in eo sita est, vt sicut Minores facta professione sunt acquirendi hæreditatem incapaces, nec Monasterium illorum causa capax sit Sic nec Societatis professi, nec Societas ratione ipsorum. Itaque non obstat, quod professus tempore, quo obit pater, & defertur Societati hæreditas sit succedendi incapax, quominus Societas succedat; quia non succedit ex iure, quod professus eo tempore societati concedat, sed ex iure quod renunciando potest quidem tunc renunciare, concessit.

CAPVT XX.

Circa professorum, ac coadiutorum formatorum spiritualium obligationes.

DVBIVM XXII.

An peccabit qui contra votum quartum (scilicet ingrediendi Societatem) si ob repugnantiam, quam habet, in suscipiendo coadiutoris formati gradu, superior mutet, vel suspendat absolutam illum obligandi voluntatem?

121 *Nonnulla suppono.* PEcto ex *sect.1.* Scholares, & Coadiutores non formatos emittentes in societate vota simplicia, contrahere obligationem quandam votis substantialibus annexam ; nam simul promittunt, se Societatem ingressuros, vt vitam in ea perpetuo degant, promissionem, seu votum hoc intelligendo iuxta societatis constitutiones. Materiam vero huius voti vidimus esse professionem quatuor votorum, vel tria vota Coadiutorum formatorum se emissuros, prout Societati placuerit. Profecto ex vi huius voti, quoties superior designat alicui gradum absolutè, & efficaci voluntate, acceptare illum tenetur, sed quid si ob difficultatem, & repugnatiam, quam ille habet in suscipiendo gradu coadiutoris spiritualis formati, & ob timorem, quæ Præpositus Generalis concipit eum esse turbandum, ac fortasse periculo Religionis deferendæ exponendum, eo quod ei gradus professorum denegetur : absolutam voluntatem illum obligandi mutet vel suspendat? Peccabitne contra hoc quartum votum?

122 *Non peccabit.* Non peccabit. Quia votum est solùmodò de suscipiendo gradu, Præposito Generali id absolutè statuente. At in hoc casu supponimus Præpositum Generalē non absolutè statuere, sed potius absolutū statutū mutare, vel suspendere : Ergo non peccabit cōtra votum, sic aliqui, quorum mentem Palao putat esse probabilem. *to.3.d.5 de statu Relig.pun.1.n.4.*

Peccabit

123 *Peccabit quidem.*

Peccabit quidem, votum indirectè violans : Quia iniquè & iniustè obligat superiorem à voluntate absoluta eum gradum concedendi cessare. At qui vouet opus perfectum sub conditione pendente ex alterius voluntate, tenetur ad minus, illam voluntatem non impedire ; quia id esset votum exequi nolle. At ille vouit Deo, accipere gradum, quem superior voluerit ei absolutè concedere : ergo tenetur superioris voluntatem non impedire. Inique autem impedit se difficilem susceptioni præstando, & turbationis, aliorumque inconuenientium signa ostentando, ob quæ superior prudenter cessat à voluntate absoluta ei illum gradum concedendi. Ergo delinquit contra votum. Ita Palao *vbi sup.* Suar. *tom.4.de Relig.tr.10. l.4.cap.17.num.15.* Addo ex Palao, peccare etiam contra iustitiam, siquidem malitiosè impedit, ne ei superior præcipiat, quod iure præcipere potest.

124 *Verior mihi sententia hæc.*

Verior sententia hæc. Nam contrariæ fundamentum solummodo probat, illam voti violationem directam non esse : non tamen probat, non esse indirectam. Tenetur ergò ille repugnantiam vincere, & timorem iustum suæ turbationis, & maioris periculi à superiore remouere.

DVBIVM XXIII.

Post receptum gradum Coadiutoris spiritualis formati potestne quis, ex voto illo quarto simplici obligari, ad gradum professi recipiendum?

125 *Certa præmitto.*

CErtum existimo cum Suario *tom.4. de Relig.tr.10.l.4.c.17.n.11.* recepto professorum gradu illum obligari non posse ad gradum Coadiutoris formati recipiendum. Quia professorum gradus est superior coadiutorum gradu : quippe continet vota solemnia & ad plura obligat, nemo autem potest ex voto obligari ab statu superiori, ac perfectiori ad inferiorem, & minus perfectum descendere. Neque ille esset in Societatem ingressus, sed aliquo modo egressus, & retrocessio. Quæstio igitur est, an recepto coadiutoris formati gradu, obligari quis ex illo voto possit ad votum professi recipiendum.

126 *Potest quidem obligari ex voto illo.*

Potest quidem. Quia ex gradu coadiutoris formati transit ille ad perfectiorem gradum, siue professio sit quatuor, siue trium votorum solemnium ; tam licet hic transitus rarò concedatur, concedi tamen aliquando potest, & debet, vt innuitur in *exam. gener.cap.6. §.5.& 6.* Sed promittens ingredi Societatem, videtur promittere ingredi in perfectiorem gradum, si superiori placitum fuerit : ergo stante superioris beneplacito obligatus erit ingredi. Sic Suar. *vbi suprà.*

127 *Obligari non potest.*

Non potest obligari. Quia obligationi ingrediendi Societatem assumpto quolibet ex illis gradibus videtur ille satisfeciisse ; nam vt ex Constitutionibus constat ; & ex Congregationis generalis declaratione, votum Societatem ingrediendi est votum acceptand gradum coadiutoris formati, vel professi prout Societas voluerit : Ergò recepto gradu coadiutoris formati satisfecit voto. Non enim vtrumque gradum acceptare promittimus, sed vnum, vel alterum, vt denotat dictio illa *Vel*, quæ est disiunctiua : aliàs non dictio *Vel*, sed *Et* esset apponenda. Ita Ferdin. à Castro *tom.3.d.5.de statu Relig pun.1.n.6.*

128 *Auctoris resolutio.*

Æque probabilem vnam & alteram sententiam esse iudico : quæstionem autem hanc potius speculatiuam esse, quam practicam. Raro enim continget, Societati necessarium esse velle obligare Coadiutorem formatum, vt professionem trium vel quatuor votorum ineat : & professum trium votorum, vt professionem quatuor votorum emittat. Quia absque huiusmodi professionis concessione poterit subditos ad ministeria peragenda obligare, æque fore ac si essent professi. Et quia gradus professi honorabilior est, vnde sola superioris insinuatione, ac simplici concessione acceptabitur.

QVÆSTIO INCIDENS.

An quartum votum quod à professis nostris emittitur circa missiones Pontifici, sit superfluum, inutile, & non solemne?

129 *Nonnulla recolo.*

VIdimus *sect.1.* professos Societatis, qui *quatuor votorum* vocitantur, vltra tria vota solemnia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, aliud quartum emittere etiam solemne obediendi summo Præsuli in missionibus peragendis ad animarum salutem. Non defuere Doctores potius prauo affectu, quam ratione ducti, qui hoc votum ansi fuerint calumniari. Vt igitur eorum affectatam retundam iniuriam, do quæstioni. Num quartum hoc votum sit superfluum, inutile, & minime solemne?

130 *Superfluum est votum.*

Superfluum est. Quia omnes Christi fideles obligati sunt summo Pontifici obedire, si eis aliquò iuserit proficisci ob proximorum salutem. Et speciatim Religiosi hac obligatione tenentur : Pontifici enim tanquam suprremo Religionum Prælato obedire promisere. At esto alij Religiosi obedientiam summo Pontifici non ita strictam promiserint : at scholares approbati Societatis, & maximè formati Coadiutores eam promittunt ; voto enim obedientiæ simplici obligantur ire in quaslibet mundi partes, quo superior designauerit, *p.3.const.c.2. lit.G. & p.6 cap.3.§.5.* & Bulla Gregor. XIII. *Ascendente.* Ergo saltem comparatione aliorum Religiosorum Societatis hoc votum est superfluum, cum non superaddat obligationem aliquam à voto obedientiæ generali distinctam.

131 *Est votum inutile.*

Est inutile. Quia Pontifex grauioribus Ecclesiæ negotiis occupatus, nescere nequit, qui hoc votum emiserint, quique ei sunt specialiter subiecti, vt eos valeat ad missiones gerendas assignare. Vnde esset vtilius, hoc votum Præposito Generali emitti. Vtique qui

maiorem suorum Religiosorum notitiam habet, & eorum regimini immediatius incumbit.

132 *Non est votum solemne.*

Solemne esse non potest. Quia non apparet, in quo eius solemnitas consistat, cum nullum specialem effectum, nullam specialem contineat obligationem, quam votum simplex obedientiæ non contineret: Ergo votum hoc solumne non est. Sic illi, quorum nomina consultò non exprimo, quia eos anonymos prauus plane facit affectus.

133 *Huius voti materia.*

Vt autem constet, quam friuola hæc argumenta sint, vt Doctrinam à D. Ignatio traditam, à viris doctissimis approbatam, a summisque Pontificibus definitam labefactare valeant, huius quarti voti materiam exprimam, vnde, esse vtile, necessarium & solemne patebit. Materia itaque huius voti est summo Præsuli in missionibus peragendis obedire: id est, pergere siue equites siue pedites in quasque mundi partes iusserit, ibique commorari, & ministeria spiritualia iuxtà Societatis morem in animarum salutem exercere Pontificis arbitrio; quia hæc omnia sub missionum vocabulo continentur. Quæ debent præstari nulla tergiuersatione, vel excusatione apposita, si friuola sit, & inanis, secus si legitima, ac iusta. Hanc enim superiori proponere, & constitutionibus Societatis, & Pontificis menti conforme est. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 6. c. 4. n. 11.* Deinde præstari debent, nullo petito viatico, expectatoque subsidio, tum pro peragendo itinere, tum pro in ibi residendo. Sanch. *l. 6. Decal. c. 18. n. 6.*

134 *Hinc constat, superfluum non esse.*

Hinc probo superfluum non esse, sed omninò necessarium. Quia ad hæc præstanda nec reliqui Christi fideles, nec cæteri Religiosi tùm aliorum Ordinum, tùm Societatis possunt obligari. Hoc ostendo. Nam reliqui Christi fideles non possunt à Pontifice obligari, vt in remotissimas partes proficiscantur, ibique commorentur, nisi communi Ecclesiæ bono maximè expediret: neque tunc obligarentur ex voto, sed ex subiectione, quam debent tanquam vniuersalis Ecclesiæ capiti, & Christi Vicario. Cæteri autem Religiosi etsi votum obedientiæ præstent summo Pontifici tanquam supremo Religionis Prælato, ex vi illius solummodo possunt iuxta suas regulas obligari. At extra regulam omnium Religionum est obligare suos subditos, ire, ac commorari in partibus remotissimis, vbi nulla est Prouincia, nulla domus Religionis, nullo subsidio petito, & maximè si vitæ periculum adsit. Scio Seraphicum Franciscum speciale, & expressum emisisse Pontifici Honorio pro se, ac suis alumnis, ita vt ab ipsis, cum votum obedientiæ emittunt, emissum esse intelligatur. At hoc votum ad nihil amplius obligat; quam generale votum obedientiæ in ea sanctissima Religione emissum, vt D. Bonauentura expressit in *exposit. regulæ c. 1.* quod certè non obligat ad missiones ita difficiles, & humanis subsidiis destitutas, ad quas Societatis professi obligantur. Suar. *tom. 4 de Relig. tr. 10. l. 6 cap 4. n. 27.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 18. num. 5.* Ribadeneira *de institut. Societ. cap. 20. fine.* Religiosi vero Societatis, qui biennio expleto, tria simplicia vota emittunt & Coadiutores spirituales formati, imo & professi trium votorum solemnium esto obligati sint ire, & commorari in qualibet mundi parte: At scholares approbati non obligantur ire pedites, nec vllo petito viatico, nec cum vitæ periculo. Quia in constitutionibus, Bullisque Pontificis hæc obligatio non continetur. Sanch. *l. 6. Decal. c. 18, num. 5.* Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. cap. 4. n. 32.* Coadiutores spirituales formati, & professi trium votorum esto obligentur pergere, non petito viatico; at non obligantur ex voto viatico non petere, sed solum ex constitutione ad culpam non obligante. Deinde non videntur obligati esse ad missiones, in quibus vitæ adesset periculum. Quia generale obedientiæ votum, quod instar legis Ecclesiasticæ de eadem relatæ obligat, non potest cum periculo vitæ obligare, sicut nec lex Ecclesiastica. At quarum hoc votum emittentes, hoc vitæ periculum subire tenentur: siquidem obligantur expresse ire ad Turcas, hæreticos, & schismaticos, vbi vitæ periculum frequenter adest. Sanch. *l. 6. Decal. c. 18. num. 5.* Præterea emittentes hoc obedientiæ votum, quasi ex officio tenentur esse parati ad quasl bet missiones quantumcumque periculosas peragendas: professi vero trium votorum, & Coadiutores formati ad eas non videntur obligati, sed ad summum in Professorum quatuor votorum defectum: ergo votum hoc obedientiæ specialis Pontifici aliquam specialem obligationem inducit, quam non inducit votum generale obedientiæ in aliis Religionibus, & in Societate. Ergo superfluum non est, sed necessarium. Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 6. cap. 4. num. 33.*

135 *Patet hinc esse vtile.*

Hinc conuincitur, vtilissimum esse. Quia quod necessarium est, à fortiori est vtile. Vtilitatem præterea eius expressit Iulius III. in *Bulla confirmationis*. Primò dicit esse vtile ob maiorem ad obedientiam Sedis Apostolicæ deuotionem; expediebat enim maximè, vt tota aliqua Religio hanc obedientiam summo Pontifici præstaret eo tempore, quo ab eius obedientia tot hæretici, tot schismatici recedebant. Secundò, ait, vtile esse ob maiorem nostræ Societatis humilitatem, quam exercet, se totam Pontificis obsequio tradendo. Tertiò, ad perfectam vniuscuiusque mortificationem, & voluntatum nostrarum abnegationem, cum parati simus, ad quaslibet mundi partes peragrandas, proyt Pontifici visum fuerit. Quod vero vtilius sit votum hoc fieri summo Præsuli, quam Generali præposito, duplici ratione conuincitur. Prima, quia eo voto specialiter authoritas Pontificis recognoscitur. Secunda, quia hac via professi securius se periculis exponunt, cum sint à Christi Domini Vicario immissi, quem præsumere possunt, in illius præcepti impositione certiori Spiritus sancti directione duci, vt dicit Gregor. XIII. in *Bulla, Ascendente Domino.* Neque obstat, Pontificem singulos Societatis Professos non recognoscere: sufficit, quod certo sciat, esse in Societate plures suæ obedientiæ ità dicatos,

vt

vt quocunque eos mittere velit, obligati sint pergere. Ad cuius finem cauetur, *p. 7. constit. cap.* 1. vt Præpositus generalis, cum nouus Christi Vicarius in Apostolica sede fuerit constitutus, per se, vel per alium intra annum ab eius assumptione, & coronatione teneatur Sanctitati suæ declarare professionem ac promissionem expressam obedientiæ, qua ipsi Societas peculiari voto circa missiones ad Dei gloriam se obstrinxit. Addo plures è Societate celebres quidem à Pontifice dignosci posse tum ex fama, ac relatione, tùm quia libet triennio Procuratores Prouinciarum in Vrbe congregantur. Manet itaque indubitatum, hoc votum non modo esse vtile, sed & necessarium, Ecclesiæ sedique Apostolicæ ac Societatis spiritualibus incrementis vtilissimum. Palao *to. 3. d. 5. de statu Relig pun. 3. numer.* 4.

136 *Est plane votum solemne.*

Denique votum hoc solemne proculdubio est. Nec conclusio hæc potest indubium reuocari, quia expresse definita est à Gregorio XIII in *Bulla, Ascendente*, ibi. *Tribus illis substantialibus votis solemnibus quartum similiter solemne addunt speciale summo Pontifici obedientiæ circa missiones præstandæ.* Solemnitas autem huius voti in eo consistit, quod medio illo se Religiosus tradit in dominium, ac potestatē Pontificis in ordine ad missiones peragendas, ita vt respectu huius finis iam non sit sui iuris, nec Religionis, sed Pontificis. Quod adeò est verum, vt si Religiosus, hoc emisso voto, vellet de se aliter disponere, infirma esset talis dispositio, & delinqueret graviter non solum contra Religionem, sed etiam contra iustitiam ob violatum ius Pontifici acquisitū. Quæ quidem in voto simplici obedientiæ non procederent. Suar. *t. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 4. num. 38. & 39.*

DVBIVM XXIV.

Votum simplex primum, quod professi emittunt de non relaxanda paupertate, obligatne, cum Pontifex proprio motu relaxationem eius facit absolutè & independēter à Religione?

137 *De voto non relaxādi paupertatem, plura præmitto.*

Vidimus professos quatuor votorum, & trium solemniū post vota solēnia emissa quinque vota simplicia emittere, quorū primū est, de non relaxanda paupertate, hac forma expressum: *Promitto, nunquam me acturum quacumque ratione, vel consensurum, vt quæ ordinata sunt circa paupertatem in constitutionibus Societatis immutentur, nisi quando causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.* Difficultas autem est, num aliquando cessante huius voti obligatione? pro duplici autē casu contingit dubium. Primo, si res decursu temporis ita mutentur, vt spectatis omnibus circunstantiis, appareat gratus esse Deo fieri mutationem: verbi gratia quod domus professæ habeant aliquos annuos redditus ac professiones, saltem ad Sacristiam, vel fabricam; an eo casu agere, & procurare constitutionis innouationem voto aduersetur? Et quidem si id certò constet (quod rarò continget) euidens est se non aduersari voto, agendo, ac procurando constitutionis innouationē, quia eo casu votum cessat: nequit enim esse maioris boni impeditiuum. Votum enim de non innouandis Societatis constitutionibus, intelligitur, dum id societati conseruādæ conuenientius fuerit. Verum si dubia sit conuenientia, nullo modo poteris agere, & procurare constitutionis innouationem, quia voti certa obligatio haud potest ob dubium superueniens cessare. Ratione tamen huius dubij (quod præsumitur prudenter concipi) poteris tum in Congregatione generali, tum Pontifici rationes proponere quæ dubiū ingerant, non animo relaxandi paupertatis constitutionem; sed vestigandi, ac dignoscendi: quid conuenientius sit, relaxatene constitutionem, an in illa firmiter persistere. Suar. *to. 4. de Relig. tract. 10. l 6 cap. 7. num. 12.* Sanchez *l. 6. Decal. cap. 18. num.* 10. Secundus casus est, an huius voti obligatio cesset, cum Pontifex proprio motu relaxationem facit? Tripliciter autem potest Pontifex relaxationem concedere. Primò absolutè, & independenter à Religione: non tamen arctando Religionem vt illa concessione vtatur, sed eam liberam relinquēdo. Secundò potest relaxationem voti concedere non absolutè, sed dependenter à Religionis acceptatione. Tertiò, concedere relaxationem potest, obligando ad illius admissionem, si hoc tertio modo Pontifex relaxationem concedat, eo quod iudicet paupertatē promissam Religionis conseruationi non expedire, certum est, voti obligationem cessare, quia votum non potest esse contrarium præcepto. Sanchez *lib. sexto sum. capite* 18. *num.* 9. Primus & Secundus modus ingerunt non leuem difficultatem. Quæsierim igitur circa primum modum. An cesset voti obligatio: si Pontifex proprio motu absolutè & independenter à Religione, relaxationem non tamen arctando Religionem vt illa concessione vtatur, sed eam liberam relinquendo?

138 *Non cessat obligatio voti.*

Non cessat obligatio voti, sed vi illius obligatur Societas illiusque Professi, Pontificis concessionem non admittere, quia vouent, non consentirre paupertatis relaxationi: At non cedendo concessioni, relaxationi consentiunt: Tenentur ergo ex voto concessionem non admittere. Sic Sanchez *libro sexto Decalog. capite* 18. *numero* 15.

139 *Cessat voti obligatio.*

Cessat voti obligatio, nec tenetur Societas, vel professi eius Pontificis concessionem non admittere, quia hæc relaxatio motu Pontificis fit independenter à Religione, eaque posita obligatio voti paupertatis quoad illam partem omninò cessat: Ergò cessat etiam obligatio voti de voto paupertatis in sua puritate conseruando. Ita Suar. *tom. 4. de Religion. tractat. decim. libro sexto capite sexto numero* 16.

140 *Hoc probabilius esse vor.*

Hoc probabilius esse non dubito. Nam ex vi huius voti professus est obligatus solùm

solum ad nihil agendum ob relaxationem paupertatis: Ergo solum est obligatus ad negandum consensum, qui relaxationi cooperetur: Igitur obligatus non est, ad negandum consensum, qui relaxationem legitimè factam admittat, quia eo consensu non agit ad paupertatis relaxationem, sed relaxatione facta vtitur. Mecum Palao *to. 3. d. 5. de Stat. Relig. pun. 4. n. 11.* probans à Congregatione generali secunda *decr. 28. & can. 21.* manifestè hanc sententiam indicari.

DVBIVM XXV.

Cessatne, obligatio voti de paupertate non relaxanda, si Pontifex concedat relaxationem paupertatis non absolute, sed dependenter à Religionis acceptatione?

141 *Nonnulla recolo.* Maiorem profecto ingerit difficultatem modus ille secundus, quo dixi *Dub. 24.* posse Pontificem paupertatis relaxationem gerere, scilicet, cum per modum priuilegij relaxat paupertatem sub tacita conditione, si Religio iudicans sibi expedire, eam relaxationem acceptauerit; qualiter Pontifex Honorius cum D. Clara se gessit, relaxationem paupertatis concedens, ipsa vero sanctissima Spiritus Seraphici Patris Francisci filia concessioni cessit, & humiliter postulauit, ne permitteret ipsam, & sibi subditas à primario spiritu deuiare. Quæstio igitur est, an facta hac concessione teneantur Societatis professi, ei renunciare, vel possint voto non obstante concessionem admittere? siue an hoc in casu voti obligatio cesset?

142 *Non cessat obligatio voti.* Non cessat. Quia relaxatio paupertatis in hoc casu pendet ex Societatis acceptatione. At Societatis Professi vouent, se nihil acturos, nec præstituros assensum ad paupertatis relaxationem: Ergo vouent in eo casu non acceptare, cum per acceptationem paupertas relaxetur. Sic huius sententiæ veritatem supponit Palao *tom. 3. d. 5. de statu Relig. punct. 4. num. 12.*

143 *Obligatio voti cessat.* Cessat sanè obligatio voti. Quia ea acceptatio voto non aduersatur, cum non sit causa relaxationis, sed conditio, vt relaxatio proprio motu a Pontifice facta effectum obtineat. At Societatis Professi, solum promittere videntur, se non procuraturos, nec consensuros in paupertatis relaxationem, procuratione, inquam, & consensu, qui illius causa sit. Ergo. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. cap. 6. n. 16.* consentit Palao *citatus.*

144 *Hoc satis probabiliter defendo.* Ego autem existimo priorem sententiam veriorem esse: satis vero probabilem esse secundam, quam defendo. Quia sciens Pontifex, Societatem obligari voto speciali, ad nil agendum in paupertatis relaxationem, & eo voto non obstante, relaxationem concedat Societatis arbitrio remissam: procul dubio censetur in voto dispensare, vtpotè quid necessario prærequisitum, ad legitimam concessionis acceptationem. Neque enim præsumendum est, Pontificem velle, suæ gratiæ acceptationem peccaminosam esse.

DVBIVM XXVI.

An contra votum non ambiendi prælationem, Professus Societatis peccet, si aliquam actionem exerceat externam (remotè quidem) ad dignitatem obtinendam, eo animo & intentione.

HOc votum Professi hisce verbis emittunt: *Præterea promitto, nunquam me acturum, nec prætensurum, nec indirè. etè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear.* 145 *De voto non ambiendi prælaturam.* Quæsierim vero, an peccet contra hoc votum Professus, qui aliquam actionem externam exercet aptam ad obtinendam eo animo & intentione, verbi gratia, si studiis vacet, si regulas obseruet, si virtutem simulet, si bonam apud Generalem, & Prouinciales æstimationem procuret, si beneficia, vel obsequia præstet?

Ex his actionibus aliæ sunt bonæ, & honestæ, quæ solum ex intentione vitiantur, quales sunt studiis vacare, obedientiam præstare, regulari disciplinæ insistere. Has si Professus præstet animo quærendi prælationem, 146 *Peccat aliquam actionem ex præfatis exercendo.* voto non aduersatur, Quia solum est ambitio interior, & quoad Deum: non exterior, & quoad homines. Aliæ sunt actiones indifferentes, quæ si bono fine careant, statim contrahunt, quandam ambitionis speciem. Hæ sunt virtutem fingere, superiorum benevolentiam obsequiis procurare, bonam apud Generalem æstimationem habere ex aliorum relatione. Has si professus præstet animo quærendi dignitatem, peccat contra votum. Quia est indirecta prætensio, nulla enim est indirecta prætensio efficacior, quam quæ iis viis paratur. Sic Suar. *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 7. n. 10.*

Nulla ex annumeratis actionibus voto aduersatur, nisi iis circumstantiis facta sit, vt prudenter ex illa colligi possit ambitiosus operantis animus. Quia per illud votum non prohibetur quælibet ambitio, & prætensio apud homines, qui possunt concedere prælationem. At dum quis illarum actionum exercitio prauum animum non manifestat, non ambit apud homines, nec prætendit, cum eos omnino lateat: Ergo illis actionibus sic exercitis voto non aduersatur. Ita Sanch *l. 6. Dec. c. 18. n. 19.* 147 *Nullas ex præfatis actionibus exercendo peccat.*

Hoc sapientissimi Suarij venia, verius esse crediderim. Nam si ab illis actionibus (quas Doctor ipse condemnat) intentionem quærendi prælationem excluderes, & propter alios fines eas præstares, neque apud Deum, neque apud homines ambitiosus esses: ergo ex sola suprædicta intentione interna quærendi prælaturam, ambitio, ac prætensio exterior esse non potest: ergò nec contra votum. 148 *Hoc verius esse vid.*

DVBIVM

DVBIVM XXVII.

Ex voto, quod Professi Societatis emittunt, manifestandi ambientes prælaturam, vel dignitatem teneturne, denunciare eos iudicialiter, cum denunciatio iudicialis fieri potest?

149 *Quæstionis status ex quarto voto manifestandi ambietes*

QVartum votum simplex hac forma à professis nostris emittitur: *Tum si quem sciã aliquid prædictorum duorum* (scilicet prælaturã aut dignitatem intra, vel extra Societatem *curare, vel prætendere promitto illum remque totam me manifestaturum Societi, vel Præposito eius* Difficultas est, an professus teneatur ambientem denunciare iudicialiter, cum denunciatio iudicialis fieri potest?

150 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem, maximè si præceptum superioris de iudiciali denunciatione faciẽda accedat, quia cum votum sit generale, vtramque denunciationem comprehendens debet intelligi de denunciatione, quæ bono communi Societatis sit conuenientior. At bono Societatis communi sæpe expedire potest, vt denunciatio iudicialis fiat, tùm vt delinquens puniatur, tum vt aliis sit in exemplũ. Ergo eo casu ex voto professus obligatus videtur iudicialiter denunciare, Sic graues, quos consului, Doctores, quorum sententiam veram esse supponit Palao *to. 3. d. 5. de statu Relig. pun. 7. n. 3.*

151 *Non tenetur.*

Non tenetur, neque ex vi voti non amplius obligatur, quam ad denunciationem faciendam abstrahendo à iudiciali, vel paterna denunciatione, quia votum solummodò denunciationem indixit absque huius vel alterius expressione. Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 10. num. 9.* Et probabile esse docet Palao citatus.

152 *Idẽ assero.*

Idem asserens hanc eligo sententiam, addens cum ipsis, etiam in casu, quo necessaria esset iudicialis denunciatio, te voto satisfacturum, si paterne denuncies, licet aliunde vel ex charitate, vel præcepto superioris obligeris iudicialiter denunciare.

DVBIVM XXVIII.

Professus Societatis teneturne ex huius voti vi denunciare non solum Professos ambientes dignitatem, vel prælaturam: sed etiam Scholares, ac Coadiutores formatos?

153 *Tenetur denunciare etiam non professos.*

TEnetur denunciare omnes tam professos, quam non professos, quia formula, qua hoc votum emittitur, generalis est, ibi: *Tum, si quem sciam.* Non enim dicit, *si quem professum*, sed absolutè, *si quem sciam.* Comprehendit ergò omnes Societatis Religiosos. Adde, ambitionem locum etiam in non professis habere posse: & ex eorum ambitione Societati non leuia damna exori-

ri. Ergo vt bono Societatis satis prouisum censeatur, hi omnes denunciandi sunt. Sic Sanchez *l. 6. Decalog. c. 18. num. 54.*

154 *Non tenetur non professos denunciare.*

Non tenetur denunciare omnes, sed solum professos ambientes, quia votum hoc denunciationis faciendæ est vti duo antecedentia vota de non procurandis dignitatibus intra, vel extra Societatem integrè obseruentur: vnde solùm eos qui ea vota emisere, comprehendit. Quare etsi generaliter professus voueat denunciare, si quem sciat prætendere dignitatem intra vel extra Religionem: ad ex adiunctis manifestè limitatur ad eum, qui ex voto fuit obligatus, non prætendere facitque hunc sensum: *Tum si quem ex supradictis vouèntibus sciam, &c.* Ita Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. c. 10. n. 7.*

155 *Probabilior mihi hæc sententia est.*

Hæc sententia mihi est probabilior. Nam esto in non professis ambitio possit locum habere. At non inde infertur, votum illud ad non professos denunciandos extendi. Sicut enim votum non procurandi dignitatem extensum non fuit ad non professos: neque etiam votum professorum de denunciandis ambientibus ad illos debebit extendi. Horum enim ambitioni satis consultum credidit. Diu. Ignatius regulæ, ac charitatis obligatione.

DVBIVM XXIX.

Professus ex voto denunciandi ambientes, delictum emendatum tam quoad culpam, quam quoad eius effectum teneturne denunciare?

156 *Denunciare tenetur.*

TEnetur denunciare, quia huiusmodi denunciatio præscripta est, vt delinquens in aliorum exemplum puniatur. Qui quidem finis etiam in delicto emendato potest obtineri. Sic Sanchez *libro sexto Decalog. c. 18. numer. 60.*

157 *Non tenetur denunciare.*

Non tenetur denunciare delictum emendatum tam quoad culpam quam quoad eius effectum, quia id colligitur ex formula, qua votum emittitur, & qua in constitutionibus emitti iubetur, & qua à Gregorio XIII. in *Bulla, Ascendente Domino*, approbatur. Formula sic: *Tum si quem sciam procurare, vel prætendere.* Non dicit, si quem sciam procurasse, vel prætendisse. Constitutio autem *p. 10. §. 6.* ita: *Et quos agere animaduerterint.* Quę verba actionem actualem, non præteritam denotant. Gregorius vero in hunc modum *si quem sciam aliquid huiusmodi moliri.* Quæ sine dubio verba præsentem delicti patrationem important. Ita Suar. *to. 4. de Religion. tractat. 10. libro sexto capite decimnumer. 15.*

158 *Veriorem mentem hanc esse reor.*

Veriorem mentem hanc esse reor. Nam cum D. Ignatius voluit ambitionis delictum præteritum denunciari ita expressit. Sic in ambitione Generalatus *part. 8. const. capite octauo paragrapho secund.* ibi: *Si sciat, aliquem hoc munus affectasse, vel etiam tunc affectare.* Ergò cũ in illo voto de sola affectatione præsẽti fuerit locutus, de sola illa est votũ intelligẽdũ. Neq; obligatio voti sicut & legis extendenda est ad casũ sub verbis non com-

prehensum. Notanter autem addidi. *Si delictum emendatum sit non modo quoad culpam, sed etiam quoad eius effectum.* Nã contingere potest, quod aliquis prælationem ambierit, & de ambitione pœnitentiam egerit: attamen effectus ambitionis non sit emendatus, sed sit in pendenti, efficaciterque electorem mouens ad electionẽ. Eo casu crediderim te esse obligatũ denunciare, Quia ambitiosus ille in virtute, & in effectu molitum, agit, & procurat prælationem. Et quia finis ob quem votum iniungitur, qui est, nè dignitates ambitione obtineantur, integer perseuerat. Mecum Palao *to.3.d.5.de statu Relig.pun.7.n.6.*

DVBIVM XXX.

Gratia petendi consilij delectum ambitionũ cuidam Societatũ professo est reuelatum. Teneturne ex voto illo, superiori denunciare delinquentem?

159 *Tenetur denunciare.*

DEnunciare potest, & consequenter ex vi voti tenetur. Quia generales rationes, quod secreti obseruatio non adstringit in damnũ commune, in præsenti casu procedũt. Si quidem ex huius secreti obseruatione Societati imminet damnum, quod tantopere D. Ignat. vitare curauit, scilicet ambitionem omnium malorum matrem locum in Societate habere. Et quidẽ ipse delinquens grauius læditur secreti obseruatione, quam eius manifestatione læderetur. Nam ex hac facta superiori vt Patri, nec potest affici infamia: nec puniri: poterit autem à peccato remoueri, & obligari, vt ab iniqua intẽtione desistat: quæ certè amplius æstimanda sunt, quam leuis infamia, quam apud superiorem delinquens potest habere. Sic Sanch. *l.6.Dec.c.18. n.57.* dicens secretum solummodo esse seruandum, si consulens recipuerit.

160 *Minimè tenetur.*

Minime tenetur. Quia cui liber Religioni vtilius ac conuenientius est, vt Religiosi intelligunt, cum consilium petunt pro alicuius delicti remedio, secretum sibi esse seruandum, quam nocere possit, quod vna, vel alia vice dignitas vel prælatio ambitione obtineatur. Nam persuadentes sibi secretum esse seruandum, regulariter delicta efficacius, & suauius vitantur, dũ consiliario aperiuntur, quæ quidẽ secreta serperent, cum maiori Religionis dãno. Ideo in *congregatione generali 6.decr.54. can.12.* (vbi de manifestatione delictorũ superiori faciẽda) dicitur, intelligi de illis, quæ ab aliquo alio notata, & obseruata fuerint: non autẽ de iis, quæ ipsimet secreto, & consilij petendi gratia, vt dirigantur, vel inuentur, alteri communicauerint. Ita Suar. *to.4. de Relig.tr. 10.l.6.c.10.n.29 & 30.*

161 *Auctoris resolutio.*

Ego autem certum existimo præfatam consultationem non esse sub sigillo confessionis seruandam. Nam licet ad confessionẽ dirigeretur, non ex se, sed ex relatione extrinseca consulentis dirigitur. Sigillum autem confessionis sola confessio inducit, non extrinseca relatio. Ergo ibi adesse non potest sigilli secretum Suar *citat.n.28. & 29.* Sanch. *n.57.* Vnde fit, casum esse posse, quo secretum commissum sub hac consultatione seruandum nõ esset: nempè cum eius reuelatio esset ad impediendum damnum graue Reipublicæ, vel innocẽti necessaria. Nau. *sum.c.25.n.46.* Corduba *qq. l.1.q.43.dub.2.casu 3.* Verum etsi sub sigillo confessionis præfata consultatio seruanda non sit: credo seruandam omninò esse: & rarò, vel nunquam ob delictum per consultationem scitum, esse manifestandum propter rationem pro secunda sententia expressam. Profecto hoc secretum non seruatur ob vitandum damnum delinquentis, sed ad vitandum damnum commune, quod ex consultationis omissione communitas pati posset.

CAPVT XII.

Circa dimissionem è Societate, & ad alium Ordinem translationem.

DVBIVM XXXI.

Religiosi Societatis non professi possunt nulla intercedente causa è Religione expelli?

NVlla causa intercedente, saltem valida, possunt expelli. Quia causa hæc requiri poterat, vel ex constitutione, vel ex regula, vel ex contractu, quẽ Religiosus per vota simplicia cum Religione init, si solum ex constitutione, & regula, cum nulla ad peccatum obliget nullum Generalis peccatum committet, si absque causa hos Religiosos dimittat. Esto autem aliquod peccatum perpetraret, sicuti perpetrat superior, nouitium sine causa è Religione expellens: quia tamen constitutio, & regula dimissionem nõ irritat, tenebit factũ, stanti tenet in nouitio sine causa dimisso. Si autem ex contractu imbibito in votorum simplicium emissione causam expostulari instes, eo quod Religiosus se tradidit Religioni obsequuturum, & Religio obligatur perpetuò eum secum retinere, nisi causa iusta dimissionis adsit: Obstat quidem quia repugnat modo quem Societas seruat in horum votorum admissione; admittit enim ea nullam in se suscipiendo retentionis obligationem, sed quouisque ipsa voluerit retinere, & sub ea cõditione Religiosus vota omittit, ipsique emittenti manifestatur. *Exam.c.6. §.3.lit.A.& c.7.§.1.& 2.& p.2.const.c.4.lit. B.&* D. Ergo nolente Religione Religiosum retinere euanescet obligatio, quæ à Religionis voluntate dependebat. Si enim quis se seruũ alicui traderet, quousque ille seruum eum habere voluerit, non obinde Dominus hanc traditionẽ acceptans, obligatus est, eum seruũ retinere, sed poterit, cum sibi placuerit, eum manumittere. Ne ergo contra constitutionem procedatur, asserendum est, nullam Societati obligationem esse retinendi Religiosum ex votorum simplicium emissione. Sic nonnulli argumentantur, & non omnino improbabiliter, vt innuit P. Castro Palao. *to.3.d.4.pu.20. numero 3.*

162 *Nulla causa intercedente potest expelli.*

163

Expelli non possunt, sed non solum ex constitutione

Expelli non potest si causa non adsit.

stitutione & regula, sed etiam ex votorum emissione obligata est societas retinere Scholares approbatos, & Coadiutores firmatos, dum non se offert iusta causa expulsionis. Ex constitutione quidem obligatur. Nam Diu. Ignatius in *exam. gener. cap. 6. in eius declarat.* dicit: *Non est in iustum, (vt patet in literis Apostolicis) si Societas libertatem ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent retinet.* Illud expende: *Quando non faciunt, quod debent.* Quasi solum ex conditione stante, Societas habeat ad eos dimittendos libertatē. Addit inferius: *Nec id* (scilicet è Societate Religiosos expellere) *sine causis iustissimis fieri debet.* Alias cōstitutiones mitto, vbi idē apertè confirmatur. Verū nō solū ex constitutione, sed etiam ex ipsa votorum emissione hanc Societas obligationem contrahit. Nam Religiosus se tradit Religioni, vt ab ipsa retineatur, provt ipsa obligata est, sic traditum retinere. At Societas ex suis cōstitutionibus obligata est Religiosum retinere, dum non se offert legitima expulsionis causa: Ergo Religiosus se tradit Religioni retinendum, dum non fuerit causa legitima expulsionis. Ergo Religio hanc traditionem acceptans non poterit absque causa legitima Religiosum à se expellere: quod si contra gesserit, nulla erit dimissio vtpote facta à non habente potestatē. Ita Suarius *tom. 4. de Relig. tr. 10. l. 3. cap. 9. à n. 10.* latè defendit & Palao *n. 4.* contestatur

164 *Mihi hoc omninò certum.*

Mihi hoc omninò certum. Nam hæc traditio Religiosi est omninò diuersa ab ea libera traditione, qua quis se alicui tradit in seruum. Nam Religiosi traditio fit ysub obligatione, quam habet Societas neminem dimittendi absque rationabili causa. Illa verò traditio sub nulla fit domini obligatione, cum ipse nullam habeat, neque ex illius traditione velit subire, seruum retinendi.

DVBIVM XXXII.

Quis iniquis mediis dimissionem extorsit & obligatus ad Religionem redire, Prouinciali veritatem manifestans vt iterum admittatur, repulsam patitur: manetne liber à votis?

165 *Certa præmitto.*

CErtum est, eum, qui mediis iniquis, seu fictis causis dimissionē extorsit, obligatū esse ad Religionem redire. Quia nulla fuit dimissio; vnde debet apponere media, quæ ad hunc finem necessaria fore iudicauerit. Cū autem primum, ac præcipuum sit fraudem detegere, & malitiam commissam declarare, præsumatur, delicta ex praua indole commisisse, necesse corrigendum: sine dubio ad fraudis manifestationem obligatur. Quod si fraude detecta superior potestatem habens recipiendi, & dimittendi, nollet illum recipere, eo ipso liber à votis est. Quia illa repulsa est tacita dimissio, seu præcedentis dimissionis ratificatio. Notanter dixi, *Si nollet eum recipere superior, potestatem habens recipiendi, & dimittendi.* Nam si solum habeat potestatem recipiendi, non tamen dimittendi, vt contingit in Societatis Prouincialibus, difficile est, num detecta Prouinciali veritate, & ab eo repulsus liber maneat Religiosus ille à votis, queis illigatus fuit è Societate expulsus?

166 *Liber manat à votis.*

Liber profecto manet, quia cum Prouincialis habeat potestatem non admittendi iterùm eum qui à Generali dimissus est, consequenter habet potestatem ratam habendi priorem dimissionem, quando illum denuo admittere, haud expedire iudicauerit. Sic Sanchez *l. 6. Decal. cap. 9. n. 66. fine.*

167 *Liber non manet.*

Non manet liber. Quia ex eo quod Prouincialis habeat potestatē nō admittendi iterùm eum, qui à Generali dimissus est inferri non potest habere potestatem ratam habendi dimissionem illam nullam à Generali factam. Aliud enim est, non admittere, aliud dimittere. Habet Prouincialis potestatem non admittendi dimissum, non tamen ad verè dimittendum eum, qui vere dimissus non est. Ita Castro Palao *tom. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 20. n. 11.*

168 *Auctoris resolutio.*

Fateor Doctissimi P. Thomæ Sanchez doctrinam mihi esse difficilem; suppono enim dimissionem factam à Generali, vel à Prouinciali eius nomine nullam fuisse, vtpote fraude extortam suppono deinde Prouincialem potestatem non habere dimittendi eum, qui ex industria, ac malitia ad finem extorquendi dimissionem fictas causas exponit. Ex his verò suppositis manifeste videtur inferri, ex sola Prouincialis repulsa, veritate detecta, eum liberum à votis non esse, quia Prouincialis nequit firmam, & ratam habere dimissionem quam facere non potest. Vnde vt liber quis à votis existat, probabilius iudico, eum debere Generalem consulere, eique veritatem voce, aut internuncio aut literis manifestare.

DVBIVM XXXIII.

Præpositus Generalis potestne facultatem concedere ad strictiorem Ordinem trāseundi eum, qui culpas expulsione dignas non commisit, sed à Societate dignè, ac iuste retinetur?

NOn est dubium, hunc transitum permittere posse comparatione illorum, qui ob sua delicta digni sunt, vt à Religione expellantur, quia id expressè decisum est à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Cum alias.* Quare quæstio est solum, an etiam comparatione illorum, qui culpas expulsione dignas non cōmisere, quique à Societate dignè ac iuste retinentur, siue professi possit Præpositus generalis facultatem concedere ad laxiorem Ordinem transeundi?

169 *Certa suppono.*

170 *Concedere non potest eam facultatem.*

Non potest, quia transitus ex Mendicantibus ad quamlibet Religionem Monachalem (Carthusia excepta) prohibitus est absque Pōtificis facultate. *Extranag. Viam ambitiosæ de Regularib.* Transitus verò ad Religionem laxiorem cauetur à Tridentino *sess. 14. c. 11.* ne fiat cuiuscumque facultatis vigore. At aduersus has prohibitiones Præposito generali non est speciale priuilegium concessū: Ergo nequit suis subditis professis ad Religionem laxiorē transitum concedere. Minor probatur, quia Paulus III. Pius IV. & Pius V. solū in cōsti-

tutionibus suis interdixere, ne vllus è Societate ad quamlibet aliam Religionem (Carthusia excepta) transiret nisi de licentia sedis Apostolicæ, vel Generalis Præpositi. Sed ex hoc interdicto non infertur præpositum Generalem posse concedere licentiam ad laxiorem, sed ad summum posse concedere ad eam Religionem, ad quam spectato iure cõmuni, potest concedere scilicet ad strictiorem. Nam verba in constitutione posita explicãda sunt iuxta commune ius, ita vt quoad minus fieri possit, illud lædant. Igitur excipiuntur. Pontifex, & Generalis Præpositus iuxta potestatem, quam spectato iure communi, vnusquisque habet: vt scilicet nullus e Societate possit transire ad Religionem quamcumq; sine Pontificis, vel Præpositi Generalis licentia; sine licentia, inquam, Pontificis ad Monachalem, vel laxiorem, sine licentia Præpositi Generalis ad æqualem, vel strictiorẽ. Præterea ex Bulla Gregorij XIII. incipiente. *Cum alias*, eã non habet potestatem. Nam ea Bulla (vt ex ipsius proœmio constat) expedita fuit, ad decidendum dubium ortum ex concessione Pauli III. Pij IV. & Pij V. nẽpè, an Præpositus Generalis posset etiam professos ex causis id exigẽtibus ab ipsa Societate emittere, aut eis sic emissis liberum sit de eius licentia se ad quẽpiam aliorũ Mendicantium: vel non Mendicãtium Ordinem transferre. Quia dubitatione posita, inquit Gregor. *Nos re pensata, atq; diligenter examinata. Societatis ipsius puritati, atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit, ab ipsa Societate emittere eosque de ipsius Prælati licentia non tantum ad Carthusiensium, sed ad quemuis alium Mendicantium, vel non Mendicantium parui, laxioris, aut arctioris obseruantiæ Ordinem per ipsum Præpositum illis præscribendum, de consensu tamen superioris loci illius, quo destinabuntur demigrare, in eisque professionem per loci illius Monachos, aliosque Regulares eiusdem emitti solitam emittere, habitumque suscipere, & consueta vti eorum disciplina.* Ex quibus verbis solũ conceditur Præposito Generali facultas permittandi transitum ad Ordinẽ laxioré iis, quos emittere è Societate debere iudicauerit: At non iudicare non aliquẽ ex professis emitti debere, nisi grauia piacula digna dimissione commiserit. Ergò ex hac Bulla præpositus Generalis facultatẽ non habet concedendi licentiam in laxiorẽ Ordinem transeundi iis, qui eum transitum appetunt, eo quod Societatis ministeriis non ita habiles existant, vel ex eo quod sperant, in alia Religione maiorem spiritualem profectum habituros, vel ob alias similes causas. Sic Suar. *to.4. de Relig. tr.8. l.3. c.12 à n.38.*

171 *Eam potest concedere.*

Potest equidem præpositus Generalis concedere transitum etiam ad laxiorem Ordinem omnibus è Societate professis, quamuis nulla delicta commiserint, neq; digni sint expulsione. Quia Gregor. XIII. in præfata Bulla volens cõsulere Societatis puritati, ac incremento, emissorumq; saluti, priuilegium præposito Generali concessit, vt quos iudicauerit, ab ipsa Societate emittere, tum ob Societatis puritatem, tum ob eius incrementum, tum ob dimissorum salutem transitum ad quamcumque Religionẽ concedat. Sed ad Societatis puritatem, & incrementum, præcipueq; ad emissorũ salutem non solũ pertinet concedere transitũ iis, qui ob sua scelera digni sunt expulsione: sed etiam iis, qui minora delicta cõmittunt, vel minus apti Societatis ministeriis inueniũtur, vel qui sperant maiorem cõsolationem, & spiritualem profectum in alio Ordine se habituros: Ergo de iis omnibus iudicare Præpositus Generalis poterit expediens esse, eos volẽtes è Societate emittere, non vt in sæculo vitã agant, sed vt in alia Religione quã ipse Præpositus Generalis præscripserit, perseuerent. Ita Sanch. *l.6. Dec.c.7.n.68. in fine, & n.71.* Et Suarius, mutato consilio, *to.4 de Relig. tr.10. l.11.c.2. per totum.*

Hanc sententiam longè veriorem esse iudico. Nam Gregor. speciale *ibi* priuilegiũ Societati concessit, quod noluit aliis Religionibus cõmunicari. At si solum extenderetur ad Religiosos expulsos, nullũ speciale esset, cũ quælibet Religio ius habeat permittendi suis expulsis, in quãlibet Religionẽ transire, imo ipsi, etiam renuente Religione, hanc habent facultatem. Neque valet dicere, id esse speciale Societatis, vt ex leuioribus causis, siue nõ adeo grauibus valeat professos expellere, quia id esset priuilegiũ ad expellendum, non ad concedendum transitum in aliam Religionẽ. Gregor. autem non agit ibi de causis expulsionis, sed supponens ex causis id exigentibus posse professos dimitti: cõcedit Præposito Generali facultatem permittendi transitum in aliam quamcumq; Religionem quibusvis professis, quos iudicauerit, à Societate in alium Ordiné emittere. Emittere, inquam, non tantũ renuentes in delicti pœnam cõmissi, sed volentes, & dimissionem petentes ob aliquem honestum finem. Et hoc est priuilegium speciale Societati concessum, quo cæteræ Religiones non fruuntur.

172 *Hanc sententiam longe veriorem esse iudico.*

CAPVT XXII.

Circa capacitatem Iesuitarum hereditariæ possessionũ, & mysteriorum sine stipendio exercitamentum.

DVBIVM XXXIV.

Si aliquid stabile domui professæ relinquatur quod quidem debet quam primum venditum, opportunitas ad id expectatur, potestne locari, aut conduci, redditusque in professorum conuerti vilitatem?

173 *Status quæstionis.*

Vidimus *sect.* 1. domum professam Societatis incapacem esse possidendi stabilia bona. Vnde si ei aliquod stabile bonũ relinquatur, vendi debere, quã primum opportunè fieri possit. Sed quia cõtingit sæpe non inueniri statim emptorem, qui instam det æstimationẽ, opportunitate esse expectandam. Quæstio igitur est, an interim ea bona possint locari, seu conduci, & redditus in professorum vilitatem conuerti?

174

possunt quidem, modo breui tẽpore, scilicet infrà

Possit ne iuidem. infrà decennū fiat. Quia redditus illi, qui lōgo tempore non persistent, pro eleemosyna, qua domus professa victitat, potest reputari. Sic Sanch. *l. 7. Dec. c. 27. n. 22.*

175 *Non possunt.* Minimè possunt. Quia Societas professa absolutè dicetur, pro illo tempore redditus habere, ac mendicitatem excludere. contra prohibitione. n sæpe in constitutionibus præscriptam. Ita Castro Palao *to. 3. d. 3. de statu Relig. pun. 10. n. 3.*

176 *Cum his opinor.* Certè cum in *const. p. 6. c. 2. n. 5. lit. B.* & alibi tam arctè mendicitas domui professæ Societatis indicatur, licet Sancij sententiam probabilem esse iudicem, probabiliorem longè secundam esse crederem. Ideo asseruerim, fructus illos in pauperes esse expendendos.

DVBIVM XXXV.

Quis testamentum condens, grauat hæredem, vt singulis annis domui professæ certam tribuat pensionem pro sustentatione Religiosorum, vel pro fabrica, vel pro sacristiæ ornatu: Valetne legatum?

177 *Non valet.* NOn valet. Quia, est legatum annuorum redituū, quorum Societas professa incapax est. Et quia vt singulare priuilegium concessū videtur fundatoribus Ecclesiarū, vt possint hos annuos redditus pro Ecclesiæ fabrica relinquere, *Constit. p. 6. c. 2. in Declar. lit. B.* Non enim aliq; causa Fundatoris expressum est nomen: Ergò comparatione aliorum huiusmodi legatum est nullum. Sic nonnulli, quorum sententiam innuit Palao *to. 3. d. 3. de statu Relig pu to. n. 4.* esse probabilem.

178 *Valet quidem.* Valet legatum, hæresque gratuitus tenetur domui professæ id præstare. Quia ex voto paupertatis iuxta Societatis cōstitutiones solùm interdicitur domui professæ ius ciuile ad hos redditus acquirendos, non tamen illorum acquisitio, si de facto detur. Obligatio autē hæredis illos elargiendi supposita domus professæ capacitate, impediri a Societate nō poterat cum obligatio hæc ex dispositione, & voluntate testatoris proueniat. Ita Palao *citat.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. l. 4. c. 6. n. 9.* Sanch. *l. 7. Dec. c. 27. n. 9.*

179 *Hoc probabilius esse iudico.* Hoc probabilius mihi. Non enim obstat, Societatem professam incapacem esse habendi annuos redditus, quia id debet intelligi de annuis redditibus, ad quos ipsa Societas ius ciuile haberet, secus de annuis redditibus cōparatione Societatis gratuitis, ac liberalibus. Neq; obstat constitutionis declarationem speciatim legata fundatoris pro fabrica Ecclesiæ valida declarasse, quia id fecit, vt indicaret, in hoc casu sēper Societati cōuenire, hæc legata accepere, quod in legatis aliorum non æquè cernitur. Vnde ex hac fundatorum expressione non licet inferre aliorum similia legata ob paupertatis voto comprehendi, nullaque existere. imò contrariū non leuiter colligo ex illis verbis cōstitutionis: *sic in rebus similibus*, scilicet, in similibus legatis perpetuis idem esse dicendum ac dictum est de legatis annuorum redituum à fundatore constitutis.

DVBIVM XXXVI.

An ex voto teneantur, sed solum ex regula, Societatis Religiosi nullum stipendium pro nostris ministeriis accipere?

180 *Quæstionis status.* INterdictum vidimus *sect. 1.* esse Societatis Religiosis omnibus pro Missarum sacrificiis, pro concionibus, lectionibus, Sacramentorum administratione, aliisque officiis, quæ Societas iuxta suum institutum exercet, stipendium vllū, vel eleemosynā, quæ in huiusmodi ministeriis dari assolent, admittere. Quæsierim autem, an obligatio hæc solum sit ex regula, an etiam ex voto.

181 *Obligatio hæc ex regula solum nō ex voto.* Obligatio hæc solum est ex regula, non ex voto. Quia in Bulla Pauli III. quæ incipit. *Regimini militantis Ecclesiæ* nostrum institutū primo confirmante, votumque paupertatis, eiusque materiā exactè explicante, nulla mētio facta est huius obligationis: cum tamen si essentialis esset, deberet in declaratione apponi. Certè in nulla constitutione, aut Bulla Pontificis apertè constat sub voto, tanquam sub eius materia hanc obligationem comprehendi. Nam licet in Bulla Iulij III. quæ incipit. *Exposcit debitum Pastoralis officij*, vbi Societatis institutū confirmatur, expositum sit, Societatis ministeria exequenda esse gratis omnino, & nullo pro suo labore stipendio accepto: non inde infertur, sub voto, tanquam sub materia promissa hanc obligationē comprehendi. Quia ibi non paupertatis votum, sed instituti conditio declaratur. In cōstitutionibus verò, vbi huius rei mentio geritur, commendatur illius obseruatio, non tanquā voti materia, sed tanquā professionis nostræ propriū, & ædificationi proximorū maximè conueniens. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse docet Castro Palao *tom. 3. d. 3. de statu Relig. pun. 11. n. 3.*

192 *Obligatio hæc est non ex regula solū sed ex voto.* Obligatio hæc non ex regula solū, sed ex voto paupertatis est. Quia negari nō potest, abstinentiam ab hac stipendij receptione propriā esse nostræ professionis, & instituti. Ergo est propria voti paupertatis, cū substātia instituti in votis consistat, Adde D. Ignat. in *exam. gen. c. 1. n. 3.* votum paupertatis declarans hoc videtur expressè præscripsisse. Nā postquā dixit, tria vota in Societate emitti obedientiæ, paupertatis, & castitatis, immediatè subiungit. *Sic paupertatem accipiendo* (promissā) *vt nec velit, nec possit redditus vllos ad suā sustentationem, aut quodnis aliud habere: nec etiam pro Missarum sacrificiis stipendium.* Non enim de alia paupertate, sed de paupertate cadēte sub voto declaratio fiebat. Ita Palao *vbi s.* Nau. *l. 3. de rest. c. 1. p. 3. dub. 2. n. 170. in nona edi.* Manu. *Reg. qq. n. 3. q. 19. a. 13.* Sanch. *l. 7. Dec. c. 28. n. 6.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 10. l. 4. c. 8. n. 10.*

183 *Hanc sententiam defendo.* Hanc sententiam vti veriorem longè defendo. Cui quidē non obstant rationes, queis prima sententia nititur. Nā quæ desumitur ex eo, quod in Bulla Pauli III. huius stipendij mentio non fuit facta, quando paupertas declarabatur leuis est. Quia opus non erat, exactè omnē paupertatis materiam declarare. Et fortè ob eius omissionē Iulius III. in Bulla institutū Societatis confirmante eā circumstantiam

tiam vt ſubſtantiale inſtituti expreſſit, ac proinde vt voti materiam, Reliqua vero quæ ex conſtitutionibus adducuntur noſtræ potius, quam appoſitæ ſententiæ fauent. Scio Congregationē generalem quinram dubiā in hac materia ſolum definiſſe, ad puritatē paupertatis obſeruantiā illius cōſtitutionis pertinere. At hoc nihil probat contra reſolutionem noſtram, niſi quòd non ſit vndequaque certa, eaque de cauſa tantum vt probabiliorem, veriorem, ac ſecuriorem, & conſtitutionibus magis conformem eam proponimus.

DVBIVM XXXVII.

Ille, cui à ſuperiore conceſſum eſt, pecunias recipere: peccabitne lethaliter contra votum ſi eas in Miſſarum, vel concionum ſtipendium recipiat?

184 *Status quæſtionis.* SI probabile ſit tibi prima Dubij proximi ſententia ſcilicet, obligationem hanc non recipiendi ob Societatis miniſteria ſtipendium, eſſe ſolum ex regula, & non ſimul ex voto: mox dubitabis, num peccabit quis aduerſus paupertatis votum lethaliter, ſi habita ſuperioris facultate ad recipiendas pecunias in ſui vſum, neq; inueniens gratis datas, eas accipit in Miſſarū, aut cōcionis ſtipēdiū.

185 *Non peccabit lethaliter contra votum.* Non peccabit lethaliter contra paupertatis votum, quia ſolū in modo accipiēdi pecunias delinquit, non in illarū receptione, quæ ex voluntate ſuperioris fit. At modus, ſuppoſita illa prima ſententia, non eſt contra votum, ſed contra regulam, quæ ad peccatum non obligat: Ergo nec aliquis infert, qui *fortaſſe probabiliter* ait Palao *to. 3. d. 3. pun. 11. n. 3.* ex prima illa ſententia probabili id poterit inferre.

186 *Lethaliter contra votū peccabit.* Lethaliter delinquet, etiam illius ſententiæ probabilitate ſuppoſita, quia non ſolum modus recipiendi pecuniam, ſed etiam illius receptio eſt contra ſuperioris volūtatē, ſuperior enim licentiam impertit ad eleemoſynę receptionem, & nō ad receptionem ſtipēdij, ita Palao *vbi ſupr.* Sanch. *l. 7. Decal. c. 28. n. 7.* Suar. *t. 4. de Relig. tr. 10. l. 5. 8. n. 11.*

187 *Auctoris reſolutio.* Exiſtimo illationem illam, etiam ſententia illa ſuppoſita, minime eſſe admittendam. Nā à ſuperiore conceſſa eſt facultas ad recipiendam pecuniam gratis datam, non ex obligatione, igitur cum quis è Societate illud recipit ſtipendium ſine vlla ſuperioris licentia recipit. Ergo delinquit contra votum. Modus enim ille variat eſſentialiter receptionem, ſecus eſt in receptione pecuniæ ſponte oblatæ, vel petitæ.

DVBIVM XXXVIII.

Eſtne contra paupertatis votum, ſi quis Societatis Antonio obligetur, Sacra peragere ea conditione, vt conſanguineo eius ſtipendium concedat?

188 *Eſt contra votum.* COntra votum eſt, quia non gratis, ſed ob ſtipendium ſacra ille facit quod eſt contrarium conſtitutionibus vōtum paupertatis declarantibus. præterea ille abſque ſuperioris voluntate pecuniam acquirit, eamque Antonij manu conſanguineo impertit: Peccat ergo tum in acquiſitione, tum in diſtributione, ſic Nauarra *l. 3. de reſtit. c. 1. p. 3. dub. 2. n. 171. in ſecunda edit.* Manu. *to. 3. qq. Regul. q. 29. a. 13.* Sanch. *l. 7. Decal c. 28. n. 15.*

Non eſt contra votum, quia votum nullatenus poteſt violari abſque acceptione, retentione, vel diſtributione pecuniæ: At in præſenti nulla eſt ex in parte Religioſi neceſſaria acceptio, nullaque acceptæ pecuniæ diſtributio. Nam ob ſacra ab eo celebrata haud recipit ille pecuniam, ſed eius conſanguineus: neque Antonius cōſanguineo tribuit illius nomine, eſto ob eam cauſam tribuat: ſicut ſi eam tribueret ob eius interceſſionem: Ergò nullum adeſt aduerſus votum paupertatis peccatum. Ita Caſtro Palao *t. 3. d. 3. pun. 11. n. 7.* 189 *Contra votum eſt.*

Doctiſſimo, ac amiciſſimo adhæreo Doctori. Non enim obſtat illum gratis ſacrificia nō agere, ſed ob ſtipendiū, quia voto paupertatis nō obligatur ſacrificia vtcūque gratis facere: ſed ita vt illorum cauſa ille ſtipendium non admittat. In admiſſione enim ſtipendij ſtat paupertatis violatio. *Exam gen c. 1. n. 3. & p. 4. conſit. c. 7. n. 3. & p. 6 c. 2. n. 7.* 190 *Hanc eligo ſententiam.*

DVBIVM XXXIX.

Si quis è Societate ſacra ob ſtipendium fecit, & id retinet: teneturne, non lege iuſtitiæ, ſed vi voti paupertatis danti illud reddere?

QVæſtio celebris eſt, an Societatis Religioſus teneatur, ſtipendium reſtituere, ſi de facto accepit ob ſacra aliave Societatis ſpiritualia miniſteria: Et quidem ſi ſacra facta non ſint, certū eſt, illum eſſe obligatum ex paupertatis voto ſtipendium reddere, quia illud nequit ſub eo onere retinere, nec dum potuit admittere. Neque ſuperior eam licentiam illi poteſt concedere, cum etiam Prępoſito Generali interdicta ſit facultas in hac parte diſpēſandi. *Congregat. 5. decreto 21.* Quid vero, ſi ſacra quis fecit, ac retinet ſtipendiū? 191 *Statu quæſtionis.*

Tenetur nō lege inſtitię, ſed vi voti illud reddere danti, nec poteſt ſuperiori tradere, & in pios vſus expendere, quia ex voto obligatur, ne ſtipendia pro ſacris admittat: & conſequēter nec admiſsū expendere: Debet igitur reddere danti, vt ſic ſacra cenſeantur gratis eſſe facta, ſic Sanch, *l. 7. Decal. c. 18. n. 11.* 192 *Tenetur, id reddere danti.*

Non tenetur id danti reddere, ſed poteſt ex ſuperioris facultate in pios vſus expendere, quia neque lege iuſtitiæ, neque ex voto danti reddere obligatur. Non lege iuſtitiæ, quia voluntati donantis ſacris ab eo factis plene ſatisfecit. Votum autem illum tantum obligat, ne pro ſacris ſtipendium petat, nevè illud admittat. At eo admiſſio, & ſacris ob illud factis, non eum obligat votum, ſtipendiū reddere: Ceſſat enim finis illius obligationis nempe, vt ſpiritualia gratis miniſtrarentur. Ita Nauarra *l. 3. de reſtit. c. 1. p. 3. n. 179. & 180.* Henriq. *l. 9. de Euchar. c. 22. n. 3. pun. 11. nu. 9.* 193 *Non tenetur.*

Hoc verius eſſe iudico. Nam ſi ſacra, vel ſpiritualia quæque Societatis miniſteria ob ſtipendium acceptum gratis miniſtrata non fuere, quantumcumque ille ſtipendium reddat, facere non poterit vt cenſeantur gratis fuiſſe miniſtrata. Ergò ex nullo capite tenetur ille danti ſtipendiū reddere. Igitur id poterit ex 194 *Hoc verius eſſe iudico.*

ex superioris voluntate iu pios vsus expendere.

DVBIVM XL.

Quipost biennij vota contraxit (intiquè quidem) obligationem iustitiæ faciendi sacra ex stipendio accepto, debetne, Missas ex Religionis præscripto dicendas iis præferre?

195 *Nonnulla præmitto.* ACcepisti pro Missis dicendis stipendium, quod quidem haud potest restituere cõferenti, quia id cõsumpsit: teneris proculdubio ex iustitia Missas pro illa intentione offerre, sed dubiũ exsurgit, an debeas hæc sacra præferre sacris ex instituto debitis? Et quidẽ ii eã obligationẽ cõtraxisti in sæculo, vel in nouitatu, teneris ea sacra præferre sacris ex cõstitutione debitis, quia obligationẽ sacrorũ ex instituto suscipere nõ potes in præiudiciũ obligationis iustitiæ prius ortæ. Quæsierim verò, num si post vota biẽnij hãc quis obligationẽ iustitiæ susceperit, debeat eas Missas, quorũ stipendiũ accepit, nec potest restituere nullis ex Religionis præscripto dicendis præferre?

196 *Non debet præferre Missas ex stipendio.* Non debet, quia illis votis emissis ius Societas acquisiuit in eius voluntatem, vt sacra in Religione præscripta faceret, cui iuri nequit ex contractu à se inito derogare. Sic Sanch. *l. 7 Decal. c. 28. n. 23.*

197 *Missas ex obligatione stipendij debet præferre.* Debet quidem Missas ex obligatione stipẽdij accepti præferre, quia obligatio iustitiæ vtpotè granior præferenda est obligationi deuotiæ, & honestatis: At obligatio faciendi sacra à Religione præscripta est obligatio tantum ex honestate, vel ad summũ ex fidelitate: Ergo præferenda est illi stipendij accepti obligatio, quæ est planè iustitiæ. Ita Palao *to. 3. d. 3. pun. 11. n. 11.*

198 *Hoc verius esse iudico.* Hoc verius esse iudico, quia idem Sancius fatetur, *inibi* obligationem dicendi sacra ex præscripto Societatis esse ex honestate. Cõcedo itaque Societatẽ ex biennij votis ius in tuam voluntatẽ acquirere, vt sacra in Ordine præscripta facias: sed hoc debet intelligi, vt facias quando liber à iustitiæ obligatione existis. Nam si non obstante Religionis iure cõtrahere potes obligationem iustitiæ ex stipẽdio (male quidem) accepto: signum est planè, hanc obligationem religionis obligationi esse præferendam.

CAPVT XXIII.

Circa professionis inualidæ ratificationem, & Religiosi gestationem habitus.

DVBIVM XLI.

In Societate potestne esse ratificatio professionis vel incorporationis inualidæ?

199 *Esse non potest ratificandi* ESse non potest, quia modus ordinarius ratificandi professionem inualidam est tacita professionis emissio. At in societate non datur tacita professio, cum scriptis superiori tradendis proferatur. Ergo nõ potest esse professionis, vel incorporationis inualidę ratificatio, sic nonnulli.

ficatio professionis.

200 *Potest esse.* Potest quidem, & vere est in societate professionis, vel incorporationis inualidę reparatio, quia hæc non solum iure antiquo, sed & nouo. Trident. *sess. 25. c. 19. de Regularib.* taciturnitate quinquenoij approbata est in fauorem status Regularis, & in pacem, ac quietem Religiosorum, à quo iure Societas excepta nõ est, nec excipi oportebat. Ita Suar. *t. 4. de Relig. tr. 10. l. 3. cap. 8. num. 5.*

201 *Hoc planè dicendum.* Hoc plane dicendum. Cui non obstat, professionem, seu incorporationẽ tacitam in Societate locum non habere. Nam hoc est verũ de professione, seu incorporatione tacita, quę primo ac per se fit: secus vero quæ fit ad reparationem professionis, seu incorporationis inualidæ. Cum enim de hac reparatione nil societas disposuerit, & Tridentinum in suo generali decreto societatem non exceperit, fit planè voluisse eam comprehendere.

DVBIVM XLII.

Religiosi Societatis tam professi, quam non professi, si temerè habitum dimittant, incurruntne, & non incurrunt excommunicationem?

202 *Status quæstionis.* VIdimus *sect.* 1. Religiosis interdictã esse temerariam habitus dimissionem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda *Cap. Vt periculosa. De Clerici, vel Monachi in 6.* Dubitatur autem est de Religiosis Societatis Iesu tã professi, quã nõ professis nũ si temerè habitũ dimittant delinquãt lethaliter & excõmunicationẽ præfatam incurrãt?

203 *Non incurrunt excommunicationem.* Non incurrunt. Quia Societas nullum specialem habitum habet, sed communem & vsui patriæ accõmodatũ. *constit. p. 6. c. 2. n. 15.* At præfato textu supponitur, professos dimittentes suæ Religionis habitum, speciale indumentum habere, quo à cæteris distinguãtur. Aliàs ex illius depositione occasionem vagandi nõ habebũt, si Sãch. *l. 6. Decal. c. 8. n. 70.*

204 *Incurrunt quidem.* Incurrunt quidẽ, sub illo decreto contenti, quia esto non habeant habitum vnicum, & specialẽ, quo vbique terrarũ vti deberent: tenentur tamen vti habitu honesto Clericorũ illius regionis. Ergò si hunc dimittunt, & sæculari veste induũtur, proprium suæ Religionis dimittunt habitum, ita Ferdin. à Castro *to. 3. d. 4. de statu Relig. pun. 6. n. 2.*

205 *Probabilius hoc mihi.* Hanc eligo probabiliorem sententiam. Nam si Societatis Religiosi sub illo Concilij decreto non cõprehenduntur, per se non cõmittent vllam culpam, temere habitũ deponentes, & inducentes sæcularem; cum iure naturali habitus Religiosi dimissio, stante firmo proposito non retrodendi ab statu, prohibita non sit. Quod quidem durum est, & vagandi materiã satis aptã exhibet. Et licet textus de professis loquatur, id fecit gratia frequentioris vsus: & quia eo tempore nullus erat Religiosus à nouitiis distinctus, qui tacitè vel expressè professus non esset.

Ad

Ad Deiparam Dominam Meam, Epilogus.

IN Arca Noë olim Religiosus ſtatus adumbratus fuit, pluribus quidem ſecurum receptaculum, nè in ſæculari inundatione miſerè deperirent. An non in typum tuæ ô Deiparens protectionis erga Religioſorum ſtatum? Tu eis, qui contemplationis dulcedine intus ſoporantur, & qui foris proximorum vtilitati incumbunt Arca es protectionis. Terreſtrium animalium ſpecies omnes in Arca Noë includebantur. At illa, quæ partim in mari, partim in terra nutriuntur, vt vituli marini, ac ſimilia, vbinam ex illo communi naufragio euaſerũt? Reſpondet D. Auguſtinus, aut quiſquis ille eſt Auctor 1. *mirabil. S. Script. cap. 5. An etiam in Arcæ tecto foru requies his eſſe aliqua valebat, quo latum & ſtabile ſpatium faciebat, vt quod intus manentes ſine periculo conſeruaret, etiam per profundi periculum nauigantibus refugium foret?* Quaſi vna illa Arca nullum à ſuo patrocinio animal remoueret. Capaciorem ô Virgo, ſinum aperis ad omnes, qui in Religionis ſtatum confugiunt, haud mundi in pelago perituri, ſiue in contemplationis requie intus verſentur, ſiue foris ad proximorum ſalutem diuagentur: dummodo hi te implorent, te proculbudio fautricem, auxiliatricemque experientur. Parum verò eſſet Religioſos tuæ protectionis ſinu recipere, niſi cunctis eorum ſpiritualibus ægritudinibus ad perfectionis cumulum obtinendum medicamina exponeres. Ait de Arca Noëmitica Euſebius Cæſar. *l. 9. de præparat. Euang. cap. 4. Nauis adhuc inuenitur in Armenia, cuius ligna remedium hominibus aduerſus multos morbos mirabiliter afferunt.* Quo igitur tempore tuus in nos Virgo Sanctiſſima animus claudetur? Quando tua in nos perfectionis curſum agentibus minuetur beneuolentia? Haud dubium, quin ad propellendos ſpirituales morbos tua ſemper ex cœleſtis Armeniæ vertice in nos pietatis ac miſericordiæ viſcera patefiant.

Laus Deo, Deipara, Ioſepho, Ignatiõ, Antonio.

R.P.

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. VII. VIII
F. IV
6

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES SINE LITE sententiæ, Dubiæque Disquisitiones.

STATVS SÆCVLARIS.

LIBER LX.

IVDICIVM FORENSE.

CVM Volum. 5. *de Iustitia, & Iure materias digessi, Tractatum de Iudicio Forensi interse cui commodius in præsenti de sæculari statu sermonem dum instituo elucidandum. Plura itaque Iudice Accusatore, Teste, Reo, Aduocato, & aliis Forensis Tribunalis Ministris vna, & altera sectione expediam.*

SECTIO PRIMA.

De Iudicio Forensi Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Legitimo Iudicio.

1 *Requiritur iurisdictio ad iudicium legitimum.*

TRIA ad iudicium legitimum requiruntur. Primum est *Iurisdictio*, qua deficiente, sententia erit nulla, & lethaliter delinquetur. Vnde sæcularis Iudex delinquet, si personas, vel causas mere Ecclesiasticas suum traxerit ad tribunal Idemque de Ecclesiastico Iudice dixerim, si ad se causas merè ciuiles traxerit? Nisi fortè per accidens ob defectum iustitiæ in sæculari foro; aut nisi sint miserabilium personarum causæ. D. Thom. 2. 2. q. 60, Card.

Lugo *de inst. d. 37. sect. 3.* Laym. *l. 4. c. 2.* adijciens quænam causæ merè Ecclesiasticæ, quænam merè ciuiles, quænam mixtę dictitentur.

2 *Et rectus processus.*

Secundum est *Rectus processus*, nępe vt reus citetur, & audiatur, &c. Nisi forte aliquando expediat, cum delicta sunt atrocia in flagranti crimine deprehensos, illico punire. Vel in criminibus exceptis communem procedendi modũ immutare. Iudici etenim supremo (dũmodo crimen sit publicum) aliquando licebit, sine citatione, defensione, & omni processu reum morti addicere eo quod factum notoriũ, & publicum accusatoris, ac testium vices gerit, neq; reo ius se in iudicio defendendi relinquat. Profecto etsi talia crimina à cõmuni dispositione legis positiuæ, & iuris communis excipiantur: non tamen legis, vel iuris naturæ, vnde grauiter delinquet Iudex, qui in huiusmodi processu quiduis licere præsumpserit. Trull. *l. 8. Dec. c. 1. dub. 13.* Nau. *sum. c. 25. n. 10.* Bon. *d. 10. in Dec. q. 2. pu. 2. n. 5.* Card. Lug. *d. 37. sect. 5.*

3 *Et intentio recta.*

Tertiũ est *intẽtio recta*, vt videlicet procedatur ex intẽtione iustitiæ. Quapropter si Iudex ex odio, affectu, aut alio malo fine alliciatur proculdubio delinquet non quidẽ contra iustitiam, sed contra charitatem, aliamve virtutem mortaliter, vel venialiter, provt finis illius mortalis, aut venialis fuerit. Bon. *d. 10. in Dec. q. 2. pu. 3.* & alij communiter.

CAPVT II.

De Iudice.

4 *In Iudice necessaria est Scientia.*

DEbet Iudex scientia pollere: vt suo muneri rectè satisfaciat. Quia quilibet obligatur ea callere, quæ ad proprium attinent officium, & sine quorum cognitione, munus suum exercere nõ potest. Vnde petens, vel suscipiens Iudicis officium si ob imperitiam ita se indignum agnoscit, vt probabile sit notabile alij incommodum obuenturum, lethaliter delinquet. Nauar. *c. 25. n. 11.* Card. Lugo *d. 37. n. 1.*

5 *Non debet absolui, nisi officij renunciationẽ gerat.*

Nec debet absolui, nisi facta officij renunciatione, sufficiet verò si firmum renunciãdi gerat propositũ, quia nullus potest officiũ cuius munia gerere nescit, retinere, præsertim cũ proximi grauni periculo. Farin. *p. 3. q. 3. a. 16.* Sayr. *in claui. l. 12. c. 13. n. 2.* Reginal. *l. 25. n. 675.*

6 *Tenetur parti læsæ satisfacere, si eius culpa læsio facta fuit.*

Nauar. *sum. c. 25. n. 11.* D. Tho. *2. 2. q. 76. a. 2.*

Si propter culpabilem iudicis ignorantiam litiganti graue accidit incõmodũ, tenetur parti læsæ satisfacere quæcumque ad litis substãtiam, & ad expẽsas pertinere videatur. Card. Lug. *d. 37. n. 2.* Bonac. *d. 10. Decal. q. 2. pun. 3.*

7 *Tenetur monere litigantem, vt damnum. quod sua causa imminet ei, impediat, si possit impe-*

Portò Iudex agnoscens, se commissam (etsi sine graui piaculo) in litigantis læsionem debet, si potest citra infamiam, erroris damnũ impedire putà monendo occultè partem læsam, vt sibi appellatione, vel aliter, consulere satagat, quia id pertinet ad debitam muneris executionem. Lugo Card. *de inst. d. 37. q. 367.*

cu- Demde tenetur iudex causas iudicare, ac celeriter expedire, quia ex officio tenetur, *que ius* suum tribuere: quod non agit, si aut petitus iudicare nolit, aut sine iusta causa sententiam differat. Vnde lethaliter delinquit differendo notabiliter causarum expeditionẽ sine causa iusta Sylueſt. *v. Iudex, q. 12.* Sayr. *in Claui. l. 12. c. 12. n. 8.* Nauar. *c. 25. num. 14.* Bon. *d. 10.* Dec. *q. 2. pun. 3.* Addunt teneri Iudicem in hoc casu parti lęsę damna, & expensas, quæ ex iniqua dilatione sequutæ fuere, restituere. Quia earum iniusta ille causa fuit. 8 *Tenetur causas iudicare, ac celeriter expedire.*

Si in causa exequenda, & proferenda sententia negligens, vel iniquus sit, non solũ parti læsæ, sed interdũ etiam fisco tenetur: v.g. si mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine, vel lege communi debebat reo imponere, sine causa remisit. Layman. *l. 3. c. 5. n. 7.* Sylu. *v. Pœna, q. 28.* D. Tho. *2. 2. q. 67. a. 4. ad 3.* 9 *Interdum etiam fisco tenetur restituere.*

Quid verò præstare debeant circa inquisitionem criminum, annoto. Præmitto autem, tribus modis procedi posse contra criminosos; nempe via *Accusationis*, cũ est aliquis actor, qui se probaturum delata spondet. *Denunciationis*, cum deferens crimen, non vult onus probandi susc pere. *Inquisitionis* quæ quidem est triplex, Generalis, quando in genere quæritur, num leges fruentur. Specialis, quando de certa persona, & certo crimine quæritur. Mixta, quando vel sola persona, vel crimen solùm est speciale, vt si quæratur, quisnam Antonium interemit? Hoc pręmisso, Iudex sine vlla occasione data, potest generalem instituere inquisitionem. In ea tamen eius potestas non extenditur ad occulta elicienda, de quibus nulla est fama. Ratio prioris est, quia id necessarium est Reipublicæ, nec cuiquam iniuria irrogatur, & licet quorundam deregantur scelera id per accidens euenit, eique incommodo bonum commune præponendum. Ratio posterioris, quia maxima inde Reipublicæ sequerentur incommoda. Les. *l. 2. c. 28. dub. 13.* 10 *Tribus modis procedi potest contra criminosum, via accusationis, denunciationis, & inquisitionis.*

Profecto in huiusmodi inquisitione subditus etiam sub iuramento rogatus, non tenetur, imo non potest prodere criminosum occultum. Etsi cum prodat, lethaliter delinquit contra iustitiam. Quia cum crimen (vti suppono) porbari nequit, ac proinde ex eius reuelatione non possit aliud sequi, quam infamia nullum ille ius reuelandi habet. Limito, nisi fortè non tam in pœnam, quam in certam eius, qui deliquit emendationem, vel ad graue ex alijs auertendum cederet. At si in hac inquisitione ex reuelatione duorum, vel trium alicuius criminis author deprehendatur, potest Iudex per hosce testes contra illum procedere. Laym. *l. 3. tr. 6. c. 2. n. 12.* & *tr. 3. p. 3. c. 4. n. 12.* 11 *In huiusmodi inquisitione subditus non potest prodere crimen occultum.*

Quando verò crimen est manifestum, & author ignoratur, Iudici est licitum, quærere in genere, quisnam fecerit: non tamen in particulari, v.gr. Num Antonius gesserit nisi aliqua infamia, vel indicia præcesserint. Licitum, inquam, est. Quia sic fert Iudicum praxis, ex cuius omissione non leuia incommoda sequerentur. Bonac. *præ. 8. Dec. d. 10. quæst. 2. pun. 1.* 12 *Quid quando crimen est manifestum.*

Verùm vt inquisitionem specialem faciat debet saltem infamia præcedere, vel quid simile, vt iustam det causam. Quia alioqui delinquens sine causa infamaretur, & 13 *Vt inquisitio specialis fiat.*

debet saltem infamia præcedere.

& quia Iudex debet ex scientia publica, quam non habet nisi per accusationem, vel confessionem rei, vel facti euidentiam; vel per infamiam, ad quam non sufficiunt duo testes, qui iurent, se vidisse crimen admitti; quia adhuc est occultum, sed requiritur, vt rumor sit sparsus per maiorem partem ciuitatis, vel Monasterij, nec à maledicis sit extortus. Attamen hac in re tutius erit communem bonorum virorum, & Reipublicæ praxim sectari. Bon. *in Dec. d. 10. q. 2. pun. 5.* Les. *l. 2. c. 28. dub. 19.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 12.*

14 *Sed prius quam procedat vi infamiæ debet ipsa infamia probari.*

Sed antè quam Iudex ad inquisitionem specialem vi infamiæ procedat, ipsa infamia prius debet examinari, ac probari saltem per duos testes, qui exprimant personas, à quibus audiere. Trull. *l. 8. cap. 1. dub. 17.* Præterea de vno crimine infamatum, v. c. adulterio, non potest de alio interrogari, de quo infamatus non est, v. c. de furto. Quia est inquisitio specialis sine præuia infamia. Trull. *ibidem dub. 18.* Limito, nisi crimina sint connexa, vel vnum circumstantia alterius existat. Sanchez *p. 2. consil. l. 6. c. 3. dub. 21.* Monuerim verò, ad specialem inquisitionem non requiri infamiam præuiam in casibus certis, quos recognosce apud Lessium *l. 2. c. 29. dub. 15* Bonac. *tom. 2. d. 10. pun. 5.* Sanchez *p. 2. consil. l. 6. c. 3. dub. 19.*

15 *Quid Iudici liceat, quid non circa torturam rei, qui potest torqueri.*

Quid vero iudici liceat, quid non liceat circa torturam rei, iam expono, præmittens, quasdam personas torqueri non posse, nisi in criminibus exceptis. Tales sunt viri in magna dignitate constituti, officiales Principis, Vrbiū Gubernatores, Nobiles equestris Ordinis, Milites, Doctores, eorumque liberi Impuberes, senes memoria vacillantes, prægnantes, & nondum à partu confirmatæ. Card. Lugo *d. 37. sect. 14.* & omnes.

16 *Quid ad torturam rei requiratur?*

Hoc præmisso, ad reum torquendum requiruntur alicuius grauis criminis ea saltem indicia, quæ semiplenam probationem faciant, ideſt, reddant rem plusquam probabilem. v. g. si adsit testis vnus omni exceptione maior, rei confessio extra iudicium, probabiliter assertio duorum vel trium sociorum criminis, in criminibus exceptis. Item fama publica à viris honestis orta, ac per testes probata cum alterius indicij adminiculo. Quia fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris. Certè tortura est instituta ad probationis subsidium, quando argumenta, & indicia sunt valde efficacia, vt sic plena probatio elici possit; nam confessio rei, si eam extra torturam ratificet, maneatque in ea vsque ad diem sequentem, ex semiplena probatione plenam efficit. Les. *l. 2. cap. 29. dub. 17.* Layman *l. 5. tractat. 6. cap. 5.* Tanner. *tom. 3. d. 4. de inst. dub. 2. & 3.*

17 *De peccatis Iudicis circa rei torturam.*

Hinc peccat Iudex lethaliter, si non prius alia media mitiora ad detegendam veritatem tentet, quam ad torturam procedat Les. *l. 2. cap. 29. dub. 17.* Etsi ob insufficientia indicia reum torturæ addicat. Insufficientia autem indicia sunt, si cadauer occisi sanguinem ad præsentiam alicuius emittat. Si sagæ lacrymari non possint. Delrius *l. 5. de Mag. sect. 3.* adiiciens merito, illicitam esse per aquas &c. probationem. Les. *l. 2. c. 29. n. 176.* Trull. *l. 8. Dec. c. 1. dub. 21.* Et qui in causis criminalibus, vel notabilis infamiæ reum comprehensum antequam habeat probationem contra ipsum iuramento adstringit, vt veritatem aperiat de omnibus pertinentibus ad casum, ob quem est comprehensus. Idem est (etsi sine iuramento) minis, terroribus, tormentorum ostensione hominem turbet, & implicet, vt sibi contradicens, circumstantiam aliquam reuelet, qua conuincatur, & plectatur. Nauar. *sum. cap. 18. num. 41. & cap. 25. n. 36.* Card. Lugo *d. 40. num. 1.* Et si extorserit confessionem per iniuriam, v. g. si torserit exemptum, si sine sufficientibus indiciis, si dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promissione, ad fatendum induxit, vel aliter siue quoad substantiam, vel moduni notabiliter excessit in tortura. Et vltrà graue piaculum, confessio rei est nulla, nec potest Iudex ex ea procedere: imò ad compensationem damni tenetur. Lug. *d. 37 n. 157.* Les. *l. 2. c. 29. dub. 18.* Laym. *l. 3. tr. 6 c. 5.* Tanner. *tom. 3. d. 4. q. 2.* Trull. *l. 8. Dec. c. 1. dub. 17.*

18 *Licet reus confessionem iniustè extortam postridiè ratificet, nihilominus Iudex nequit ad eius, vel complicis occulti punitionem procedere.*

Profecto licet reus confessionem iniustè extortam postridiè ratificet, nihilominus Iudex nequit ad eius, vel complicis occulti punitionem procedere. Quia cum confessio fuerit irrita, consequenter irrita erit ratificatio. *Leg. penult ff. de quæst.* atque adeo etiam cognitio per illud medium parta est iniusta. Nauar. Salon, Sayr. Less. Trullench, quos citat, & sequitur meus Hermannus Busenbaum in aurea planè *summa l. 4. cap. tertio dub. proc edere. secundo.*

19 *Quid si contra reum aliquem graniora extant indicia, quam ut ipse extra tormenta reus coram Iudice ratificet.*

Si contra reum aliquem graniora extant indicia, grauius torqueri potest: non tamen ita, vt moraliter impossibile videatur tormenta sustinere, habita scilicet ratione personæ. Quare si excedat Iudex, confessio extorta erit inualuntaria, & pro nulla habenda: quamuis extra tormenta reus coram Iudice metu nouæ torturæ ratificet. Laym. *l. 3. tr. 6. c. 5. n. 11.*

20 *De torturæ iteratione.*

Semel quis torquetur, & nihil est fassus; iterum torqueri non debet, nisi noua criminis superueniant indicia. Quia per torturam priora iam elusit. At si crimen in tortura fassus, extra eam reuocet coram Iudice, repeti tortura potest. Quia & indicia suo in vigore manent, & inconstantia rei dat occasionem. Si verò tertio tortus, ac confessus; retractet, est absoluendus. Quia præsumendus est, metu tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. Lessius *lib. secund. cap. 29 dub. 17.* Lugo *d. 37. de iustit. numero 156.* Diana *p. tertia tract. 6. resolut. 16. & 23.*

21 *Debet Iudex inxtà leges sententiā proferre.*

Iam vero Iudex debet secundum leges sententiam proferre. Vnde Iudex inferior ordinariè non potest relaxare pœnam, vel minuere, etiamsi actor consentiat: nisi aliquando ad bonum Reipublicæ aliud necessarium esse ejijcheia dictauerit, vel nisi de priuata solùm iniuria actoris ageretur. Trull. *l. 8. Dec. c. 1. dub. 12.* Regin. *l. 25. n. 643.* ex D. Tho. *2. 2. q. 65. a. 5.* Si verò Iudex supremus sit ob iustam causam id potest. Sine causa tamen grauiter delinqueret. Quia animaret delinquentem, & ad peccatum cõcurreret. Cai. v. Iudex.

22 *Non potest Iudex esse in causa, qua Aduocatus fuit.*

Si iudex fuisset in aliqua causa Aduocatus, in ea haud potest sententiam ferre. Quia eius iudicium suspectum haberetur per affectum ad vnam partem. *Leg. Eos in principio, cap. de appellat. Leg. Prætor, de iurisd.* Sanch. *p. 2. consil. l. 6 c. vlt. dub. 26.*

23 *Quid si sciat aliquē esse innocentem, cum iuridice probatus sit nocens.*

Cum Iudex priuatim scit aliquem esse innocentem, si iuridice probatus sit nocens, tenetur quoad potuerit eū liberare: impediendo scilicet accusationem, iudicium extrahendo, aperiendo carcerē, (si sine maiori ipsius, aut alterius incommodo geri queat) remittendo causam ad superiorē. Si verò nihil efficiat, si causa sit ciuilis, vel criminalis minor, vbi tantum agitur de pœnis pecuniariis, potest iuxta allegata, ac probata procedere. Quia innocens per appellationem potest in integrū restitui. Et quia Respublica potestatem habet in suorum ciuium bona, quando bonum publicum id requirit. Laym. *l. 3. c. 2. nu. 8.* Lef *l. 2. c. 29. dub. 10.* An autem in causis capitalibus idem agere possit, per Dubia *sect. 2.* dicentur.

24 *Quid si sciat nocentem esse cum iuridice probatus sit innocens.*

Cum autem priuata scientia agnoscit quem esse nocentem, si iuridicè sit probatus innocens, non potest eum condemnare. Quia iudicat vt persona publica, ideoque debet scientiam publicam sequi, ac secundum allegata, & probata procedere, præsertim in rei fauorem. D. Tho. *2. 2 q 67.* Nau *sum. c 25.* Bonac. *hic, d. 10. q. 2.*

25 *Quid si vtrinque sint sententiæ probabiles.*

Attamen si vtrinque sint sententiæ probabiles in quæstione iuris, debet ferre sententiam iuxta opinionem de iure probabiliorem saltem si sit Iudex supremus. Quia Iudex est constitutus, vt secundum causæ merita, & sententiam, quæ ei magis consona rationi videtur, causam decidat: alioqui enim personarum acceptor existeret. Dixi, *si supremus sit.* Nam si sententia aliqua communiter sit recepta in tribunali superiore, Iudex inferior videtur secundum eam posse iudicare, licet minus probabilem. Quia videt probabiliorem cum honoris sui præiudicio esse in tribunali superiore reuocandam. Lugo *d. 37. de iustit. sect. 10.* Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. §. 3. n. 16.* ex Syluest. ac Gabr. Vasq.

26 *Quid si opiniones oppositæ æque probabiles sint*

Si autem opiniones oppositæ æquè probabiles videantur, non licet vni litigantium pro arbitrio Iudicis totum adiudicare, cum vterque ius habeat æquale, sed suadere debet compositionem: imo imperare in casu nimis ex suo (alias non licet) seu intricato, vni dimidium, & dimidium alteri iuris, aut rei, de qua lis est, adiudicari. Bon. *de peccat d. 2. q. 4. pun. 9.*

27 *De obligatione Iudicis, qui iniustam tulit sententiam.*

Qui vero iniustam tulit sententiam ob dolum, vel magnam imperitiam, damnum partis læsæ in se transtulit, cui restituere tenetur Bon *hic d. 10. q. 2. pun. 4.* ex D. Tho. At si alioquin dignus suo munere (tametsi id petens impetrauerit, aliis dignioribus neglectis) per obliuionem ex humana fragilitate errauerit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis. Quia iniuriam formalem non intulit, neque aliquid commodi ex tali sententia accepit. Debet tamen sententia si possit sine graui incommodo, reuocare. Layman. *libro 3. tract. 6. cap. 2. numero 11.*

28 *Sententia iniusta ex omissione ordinis iuris simpliciter necessarij: siue feratur per falsò allegata, & probata, siue ex Iudicis iniquitate, nullum robur in foro conscientiæ habet: manetque parti læsæ, etsi non appellet, ius suum, licebitque ei, si absque scandalo possit, bona recuperare. Quia sententia eatenus obligat in conscientia, quatenus habet rationem iudicij, hoc est, vt determinatio iuris, & iusti definitio.* Bonac. *d. 10. quæst. secund. pun. 4.* Trullench. *l. 8. Decalog. cap. prim. dub. septim.* ex D. Thom. Sayro, & aliis. In foro autem externo, vbi non tam facti veritas quam probatio iuridica spectatur, sententia prolata ternanda est, ad scandala, & incommoda vitanda: neque elapso termino, (intra quem licebat appellare) actio ei conceditur. Quia si lex præscribit, & in pigritiæ pœnam, & ob bonum publicum, vt litium fit finis. Trull. *l. 8. c. 4. dub. 6.* ex Sayro, & aliis. *Sententia in foro externo non obligat.*

29 *De eo, qui iniustè suis manifestè spoliatus, bona per sententiam recuperat.*

Porro qui per sententiam manifestè iniustam iure fuit suo spoliatus, eius bonis alteri adiudicatis potest (nisi alter iuste præscripserit) per occultam compensationem ea recipere. Quia ius suum recuperat. Qui vero iniustè spoliatus cognoscit, mala quidem fide, semper tenetur ea restituere, nec vnquam præscribere potest. Quia sunt aliena, & malæ fidei possessor nunquam præscribit: Imo tenetur expensas restituere, ac damna compensare, etiamsi pars læsa non appellauerit. Quia non ideo suo iuri renunciauit. At qui bona fide rem à Iudice postulauit, & bona fide accepit, intelligit tamen ante finitum præscriptionis tempus, fuisse iniustam sententiam, tenetur eam, non tamen expensas restituere. Si vero rem bona fide possedit, tempore ad præscriptionem necessario, restituere non tenetur. Quia legitimè præscripsit. Ex Salas Trullench, Sayro Busembaum *l. 4. cap. 3. dub. 2. a. 4.* & est omnium.

30 *De Iudice munera accipiente.*

Quamuis Iudex à partibus accipiens liberalia munera, aliquando delinquat vel ob scandalum, vel ob peruertendæ iustitiæ periculum: acceptorum tamen dominium comparat iure naturæ spectato. Vnde etsi lex positiua munerum prohibeat acceptionem, accipiens tamen ad restitutionem non tenetur ante Iudicis sententiam, nisi lex exprimat, quod non illicita tantum, sed etiam inualida sit acceptio. Bonac. *ad præc. 8. Decalog. q. 2. pun. 8.* Layman. *l. 3. tractat. 4. cap. 4. numero 9. & 10.* Si demum Iudex iniustè munera extorqueat, nolens agere quod iustum est, ac debet, nisi ea detur: tenetur restituere, Vti etiam si quid datum sit ad redimendam vexationem, v.g. nè iniustè faueat parti aduersæ, vel nè causam nimis differat. Quanquam hoc casu interdum præsumi potest, datorem obligationem restituendi remittere. Laym. *l. 3. tr. 4. c. 4. num. 10.* citans Gabrielem, & Rebellum.

CAPVT

CAPVT III.

De Accusatore.

31 *Tria cauēda in accusatione, calumnia, prævaricatio, & tergiversatio.*

TRIA caueri oportet in accusatione, vt iustitia seruetur. Primum est *calumnia*, seu falsi criminis impositio, vel eius, quod sufficienter nequit, probari. Et hæc inducit restituendi obligationem, & subeundi vel talionis pœnam, vel aliam Iudicis arbitrio. Secundum est, *prævaricatio*, vel collusio cum reo, & simulata solùm accusatio. Quæ in criminalibus si Reipublicæ damnum tequatur, inducit restituendi obligationem. Tertium est, *tergiversatio* inchoatæ accusat onis absque iusta causa Quia cum causa v. gr. ob Principis imperium, vel Iudicis, quod Reipublicæ interfit talem personam non puniri, aut infamari, vel quod in accusatione defectus sit substantialis commissus, potest desistere, imò tenetur, si in causæ progressu cognoscat, se errasse, vel si dubitare de crimine incipiat, vel videat, se probare id non posse. Fill. *tr.* 40. *n.* 205.

32 *Quisnam accusare teneatur.*

Si autem roges, quis alterum accusare teneatur? respondeo, priuatum raro teneri, tum ex timoratorum praxi, tum quia alias tribunalia plena essent cum magna Reipublicæ inquietudine accusationibus, At si quis à Republica ob hoc recipiat stipendium, v. g. fiscalis, &c tenetur ex iustitia, & consequenter ad damna, ex omissione accusationis secuta. Bon. *ad præc.* 8. *d.* 10 *q* 3 *pun.* 1. Si verò bonum publicum id exigat, v. g. si proditio immineat, vel graue vitæ innocentis damnum aliter nequeat impedire, & crimen facile probari possit, tenetur etiam priuatus accusare, vel saltem denunciare, idque ex charitate tantùm, quæ restitutionem non importat. Bon. *ibid.* Fill. *tr.* 40. *n.* 205.

33 *Quinam accusare prohibeantur.*

Nonnulli sunt, qui accusare prohibentur. Hi sunt excommunicati, proditores, infames, idque in criminis pœnam. Filij, serui, idque ob parentum, vel dominorum reuerentiam. Clerici in causa sanguinis, idque ob indecentiam statui obuenturam. Les. *l.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. Bon. *ad præc.* 8. *d.* 10. *q.* 3. *pun.* 1.

34 *Triplici in casu quis non tenetur, imo nec debet, etiam posito superioris præcepto, alterius crimen denunciare. Primus est, si delinquens sit emendatus, sine recidendi periculo: ac parti læsæ satisfactum. Quia sine causa proximo infamia sequeretur. Secundus est, si crimen quis sub secreto naturali, tanquam Aduocatus, vel consultor, &c. Nisi tamen is, qui secretum commisit, innocentem, vel Rempublicam dinexare comperiatur, nec desistere. Tertius est, si inde graue immineat periculum honoris, vitæ, rerum. Addiderim si probare quis cogeretur, nec posset. Card. Lugo de iust. d.* 14 *n.* 142. *& d.* 38. *sect.* 2.

Escob & Mend. Theol. Moral. *Tom. VII.*

CAPVT IV.

De Teste.

35 *Vt aliquis condemnetur, duo testes requiruntur.*

VPPONO, vt aliquis in causis criminalibus condemnetur, duos testes requiri, ac sufficere. *Leg. Vbi numerus, ff. de testibus Cap. licet vniuersis de testament.* Quia vnus facile peruerti potest, duo autem difficilius, raroque conformiter loquuntur. In rebus leuioribus solent aliqui puniri testis vnius assertione, vt fructus in hortis surripientes, vel ligna in Syluis ex solius custodis testimonio plectuntur Bañes 2. 2. *q.* 70. *a.* 2. Bonac. *de teste pu.* 3. *n.* 3. & omnes.

36 *Septem personarum genera iure prohibentur testes fieri.*

Omnes vsu ratione pollentes possunt esse testes, si iure prohibiti nō sint. Iure autem septem personarum genera prohibentur. 1. seruus manens in seruitute. Quia seruitus annexum habet dominationis timorem, *l. Quoniam liberi, C. de testib.* 2. Mulier, quæ quidem in causis criminalibus repellitur iure Canonico ob sexus fragilitatem: iure verò ciuili solum in testamento repellitur. *C. Mulierem.* 33. *q.* 5. *Leg. Qui testam. ff. de testam.* 3. Minor viginti annis quanquam ipsius dictum sufficiens exhibet indicium ad informationes gerendas, non vero ad torquendum, vel condemnandū; in causis verò ciuilibus pubes admittitur. *Leg. In testimonium. ff. de testib.* 4. Inimicus eius, contrà quē testimonium dicitur, modo grauis inimicitia præcesserit. Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 4. Les. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 37. Sà *v. Iudiciales actus de testib. n.* 4. 5. Sanguine iuncti, vt ascendentes, & descendentes accusatoris, & collaterales vsque ad quartum gradum, licet admittantur consāguinei, & affines rei ad eius innocentiā probandam. 6 Repellitur domesticus accusatoris in ipsius accusatoris causa. Fil. *tr.* 40. *n.* 242. 7. Infames iuris, aut facti. 2 Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 4. 8. Pauperes vnde homo vilis, & inops, quoties suspectio est: vt pecunia corruptus, falsū deponat, repellitur, *leg.* 3. *ff. de testib.* 9. Periurus, hic enim facilè iterū peieratus præsumitur. Item socius criminis ordinariè repellitur, quamuis aliquando admittatur, vt in crimine hæresis, læsæ Maiestatis, falsificationis monetę, maleficij, furti famosi, Sodomiæ, & in delictis, quæ sine socio patrari nequeunt. *L.* 3. *ff. de testib.* Porrò quāuis testis minus idoneus nō probet semiplenè, facit tamen iudicium, quod cum aliis coniunctum ad torturam sufficit. Sayr. *in clavi l.* 12. *c.* 21. *n.* 2 Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 2. Fill. *tr.* 40. *n.* 2 34. Les. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 41.

37 *Testes priuilegiati nō tenentur ex vi monitorij, sui coniuncti crimē reuelare.*

In criminalibus regulariter filius non potest contra parentem testificari: in quibusdam tamen, vt in crimine læsæ Maiestatis humanæ, & diuinæ potest, ac tenetur, quando alius non est, qui ad testificari valeat. Imò testes priuilegiati de iure non tenentur ex vi monitorij crimen sui coniuncti, etiamsi alij testes non sint, reuelare. Vnde neque pater filium, neque maritus vxorem, nec frater fratrem, aut sororem, nec filius patrem, nec vxor maritum detegere tenetur. Idem dixerim

de socero ac genero, & de cognatis omnibus intra quartum gradum *leg. Parentes, Cod. de testib.* Sayr. *in Clau, l. 12. cap. 19. num. 24. & 25.* Vt scilicet dissensiones vitentur, & odia inter cognatos, quorum iurgia tam noxia sunt Reipublicæ. Sylueſt, *v. Familia,* Auila *p. 2. c. 5. d. 5. dub 2.* P. Theophylus Raynaud. de Republica litteraria celeberrimè meritus, nostræ decus insigne Societatis *de monitor. p 1. c. 3. q. 14. & 20.* Diana *p. 5. tr. 13. res. 67.*

38 *Qua requiranur in testibus, vt plane probare dicantur.*

In causis criminalibus, vt aliquis condemnetur, requiruntur duo testes, ac sufficiunt, vt præmissi; verum vt plane probare dicantur plura requiruntur. Primò vt deponant iurati. Quia absque iuramento facilius, est mentiri. Secundò, vt sint contestes, id est, ambo testentur idem factum cum iisdem circumstantiis substantialibus, consequenter conuenire debent in loco, tempore, & specie delicti. Vnde si testentur de diuersis actibus diuerso tempore commissis, non dicuntur contestes, sed testes singulares, quorum depositio non facit, plenam criminis probationem, sed magnam præsumptionem, quæ ad torturam sufficit, & aliquando ad pœnam extraordinariam infligendam. Tertiò, vt dicant, se externo sensu percepisse, verb. grat. se vidisse furantem, vel audisse blasphemantem. Quartò, vt sint omni exceptione maiores, id est, contra quos nil possit iure apponi, cur non sint admittendi, & eis fides adhibenda. *Cap. si testes 4. q. 3. l. solam. C. de testib.*

39 *De testium discordia circa depositionem.*

Si quando testes actoris, & rei discordes sunt in pertinentibus ad substantiam facti pro reo est iudicandum. Quia vbi iura sunt æqualia potior est ratio possidentis: reus autem est in possessione vitæ, famæ, ac bonorum. Quando verò discordes sunt in pertinentibus ad facti accidentia, quæ non attingunt substantiam, talis discordia testimonio non præiudicat. Si autem testes eiusdem partis, vt rei, vel actoris inter se discordes existant, tunc prudentia Iudicis opus est, ad dignoscendum, cuinam potius fauere debeat: vt ex numero testium, ex dignitate, ex fauorabilitate causæ. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70 *a. 2. ad* 2. Filliucius *tract.* 40. *num.* 248. Sayr. *in Clau, l. 12. c. 21. n. 13. & 14.*

40 *Quando testis legitimè interrogatus, teneatur veritatem aperire.*

Legitimè interrogatus à Iudice testis, tenetur veritatem manifestare in his casibus. primò, si Auctor infamia delicti laboret. Secundò, si quando non laboret infamia, tamen imminet communitati damnum, nec potest nisi per Iudicem auerti. Tertiò, si damnum immineat alicui priuato, nec possit aliter impediri. Quartò, si de auctore delicti est semiplenè probatum. Quintò, si procedatur via accusationis, & delictum plenè probari valeat. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70 *art.* 1. Sayr. *in Clau l. 12. capit.* 20. *numero* 29. Layman. *l. 3. tract. 6. capit. 4 numero* 8. Reginald. *libro* 24. *numero* 46.

41 *In quibus casibus non teneatur veritatem fateri.*

In multis verò casibus non tenetur veritatem fateri. Primò, si ex confessione Sacramentali norit: imò nulla ratione tunc potest. Secundò, si sub secreti naturalis sigillo patefactum ei est crimē; vt Consiliator, Adiutor, Aduocatus, Mediens, obstetrix, & similes, assolent à delinquentibus adiri. Excipio, nisi testificatio necessaria esset ad aliquod damnum publicum, vel priuatum auertendum. Tertiò, si auctor non laborat infamia, nec timetur damnum in futurum. Quartò, quando via accusationis proceditur, & delictum non valeat plenè probari. Quintò, si ex testificatione immineat aliquod malum ipsi testi, vel eius consanguineis. Sextò, quando quis accipit rem cauta iustæ compensationis. Septimò, si sciuit à personis non admodum fide dignis, imò quod solùm audiuit, potest testificari, se nescire, quando scilicet delictum cōstitit in facto, non in voce. Moneo, in casibus, in quibus non teneris iuratus reuelare, nec etiam iuratum teneri, modo iuramentum tuum conuenienti modo intellexeris. Nauar. *sum. c 25. n. 42 46 & 50.* Lel. *l. 2. c. 30. dub. 6. n. 45.* Reg. *l. 24 n. 47. & 48.* Fil. *tr. 40. n. 230.* Dian. *p. 2. tr. 1 res. 63. & tr. 5. res. 100. & 101.*

42 *Quando quis tentatur se offerre ad testimonium ferendum*

Quando proximus ob testis defectum passurus esset in ciuilibus iniustè graue aliquod malum, tenetur qui testificari potest eo esse ad testimonium offerre. Quia tunc charitas obligat ad succurrendum innocenti: modo speret, se profuturum suo testimonio, & ipsi ob id graue damnum non immineat. In criminalibus verò, si testimonium alicuius necessarium sit ad liberandum reum à morte iniusta, vel graui malo, tenetur testis non vocatus se offerre. Quia tunc reus est in extrema vel graui necessitate: Ad condemnandum vero, non tenetur, nisi quando delictum esset contra bonum commune, vt in læsæ Maiestatis diuinæ vel humanæ crimine. Fill. *tr. 4. nu.* 250. D. Thom. 2. 2. *q. 70. a. 1.* Sayr. *in Clau, l. 12. c. 20. num. 20.*

43 *Quale peccatum sit, falsum testificari.*

Qui falsum testificatur, quando Iudex iuridicè non procedit, peccat *solum* venialiter, modo absit iuramentum, Quando vero procedit iuridicè, etiamsi ex odio, & malo animo id agat, etiam seclusō iuramento: falsum testari est ex genere suo peccatum mortale. Quia testis tunc tenetur dicere veritatē ex iustitia, & iniuria Iudici, ac Reipublicæ facit, veritatē non testificando. Attamen ex paruitate materiæ citra iuramentum solummodo veniale erit. D. Tho. 2. 2. *q. 70. a. 4.* Sylu. *v. Testis. q. 8.* Sayr. *in clau, l. 12. c. 19. n. 4.*

44 *De restitutione gentis data à falso teste.*

Denique testis qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non dānabili, vel oblitione saltem non mortifera; ratione cuius contingit, aliquem damnari, ad restitutionem non tenetur, quia neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ damnificationis: non enim peccauit lethaliter, (vt suppono.) At qui probabile est, illum non teneri ad restitutionem, qui in damno inferendo lethaliter nō deliquit. Caiet. 2. 2. *q. 70. a. 4.* Nau. *c. 25. n. 40.* Nau. *de rest. l. 2. c. 3. n. 254.* Si autem scienter, vel ex crassa ignorantia falsum testimonium dixit, ratione cuius alter iniustè damnum acceperit, tenetur ad restitutionem damni, & retractationem etiam cum vitæ periculo, si simile damnum reo timeatur, & retractatio profutura putetur. Quia per iniuriam est causa efficax damni totius, ideoque in solidum tenebitur. In æquali autem damno habenda est potior ratio innocentis. Sayr. *in clau, l. 12. c. 19. n. 9* Regin. *l. 24. n. 45.* & alij.

CAPVT

CAPVT V.

De Reo.

45 *Quinam sit ordo iuris.*

VINAM sit iuris ordo præmitto. Est quidem primò, cum infamia præcessit: debet autem huiusmodi infamia esse legitimè probata per duos testes omni exceptione maiores. Secundò, cum indicia legitimè probata suppetunt. Tertiò, cum habetur semiplena probatio, que fit per vnũ testem iuratum omni maiorem exceptione. Hæc tamen non sufficiunt ad iuridicè interrogandum, nisi sint coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo, quod vicem accusationis supplet, vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica. D. Tho. 2. 2. *q.* 69. *a.* 1. Sà *de Reo*, *nu.* 1. Reginal. *l.* 24. *num.* 134. & 135. Lessi. *l.* 2. *cap.* 31. *num.* 8. Layman. *l.* 3. *tr.* 6. *cap.* 5. Bouer. *in direct. for. iudic. cap.* 35. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 91.

46 *Reus fateri veritatẽ, cum Index iuridice non interrogat minimè tenetur.*

Non tenetur reus fateri veritatem, aut iurare de calumnia, hoc est, se in omni parte litis veritatem dicturum, si Iudex non interroget iuridicè, seu iuris ordine seruato. Si tamẽ Iudex non intendat criminis punitionem, sed tantum illud impedire, tenetur subditus etiam de occultis. *Cap. Inquisitionis*, *Cap. Qualiter*, *& quando*, *de accusat.*

47 *Secus quãdo interrogat iuridice & id est reo notum.*

Quando Iudex iuridicè interrogat, idque reo notum est, tenetur reus fateri veritatem, etiamsi capite esset plectendus. Quia quisque tenetur superiori legitimè præcipienti obedire. In re tamẽ parui momenti occultare veritatem, aut mẽtiri in iudicio, non est mortale si absit iuramẽtum. Item si Iudex quærat de facto, quod absque culpa lethali saltem patratum est, testis & reus non tenentur ad mentem Iudicis respondere, sed negare potest, quod sibi detrimentum adlaturum timetur, adhibita conuenienti mentis restrictione, v. gr. Titius Caium occidit, defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ: potest titius coram Iudice negare, quia Iudex inquirit de occisione criminosa qualis hæc non fuit, cum ad sui defensionem absque excessu notabili accidit. D. Tho. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Nauar *sum. c.* 25. *num.* 36. Filliuc. *tract.* 40. 263. & 265. Bonac. *tom.* 2. *d.* 10. *q.* 3. *pun.* 2. *numer.* 6. Reginaldus *lib.* 24. *numer.* 38. & 42.

48 *Non tenetur confessarius cogere reum qui veritatem in iudicio negauit dictum retractare.*

Cum reus interrogatus veritatem negauit in iudicio, qua manifestata, condemnandus fuisset: non tenetur Confessarius illud cogere ad dictum retractandum: siue contra illum lata sit à Iudice sententia condemnatoria, siue absolutoria, quia finitur etiam rei obligatio. Sanch. *lib.* 3. *Decal. c.* 7. *num.* 6. Az. *p.* 3. *l.* 13. *c.* 25. *q.* 5.

49 *Reus confessus non*

Reus confessum Iudex non potest de sociis criminis examinare nulla indiciorum suspitione vel infamia laborantibus: nisi crimen tale sit, quod necessario & suapte natura socium requirat, vt Sodomia: vel nisi crimen exceptum sit, videlicet in publicam perniciem tendens, vt hæresis, proditio, veneficium falsificatio monetæ, latrocinium: vel nisi aliquod crimen committendum esset in priuatæ personæ perniciem, vt si aliqui in hominis necem coniurauerit. *leg. vltim. C. de accusation.* Nauar. *cap.* 18. *num.* 173. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *numer.* 161. & 162. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 99. *potest de sociis criminis examinari nulla indiciorum suspicione laborantibus.*

Contra iustitiam non delinquit reus aperiens crimina quantumuis occulta testium, si hoc modo queat eorum testimonium infirmare, v. gr. aperiendo eorum periurium, crimen falsi, excommunicationem, à qua testis non sit absolutus, & infamiam iuris, vel facti: Delinquet tamen contra iustitiam, si ea criminis manifestatio non sit ad propriam defensionem necessaria: aut si reus potuisset cum minori damno, testium dicta infirmare, quia proximo maius damnum infert, quam ad sui defẽsionem sit necessarium. Reginal. *l.* 24. *numer.* 140. Filliuc. *tr.* 40. *num.* 259. Lessius *lib. secund. cap.* 31. *dub. prim.* Valent. *to.* 3. *d.* 5. *q.* 14. *pun.* 3. 50 *Non peccat reus aperiendo crimina testium, si sit ea manifestatio ad propriam defensionẽ necessaria.*

Si autem reus acciuetur de crimine, quod iuridice nequit probari, non peccat contra iustitiam etiamsi crimen deneget. Imo etiãsi dicat mentiri, calumniari acciuatorem, quia qui accusat de eo, quod non potest probari, calumniator præsumitur, ac proinde mentiri censetur falsum enim in iudicio præsumitur, quod nequit probari: Peccat tamen lethaliter reus si aliter se tueri poterat. Nauar. *c.* 18. *num.* 49. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 9. *q.* 8. Sylvest. *v. Restitutio* 3. *q.* 3. Sylu. 2. 2. *q.* 62. *artic. secund. quæst.* 20. Filliuc. *tr.* 40. *n.* 261. 51 *Non peccat negando crimẽ quod iudice probari nequit*

Tortura potest reo adhiberi in criminibus granioribus ad probationis subsidium, quando ea crimina pœnam corporalem, vel triennium merentur: non autem in iis, quæ pœnæ pecuniariæ, exilio &c. addici asolent, quia tortura ad eliciendam criminis confessionem instituta, non debet esse tanta, vel maior pœna, quam sit illa, quæ in eiusdem criminis cõdemnationem inferretur. Verum tortura adhiberi non debet, si reus legitimè fuerit conuictus, vt de crimine condemnari valeat. Lessius *l.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. *num.* 151. Bonacin. *tom. secund. d.* 10. *quæst.* 3. *pun. secund. numer.* 9. 52 *Quandonã tortura reo adhiberi possit.*

Non tenetur, per se loquendo, reus obedire sententiæ quæ falsa præsumptione, aut falsis probationibus nititur, quia sententia est velut lex quædam alicui priuatim imposita: At lex non obligat ad id, quod est fini sententiæ contrarium. Vnde qui per talem sententiam aliqua re priuatus est, non tenetur in conscientia soluere: & ille, cui res talis est applicata, si sciat sententiam falso fundamento niti, ad restitutionem tenetur. Reginaldus *l.* 24. *num.* 146. Lessius *lib. secund. cap.* 31. *dub.* 4. *numer.* 27. & 28. Sotus *lib.* 3. *de iust. quæst.* 4. *articul.* 5. Filliuc. *tr.* 40. *num.* 268. 53 *Non tenetur reus obedire sententiæ quæ falsa præsumptione, aut probationibus nititur.*

Non solùm ante sententiam, sed & post eam potest reus è carcere fugere, etiam si in ea ob debita detineatur, tenetur tamen prima opportunitate ea satisfacere. Quod etiam ampliarim, quamuis carceris custos ob ipsius fugam graue damnum patiatur, quia fugiens 54 *De fuga à carcere.*

reus vtitur iure suo, & nulli facit iniuriam: per accidens enim damnum illud custodi obuenit. Imò non tenetur de damno, quod actoribus, ac Reipublicæ sequitur, si carcere pertuso etiam alij aufugiant. Quia eorum fuga per accidens euenit rei facto, nec tenebatur impedire. Sayr. *l.12.cap.* 18. *numer.* 17. & 22. Sanchez *lib sext. Decal. cap.* 8. Lessius *libro secund. capit.* 31. & 33. Valent. *to.* 3. *d.* 5. *q.* 13. *pun* 4. Filliuc. *tr.* 40. *num.* 270. Addo posse vincula rumpere, ac carcerem pertundere, quia cui licitus est finis licita etiam sunt media. Reginaldus *l.* 24. *num.* 151. Filliuc. *ibi. num.* 275. Imo præcisa vi, & iniuria licet Reo decipere custodem vt opportunitatem fugam arripiendi capiat. Sayr. *vbi supra n.* 16. Reginal. *n.* 150. Filliuc. *n.* 273.

CAPVT VI.

De Aduocato.

55 *Quinã non admittãtur ad Aduocati munus.*

NOn omnes ad Aduocati officium admittuntur. Repelluntur enim iure Canonico ob impotentiam muti, surdi, furiosi, adolescentes vsque ad decimum octauum annum. Ob decentiam & dignitatem status Religiosi, excepta causa necessitatis Monasterij cum licentia Abbatis in ciuilibus tantùm, etiam coram Iudice laico. Et Clerici Sacris Ordinibus initiati, vel etiam in minoribus, si beneficium, habeant, in causa tamen propria, vel Ecclesiæ suæ, vel pro coniũctis cognatione carnali Aduocatũ nó habẽtibus idoneũ, vel pro miserabilib. personis admittũtur ad hoc munus etiã corã sæculari Iudice, modo negotium sit Ecclesiasticum. Repelluntur præterea cæci, infideles, excommunicati, infames, hæretici, fœmina, & vir voluntariè passus muliebria, damnatus capitali crimine, vel publici iudicij calumnia. Demùm ille, qui in causa aliqua Iudex est, vel Assessor, prohibetur Aduocati munere fungi, quia duo officia in eadem causa exercere non potest. Nauar. *ad Cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *comment.* 2. D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *a* 2. Sylui. *ibi.* Sayr. *in clavi l.* 12. *c.* 22. Sylvest. Angelus, Tabiena *v. Aduocatus* Laym. *l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 4. *cap.* 26. *num.* 11. & 12. Reginal. *l.* 25. *n.* 663. & 664.

56 *Tria cauere tenetur.*

Tria Aduocatus scientia instructus (qua carens omninò repellendus est) cauere tenetur. Primò, ne sit præceps, sed prudens in causis defendendis. Secundò, vt non consulat opiniones Sophisticas, sed communes. Tertiò, debet esse diligẽs, & cautus circa causæ cognitionẽ, & defensionẽ. Satis autẽ erit, in causis singulis eã diligẽtiã adhibere, quę prudẽtũ, ac peritorũ iudicio sufficiẽs cẽsetur pro ratione & qualitate causæ. Aliter faciens tenetur, vltra graue piaculum, ad restitutionem damnorum, quæ ex negligentia sua parti subsequuntur. Quia omnibus aliquod munus exercẽtibus hæc est cõmunis obligatio, vt illud cum debita diligentia exerceant. Petr. Ledes. *sum. tr.* 8. *c.* 26. Filliuc. *tr.* 40. *c.* 10. Tolet. *l.* 5. *c.* 60. *num.* 4. Reginal. *l.* 25. *num.* 669. Sayr. *in Claui l.* 12. *c.* 22. *n.* 11.

Non solum sufficientem scientiam habere debet, sed etiã fidelitatem erga clientem seruare, quæ in his consistit. Primò, vt non adducat in medium leges falsas, vel abrogatas, aut falsas ac reprobatas doctrinas, aut leges bonas in sensus falsos distorqueat: alioqui de falso tenebitur. Secundò, vt in patrocinando non vtatur conuitiis, ac maledictis: sed potius, vt par est, bonis indiciis nitatur, & litem falsis cauillationibus non defendat. Tertiò, vt clientem non instruat ad iurandum falsum, vel falsas scripturas, aut testes falsos inducendum: nec quærat in alterius partis grauamen, dilationes non necessarias. Quarto, vt non manifestet aduersario merita causæ sui clientis: tunc enim velut præuaricator esset puniendus. Sylvest. *v. Aduocatus, quæst.* 9. Manu. *sum. tom.* 1. *cap.* 3. Nauar. *sum. capit.* 25. *num.* 29. Valent. 2. 2. *d.* 5. *quæst.* 15. *pun.* 4. Bonacin. *tom.* 2. *d.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 4. *numer.* 5.

57 *De Aduocatis fidelitate.*

Tenetur patrocinari pauperi extremã, vel graui necessitate laboranti, ipsiusque opera indigenti, dum nullus alius patrocinium est præstiturus, quia si Aduocatus gratis non adiuuet pauperem huiusmodi, cum possit, substantiam habet, qua iuuare illum potest, & nihilominus sua viscera claudit. Ergo lethaliter peccat iuxta illud 1. *Ioan.* 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Attamen nulla in necessitate tenetur patrocinium ferre cum grauissimo suo incommodo, quia opera charitatis non obligant cum huiusmodi damno: cum leni autem sui detrimento proculdubio tenetur. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 71. *a.* 1. Azor. *p.* 3. *l.* 13. *cap.* 29. *q.* 6. Sylvest. *v. Aduocatus, quæst.* 18. Angel. *n.* 16. Valent. 2. 2. *d.* 5. *q.* 1. *pun.* 2.

58 *Tenetur patrocinari extremæ, aut grauiter indigẽti.*

Qui causam iniustam scienter suscipit defendendam non solum lethaliter peccat cooperando litigantis iniquitati, sed etiam ad restitutionem damni tenetur. Et quidem parti contrariæ obligatur restituere ex peccato cõmissionis; quia fuit ei causa positiua damni. Clienti verò ex peccato omissionis, quatenus eum nõ admonuit de causæ iniustitia, ratione enim officij tenebatur monere clientem iniustitiam causæ ignorantem. D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *a.* 3. Sylui. & Caiet. *ibi*, At fisco non tenetur restituere mulctam, in quam reus fuisset condemnandus, si non sic iniustè eum defendisset, quia tales mulctæ non debentur ante sententiam, vnde nondum erant debita fisco. Clauis. Reg *lib. pr. m. cap.* 11. *numer.* 17. Vasquez 1. 2. *d.* 64. *cap prim. numer. tertio* Nauar. *sum. cap.* 25. *numer.* 28. Sanchez *l. prim. Decal. cap.* 9. *numer.* 51. Less. *l.* 2. *c.* 31. *num.* 52.

59 *De causa iniusta defensione restitutioni obnoxia.*

Pro patrocinio potest stipendium, quod est lege taxatum, vel consuetudine recipere, & non vberius, nisi ei liberaliter donetur, quia taxa iustum pretium patrocinij venalis constituit, si ergò vltra taxam accipiatur, recipitur vltra iustum, & Aduocatus restituere tenetur. At si pretium non est iure vel

60 *De stipendio iusto accipiendo.*

vel vsu taxatum, recipere potest quantum prudentis iudicio iustum videbitur, habita ratione laboris in patrocinio, dignitatis, ac scientiæ Aduocati, & causæ grauitatis, seu difficultatis. D. Thom. 2.2.q.71.a.4. Sylui. Salon. Bannes *ibid.* Fillinc. *tr.* 40.c.10. q.8. Tolet. *l.5.capit.60.* Petr. Ledes. *sum. tract.8. c.26.*

61 *Non potest paciſci de aliquota parte litis.*

Non autem potest paciſci cum cliente de aliquota parte litis, putà, ſi vincat, vt pro pretio det ſecũdam, aut tertiam illius partẽ. Quia vetitũ eſt *leg ſi qui C. de poſtulãdo, & leg. ſupr. ff. de pact.* Ne via aperiatur Aduocato vincẽdi lites per frandes, vt parte promiſſa fruantur. Licitum tamen erit paciſci abſolutè de tanto pretio ſoluendo, ſiue cauſa obtineatur, ſiue non; & tunc Aduocatus ex vi pecuniæ promiſſæ tenetur pro tota cauſa proſequenda. Nauar. *ſum. c.25.num.30.* Reginal. *l.25.num.* 677. Azor. *p.3.l.13.c.19.q.8.* Sylui. 2.2.*q.71. articul.* 4. plura alibi.

CAPVT VII.

De *Referente, Secretario, Notario, ac Procuratore.*

62 *Generatim de horum obligationibus.*

Mnes hi tenentur iustè ac fideliter ſuum munus exercere ſiuè ex debito muneris tantùm, ſiue etiam ex iuramento. Præterea tenentur ea ſcire, quæ ad ſuum officium rectè adminiſtrãdum ſpectant, debitamque diligentiam adhibere, præſtando omnia neceſſaria, terminos iuſtos petendo, & appellando, cum neceſſarium fuerit. Vnde peccant, ſi odio, vel amore, ſpe, vel timore ſuis officiis abutantur. Si ſecreta ſeruanda violent. Si partibus, vel earum ſolicitatoribus, aliiſve tradant proceſſus, vel ſcripturas originales, quas non debent. Si accipiant ſtipendium maius iuſto, vel vltra pretium taxatum. Si lites ſuadeant iniquas, &c. Enſembaum me, & Bonacina citatis *l. 4. cap. 3. dub. 4.* & alij communiter.

63 *De obligationibus Referentis.*

Porrò Referens delinquit: ſi ſtudij defectu, vel per incuriam male referat, vel aliquid ad ſubſtantiam pertinens prætermittat, ſi ſit partialis, coneturque vnius partis iuſtitiam magis, quam alterius explicare. Si ſententiam alterutri parti manifeſtet, priùs quam euulgetur, vnde poſſint grauia incommoda ſequi, v. gr. Iudicem recuſari. Omnes ſic.

Secretarius peccat, ſi iuramentum violet ſi prodat arcanum, ſi ſententiam nondũm publicatã manifeſtet. Si proceſſus, aut ſententias non cuſtodiat: vel partibus ſine Iudicis præſcripto oſtendat. Si teſtimonia non fideliter tranſcribat, ſiue exaggerando, vel imminuendo: ſiue immutando, aut inuertendo. Eſt omnium. 64 *De ſecretarij obligationibus.*

Tabellio ſiue Notarius publicus peccat ſi ſine ſufficienti peritia (clauſulas communes ignorans &c.) ſuſcipiat officium. Si iuramentum violet. Si in teſtium depoſitione aliquid non ſcius ponderis addat, vel detrahat. Si miniſtro tranſcriptori (erroris periculo) examen committat. Si protocolla, & acta negligenter cuſtodiat cum damno partium. Si cauſatum expeditionem differat, vt pecuniam extorqueat. Si teſtamentum hominis rationis vſu deſtituti ſcribat, Si teſtes falſos admittat. Si ſolemnitates neceſſarias ex ignorantia culpabili, vel malitia prætermittat. Si teſtimonium aliquod neceſſarium vnius rogatu, & damno alterius non exhibeat. Si conficiat inſtrumentum vſurarium, vel falſum, præſertim in damnum tertij. Si faciat, vt proceſſus, & cauſæ veniant ad alios Iudices, vel Referentes, &c. quam ordo illius tribunalis poſtulat. Quia multum intereſt hunc vel illũ Iudicem habere. Lay. *l.3.tract. 6. c. 2.* Bonac. *de præc. d. vlt. pun. vlt.* Si ſecretum violet, aperiendo (v. gr.) parti aduerſæ dicta teſtiũ ante publicationem: quod eſt mortale contra iuſtitiam. Trull. *l.8. Decal. c.7.n.3.* Nauar. *ſum. c.25.n.52.* Si parti petẽti inſtrumẽta occultet, ea præſertim, quæ legata cõtinẽt. Nau. *n.53.* Sylueſt. *Verb. Tabellio.* Trull. *c. 13.* Si acta occultet, vel parti petenti tranſumptum deneget. Peccat grauiter, ſi amiſſo inſtrumento antiquo publico, vel teſtamento aliud ſimile confingat. Eſt omnium. 65 *De Tabellionis, ſeu Notarij obligatione.*

Procurator denique delinquit, ſi litem procuret iniuſtam. Si plures cauſas, quam poſſit expedire, ſuſcipiat. Si plus mercedis accipiat, quam iuſtitia poſtulat. Si ſuadeat reo, vel parti, vt iniuſte veritatem neget. Si ſua incuria, negligentia, aliaue culpa, cauſa ſit vt lis perdatur. Si nomine partis iuret ſine ſpeciali eius informatione cum periculo peierandi. Si culpabiliter tribunali non adſit futuri incommodi metu. Si partes adducat ad concordiam iniquam. Si differat cauſam, vel peruertat Iudicem, vel petat terminos impertinẽtes, aut ſuperfluas dilationes. Si falſos teſtes inducat. Attendenda hiſce omnibus eſt reſtituendi obligatio. Omnium commune placitum. 99 *De obligatione Procuratoris.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Iudicio Forensi Dubia.

CAPVT VIII.

Circa Iudicis obligationes.

DVBIVM I.

Iudex, qui officium petiit, sciens alium adesse aptiorem, cui munus esset iniungendum, & illud accepit: teneturne ad restitutionem?

67 *Certa suppono.* CERTVM est, ante actum iudicij requiri in iudice scientiam sufficientem ad munus aptè exercendum. Vnde qui petit, aut suscipit munus iudicandi, quo indignus est adeò, vt sit verisimile, inde aliquod notabile damnum obuenturum peccat mortaliter. Nauar. *sum. cap. 26. num. 12.* D. Antonin. *p. 3. tit. 9. c. 2. & p. 2. tit. 1. c. 19. §. 5.* Gabr. *in 4. dist. 15. q. 6. n. 2.* Quia non minus tenetur Iudex ad bonam sui muneris administrationem, quam Medicus, Chirurgus, ac alij similes: At hi tenentur ab hisce officiis abstinere, si eam peritiam non habeant, quæ requiritur ad rectè illa exequenda. Quæstio autem est, qualis culpa requiratur in Iudice, vt ad restitutionem damnorum teneatur? Vt autem respondeam recolo, culpam esse duplicem, alteram iuridicam, alteram Theologicam. Culpam vero iuridicam aliam esse latissimam, aliam latiorem, aliam latam, aliam leuem, aliam leuissimam. Dubitoitaque, an Iudex, qui officium petit & suscipit, sciens alium esse aptiorem, ad restitutionem damnorum teneatur?

68 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem, quia Iudex officium petens, si alius diligentior fuisset, culpa leui iuridica illigatur: Ergò ex hac leui culpa tenebitur ad damni communis refectionem. Sic Angel *v. Culpa numer.* 10. Syluest. *ibidem numero* 4.

69 *Non tenetur.* Non tenetur, quia si licet alij digniores adsint, si ipse sit dignus & debitam diligentiam adhibeat non peccat officium petens, & consequenter nec ad restitutionem vllam tenetur, Quidquid enim sit de peccato eligentis, ipse autem tutus est in conscientia. Ita Sotus *p. 3. de iust. q. 6. artic. 2. corol.* 14. Burgos de Paz *præm. in leg. Tauri, n.* 174.

70 *Hoc longè probabilius.* Hoc longè probabilius esse reor. Dum tamen ex dolo, aut mendacijs electi, alius dignior relictus non fuerit, ex *leg. 2. ff. quod quisque iuris.* Lege Paulum Castro *Authent. Hodie, Cod. de indic.*

DVBIVM II.

Valentne acta Iudicis, qui quando iudicat, excommunicatione etiam toleratus illigatur?

71 *Non valet.* NOn valent, quia illi, qui subiiciuntur excommunicato absoluuntur à subiectione debita, licet ipsi ignorent illum esse excommunicatum. Ergo excommunicatus priuatur iure illos iudicandi tanquam subditos; non enim potest quis manere non subditus, si superior adhuc perseueret superior. Sic nonnulli Doctores, quos refert Sanch. *l. 3. de matrim. d. 22.*

72 *Valet quidem.* Iudicis tolerati excommunicati sententia, & acta quæque valent. Quia cum Concilium Constantiense indulserit communicationem cum excommunicatis toleratis ad euitanda scandala ac pericula peccatorum, *eo ipso* videtur velle eorum actus iudiciales esse validos. Frustra enim videtur communicatio cum Iudice, si postea eius acta nullum habent valorem: nec satis consultum esset scandalis, ac periculis fidelium, ita Sanchez *vbi supra n. 32.* Suar. *tom. 5. de cens. d. 16. sect. 1. numer. 7.* Auila *de cens. p. 2. c. 6. d. 6. dub. 3.* & alij communiter.

73 *Distinctio nem tolerati, & non tolerati, vberius exponо his harens Doctoribus.* Profecto communis sententia distinguit de excommunicatione. Quidam enim dicuntur excommunicati, tolerati, alij non tolerati, id est, cum quibus non possumus communicare etiam post decretum Concilij Constantiensis: qui scilicet sunt nominatim denunciati, vel notorij Clerici percussores. De prioribus excommunicatis nempe toleratis dicimus acta valere propter secundæ sententiæ fundamentum. De posterioribus negamus, quia excommunicatus huiusmodi debet ab omnibus vitari: Ergo auferetur ab eo iurisdictio, qua stante non potest non cum subditis communicatio persistere. Certè propter hanc rationem excommunicati nó tolerati à munere actoris ac testis excluduntur: Ergò à fortiori excludenturà Iudicis munere, quod est magis publicum, & honorificum. Præposit. *q. 2. de excom. dub. 12. num. 73* Gasp. Hurtad. *d. 8. de excom. diffic. 2. n. 3.* Turrian. *l. 2. de censur. d. 14. dub. 1.* Eruditissimus amicus meus Diana *p. 5. tr. de excom. resol. 108.* Moneo, quando propter loci distantiam iudicis excommunicatio ignoratur, licet non sit toleratus, eius acta valere,

lere, ob communem errorem. Lessi. *l. 2. c. 39. dub. 7. n. 62.* & alij.

DVBIVM III.

Iudex excommunicatus toleratus potestne, valide alios excommunicare?

74 *Non potest.* NOn potest, quia in Concilio Cõstant. nullus favor ei cõceditur, nisi quatenus cedit in gratiam aliorum fidelium parentium, ac volentium cum eo communicare: ergo non potest exercere actum iurisdictionis coactiuæ in subditum inuitum. Sic Suar. *de cens. d. 14. sect. 2. num. 15.* Laym. *l. 2. tr. 5. p. 2. c. 5. num. 7.*

75 *Potest plane.* Potest quidem, quia subditus nolens obedire ei, qui eum potest si deliquerit, indicare, contumax ostentatur: Ergò potest iustè excommunicationis pœna ab eo puniri. Ita Coninch, & Gutier. quos affert, ac sequitur Diana *p. 5. tr. 9. resol. 135.*

76 *Auctoris resolutio.* Scio meũ Ioannem præpositum in primã sentẽtiam inclinare *q. 2. de excom. dub. 12. n. 7. & 8.* Nam subditus obedire nolens, cum ad id non teneatur, non erit contumax: vnde non poterit à iudice excommunicato, tolerato licet, excommunicari. Hoc tamen intelligendum est, si ante prolatam sententiam subditus exceptionem excommunicationis opponat, prout opponere potest, & eius iurisdictionem declinare, *Cap. Exceptionem, de exceptionib. fine*, si tamen iurisdictio declinata non fuerit, sententiam validam esse iudico. Et in hoc sensu intelligo Coninch, & Gutierrez asserentes excommunicatum valide alios excommunicare posse.

DVBIVM IV.

An Iudex excommunicatus toleratus peccet lethaliter, si suum munus, quamdiu non obtinet absolutionem, exerceat?

77 *Lethaliter peccat.* LEthaliter peccat. Quia Concilium Constantiense suo decreto non intendit in aliquo indulgere ipsi excommunicato: sed aliis fidelibus cum ipso communicantibus: Ergo excommunicatus adhuc tenetur præcepto Ecclesiastico abstinendi ab administratione muneris, sicuti ante illius Concilij decretum: quod quidem præceptum videtur de re grani esse: nam sententiæ prolatio etiam in rebus temporalibus est actus grauissimus. Igitur peccat lethaliter Iudex contra Ecclesiæ prohibitionem iudicando. Sic Suarius *de censur. d. 16 sect. 1.* Lessi. *lib secund. cap. 29. dub. 7. n. 59.* Coninch. *d. 14. num. 148.* & alij plures.

78 *Non peccat lethaliter, sed venialiter solum.* Non peccat lethaliter, sed venialiter solum, dummodo non adsit iniustitia, scandalum, contemptus, vel quid simile. Quia cum in Concilio Constant. statuatur, licere fidelibus omninò, cum excommunicatis cõmunicare in omnibus, ab ipso videtur, non quidem in excommunicati favorem, sed in aliorum favorem, permitti excommunicato, ab aliis requisito eiusmodi communicatio. Ita Henriq. *de excom. cap. 5.* Barth. de Ledes. *de excom. dub. 9.* Sanchez *l. 3. de matrim. d. 21. numer. 6.* Auila *de cens. p. 2. c. 6. d. 6. dub. 3.* Nauar. *sum. c. 19. n. 28.* & alij, quos refert, ac sequitur Diana *p. 5. de excom. resol. 131.*

Probabilem admodum primam sententiam esse reor, sed eligo secundam adhuc mihi veriorem. Quam confirmo ex doctrina eorum qui asserunt, excommunicatum toleratum, quoties non est in mora petendi absolutionem, nec potest eam pro tunc obtinere, & ab aliis fidelibus inuitatur, & inducitur, posse cum eis licite communicare, & eis etiam administrare Sacramentum. Alioqui enim videretur inutile priuilegium aliorum communicandi cum illo, si ille non posset ab illis requisitus cum eis communicare. Iam enim cæteri tenerentur præcepto naturali vitandi scandalum, abstinere ab eius communicatione, ne darent illi occasionem peccandi: atque adeo manerent iidem scrupuli, quos Concilium Constantiense intendit auferre. Latè Sanchez. *l. 7. de matrim. d. 9. n. 8.* plures referens.

79 *Hanc sententiam probabiliorẽ planè defendo.*

DVBIVM V.

Iudex excommunicatus non toleratus teneturne ad restitutionem, si aliquem alias dignum ea pœna condemnauit ad soluendum certam pecuniæ summam, vel capitali sententia affecit?

80 *Nonnulla suppono.* SVppono, excommunicatum non toleratum peccare dupliciter proferendo sẽtentiam in iudicio. Primò, contra Ecclesiæ præceptum prohibentis illum communicationis actum. Secundò, contra iustitiam exercendo iurisdictionem in eos, in quos pro tunc nullam iurisdictionem habet. Vnde tenetur ad restitutionẽ expensarum, quas ea de causa inutiliter litigantes gessêre, qui propter sententiæ nullitatem, ac reliquorum actuum, tenentur postea eandem causam peragere. Dubium autem est de damno per ipsam sententiam illato. v. gr. si Iudex aliquem alioqui dignum ea pœna, condemnauit ad certam summam pecuniæ soluendam, an postea teneatur soluere eam, quam reus per sentẽtiam inualidam soluere fuit coactus; vel si aliquem capite damnauit, num teneatur eius filiis, vel vxori restituere, eo modo, quo homicida iniustus teneri assolet?

81 *Non tenetur.* Non tenetur, quia damna non consequuntur ex circumstantia excommunicationis, sed ex occisione, v. gr. illius. Occasio autem poterat ab eodem iudice post modicum tempus licitè præcipi, obtenta prius absolutione à censura: parum autem videtur referre, quod reus ille condemnetur à iudice excommunicato, si tamen facilè poterat ab eodem absoluto

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
E. LV
C

soluto eodem modo condemnari; iniustitia enim tota versatur ibi in modo, non verò in substantia: modus autem iniustus non videtur sufficere, vt ad restitutionem obligetur, sicut si iniuria consisteret in ipsamet substantia. Ergò ad summum tenebitur Iudex ad id, quod interest reo non fuisse condemnatum eo modo, sed post obtentam absolutionem. Sic nonnulli Doctores, quorum sententiam valde esse probabilem docet Sanch. *l. 3. consil. c. vni. dub.* 18.

82 *Tenetur quidem.* Tenetur equidem. Quia ille vere occidit per iniuriam reum, quem condemnauit; nam illa sententia manifestam continet iniuriam, vt videntur Doctores supponere; sententia enim est prolata à non Iudice, seu ab eo, cuius iurisdictio est impedita: ergò est in non subditum, & per consequens est occisio facta per authoritatem non publicam, ac iuridicam; sed priuatam, in quo consistit formaliter homicidij malitia. Damnum autem, quod sequitur ex actione iniusta ad restitutionem obligat ex radice iniustæ acceptionis: ergò damna in hoc casu non minus debent restitui, quam si sequerentur ex homicidio facto à qualibet alia persona priuata. Ita Sanch. *vbi suprà.*

83 *Auctoris resolutio.* Ego autem vtramque sententiam probabilem satis esse iudicans, existimo, illam Iudicis sententiam esse actionem iniustam, vtpote prolatam ab illo, qui pro tunc non habet iurisdictionem expediram: atque adeò per se loquendo obligari Iudicem ad restituendum damna. Per accidens tamen frequenter à restituendi obligatione excusari, quia restituere non debet nisi secùdum spem quam reus habebat liberandi se ab illo periculo, si non fuisset condemnatus, antequam absolutio ab excommunicatione obtineretur; non enim tenetur restituere nisi in quantum moraliter fuit causa iniusta illius damni; non tamen censetur causa illius damni, quod iam certo erat præparatum. Sicut si aliquis comburat alienam domum, quæ statim fluminis inundatione, debebat ruere, ad restitutionem non tenetur: similiter si aliquis occidat hominem iam ex ægritudine moribundum, licet delinquat, non tamen ad restitutionem tenetur nisi pro ratione spei quæ esse posset ex eo periculo euadendi. Ratio autem est, quia res in illo statu non retinet eum valorem, quē haberet extra illud periculum: atque ideo non inducit tantæ restitutionis obligationem. Mecum Eminentiss. Cardinalis Lugo *tom. 2. de iust. d. 37. numer.* 13.

DVBIVM VII.

Etne valida sententia iudicis existimati, cuius defectus est occultus, si non habeat titulum coloratum, hoc est, si non acceperit potestatem ab illo, qui dare illum poterat, licet ipse propter defectum occultum capax accipiendi eam non esset?

84 *Plura vocabula.* REgula generalis est. Quicumque exercet iurisdictionem in aliquem quā legitimè non habet, delinquit peccato vsurpationis iudicis existimati, & acta omnia valida sunt, quia ob communem vtilitatē Respublica tàm in iure Canonico, quam in ciuili supplet defectum veræ iurisdictionis, atque authoritatem, & valorem illis omnibus, ad vitandum incommoda, ac perturbationes, quæ ex illo communi errore orirentur, *Leg. Barbarius Philippus. ff. de offic. Prætor.* Requiritur autem quod ille defectus sit occultus, & quod iudex vulgò pro legitimo Iudice habeatur: alioquin non intercedit communis error, cui necesse sit subuenire supplendo defectum iurisdictionis. Censetur autem communis error, etiamsi in alio loco defectus ille sit publicus, si tamen in hoc loco sit occultus: imò licet alio tempore fuisset in hoc ipso loco publicus, si tamē iam abiit in oblivionem: sufficit, vt nunc communis error interueniat. Quæsierim verò an etiam necessarium sit, quod iudex ille existimatus habeat titulum coloratum (siue vt accipiat potestatem ab illo, qui dare illam potest licet iudex ipse ob defectum occultum capax accipiendi eam non esset) vt validæ sint sententiæ; & acta eius.

85 *Validæ erūt acta etsi non habeat coloratum titulum.* Erunt validæ sententiæ, & acta, etsi huiusmodi titulum coloratum non habeat, quia inconuenientia, propter quæ suppletur defectus iurisdictionis, quando iudex habet defectum occultum, eadem videntur militare quādo non habet titulum coloratum, siue non accepit potestatem à potente illum conferre, si tamen hic defectus etiam communiter ignoretur. Ergò non minus debet propter bonum publicum suppleri defectus in hoc casu, quam in priori: Sic Doctores nonnulli, quos refert Sanchez *l. 6. Consil. c. 1 numer. 41.* & alij apud Dianam *tom. 1 tract. secund. resol.* 45. qui asserit, hanc sententiam esse probabilem.

86 *Validanō est.* Validæ non erunt sententiæ, & acta reliqua iudicis, qui titulum coloratum non habeat. Quia cum iudex huiusmodi laborans defectu, titulum coloratum habet, Respublica seu Ecclesia, aut potestas superior est, quæ proponit populo illum iudicem, & eo ipso tacitè hortatur populum ad illum recipiendum; idcirco superior, quicumque ille sit, cooperari deceptioni populi videatur, eiusque detrimento, supplet defectus occultos, quantum satis est, vt populus non patiatur ex illo vitio occulto. Quando verò aliquis ex sua malitia est intrusus sine titulo superioris, tunc superior nullo modo illum proponit populo, nec cooperatur detrimento, quod sequitur: sed ipse intrusus est causa adæquata illius deceptionis. Ergò mirum non est, quod tunc superior non suppleat defectus: maximè cum ex illa benignitate alia grauiora incommoda orirentur, ita Sanchez *vbi supra* Cardinal. Lugo *tom secund. de inst. d. 36. numero* 23. & alij communiter.

87 *Hanc sententiam communem sanè sequor.* Ab hac communi sententia non recedo, licet primam satis censeam esse probabilem. Nam ex ea maiora inconuenientia proculdubio sequuntur. Sequitur enim quòd si quis malitiosè se legatum summi Præsulis simulet, & Bullas falsas in suæ potestatis testimonium ostentet:

eo

eo ipso eius acta futura erunt foro in vtroque valida, sicut si verus Papæ Legatus esset. Item hæretici, qui se Episcopos fingunt, & potestate illa ficta rudes decipiunt, non minorem habebũt potestatem iurisdictionis circa illos, quam si v veri essent Episcopi dum communis error adesset. Hæc durissima planè sunt, & conducerent ad fouendos nequissimos suis in frandibus simulatores. Merito ergò requirimus ad valorem gestorum per iudicem falso existimatum, quod habeat coloratum titulum, hoc est, saltem apparentem, qui à legitimo superiore procedat.

DVBIVM VIII.

Iudex existimatus licet eius impedimentum occultum sit, & habeat titulum coloratum: peccatne exercendo iurisdictionis actus, si ipsemet Iudex suum defectum agnoscat?

88 *Non peccat* NOn peccat, quia eius acta valida sunt, licet ergo peccet retinendo officium, supposito tamen, quod vult se pro iudice gerere, non erit nouum peccatum quod inter litigantes instam sententiam proferat; sic innuit Card. de Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 26.*

89 *Peccat quidem.* Peccat quidem, quia quantũ ex se est, vult iurisdictionem, quam vere non habet, vsurpare: & officium iudicis contra iuris diuini iura & humani prohibitionem retinere. Ita Lessi. *l. 2. c. 29. n. 68.*

90 *Sententia Auctoris.* Ego quidé existimo peccare munus vsurpando, & illud retinendo: non tamen nouum peccatum in quolibet actu perpetrare. Nam defectus occultus aliis, & titulus coloratus ei conferunt valide munus gerere. Si ergò iustum se in proferendis sententiis profert, vndenam eum reum esse affirmabimus? Attamen Lessio verius & securius hæreseo.

DVBIVM IX.

An validæ sint, sententiæ, & alij actus iudicis qui inuasit iniustè Principatũ?

91 *Quæstionis status.* LOquor de illo qui sine iusto titulo Rempublicam inuasit, & vsurpauit, requiroque, nùm eius sententiæ reliquique iudiciales actus validi existant?

92 *Non sunt validi.* Non sunt validi, quia defectus iurisdictionis huiusmodi tyranni occultus non est, nec habet coloratum titulum à superiore, à quo possit eum accipere. nec eius actus iudiciales validi erunt, nec valide quidquam agent alij indices ab eo designati. Sic Sotus *l. 3. de iust. q. 4. a. 6.* Et aliqui Iuristę, quos refert Magister meus sapientissimus P. Ioan. de Salas *de legib. d. 10. sect. 3. n. 13.*

93 *Validi sũt.* Validi sunt, quia tacitus adest Reipublicæ consensus, quæ ad vitandum maius malum, & grauissima inconuenientia, præstat authoritatem iis, quæ ab illo inuasore geruntur, cui iam resistere non valet, atque idcirco iam pacificè imperat. Ita Victoria, Medina Bannes, Salon, Aragon, quos refert, ac sequitur *Escob. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. Salas *ibid. n. 14.* Lessi. *l. 2. c. 29. dub. 11.* & alij recentiores, Legendus Suar. *l. 3. de legib. c. 10. n. 9.* hanc approbans sententiam, licet prius subobscure loquatur.

Veriorem eam crediderim esse. Nam cum Respublica, tentatis omnibus, non potuerit se ab illius tyrannide liberare, nec proprios iudices habere à se constitutos, per quos ius publicum, ac priuatum tueatur: consentit tacitè in illius iudiciales actus, & in iudices illos, quos ipse elegit, ne omnia delictis, ac iniuriis facile exundent. 94 *Hanc sententiam credo veriorem.*

DVBIVM X.

An ille inuasor peccet iure dicendo, illudque peccatum addat malitiam suprà peccatum præcedens vsurpationis Principatus?

NOn addit nouam malitiam, quia magis ille peccaret, si retento Principatu, ius non diceret. Si Les. *l. 2. c. 29 dub. 9.* 95 *Non addit nouã malitiam.*

Nouam malitiam addit, quia illud peccatum præcedens est inuasio, & vsurpatio Principatus, & quidem super eam malitiam addit nouam, nempè exercitium posterius iurisdictionis; prius enim est prosequi vsurpationé, quàm illam inchoasse. Si verò illud peccatum præcedens est actualis in principatu perseuerantia, hoc peccatum non videtur distingui ab ipso iurisdictionis exercitio; nã retinere nunc Principatum, nihil aliud est, quam gerere se pro Principe: hoc autem est exercere actu ea munera Principis, præcipiẽdo, definiendo, ius dicendo. Ergo isti actus sunt mali, & afferunt nouam malitiam supra peccatum præcedens, ita Cardin. de Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 78.* *Nouam malitiam addit.*

Dicendũ reor cũ ipso, eos actus in inuasore sẽper esse malos, & licet aliquãdo fortasse nõ addant nouam malitiam, regulariter tamen eã addere; quia sunt ipsa formalis vsurpationis cõtinuatio, & inuasionis iniquæ iurisdictionis. Dixi, aliquando fortasse non addere nouam malitiam, quia si tyrãnus prius natura habeat actũ, quo nolit hanc causam, vel hoc iudiciũ ad legitimos indices remittere, & alibunde vrgeat eius decisio: tunc ex suppositione prioris decreti, melius erit definire causam iustè per se ipsum, quam illam indecisam relinquere in maius Reipublicæ detrimentum. *Hoc autem ipsum* (ait eminentiss. Cardinalis) *erit peccatum denominatiuè à priori decreto, in quo tanquam in causa posterioris decreti malitia continetur.* 96 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM XI.

An qui petunt ab iniusto inuasore ius, & sententiam in suis causis, præcipuè criminalibus, delinquant?

DElinquũt quidé, quia si peccat tyrãnus ille, quoties ius dicit, nõ licebit ab eo petere id, quod ipse sine peccato præstare potest hoc 97 *Delinquũt quidem*

hoc enim esset eius crimini cooperari, speciatim vero in causa criminali non erit licitum ius à Iudice tyranno petere; quia nullo modo licet, vindictam sumere per authoritatem priuatam, qualis est tyranni. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Cardin. de Lugo *to. 2. de inst. d. 36. n. 28.*

98 *Non delinquunt.* Non delinquunt, quia illi non petunt determinate ius à tyranno, sed disiunctim, hoc est, proponunt illi causam, qua vrgent, & petunt implicitè, vt vel permittat legitimos Reipublicæ Iudices de illa causa decernere: vel si hoc non vult, decernat ipse, hoc enim minus malum est, quam causam indecisam relinquere. Potest ergo tyrannus sine vllo peccato præstare id, quod petitur, nimirum permittendo legitimos iudices de causa decernere. Quod si tyrannus ille de causa criminali decernat, iam non videtur ille priuata authoritate, sed publica vti ex consensu scilicet Reipublicæ præstantis illi tacitè suam authoritatem ad puniendos malefactores, ex suppositione, quod ipse nolit causam ad legitimos iudices remittere. Ita Lugo *citatus.*

99 *Hoc defendo.* Et adhærens existimo, peccare ipsum tyrannum, non remittendo causam ad Iudices legitimos, peccare iudicando: non tamen punire sine Reipublicæ authoritate, quæ eam ei offert ad minus malum: sicut licet offerre occasiones, & auxilia ad furandum illi, qui vult aut occidere, aut furari: minus enim malum est furari, quam occidere. Igitur qui à tyranno petit ius, & sententiam in causa ciuili vel criminali, minime peccat.

DVBIVM XII.

An Iudex extrahens ab Ecclesia delinquentem eius violator immunitatis, si postea eum puniat iuxta delicti grauitatem: eine infert iniuriam restitutioni obnoxiam pro damnis omnibus sequutis?

110 *Non infert iniuriam restitutioni obnoxiam.* LIcet Iudex contra Ecclesiæ delinquat immunitatem, non tamen infert iniuriam delinquenti, vnde ad restitutionem pro damnis sequutis teneatur, quia vt ex vsu patet, nullus iudex restituit pro huiusmodi sententiis prolatis, si aliàs erant iuxta debitum iuris: nec vnquam in iure illa sententia dicitur iniusta, sed solum irreligiosa, vt constat ex *Cap. Mwor. Cap. Quisquis. Cap si quis contumax, 17. q. 4.* sicut si aliquis alienaret bona sua contra votum non alienandi, peccaret quidem contra Religionem, non tamen contra iustitiam. Sic D. Thom. *2. 2. q. 99. a. 2. ad 3.* dum ait, peccatum sacrilegij interdum reperiri separatum in aliis peccatis: vt si quis iudex extrahat à loco sacro eum, quem in in alio loco licitè poterat capere. Sentit ergo Doctor Angelicus non interuenire malitiam contra iustitiam, sed solùm contra Religionem. Asserunt sententiam hanc esse probabilem Medina consultus ab Henriquez. Sanchez *l. 3. consil. c. vni. dub. 17.* Salas *in manuscripto.* Suar. *to. 1. de Relig. tr. 2. l. 3. capite 13.*

Non solum lædit Ecclesiæ immunitatem, sed infert delinquenti iniuriam, vnde ad damnorum restitutionem obligatur, quia reus tunc potest iustè se defendere, ne extrahatur: Ergò iudex non potest sine iniuria illum extrahere: alioquin bellum iustum ex vtraque parte daretur, non per accidens, aut propter ignorantiam, sed per se, ac scienter. Ita Les. *l. 2. c. 29. num. 53.* Suar. *vbi supra* Valent. *to. 3. d. 6. q. 15. pun. 1.* & aliqui Iuristæ, quos refert, ac sequitur Farinac. *tr. de immun. Ecclesiar. n. 121.* Ludou. Lopez *p. 1. Instruct. c. 33.* Salas, & Sanchez *citati.* 101 *Infert iniuriam restitutionem obnoxiam.*

Longè hoc probabilius esse reor. Nam reus captus extra iudicis territorium, iniuriam patitur: capitur enim à non habente illo in loco iurisdictionem. At Ecclesia ratione immunitatis est locus exemptus. Ergo iudex ibi ad capiendum reum nullam habet iurisdictionē: vnde infert reo iniuriam, & ad omnium dānorum restitutionem obligatur. 102 *Longè hoc probabilius.*

DVBIVM XIII.

Si aliquis priuatus per vim, vel dolum reum ab Ecclesia extraxit: potestne Iudex postea illum licitè, ac validè comprehendere?

NOn potest, quia tota illa comprehensio in priori iniuria, qua fuit ab Ecclesia extractus, fundatur. Sic aliqui, quos refert, ac sequitur Diana *to. 1. tr. 1 resol. 16. & 26. & p. 3. tr. 1. resol. 182.* 103 *Non potest.*

Potest quidem, quia iudex vtitur iure suo capiens eum, quem extra locum sacrum inuenit. Sicut si aliquis cum Antonij iniuria producat in publicum crimen illius secretū; potest postmodum iudex ex hac notitia inquirere aduersus Antonium, licet illa scientia per iniustam publicationem alterius emanauerit. Ita Suar. *to. 3. de Relig. tr. 2. l. 3. c. 13. n. 17.* & alij plurimi à Diana citati. *vbi supra.* 104 *Potest quidem.*

Hæc sententia magis arridet. Modo priuatus ille missus non fuisset ex industria vel consilio iudicis ad illum effectum. Si vero iudex particeps non fuit illius extractionis, postea planè iure suo vtitur. 105 *Hanc eligo sententiam.*

DVBIVM XIV.

Iudex inferior iniustè extrahit reum ab Ecclesia: Princeps superior, qui illum iam inuenit extra Ecclesiam potestne eum capere, & iudicare manente iudice inferiore obligato ad restituenda damna propter iniuriam ab ipso commissam?

POtest quidem, quia quando (ex gr.) iudex inferior contra iuris ordinem extorsit à reo crimen, tunc si publicato iā hac occasione crimine Princeps velit vti suo iure, poterit in iudice 106 *Potest quidem.*

iutidice procedere contra rem, & vterius inquirere, & cognita veritate illum condemnare: licet iudex inferior maneat obligatus ad restitutionem horum damnorum, quorum ipse fuit causa extorquendo iniustè à reo confessionem. Ergo similiter poterit Princeps in nostro casu comprehendere eum, qué iudex inferior contra iuris ordinem ab Ecclesia extraxit. Sic ex Lessio *l.2.c.29.n.175.* exémplum præfatum concedente.

107 *Non potest.* Minimè potest, quia ea, quæ iudex inferior gerit publica authoritate, gerere videtur nomine Principis superioris, qui eo ipso quod prosequeretur delinquentis illius retentionem, vel vteretur præterita iudicis actione, eam ratam habere videretur, & per consequens imputare illi. Ergo princeps ad restitutionem damnorum, non iudex ille, qui ex Ecclesia extraxit, tenebitur. Ita Cardin. Lugo. *to.2.de iust.d.36.n.40.*

208 *Sententia Auctoris.* Cum his sentio. Quia Ecclesia, quæ læsa fuit per illam abstractionem iniustam, petit absolutè restitutionem, & prohibet prosecutionem in causa, donec reus restituatur: alioquin Ecclesia suo iure frandaretur. Quod si obicias resolutionem, quā *dub.13.* expressi de priuato per vim aut dolum reum ab Ecclesia extrahéte, qua dixi posse licitè à iudice cōprehēdi, & puniri: respōdeo. Quandò priuatus aliquis, illum prius extraxisset, tunc iudicem postea vtens illa nōtitia, & capiente reum, non ideo censeri ratam habere actionem iniustam illius hominis priuati, quia nemo potest ratam habere ctionem, quæ ipsius nomine gesta non fuit, iuxta communem iuris regulam. Abnego autem exemplum pro contraria sententia adductum. Nam defectus commissus ab inferiori iudice videtur annullare totum causæ processum etiam in ordine ad superiorem: nisi talis sit superior qui habeat potestatem in eo defectu dispensandi.

DVBIVM XV.

Licetne iudici, condemnare reum, qui per testes legitimè probatur crimen patrasse, si iudex certo scit, esse innocentem?

109 *Non licet.* NVnquā id iudici licet, quia si iudex certò sciret, reum sub eius iurisdictionem non esse, nō posset eū iudicare, licet per testes probaretur esse sub eius iurisdictione. Ergo nec in casu nostro poterit: non enim minus requiritur crimen in reo, quam iurisdictio in iudice, ad licitè condemnandum. Et quidem innocentem occidere, est intrinsecè malum, sicut cognoscere non suam. Sed nemo potest licitè cognoscere quam certo scit, suam non esse, quantumuis per legitimos testes probetur esse suam: ergò nec etiam licebit innocentem occidere, quantumuis nocens per falsa, & apparentia testimonia probetur. Sic Hugo de Celso *ad leg. Prætor, ff. de iurisdict.omni. Iudic.* Calderin. Escob. & Mend. Theol. Moral. *Tom. VII. ad Cap Pastoralis, de offic. delegati.* Rosel. *v. Iudex.* Angel. Lyran. Panormit. & alij, quos refert Lessius *l.2.c.29.n.84.*

110 *Licet omninò.* Licet omninò iudici iuxta allegata, & probata condemnare, quem scit esse innocentem quia sicut licitum est cognoscere non suam, quam aliquis inuincibiliter putat suā: ita licet occidere innocētē inuincibiliter existimatum nocentem. At iudex licet vt priuatus homo sciat illum esse innocentem: vt iudex tamen scit nocentem esse: Ergo ex hac scientia potest licitè illum occidere. Profectò ius publicum graviter læderetur, si liberum est iudici, iuxta allegata, & probata non iudicare. Ita Conar. *l.1.var c.1.n 6.* Caiet. & alij Summistę communiter. Palud. Alens. quos refert & sequitur Sotus *l.5.dè iust. q.4. a.1.* Natar. *sum.cap.25.n.10.* Antonin. *p.3.tit.9.c.5.§. 6.* Sanch. *l.6.consil.c.1 dub.17.* & alij plurimi.

111 *Mediam viam tero.* Mediam viam tero, distinguens de causis criminalibus, in quibus agitur de pœna capitis vel mutilationis, & in his abnego licere iudici condemnare innocentem. In causis vero ciuilibus, vel vbi agitur de pœna pecuniaria vel exilij, aut priuationis officiorum concedo licere. Primam partem conclusionis sic probo: quia iudex ideo debet sequi notitiam publicam per probationes acquisita, ne abberret à veritate in sententia ferenda: Ergò quando illæ probationes potius conducunt ad falsitatem & ad supremam innocentis iniuriam, & hoc certò iudici constat: non potest iuxta illas proferre iudicium. Partem secundam ita ostendo: quia licet Respublica non habeat dominium supra vitam, & membra subditorū habet tamen illud supra hæc alia bona, ita vt adueniente iusta causa, propter bonum commune possit de illis disponere, & bona auferre, officiis priuare, expellere ex Vrbe ciues, &c. Ergo credibile est, dedisse hanc potestatem iudici ad eum finem, vt iuxta leges, ac probationes iudicaret; ne contemnatur ordo iudicialis, cuius obseruatio ad pacem, & quietem Reipublicæ summopere conducit.

DVBIVM XVI.

Iuxta secundam quæstionis præcedentis sententiam, quæ probabilissima est, iudex prius, quam iuxta allegata, & probata innocentem condemnet, teneturne Præfecturam vel officium relinquere?

112 *Status quæstionis.* SEcunda illa quæstionis proximæ sententia, quæ asserit, posse iudicem in quacumque causa proferre sententiam iuxta allegata & probata, licet certo sciat, illum qui damnādus est, esse innocētem probabilissima, & cōmunissima est: dummodo iudex prius quam sententiam proferat procuret eum liberare, vel se à prolatione sententiæ excusare. Quæsierim an tem, an teneatur medium difficile a modum exequi, quale est, Præturam vel officium relinquere?

113 *Tenetur Præfecturã relinquere.*

Relinquere tenetur Præfecturam, quia incolumtas innocentis cuilibet accidentario incommodo debet præferri. Sic Panormit. & Imola ad *Cap. 1. de officio Ordinar.* 10. Sylueſt. *v. Index* 2. §. 5. & alij, quos affert Turrian. *de iuſt. d.* 48. *dub.* 2.

114 *Non tenetur.*

Non tenetur Præfecturam relinquere, quia ſi iuxta ſecundam illam ſententiam, Iudex non tenetur omnino à prolatione ſententiæ abſtinere: Ergo non tenetur officio renunciare, nè condemnet innocentem. Conſequentiam probo. Quia alioquin teneretur etiam non proferre ſententiam licet hac via Reipublicæ indignationem incurreret, aliaque pericula; quod ſi hæc pericula non tenetur incurrere, cur tenebitur amplecti illud non ſolùm periculum, ſed, amiſſionis officiis damnum: quod quidem maius eſt aliquando, quam exilium, vel aliæ huiuſmodi pœnæ: Ita Thomiſtæ communiter. Sotus *l. 6. de iuſt. q.* 4. *a.* 2. Tabie. & alij, quos refert, & ſequitur Valent. 2. 2. *d.* 3. *q.* 11. *pun.* 2. *circa finem* Iul. Clarus *ſuper ritu* 285. *magnæ curiæ* & alij plures.

115 *Hæc pars verior mihi videtur.*

Profecto conſequenter ad ſecundam Dubij primi ſententiam hæc pars verior mihi videtur. Addo tamen, ſi officium à iudice relinqui ſperatum profuturum, exiſtimo, conſequenter ad eandem ſecundam ſententiam, iudicem debere renunciare Præfecturæ, dummodo non eſſet grauiſſimum ipſius detrimentum, quia pro vita innocentis defendenda & pro cooperatione ad eius damnationem vitanda, aliquod detrimentum oportet ſubire, ſi tamen eſſet grauiſſimum detrimentum, non teneretur officio renunciare. Non enim videtur Reſpublica iudicem cum tanto detrimento obligare vt debeat renunciare officio, maximè ſi ſit ſumma dignitas, vel Principatus.

DVBIVM XVII.

Iudex ſupremus, ſeu Princeps poteſtne condemnare cum, quem certo ſcit, deliquiſſe, licet probetur innocens, vel ſaltem non probetur eſſe nocens?

116 *Nonnulla ſuppono.*

PRimò ſuppono ex omnium ſententia, id non licere iudici inferiori; is enim non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris maxime in re tanti momenti. Secundo, poſſe Principem ex priuata ſcientia aliquem occidere, quando non agitur de puniendo delicto, ſed de impediendo malo Reipublicæ imminenti per aliquam perſonam. Tunc enim vtitur defenſione naturali Reipublicæ ſibi cõmiſſa. Quæſtio autem eſt, num poſſit etiam Princeps delinquentem ex priuata ſcientia punire, licet probetur innocens ex teſtibus vel ſaltem non probetur nocens eſſe.

117 *Poteſt quidem.*

Poteſt quidem. Quia Reſpublica habet poteſtatem huiuſmodi delinquentes puniendi in propriam conſeruationem, quam procul dubio Principi impertit cui omnem ad ſui defenſionem authoritatem tradit. Sic nonnulli Iuriſtæ. Conar. Cynus, Bartol. Alberic. & Fenin. quos refert Leſſius *l.* 2. *c.* 29. *n.* 43. Matienzo *dialogo relatoris parte tertia capite* 42. *numer.* 3.

118 *Non poteſt.*

Minime poteſt, quia etiãſi Reſpublica talem haberet poteſtatẽ (de quo inferius) non tamẽ eſt credibile, quod eã in Principem tranſtulerit; eſſet enim contra omne bonum regimen dare vni homini poteſtatem ſupra omnium vitam, ſine alio teſtimonio, quam ſuo. ita Caiet. & Sotus, quos affert, & ſequitur Leſſi. *vbi ſupra* Nauar. *l.* 2. *de reſt. c.* 3. *n.* 197. citans Nauarrum, Malder. *de iuſt tr.* 6. *c.* 1. *dubio* 14. Sanch. *l.* 3. *conſil. c. vni. dub.* 4. & alij apud Dianam *p.* 2. *tr.* 5. *reſol.* 98.

119 *Hanc teneo ſententiam.*

Hanc ſententiam communem plane defendo. Addo tamen hoc dicendum ſaltem regulariter, quia dubitant Doctores, an in aliquo caſu raro, vbi ex ordine iuridico maxima inconuenientia ſequerentur, habeat Princeps huiuſmodi poteſtatem, id quod ſequenti Dub. reſoluam.

DVBIVM XVIII.

An Princeps quem ſcit certo, ſed occultum crimen grauem admiſiſſe poſſit ſine ſtrepitu iudiciali occidere?

120 *Poterit plane.*

POterit plane, quia creditur à Republica Regem huiuſmodi poteſtatem accipere ad hanc irregularem punitionem gerendam. Sic nonnulli, quorum ſententiam eſſe probabilem aſerunt Malder. *in præſenti tr.* 6. *c.* 1. *dub.* 14. & Leſ. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 93. Tenet Fagund. *præc.* 8. *Decal. cap.* 20. *n.* 18.

121 *Non poterit.*

Non poterit, quia Reſpublica non habet ius contra vitam, vel membra ciuium: niſi quando certo ipſi conſtat de delicto: At non poteſt certo conſtare Reipublicæ per dictum vnius: poteſt vero per duos vel tres, qui moralem certitudinem faciunt: Ergò non potuit Reſpublica maius ius in Principem trãſferre, quam ipſa habebat: & per conſequens nequit conferre ius ad occidendum pro delicto adhuc dubio. Ita Malder. & Leſ. *vbi ſuprà.*

122 *Hoc mihi verius.*

Verius mihi, non poſſe à Principe rem illum condemnari ſine iudiciali ſtrepitu, aut ipſius ſponta nea confeſſione, quia licet delictum illud Regi certo conſtet, nec ideò rei confeſſio neceſſaria videatur, non conſtat, nec poteſt conſtare Reipublicæ; nam Principis ſolius teſtimonium non poteſt reddere certam Rempublicam, ipſo reo negante, Princeps aut nequit punire, niſi quando Reſpublica poſſet: Ergo non poteſt ſine ſufficienti externa probatione.

DVBIVM

DVBIVM XIX.

Dampnandane est praxis Iudicum sæcularium, qui nulla præcedente infamia ex simplici alicuius delatione, ad specialem inquisitionem contra aliquam personam procedunt?

123 *Tres regulæ generales suppono.*

VT constet, quonammodo Iudex procedere per inquisitionem possit, nonnullas regulas generales præmitto. Prima est, ad inquisitionem generalem gerendam non requiri, quod præcedat infamia, vel aliquid aliud; ad hoc enim index ex officio tenetur, Quia hæc inquisitio necessaria est ad purgandam Rempublicam: & aliunde nulli fit iniuria, cum de nullo in particulari inquiratur. Secunda, Quando delictum est publicum, sed auctor ignoratur, iudicem posse inquirere in particulari & examinare testes circa delicti auctorem: non tamen circa aliquem in particulari, quamdiu non habet aliquid contra illum. Tertia est, non posse iudicem de persona particulari inquirere, nisi aliqua præcedat infamia. Nomine autem infamiæ intelligo *communem opinionem ex suspicione generatam*, iuxta definitionem Bartoli *Leg. De minori, §. tormenta. n. 7. ff. de quæstionibus.* Hæc autem communis opinio debet esse maioris partis viciniæ, vel Collegij, vel vniuersitatis. Sic fere omnes Doctores circa hasce regulas generales conueniunt. Quæsierim vero, quomodo cum doctrina tradita cohæreat iudicum sæcularium praxis, qui nulla præcedente infamia ex simplici alicuius delatione ad specialem inquisitionem cõtra aliquam personam procedunt? Num hæc praxis damnanda?

124 *Damnanda est praxis illa.*

Damnanda quidem est. Quia contraria est iuri naturali, ac positiuo. Hoc enim *Cap. Inquisitionis, §. 3. de iudicio* præscribit: *Nullum esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit, puniendum. Quin imò super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserint.* Ratio autem est; quia quamdiu aliquis bonum nomen gerit; nequit illo sine causa spoliari; redderetur autem suspectus, & aliquo modo deterioris famæ per ipsammet specialem inquisitionem. Omnes enim meritò suspicarentur, illũ de quo inquiritur, an (v. gr.) sit hæreticus, vel latro; aliquã grauem occasionem dedisse, ad illam inquisitionem gerendam. Quare ad minus de iure etiam naturæ grauis causa requiritur. Sic Nauarrus apud Lessium *libro secundo capite 29. numero 131.* huiusmodi iudicum praxim damnat, quæ quidem communi Doctorum sententiæ videtur aduersari.

125 *Non est damnanda.*

Non est damnanda, quia necessitas præcedentis infamiæ non est de iure naturæ, sed de iure positiuo, vt fatetur Sotus *de secreto, Escob. & Mned. Theol. Mor.* Tom. VII. *memb. 2. q. 2. d. 2.* Valent. *secunda secundæ d. 5. quæst. 14. pun. prim. §. Tertio est precipuè notandum.* At potuit legitima consuetudine præscribi contra illud ius positiuum in eiusmodi delictis. Porrò consuetudinem probat ipsa praxis videntibus, ac tacentibus Principibus tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus. Ergo illa iudicum praxis damnanda non est, ita multi Iuristę, quos refert, ac sequitur. Lessius *lib. secundo capite 29. numero 131.*

Certè adhibitis iis limitationibus, quas Lessius adiicit, probabilem satis hanc sententiam esse iudico, scilicet, vt id fiat in grauibus causis, vt in furtis, homicidiis, &c. & non ad nudam punitionem, sed propter bonum Reipublicæ, ad quod videtur necessarium, ne delicta impunita occasionem præbeant hominibus iniquis Rempublicã suis sceleribus perturbandi, innocentesque lædendi. 126 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM XX.

Infamatus, & conuictus de vno crimine potestne à iudice de aliis occultis interrogari, de quibus infamatus non est?

POtest equidem, quia qui latrocinio v. gr dedit operam, sufficiens exhibet argumentũ, se infamia circa alia latrocinia, & diuersa crimina laborare. Sic Paludanus, Sylvest. Tabie. Armil. D. Antonin. & Aretinus apud Sanchez, *lib. 6. consil. capite tertio dub. 21.* 127 *Potest quidem.*

Non potest, etiamsi crimina eiusdem speciei essent. Quia potest quis ex fragilitate vni crimini indulgere, & non ideò exhibere ad alia similia peccata suspicionem, aut argumentum. Ergo iniuste à iudice de eis inquisitio ficta fiet. Ita Sotus, Caietan. Nauar. quos affert, & sequitur Sanch. *vbi suprà.* 128 *Non potest.*

Hanc sententiam probabiliorem planè defendo, etiamsi crimina eiusdem speciei essent, nisi ex vno crimine esset etiam quis diffamatus de frequentia, potest enim tunc latro v. gr. de omnibus interrogari. Quod idem erit, licet sint speciei diuersæ, vt conuictus de adulterio, & consuetudine cum vxore aliena, potest interrogari de occisione mariti, qui in proprio cubiculo occisus inuenitur. Et conuictus de homicidio interrogari potest de spolio, quando cadauer occisi spoliatum apparet. Grassator item potest de homicidiis, interrogari, quia communiter grassatores homicidiis assolent cruentari. Præterea Religiosus infamatus de concubinatu, potest interrogari de furtis quia eiusmodi Religiosi, cum aliunde non habeant, furari assolent res Monasterij ad concubinam alendam, idem dixerim, quando vnum crimen est circumstantia alterius, sine qua potest alterum apte cognosci, vt conuictus de consuetudine cum puella, potest interrogari, num eam defloruerit? Et conuictus de nocturno 129 *Hanc sententiam defendo.*

furto in Ecclesia, an fores confregerit? Hæc ex Cardinali Lugo *tom. 2. de iustit. d. 37. n. 65.* & Sancio *citato.*

DVBIVM XXI.

Conuictus de crimine, potestne à Iudice de sociis occultis, qui infamia non laborant interrogari?

130 *Interrogari potest.* INterrogari potest, quando delictum est tale, vt non sit verisimile sine sociis esse patratum. Quia eo ipso, quod delictum probatum sit, iam constat reum solum non potuisse ei facinori operam dare. Vnde quodammodo in ipso crimine sociorum patescit infamia. Item interrogari poterit, quando interrogatio non est in odium personæ particularis: quia tunc non est ad quem pertineat. Sic nonnulli, quorum sententias refert Thom. Sanchez *lib. sext. consil. cap. tertio dub. 22.*

131 *Non potest interrogari.* Non potest interrogari regulariter, nisi in iis delictis, in quibus ob eorum grauitatem necessum non est infamiam præcedere. Quia tunc debet commune bonum particulari cuiuscumque præferri. Ita Sanchez citatus asserens, hanc sententiam esse communem.

132 *Idē assero.* Idem assero, inferoque in delictis hæresis, proditionis, latrociniorum, adulterationis monetæ, falsi testimonij, & aliis, quæ vergunt in damnum tertij, posse reum interrogari circa socios. Addideim tamen si sciat reus socios esse emendatos omninò, vel per solam correctionem esse emendandos, non posse illos prodere. Aduertit Nauarra *libro secundo de restit. capite 4. numer. 173.* in adulteriis posse Iudicem de sociis inquirere, admonendo, ne reus occultum detegat.

DVBIVM XXII.

In crimine Sodomiæ potestne Iudex de sociis haud infamatis interrogare?

133 *Potest quidem.* POtest quidem, quia ex Hispana, quæ est *lex. vnic. titulo 22. lib. 8. ordinamen.* vult procedi contra hoc crimen, sicuti contra hæresim, vel crimen læsæ Maiestatis. Sic Sanchez *lib. 6. consil. capite tertio dub. 23. numer. 21.* probabilē hanc sententiam esse docet. Et quidem vbique terrarum propter commune bonum nonnulli Doctores posse interrogari Sodomitam de socio occulto censuere.

134 *Non potest.* Minimè potest, nisi socius occultus plures ad hoc infandum crimen solicitaret: tunc enim esset contra bonum commune, & damnum magnum in futurum immineret, si socios non detegeret. At si huiusmodi non timeatur incommodum, minimè Iudici licebit de socio interrogare occulto non infamato, quia ille, qui infamatus non est, ius habet ad famam tuendam, ne de eius occulto crimine inquiratur. Ita Sanchez *vbi supra* asserens hanc sententiam esse probabiliorem.

Doctori eximio hæresćens assero, peccare Iudices interrogantes de sociis non infamatis, nisi is qui interrogatur, sit prudens, & sciat discernere, quosnam debeat iure manifestare: aut concedatur ei tempus, vt consulat viros doctos, à quibus edoceatur, quid debeat respondere. 135 *Idem assero*

DVBIVM XXIII.

In crimine quolibet potestne Iudex de socio interrogare, si non admoneat prius reum, ne occultum detegat?

NOn potest, quia consuetudo interrogādi reum de socio criminis occulto (si alicubi viget) est contra ius naturæ: Vnde necessarium est præmoneri à Iudice reum, sed socij occulti seu minimè diffamati crimen aperiat. Sic Nauarra *l. 2. de restit. c. 4. n. 173.* Sayr. *in claui, l. 2. c. 17. n. 10.* 136 *Non potest.*

Potest planè, quia consuetudine introduci potest in Prouincia aliqua, vt reum de crimine conuictum Iudex de sociis interroget: nā. de iure enim naturæ (vt superius vidimus) precedens infamia non requiritur: Vnde potest consuetudine ea necessitas tolli: Ita Card. Lugo *tom. 2. de iust. d. 37 n. 66.* 137 *Potest plā.*

Ego quidem cum eminentiss. Doctore non facilè crediderim damnandos esse Iudices, qui de sociis interrogant, non præmonendo reum ne detegat occultos Nam cum ipse Sayrus, & alij id licitum esse admittant in iis criminibus quæ sine socio patrari non possunt, vt in Sodomia, ac similibus: & hoc dicant esse, quia eo ipso, quod crimen est publicum, & constat de vno criminis actore, Iudex suo officio non satisfaceret, nisi de complice inquireret: & reus debet respondere, ne iudicialis ordo peruertatur: non videtur consequenter, negare potuisse, quod supposita consuetudine, non procedat idem in aliis criminibus, etiam quæ sine socio valeant perpetrari. Vnde standum esse reor consuetudini Christianorum ac Doctorum Iudicum; quæ si fuerit solum in certis casibus, ac criminibus interrogandi de socio; in aliis non debet hæc licentia vsurpari; si autem vniuersalis fuerit, damnari non debet. Attamen non debet inquirere de aliquo in speciali, nisi fuerit infamatus; vel nisi saltem fuerit suspectus, & consuetudo sit de suspectis etiam specialiter inquirendi. 138 *Auctoris resolutio.*

* * *

DVBIVM

DVBIVM XXIV.

Prælatus Regularis potestne inquirere specialiter de subdito, cuius infamia non præcedit?

139 *Potest quidem.*

POtest quidem inquirere. Quia *Cap. In singulis, de statu Monachor.* id planè prohibetur. Sic Alciat. *Cap. 1. de offic. Ordinar. numer. 47.* Ioan. Andre. *Cap. Olim de accusationib.*

140 *Non potest.*

Minimè potest, quando inquirit ad grauem Religiosi pœnam, vt ad depositionem, incarcerationem, & similia, & non ad correctionem, & emendationem cum modico subditi præiudicio. Quia in *Cap. In singulis* pro parte prima citato, non est sermo de inquisitione speciali, sed de generali, quæ, etiam, non præcedente infamia, fieri potest. Ita Perez, Corduba, Tabiena, Sylvester, Armil. Angles Angel. quos refert, ac sequitur Sanchez *lib. 6. consil. capit. tertio dub. 25.*

141 *Idem affirmo.*

Idem affirmo adiiciens, nec posse conuictum de vno de alio interrogare connexionem non habente. Aragon. Caietan. Valent. Saloni. Sayr. quos affert, ac sequitur Fagund. *præc. 8. Decalog. cap. 34. num. 5.* Neque enim nulla exceptio circa hoc in iure fit pro Religiosis: contra quos licet non debeant in indicio obseruari iuris solemnitates: idtamen intelligitur de accidentalibus, non de accidentalibus.

DVBIVM XXV.

Iudex potestne vnquam condemnare, & punire reum sine accusatore?

142 *Minime vnquam potest.*

NOn potest, neque in criminalibus, neque in ciuilibus. Quia Iudex debet esse interpres iustitiæ, & ius dicens, & iustitia animata: Iustitia autem debet esse inter duos, alterum petentem, & actorem, alterum se defendentem, & reum. Sic diu. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 3.* Sanchez *l. 6. consil. cap. 1. dub. 20.* Fagund. *præc. 8. cap. 48. num 3.* & alij communiter.

143 *Aliquando potest.*

Potest quidem. Quia in multis casibus sine accusatore vidimus Iudicem procedere, & iure quidem. Non enim requiritur accusator, quando proceditur ad correctionem extraiudicialem, quæ ordinatur ad bonum delinquentis, vel etiam in leuioribus delictis. Nec quando delictum est notorium, ex *Cap. Euidentia, de accusat.* & *Cap. Manifesta 2. quæst. 1.* Nec quando præcedit infamia delicti, quod postea probatur. Nec quando præcedit denunciatio canonica. Nec quando præcedit fraterna correctio, & denunciatio Euangelica facta Prælato, cuius correctioni si peccator rebellis sit, puniri potest. Porrò in his, & similibus casibus verè non datur accusator. Ergo potest Iudex sine accusatore condemnare ac punire delinquentem. Ita Sotus *l. 5. de iust. quæst. 4. art. 3.* ex *Leg. Leuia, ff. de accusat.* & alij hos casus obijciendo.

144 *Auctoris resolutio.*

Profecto quia necessitas accusatoris tota est de iure humano, hinc in multis casibus sine accusatore vero, ac proprio Iudex procedit. Quare Doctores coguntur in iis ad sensum metaphoricum accurrere, & appellare accusatorem propriam delinquentis conscientiam, vel infamiam, aut quid simile. In quo sensu non est dubium quod nunquam sine accusatore possit reus puniri, & hoc quidem non solum de iure humano, sed etiam ex iure naturæ.

DVBIVM XXVI.

Vtrum possit Iudex inferior aliquando accusationem non acceptare, & acceptatam rescindere: sed alia via satisfacere, & ad remedium procedere?

145 *Status quæstionis.*

SVppono, in aliquo casu particulari ob bonum commune id facere posse Principem supremum. Quia ad ipsum spectat in lege dispensare. Quæsierim autem, an inferior Iudex idem aliquando possit?

146 *Non potest.*

Minimè potest. Quia hoc sine dispensatione in lege fieri nequit, Iudex autem inferior non potest in lege dispensare, tàm seuerè præscribente acceptari debere à Iudice accusationem, nec eam posse ab eo rescindi. Sic Sot. *de sigil. memb. 2. qu. 5. concl. 5.* Sanch. *l. 6. cons. c. 4. dub. 1. n. 6.*

147 *Potest quidem.*

Potest equidem. Quia licet hoc de iure non valeat exequi, poterit per epijkeiam, quando certum est accusationem noxiam fore ipsius delicti correctioni, quæ facilius alia via valeat obtineri, & accusatori fieri satis. Ita Les. *l. 2. c. 30. dub. 3. num. 15.* Sayr. *in claui l. 12. fine,* Fagund. *præc. 8. Dec. c. 47. n. 14.*

148 *Auctoris resolutio.*

His applaudens sequor clariorem resolutionem acceptam ab Aragonio *in præsenti, q. 68. a. 3.* in explicationem articuli sante, posse Principem accusationem non acceptare, atque acceptam rescindere, quando id ad bonũ commune iudicauerit expedire, prouidendo, vt accusatori aliter satisfiat, si quid ei debeatur. Iudicem etiam inferiorem posse imprimis non solum non acceptare, sed & rescindere accusationes vitiosas: posse etiam rescindere accusationes, quæ non ad satisfactionem accusatoris, seu ad bonum commune primariò ordinantur, non quidem de iure, sed per Epijkeiam, quando certum est accusationem noxiam fore bono communi, vt si sciret, seditionem, aut turbationem Reipublicæ sequuturam propter conditionem accusati.

DVBIVM XXVII.

Vtrum possit quis iuridicè denunciare peccatum secretum, etiamsi valeat illud probare, nisi tale sit, quod redundet in Reipublicæ, vel in alicuius innocentis incommodum graue?

149 *Status quæstionis.* CErtum est, neminem posse, licitè iudicialiter denunciare, nisi quod bona fide existimat, posse in iudicio legitime probari. Alioquin enim sine vllo fructu proximus per illam inutilem denunciationem infamaretur. Quæsierim autem, an possit quis denũciare iuridicè peccatum secretum, etiamsi valeat illud probare, nisi tale sit, quod redundet in Reipublicæ, vel in alicuius innocentis graue damnum?

150 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia sicut Iudex non habet ius inquirendi de peccato occulto quamdiù occultum est: ita nec alius potest illud denunciare, & publicare, illa enim publicatio haberet detractionis malitiam, & iniuriæ contra famam, quam proximus adhuc possidet. Sic Lessius *libro secundo cap. 29. num. 211.* asserens esse communem sententiam, & ideo se ab ea non recedere. Malder. *de iust. tr. 6. cap. 1. dub. 18.* Nauar. *summ. cap. 18. numero 56.* Adrian. *in 4. de restit. fama §. sed contra prædicta*, assolet citari, sed immeritò, cum inibi potius contrariæ sententiæ fauere videatur.

151 *Potest planè.* Potest profectò. Quia sicuti propter bonum commune vnusquisque habet facultatem accusandi iudicialiter, quæ probare potest: sic habet facultatem denunciandi absque malitia detractionis. Præponderat enim bonum commune: contra quod esset, si scirent, scelerati homines, se posse impune delinquere absque metu pœnæ, quandiu eorum delicta diuulgata non essent. Ita Suarez *tom. 4. de Relig. l. 10. cap. 12. num. 35.* Filliucius *tom. 2. tractat. 40. numero 187.* Molina *tom. 5. d. 32. num. 6.* & alij apud Filliucium.

152 *Hoc verius mihi* Veriorem hanc sententiam esse iudico. Cui non obstat, Iudicem non posse inquirere de occultis, præsertim quando non solum auctor, sed crimen est etiam occultum. Nam maiorem habent subditi licentiam ad denunciandum, quam Iudices ad inquirendum, vti probat Cardin. Lugo *tom. 2. de iust. d. 37. sect. 6.* Quia in iudice esset pernicioſa huiusmodi licentia: nullum enim delictum occultum esset; posset quippe Iudex præcepto suo obligare, vt omnia delicta occulta manifestarentur. Hoc autem magnam in Republica perturbationem excitaret, si omnia peccata occulta punirentur, quis enim etiam est ab occultis innocens? Hoc autem inconueniens non sequitur ex eo, quod quilibet possit denunciare, quæ probari valeant, licet sint adhuc occulta. Quia ex hoc non fit, quod omnia publicentur, sed aliqua. Sæpiùs enim qui sciunt, non denunciant, vel quia sunt amici, vel quia ad ipsos ex officio non pertinet, vel aliis ex causis. Quod tamen possint, est valde vtile ad injciendum metum delinquentibus, & eorum impudentiam coërcendam. Iustè igitur conceditur huiusmodi licentia denunciandi, licet ad inquirendum specialiter, ante infamiam Iudici denegetur.

DVBIVM XXVIII.

An denunciator teneatur antequam iuridicè denunciet, correctionem fraternam præmittere?

153 *Tenetur quidem.* TEnetur profecto. Quia tenemur omnes ex charitate bonum proximi procurare cum minori eius dispendio: Ergo si per monitionem speratur eius correctio, non possumus denunciationem adhibere. Maximè cum Christus Dominus *Matth. 18.* præcipit, corripere fratrem, prius quam ad Ecclesiam delictum eius deferatur. Sic Sylvest. *v. Accusatio, §. 3.* Durãd *in 4. dist. 10. q. 4.* Sotus *de iust. l. 5. q. 5. a. 5.* Recentiores adhærent cum limitatione dicentes, non debere correctionem præmitti ex debito iustitiæ: sed tamen debere obligatione charitatis. Sic Les. *l. 2. c. 30. dub. 2.* Filliuc. *tr. 40. c. 7. q. 2.* & alij.

154 *Non tenetur.* Non tenetur, sed non præmittere correctionem fraternam statim potest denunciare, vel accusare, quia diuersus est admodum finis correctionis fraternæ, & denũciationis. Nam per correctionem solum intenditur proximum emendari: per denunciationem vero, vel puniri proximum, vel Reipublicæ satisfieri. Ergò per se loquendo non habent hæc duo subordinationem inter se. Vnde etsi per fraternam correctionem proximus fuerit emendatus, adhuc poterit denunciari, vel accusari ad hoc, vt puniatur. Nã iudex adhuc eum punire potest: Ergo tu etiã poteris licitè procurare, vt puniatur, idẽ enim est bonum, quod intendit iudex puniẽdo, & quod tu intendis denunciando, ita palud. Nauar. quos refert, & sequitur Azor. *tom. 3. l. 15. c. 21. q. 7. & 9.* Valent. *2. 2. d. 5. q. 12. pun. 1. quæst. 3.*

155 *Auctoris resolutio.* Placet mihi hæc sententia, si sermo sit de denunciatione iudiciali, quæ ad commune bonum, & non ad solam proximi emendationem ordinatur. Profecto si denunciatio adhiberetur solùm ad ipsius proximi bonum tunc si speraretur æque bene illud bonum per secretam monitionem, deberet sanè præmitti. At in nostro casu denunciatio non tendit solùm ad proximi bonum, sed ad bonum commune, quod quidem potest ille præferre illi bono proximi. Attamen non semper teneatur, quia bonum illud commune non semper est adeo necessarium, vt obliget omnes ad denunciandum, vel accusandum. Verba vero illa Domini dirigantur ad denunciationem, quæ fit solum ad fratrem lucrandum,

lucrandum, in qua solum ad illius bonum attenditur: non ad denunciationem, quæ fit ob bonum superius, quale est bonum commune.

DVBIVM XXIX.

Iudex seu superior potestne à denunciatione paterna ad iudicialem transire?

156 *Status quæstionis*

DEtulit quis (verb. grat.) Iudici, vel Prælato tanquam patri fratris peccatum: Prælatus per se, & postea coram testibus corripuit paterne delinquentem, ipse tamen contumax, vel non emendatur, vel culpam non agnoscit. Potestne tunc Prælatus modum paternum procedendi relinquere, & personam Iudicis ad subditum coërcendum, assumere.

157 *Potest planè.*

Potest quidem. Quia independenter à denunciatione, quæ facta fuit illi, vt patri reus ille contumaciæ, & impœnitentiæ exponit actionem dignam planè exteriori iudicio. Sic Azor. *tom. 3. l. 13. c. 21. q. 9.* nonnullos afferens Canonistas.

158 *Non potest.*

Minime potest. Quia tunc nullam habet notitiam, qua vt Index valeat iudicium inchoare. Supponimus enim, non præcessisse infamiam, nec esse, qui iudicialiter accuset, vel denunciet. Ergo nullo modo habet viam procedendi: nisi ille, qui denunciauit ei delictum illud vt patri, velit iudicialiter denunciare. Ita Suar. *tom. 4. de Relig. l. 10. cap. 12. numer. 43.* Sotus *de secreto membr. 2. quæst. 2.* Cardin. de Lugo *tom. 2. de iust. d. 37. num. 82.* & alij.

159 *Hoc verius esse iudico.*

Hoc verius admodum esse reor, imo non dubitare Azorium pro contraria sententia citatum à nobis esse. Nam postquam cum illis Canonistis sentire videretur, dum postea suam exponit sententiam, exigit, fieri denuò denunciationem aliam iudicialem coram Prælato tanquam Iudice. Hac tamen nona denunciatione posita, & nos concedimus posse Prælatum iam ordine iudiciali procedere, priori ordine paterno relicto. Attamen nostræ sententiæ duæ exceptiones à Doctoribus adhibentur. Prima est, quando delictum esset in graue Reipublicæ, vel innocentis damnum, tùc sicut Iudex potest ad præcauendum illud malum procedere, & delinquentis famam postponere? sic etiam poterit Prælatus vti illa notitia, quam habet vt pater (modo habita sit extra confessionem) & obligare denunciantem ad iudicialiter denunciandum, & ipse, denuncians id agere tenebitur, si alia via non suppetit damnum illud publicum, vel innocentis impediendi. Secunda est, quando per viam paternam prælatus subditi emendationem non consequitur, & sperat eam consequuturum ver viam iudicialem: potest transire in processum iudicialem, obligando denunciatorem ad iuridicè denunciandum. Quia si hoc potest facere ad vitandum damnum tertij, poterit etiam propter ipsius delinquentis damnum. Debet tamen tunc Prælatus procedere ad punitionem solum, quatenus necessaria est ad emendationem subditi, quam intendit. Nam cum iuridicus ille processus solum tunc assumatur propter bonum subditi, non debet vltra illos terminos boni subditi progredi. Lege Sotum *libro quinto de iust. quæst. 6. art. secund. concl. 4.*

DVBIVM XXX.

Prælatus quamdiu in foro paterno, & ante processum iudicialem procedit potestne subditum rebellem excommunicare?

160 *Non potest.*

MInimè potest. Quia excommunicatio illa pœna quidem est. Ad ad patrem, vt patrem delicti punitio non pertinet maximè cum necessariò pœna illa excommunicationis non possit non in publicum prodire, vnde culpam digna censura commississe subditum dignoscetur. Sic nonnulli, quos presso nomine memorat Cardinalis Lugo *tom. secund. de iustit. d. 37. numero 85.*

161 *Potest omnino.*

Potest omnino, Quia Christus Dominus Matth. 18. dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Vbi sermo videtur esse de denunciatione paterna facta post vnam vel alteram fraternam monitionem, & tamen supponitur tunc Prælatum posse subditum contumacem ab Ecclesia separare. Ratio autem est, quia licet forum paternum ordinetur ad bonum filij, ad hoc tamen ipsum bonum filij requiritur, quod pater eum valeat pœna aliqua secreta coërcere, & sicut Prælatus vt pater potest illi sub peccato graui aliquam pœnitentiam medicinalem iniungere, quæ necessaria ad vitandum recidiuum iudicatur, sic etiam poterit sub excommunicationis pœna imponere satisfactionem pro delicto. Ita Suarez *tomo quart. de Religio. libro decim. capite 12. numero 39.* Sotus *libro quint. de iustit. q. 6. art. 2. concl. 4.* Et Lugo probabiliorem hanc mentem esse docet.

162 *Resolutio Auctoris.*

Idem assero, dum tamen pœna hæc, quæ medicinalis esse potest, possit adeo secreta, vt in aliorum notitiam minime prodeat, quod non facile fieri posse constat ex ipsius excommunicationis effectibus.

***

DVBIVM

DVBIVM XXXI.

An Prælatus possit adhuc vt pater excommunicare subditum contumacem, si nulla adsit emendationis spes?

163 *Potest equidem.* POtest equidem. Quia regulariter fructus sperari potest ex censura, ideo regulariter poterit Prælatus vt pater hoc tentare medium, quamuis inutile timeat esse futurum. Sic Sotus *l.5.de iust.quæst. 6.articul.2 concl. 4.*

164 *Non potest.* Non potest, Quia tota illa via paterna non intendit bonum punitionis, sed emendationis. Ergo ea potest solum media adhibere, quæ ad hunc finem vtilia fore censeantur. Ita Suarez *tom. 4.de Relig.l.10. capite 12. numero 39.*

165 *Mea resolutio.* Porrò quia regulariter (vt dixi ex mente Soti) sperari potest fructus ex censura, etiam poterit Prælatus regulariter, hoc medium tentare ergà filium contumacem. Addiderim posse etiam sine spe emendationis eum excommunicare, quando id necessarium esset ad aliorum bonum: vt scilicet ab aliis separaretur membrum putridum, ne illos inficeret. Hoc enim ad patrem vt patrem spectare non dubito. Præcisè autem sistendo in bono punitionis non videtur pertinere ad patrem in via paterna, quod filium excommunicatione afficiat. Ex Cardinali de Lugo Sapientissimo quidem accepi, *tom. 2. de iustit. d. 37. numero 86.*

DVBIVM XXXII.

Quando denunciatio iudicialis necessaria non est ad impdciendum graue malum publicum, vel priuatum alicuius innocentis: Prælatus Regularis, cui tanquam patri aliquis delictum subditi denunciauit, potestne validè ei præcipere, vt hoc ipsum iudicialiter denunciet?

166 *Validè potest.* VAlidè potest, si Prælatus Regularis sit. Quia hic maiorem videtur potestatem habere ex voto obedientiæ, quod subditus emisit, se obligans ad obediendum in omnibus præceptis licitis, & honestis, quæ non sint contra, vel præter institutum Regulare. Quare de precepto Regularis Prælati in hoc casu magis timendum esset. Sic Lugo *tom. 2. de iustit. d. 37 numer. 87.* Additque, contrarium respectu Prælati sæcularis esse dicendum.

167 *Non potest* Minimè potest valide. Quia id præceptum contra bonum publicum proculdubio est, ideoque imprudenter impositum, & minimè valide obligans. Ita Suar. *to. 4. de Relig. l. 10. cap. 12. numer 43.*

Merito quidem doctissimus Pater reformauit sententiam, quam *cap. 11. fine* innuerat, scilicet timendum esse tale præceptum, quamuis Prælatus minus prudenter illud imponat. Quia id præceptum proculdubio (vt ipse dicit) est contra commune bonum. Deterreret enim subditos à deferēdis criminibus ad Prælatum, tanquam ad patrem, videntes se statim obligari ad id iudicialiter denunciandum. Vnde timendum non esse tale præceptum, omninò crediderim. 168 *Eiusdem mentis sum.*

DVBIVM XXXIII.

Iudex inferior potestne imminuere pœnam à lege præscriptam, quando reus est vir publicus, & bono communi valde necessarius?

Svppono, quando lex scripta ius naturale continet, quemlibet Iudicem etiam supremum debere secundum legem illam iudicare. Quia nemo potest quidquam contra legem naturæ præstare. Porro quando lex scripta non continet merum ius naturale, sed illud determinat, iuxta varias Reipublicæ exigentias, vt cum lex præcipit fures interfici: potest supremus Iudex aliquando pœnam minuere. Quia ipse potest ex *rationabili* causa in legibus positiuis dispensare: Ergo licet lex imponat pœnam alicui, poterit Princeps ex causa simili pœnam imminuere. In causis vero ciuilibus vix continget casus, in quo Princeps non teneatur iudicare secundum legem scriptam. Quia subditus habet ius ex lege ad rem, quam petit, vel defendit? Non ergò poterit à Principe suo iure priuari. Profecto Iudex inferior id non potest. Quia pœna, quæ statuitur per legem vel imponitur ipso facto, vel statuitur imponenda. Si primum, iam non pertinet ad eum nisi declarare delictum commissum, & exequi pœnam: non vero illam imponere. Si secundum, Iudex tenetur ex vi legis ad imponendam illam pœnam, quid enim est lex illa nisi præceptum factum Iudicibus de imponenda tali pœna pro tali delicto? Cum ergò Iudex inferior nequeat dispensare in superioris lege, non potest non imponere eiusmodi pœnam. Si autem quis rogiter, an Iudex inferior valeat saltem pœnam ex causa imminuere: verb. grat. quando reus est vir publicus, & bono communi valde necessarius, vt si esset Dux egregius tempore belli? 169 *Nonnulla suppono de Iudice supra premo, & inferiori.*

Minimè potest. Quia si id posset facere, nulla esset differentia inter Principem supremum, & inferiorem Iudicem: nemo enim sine causa potest remittere, vel imminuere pœnam à lege præscriptam, vterque autem cum causa ex hac sententia potest. Sic Soto *lib. de secreto, membr. 2. quæst. 5. concl. 5.* asserens, id non posse à iudice inferiori præstari, 170 *Non potest.*

præstari, parte non condonante.

171 *Potest planè.*

Potest profecto. Quia etiam ad iudices inferiores pertinet bonum commune procurare, & illi postponere ius priuatum accusatoris. Ita doctores, quos memorat Card. Lugo *to. 2. d. 37. nu. 91.* asserens sententiam hanc esse communem.

172 *Auctoris resolutio eadem.*

Ego quidem ex eodem Doctore affirmo, Iudices inferiores ex causa posse pœnam à lege præscriptam moderari. Censeo autem sufficientem causam esse, si pars læsa condonet ante sententiam latam, in quo casu de iure Hispanico remittitur pœna capitis, vel mutilationis, vti habetur in *Leg. 22. tit. 1. par. 7.* extra crimen adulterij, vbi glossa notat id esse conforme iuri communi. Potest etiam parte non condonante, minuere, vel commutare pœnam, quando vir est bono communi maximè necessarius, ob rationem præfatam. Et quidem magnam differentiam adhuc esse reor inter supremum Principem, ac Iudicem inferiorem. Quia hic solum id potest facere in casibus iure, vel consuetudine expressis. Vel quando per Epijkeiam præsumitur voluntas Principis nolentis sua lege obligare in illo casu, nec potest facile tunc ad Principem recurri. At princeps potest illam pœnam minuere dispensando in lege, dummodo adsit causa sufficiens ad dispensandum: qualis sæpe est conciliare animos subditorum exercendo in eos liberalitatem, & clementiam, placere alteri Principi, id petenti, & aliæ similes.

DVBIVM XXXIV.

Quando pœna imponenda pro delicto, est arbitraria, potestne Iudex pœnam capitalem imponere?

173 *Potest quidem.*

Potest quidem, si delictum sit eiusmodi pœnæ agnatum. Quia Iudex potest præsumere id esse legislatori non ingratum. Et absolutè eius arbitrio datum est pœnam eligere. Sic nonnulli, quos refert, ac sequitur Didacus Perez *lib. 8. ordinam. titul. 9. leg. 48.* qui testatur, se id in praxi sæpè vidisse.

174 *Non potest*

Minimè potest, nisi tales essent circumstantiæ delicti, vt pro eo iure communi, vel ex consuetudine esset capitalis pœna imponenda. Ita Sanch. *l. 3. consil. cap. vnic. dub. 14.* cum aliis. Simanc. *l. institution. tit. 46. n. 81.*

175 *Quid dicendum expono.*

Ego autem existimo ex circumstantiis colligendum esse, an lex intenderit, pœnam illam arbitrio etiam Iudicis committere. Regulariter enim id non præsumitur: imò non semel solet id exprimi, præsertim in Bullis Pontificum, quando arbitrio Iudicum committitur pœna, etiam vsque ad extremum supplicium

DVBIVM XXXV.

Licetne apud Iudices pro delinquentibus intercedere?

176 *Non licet.*

NOn licet. Quia à nemine petere possumus, quod ipse licite gerere nequit. Si ergo Iudex non potest sine rationabili causa licitè remittere, vel minuere pœnam legis, & preces huiusmodi causa iusta non est: non licebit apud eum intercedere pro malefactoribus. Sic nonnulli, & quidem si preces fuissent personæ tam præcelsæ dignitatis, vel qualitatis, vt Iudicis constantiam labefacturæ viderentur: probabilitate hanc sententiam niti non dubitarem.

177 *Licet plane*

Licet plane. Quia id adstruit vsus piorum hominum, & antiquorum patrum, qui quidem id laudabiliter gessere. Nec credendū est; viros Sanctissimos, & doctissimos huiusmodi intercessiones operam daturos, nisi id non solum licitum, sed & meritorium ex charitatis affectu existere: Lege Petr. Suarium *de legib. libro quinto capite 11. numero primo.*

178 *Quonammodo liceat, anno. to.*

Ego quidem existimo, licitum esse rogare partem læsam, vt iniuriam remittat, & ab accusatione desistat, vt Iudex possit postea mitiorem se delinquenti exhibere. Quia persona læsa ferè semper potest id facere. Potest peti à Iudice; vt si res dubia fuerit, mitior fiat interpretatio. Potest peti, vt tantum de pœna remittatur, quantum intra iustitiæ latitudinem fieri possit. Mecum Suar. *vbi suprà numer. 10.* Sotus *l. 5. de iustit. quæst. 4. articul. 4.* Castro *lib. secund. de leg. pœnali, capit. 13. conclus. 1.*

Quonammodo se quis debeat circa intercessiones pro delinquentibus exhibere.

Profecto, in huiusmodi intercessionibus magnam prudentiam adhibendam esse reor. Ego me sic haberem, si delicta frequentia sint, & ex Iudicum clementia Respublica grauiter patitur, minimè intercederem, si essem persona læsa, securius intercessioni operam impenderem, ad ostendendam scilicet Christianam charitatem erga offensorem. Præterea considerarem personam Iudicis, nam si sit doctus, probus, ac constans in sui muneris administratione, securè potero apud eum intercedere, non enim præsumerem concessurum, quæ non licerent. Si verò sit indoctus, vel infirmus, & qui facile reuerebitur personam intercedentis, cui placere desiderat, & à quo dependet: & is ego essem: iudicarem magna cautela opus esse; vnde sic efflagitarem.

Non exigo nisi id, quod intra
iustitiæ terminos fieri possit.

***

DVBIVM XXXVI.

Iudex, qui sine sufficienti causa pœnam pecuniariam relaxauit, vel imminuit: teneturne ad restituendum illi, cui pœna illa deberet applicari?

179 *Quæstionis status.*

DIstinguendum de pœna pecuniaria, quę assolet parti læsæ, vel fisco, vel aliis personis, & de pœna, quæ solum sumitur ad vindictam, qualis est pœna corporalis, &c. De hac secunda pœna si loquamur, nullam esse obligationem restituendi affirmo, nisi fortasse ex relaxatione illa aliquod damnum passa fuisset Respublica, cuius indemnitati Iudex prospicere tenebatur. Quæsierim vero circa pœnam pecuniariam, an Iudex, qui sine sufficienti causa eam relaxauit, vel imminuit, teneatur restituere illi, cui pecunia erat applicanda?

180 *Tenetur profecto.*

Tenetur profecto. Quia non potuit remitti, aut imminui sine iniustitia contrà illum, cui deberet applicari, & hoc non solùm quando pœna ipso facto à lege imposita est, sed etiam quando præcipitur à Iudice imponi. Ergo debet restituere ei, cui pecunia illa erat applicanda. Sic Suar *de legib. l. 5. c. 11. n. 6.* Angel. *v. Pœna, nu. 18.* Sylu. *v. Iudex 1. q. 11, dicto 5.* Petr. de Ledes. *sum. Hisp. tr. 8. de iust. commut. c. 22. post 6. concl.* asserens, esse communem Thomistarum. Arag. *2. 2. quæst. 62. a. 7.* Bañes *ibid. q. 67. a. 4.* Reb. *l. 2. de rest. q. 16.* Fagund. *præc. 8. c. 25. n. 8.*

181 *Non tenetur.*

Non tenetur Iudex ad restituendum illi, cui pœna deberet applicari, licet in hoc ipso graviter deliquerit. Quia licet Iudex teneatur ex iustitia erga Rempublicam damna ipsius impedire, & ad hunc finem debeat observare pœnales leges, non tamen oritur hæc obligatio ex debito locupletandi illos, quibus pœnę debent applicari, ij enim non habent ius, nisi valdè remotum, quatenus Iudex tenetur consulere Reipublicæ, & ad hunc finem applicare pœnas talibus personis, & hic videtur vsus communis esse; nullus enim est Iudex, qui huiusmodi pœnas restituat? sed solum accusari potest postea in syndicatu de illa remissione, & tunc si condemnetur, cogetur soluere totum, vel partem ex vi sententiæ propter culpam præcedentem. Ita Lessius *l. 2. cap. 13. dub. 10. num. 7. & 73.* Salas *de legib. d. 15. n. 105.* & alij apud ipsos.

182 *Hoc teneo.*

Hoc teneo, satis quidem probabile. Aliter autem dicerem, quando custodes denunciant Iudici damnum alicui particulari factum. Tunc enim si Iudex notificari non facit id parti damnificatæ, vt sibi satisfieri poscat, sed solum damnat ad pœnam, tenebitur parti damnum compensare. Quia ex officio tenetur impedire, cum potest, ne subditi damna patiantur: Ergo debet monere illum, vt petat, sibi damnum resarcire. Sanchez *l. 1. cons. c. 5. dub. 2.*

DVBIVM XXXVII.

Apparitores, qui noctu inueniunt aliquem arma gestantem, & illa auferunt, reddunt que illi, vel pretio accepto, vel gratis: debentne æstimationem fisco, vel aliis, ad quos pertinet, restituere?

183 *Status quæstionis.*

APparitores noctu Vrbem circumdantes, inueniunt aliquos arma gestantes, quæ eo ipso debent amitti, & fisco, aut aliis pro parte applicari. Solent quidem illi ministri aliquando, postquam arma abstulére, reddere illa vel ex pietate, vel ex beneuolentia, vel quia aliquod pretium pro ea liberalitate accipiunt: Requiro, num debeant fisco, aut iis, ad quos pertinet, armorum velorem restituere.

184 *Debent sanè restituere.*

Debent sanè. Quia eo ipso quod arma ablata fuere ab apparitore, videntur fuisse accepta ab ipso, vt ministro fisci, & per consequens fuisse iam constituta in eius potestate, nec posse restitui, ipso inconsulto. Quemadmodum Iudex tenetur ad restitutionem pœnæ, si post sententiam latam, non faciat eam cum effectu eis, ad quos pertinet illa solui. Sic nonnulli, nec immeriti, doctores.

185 *Restituere non debent.*

Minimè debent, etiamsi pro pecunia accepta arma reddiderint. Quia adhuc non censetur condemnatus ille ad armorum amissionem, nec illa actio apparitoris est consummata, sed adhuc in fieri: & sicut si post accepta arma afferretur aliqua valde rationabilis causa à reo, ratione cuius magna ex parte eius culpa excusaretur: possent apparitores ea rationabiliter ei reddere sine restituendi obligatione. Sic viri docti de hoc à Sapientissimo, & Eminentissimo Cardinali Ioanne de Lugo consulti, qui quidem asserit, hanc sententiam esse probabilem.

186 *Idem defendo.*

Ego quidem, primam, quæ probabilior aliis admodum doctis esse videtur, iudico valde esse rigidam, & contra communem huiusmodi ministrorum vsum. Imò crediderim expedire, quod aliquando ad terrorem arma auferant, animo reddendi. Cæterum an debeant acceptam pro illa benignitate pecuniam restituere, inferius exponam.

DVBIVM XXXVIII.

Iudex in ferenda sententia teneturne opinionem magis probabilem sectari?

187 *Non tenetur.*

NOn tenetur, sed potest minus probabilem amplecti. Quia vera est doctrina, quæ probabili opinione nititur: vnde Iudex, qui ad sententiam ferendam tenetur vestigare

vestigare veritatem, satis suum munus explenit iudicans quod sibi verum apparet, licet à veriori opinione recedat. Sic Metina, Aragon, Salon, Petr. de Ledes. quos refert Sanchez *l. 1. Decal. cap. 9. num. 46.* Salas *tom. 1. in 1. 2 tract. 8. d. vnic. numer. 72.* Lorca Martinez, Delrius, Ioan. Sanch. & alij, quos refert Diana *p. 2. tract. de opin. probab. resolut. 3.*

188 *Tenetur plane.* Tenetur quidem opinionem probabiliorem amplecti. Quia Iudex à Republica constituitur, vel à Principe, vt fidelis minister veritatis sit, vel vt diligenter conetur veritatem inuenire, & pro ea iudicare: sicut œconomus constituitur à Domino, vt rebus domesticis diligenter prouideat. Nemo autem œconomum excusabit, qui inuento duplici tritico æqualis pretij, & bonitatis valdè inæqualis, emit deterius, relicto meliori, licet vtrumque sit sufficiens. Ergo nec iudex, qui propositis duabus viis veritatem assequendi, eligit minus securam, & minus bonam, relicta securiori, & meliori, satisfacit debito, quo illigatur, vestigandi diligenter veritatem, & iuxta eam iudicandi. Ita Sotus, Valentin. Manuel, Ledesma, Vasquez, Azorius, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 1. Dec. c. 9. numero 47.*

189 *His hæreo.* His hæreo, & rationem à priori sic efformo. Sicut Medicus constituitur: ad procurandam corporis sanitatem, & ideo tenetur præcauere diligenter pericula, remediis certioribus vtendo: Sic Iudex constituitur ad bonum ciuile procurandum, & ideo tenetur diligenter præcauere, ne Respublica patiatur: hoc autem non præstat diligenter, & fideliter, iudicando iuxta opiniones minus probabiles, quia facilius erit ciues spoliari iis rebus, quarum habent verum dominium, & eas ad alios transferri, quàm opiniones probabiliores sequendo. Maius enim periculum falsitatis est in opinione minus probabili, quam in probabiliori.

DVBIVM XXXIX.

Quando est æque probabile ius vtriusque partis: Iudex potestne pro illa iudicare, & an debeat, vel litigantes componere, vel rem inter illos diuidere, &c.

190 *Non potest vllam ex illis opinionibus sequi.* NOn potest pro vna, vel altera parte iudicare, sed tenetur partes ad compositionem adducere, aut rem inter eas diuidere, etsi fuerit indiuisibilis, diuidere partem fructuum, vel aliam gerere compensationem. Quia cum opiniones sunt æque probabiles, æquale ius erit: ac proinde delinquet iudex magis in vnam partem propter amicitiam, vel aliam causam indebitam declinando. Sic Bannes *in præsenti, quæst. 63. a. 4. dub. 1.* Granado *2. 2. in materia de actio. human. tract. 12. d. quart. numero 39.*

191 Potest quidem index alteram ex illis sententiis eligere. Quia index ex debito sui officij solum tenetur ad vestigandum diligenter veritatem, vt secundum eam iudicet; sed in casu nostro probabilissimè iudicat, illam esse veritatem, & hunc hominem ius habere: Ergo potest pro illo iudicare cum illa probabilitate æquali. Ita Sanch. *lib. 1. Decalog. cap. 9. numer. 46.* Salas *tom. 1. in 1. 2. tract. 8. d. vni. c. 72.* Lugo *to. 2. de iust. d. 37. n. 115.* & alij plures. *Potest quidem ex illis sententiis, quam maluerit, eligere.*

Hanc sententiam probabiliorem esse reor. Quod si quis obiiciat, rationem, quam *Dub. proximo* tradidimus ad probandum iudicem debere opinionem probabiliorem sequi, videri contra hanc doctrinam probare. Nam sicut qui iudicat contrà habentem probabilius ius, infert illi iniuriam, præferendo illi eum, qui habet ius minus probabile; ita qui ex duobus habentibus æquale ius, præfert vnum alteri, videtur inferre iniuriam ei, cui præfert aduersarium habentem æquale ius: Ergo nec cum æquali probabilitate potest iudex vnam partem eligere. Respondeo negando antecedens. Nam iudex ex officio solum tenetur diligenter inquirere veritatem, vt pro ea sententiam proferat: cum æquali verò probabilitate iam prudenter potest iudicare veritatem esse pro vna parte, & licet exponat se periculo à vero aberrandi, non tamen potest vitare illud periculum sine æquali alio periculo, quod in parte contraria inest. Attamen negari non potest, iudicem melius suum munus præstiturum, si procuret partes ad concordiam adducere. Attamen absolute poterit alteram ex illis sententiis eligere. 192 *Hoc reor esse probabilius.*

DVBIVM XL.

Iudex, qui sine rationabili causa sententiam profert pro parte probabili, contra probabiliorem, teneturne ei, aduersus quem tulit sententiam restituere?

NOn tenetur ei restituere. Quia obligatio iudicandi pro parte probabiliori oritur ex debito, quod index habet erga Rempublicam inquirendo veritatem, & secundum eam iudicandi: Ergo violans hoc debitum, solum delinquet contrà Rempublicam, & illi restituere tenebitur iuxta detrimentum, quod bonum commune patitur ex illa peruersione iudicij. Quemadmodum qui eligit minus dignum, vel etiam indignum ad beneficium, non tenetur regulariter restituere digniori prætermisso iuxta communem sententiam, sed soli Ecclesiæ iuxta mensuram detrimenti, quod Ecclesia patitur ex illa iniqua electione: Ita etiam in præsenti. Sic nonnulli, quorum sententiam probabilem esse indicat Cardinalis de Lugo contrariam veriorem vocitans *tomo secund. de iustit. d. 37. numero 121.* 193 *Non tenetur ei restituere, sed Reipublicæ.*

Tenetur restituere parti probabiliori omissæ. Quia in præsenti non est aliud damnum quod patiatur Respublica, nisi in quantum vnus 194 *Ei, non Reipublicæ restituere tenetur.*

vnus ciuis, qui habet meliorem causam; bonis priuatur, hoc autem damnum non alio modo resarcitur, nisi ille idem ciuis possideat bona, ad quæ probabilius ius habebat. Ergo si iudex ad restituendum tenetur Reipublicæ, tenetur etiam ad restituendum parti læsæ. Ità Lessius *l.2.c.13.numer.70.* Lugo *citatus.*

195 *Hanc sententiam defendo.*

Hanc defendo sententiam. Nam Magistratus, ob cuius negligentiam furta, vel homicidia in ciuitate fiunt, non solum peccat contrà iustitiam aduersus Rempublicam, sed etiam aduersus eos, qui illa damna patiuntur, & ideo ipsis restituere tenetur. Ergò non minus tenebitur pro damno, quod priuati accipiunt in fortunis, propter iniquã iudicis sententiam. Æque enim conductus fuit à Republica ad vtrumque: magis directè ad sententiam pro veritate proferendam. Per quod patet discrimen ab exemplo adducto de eligente minus dignum ad beneficium: ubi enim est diuersum damnum commune quod intenditur vitari per electionem dignioris à damno ipsius priuati, qui prætermittitur.

DVBIVM XLI.

In causa, quæ vtrinque est dubia, & nemo possidet: Iudex potestne rem indiuiduam cui voluerit applicare?

196 *Status quæstionis.*

Diximus de lite, in qua vtrinq; sunt opiniones probabiles in causa autem, quæ vtrinque est dubia dubio negatiuo, fauendum existimo esse possessori, & reo, quia in dubio melior est eorum causa. Quando autem neuter possidet, quæsierim num Iudex possit rem indiuiduam, cui voluerit applicare?

197 *Potest equidem.*

Potest equidẽ, quia cõmunis doctorum sententia est, Episcopum posse ex duobus æque dignis ad beneficium, quem maluerit eligere altero reiecto. Sic Petr. de Ledesm. *de matrim. q. 45. a. 1. dub. 2. ad 3.*

198 *Minimè potest.*

Minime potest. Quia in dubio non est fundamentum ad excludendum alterum, nec saltem probabile: Ergò sine ratione iudex alterum eligeret ad bona possidenda, & alterum excluderet. Ita Magister meus P. Ioan. de Salas *in 1.2. tr. 8. d. vni sect. 23. n. 240.* citans Thomam Sanchum. Adiciens, si res est diuisibilis, dividendã esse: si verò est indiuidua, sorte posse alteri applicari, si ipsi consentiant. *Alioquin debet æstimatio dimidi* (inquit Salas) *vt forte alteri res applicetur, alteri dimidium æstimationis ab aduersario soluendum.*

199 *Auctoris resolutio.*

Ego autem probabilius putarem, sorte videndum esse, cui optio concedenda sit inter dimidium æstimationis accipiendum, & inter rem habendam soluto dimidio æstimationis. Nec obstat exemplum de Episcopo potente ex duobus æque dignis, quem voluerit, eligere, altero reiecto. Nam dignitas æqualis dat ius positiuum ad beneficium: quare singuli habent positiuum titulum, vt quilque possit eligi, excluso alio æque digno; vnde cuicumque detur, iure datur.

DVBIVM XLII.

Iudex, qui accepit aliquid à Petro, ne Antonium occideret, quem occidere iniustè volebat teneturne restituere?

200 *Certa sup. pono.*

CErtum est, iudicem nihil posse accipere in pretium eius rei, quam ex iustitia tenetur præstare. V. gr. ipse ex officio tenetur iustam sententiam proferre, litigantes audire, & similia, non potest pro his pretium accipere, Quia repugnat, quod aliquid ex iustitia debeatur alicui, & tamen de nouo ipsi vendatur. Hoc autem locum habet non solum respectu illius, cui actio debita erat ex iustitia; sed etiam respectu aliorum Rogarim verò. Num possit iudex sine iniustitia accipere pretium ab alio tertio, vt proferat sententiam iustam ei, quam proferre deberet. V. gr. an recipiens pecuniam à Petro, ne occidat Antonium, quem iniuste occidere volebat teneatur ad restitutionem?

201 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia licet iudex teneretur illum non occidere, & iniustum se gereret, si sententiam illi capitalem pronunciaret, non tamen tenebatur id facere in gratiam Petri, ergò propter hoc poterit aliquod pretium accipere. Sic Sotus *l. 4. de iust. q. 7. a. 1. ad 2.* Ioan de la Cruz *in direct. prac. 7. a. 5. dub. 3.* Ergo restituere non tenetur.

202 *Tenetur plane.*

Tenetur procul dubio. Quia si id liceret, ostium vsuris, furtis, rapinis reseraretur. Posset enim quis dicere, se accipere pretium non ab illo, cui mutuum dat, nec pro mutuo, sed ab alio tertio, eo quod in eius gratiam det mutuum Ioanni. Potest etiam fur dicere, se velle occidere meum amicum, nisi ei dedero aliquam pecuniæ summam, & sic de aliis. Ita Card. Lug. *tom. 2. de iust. d. 37. nu. 126.* & alij communiter. Molina à Cardinali Sapientissimo citatur.

203 *Hoc defendo.*

Meritò Soti sententia à omnibus fere Doctoribus repellitur. Quia pro actione iure debita gerenda, vel pro omittenda iniusta, iniquum est, pretium admittere. Vnde quidquid acceptum fuerit procul dubio debet restitui. Si vero illud accepisset iudex pro sententia iniusta, vel pro aliquo iniusto actu, restituere non debet. Quemadmodum si aliquis recipiat pretium pro homicidio patrando. Nam licet ea acceptio sit iniqua: non tamen est pro aliquo debito, & aliunde opus ipsum erat pretio æstimabile. Ergo opere sequuto, non est obligatio restituendi: sicut nec meretrix tenetur restituere pretium ex turpitudine acquisitum Les. *l. 2. c. 14. n. 32.* alios referens.

DVBIVM

DVBIVM XLIII.

Acceptio munerum, quæ non tanquam pretium dantur, sed ad alliciendum animum Iudicis in alteram partem, illicita estne ex iure naturali prohibita?

204 *Prohibita est iure naturali.*

ILlicita huiusmodi munerum acceptio prohibita est iure naturali. Quia vti D. Thom. fatur *ad Psalm. 7.* Iudex indiget sapientia, & iustitia: At sicut scientiæ opponitur ignorantia: ita iustitiæ seu rectitudini videtur aduersari munerum acceptio, *Quia munera etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum Exod. 23.* Ideoque passim Scriptura sacra acceptionem eiusmodi reprehendit, *Isai. 1. Deuteron. 16. Eccles. 20. 1. Reg. 12.* & alibi. Hinc apud omnes vbique gentium turpe existimatum est in Iudicibus munera accipere. Igitur non solum positiuo, sed & naturali iure prohibitum est iudicibus non solum positiuo iure, sed & naturali munera accipere. Sic Bald. *leg. Hac lege, C. de sententia ex periculo recitanda.* innuit, Tenent Malder. *in præsenti, tr. 6. c. 1. dub. 27.* Gabr. *in 4. dist. 15. q. 6 concl. 4.* Ioan. Monach. *in extrauag. de sent. excommun. Inter omnes, v. Clericos.* Quibus fauet Perez cum aliis 2. *Ordinamenti*, D. Anton. in *p. 3. tit. 9. c. 1. §. 2.* Matienzo *Dial. relat. p. 3. capite 35.*

205 *Non est naturali iure prohibita.*

Non est prohibita naturali iure, sed solum iure positiuo. Quia si esset contra ius naturale, non posset consuetudine contraria præscribi: posse autem aliquando præscribi patet ex stylo Curiæ, & ex *Authentica de iudicibus, §. Ne autem, coll. 6.* vbi datur iudicibus facultas recipiendi munera. Et quia Innocent. *Cap. cum ab omni, de vita, & honesta. Cleric.* non dixit absolutè, esse malam hanc munerum receptionem; sed habere mali speciem Ita Nauar. *in extrauag. de datis, & acceptis n. 5.* citans alios.

206 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem existimo, aliquam munerum acceptionem iure naturali licitam esse, aliquam illicitam omninò. Tunc quidem est illicita, quando dantur in ea quantitate, attentis personarum, ac temporum circumstantiis, vt moraliter loquendo, de se, & vt in plurimũ, iudicij inducant peruersitatem. Impossibile enim est humano modo, quod iudex, qui pendente lite accepit ab vno ex litigantibus magnum aliquod munus, v. gr. dominum, vel vineam, &c. postmodum in discursu causæ, & in sententiæ prolatione non valde propendeat in illius fauorem. Alioquando tamen huiusmodi munerum acceptio non erit mala de iure naturæ, siue quia exiguum est, & magis spectans ad vrbanitatem munus, quã ad corruptelam; vel quia alij sunt tituli impertiendi: vt si consanguineus, vel amicus sit qui illud confert, vel quia non datur ab iis, qui litem habeant præsentem, vel proximam vel quia dantur post litem finitam gratitudinis ergo, vel propter alias similes causas.

DVBIVM XLIV.

Acceptio munerum à iudice quæ ex iure naturæ sit prohibita, obligatne ad restitutionem?

ACceptio munerum, quam diximus esse iure naturæ prohibitam, obnoxia est restitutioni, quia sicut est obligatio non accipiendi, ante causæ finem, ita erit obligatio restituendi. Eadem enim inconuenientia oriuntur ex retentione, quæ ex acceptione: nec minus iudex inclinabitur in vnam partem propter munera retenta, quam propter accepta: Ergo ad vitandum illud periculum, tam oportebit restituere post acceptionem, quàm non accipere. Sic Gabri. *in 4. dist. 15. q. 6.* Et regulariter hoc dicendum docet Cardin. Lugo *to. 2. de inst. d. 37. n. 130.* 207 *Obligat ad restitutionẽ*

Non est restitutioni obnoxia, quia vnusquisque est suarum rerum dominus, & potest earum dominium validè transferre: Cum ergò litigans gratis, & spontaneè contulerit Iudici ea munera, & eius potestas non sit ligata, nec impedita: non est, cur non habeat validum effectum in eorum dominio in accipiẽtem transferendo. Ita Theologi recentiores cum Paludano *in 4. dist. 15. q. 3. articulo. 5. concl. 4.* 208 *Non obligat.*

Ego tamen cum meo eminentiss. Cardinali hanc limito sententiam, vt intelligatur post finitam causam, & post sententiam prolatam, ob rationem pro prima sententia expressam. Non autem abnegarim, aliquando ob fugiendam inurbanitatem posse (cum Cardinali loquos) licere retentionem. Minus enim inurbanum esset reddere semel accepta, quam oblata modestè recusare. Ideoque stando in iure naturæ, posset aliquando ex hoc capite retentio excusari, etiãsi acceptio vitiosa extiterit. 209 *Hanc limito sententiã*

DVBIVM XLV.

Quando obligant leges iudicem, ad munera malè accepta restituenda, intelligendæne sunt de obligatione ante condemnationem, vel declarationem?

CErtum est, multas reperiri leges in aliquibus Prouinciis, quæ non solùm prohibent munerum receptionem, sed & pœnam adiiciunt, & obligant in conscientia ad solutionem pœnæ, & ad munera restituenda: imò aliquando addunt. *Ante iudicis condemnationem.* Præterea obligant iudicem ad iurandum in susceptione officij, se soluturum pœnas, & munera restituturum. His præmissis, quæsierim, an hæ leges obligent in conscientia etiam quan- 210. *Nonnulla recolo.*

do crimen est occultum, & ante vllam Iudicis declarationem?

211 *Obligant ante condemnationem.*

Obligant quidem. Quia Princeps potest ita obligare, & aliunde videtur in hoc casu de eius intentione constare sic obligandi ob rei conuenientiam. Sic Sotus, Ioan. Medina, & alij apud Molinam *tom. 1 tr. 2. d. 88.* Mercado *l. 4. de contract. c. 16.* Cordub. *l. 1. q. 36.* Manu. *v. Iudex, casu 183. concl. 1.* Bañes *2. 2. q. 71 1. a. 4.* & alij plures.

212 *Non obligant.*

Licet leges obligent ad non accipienda munera, non tamen obligant ad restituenda gratis accepta ante Iudicum declarationem, saltem criminis. Quia ea est communis praxis Iudicum etiam timoratorum, qui nunquam ea munera restituunt, quando fuere liberaliter data, nec à Confessariis ad id obligantur. Ita Molina *vbi supr.* Henrig. *l. 4. c. 21. §. 6.* Angl. *q. de donationib. diffic. 7.* Perez *l. 2. Ordinamenti titul. 3. l. 34.* Nauarra *l. 4. de rest. c. 2. n. 107.* Valq. *to. 2. in 1. 2. d. 164. nu. 17.* Reb. *l. 18. de donation. q. vlt.* Salas *de legib. d. 15.* & alij plures.

213 *Hanc partem defendo.*

Ego autem hanc sententiam probabilem admodum defendo. Nam non aliter tenentur ad restitutionem munerum Iudices, quoad solutionem pœnæ, imo ad officium relinquendum: leges enim de iis omnibus loquuntur: At durissimum esset obligare ante Iudicis sententiam ad relinquendum officium quod habent. Profecto lex humana debet esse suauis, & humanæ fragilitati accommodata: Lex autem obligans ad solutionem pœnæ ante condemnationem durissima esset, & ad nihil aliud, vtilis, quam ad illaqueandos animos subditorum: Ergo non est credendum Christianum, ac pium Principem eo in sensu locutum.

DVBIVM XLVI.

Quando non habetur probatio plena, sed tantum præsumptiones, & indicia vrgentia: potestne Iudex mitiori extraordinaria pœna reum punire?

214 *Non potest.*

NOn potest punire reum pœna mitiori extraordinaria. Quia cum non constat de delicto nullam reo debet pœnam imponere, sed eũ torquere, si sit persona habilis ad torturam, vt delictum fateatur: alioquin absoluere. Nam vel creditur patrasse delictum, & tunc pœna ordinaria integra debet puniri, vel non creditur, & tunc debet omninò absolui. Ita Sarmiento, & alij, quos affert Sanch. *l. 3. cons. c. vni. dub. 12. n. 5.*

215 *Potest sanè.*

Potest reum punire pœna extraordinaria mitiori. Quia is, contra quem sunt eiusmodi indicia, licet non omninò clarè probetur reus criminis, in eo tamen statu constituitur, in quo propter bonum publicum aliquod malum iustè pati queat. Alioquin non posset iustè torqueri, cum tortura ipsa magnum malum sit, & maius aliquando, quam pœna aliqua extraordinaria, quæ ei imponeretur: imo plus periculi sit in tortura, in qua si reus metu fateatur, pœnam ordinariam extremam patietur. Cum ergo propter bonum publicum possit iustè damnari ad torturam, ne delicta maneant non probata, & homines metu torturæ à delictis patrandis arceantur, & ad torturam sufficiant minora indicia: à fortiori stantibus indiciis, vrgentioribus, & indubitatis, poterit reus propter idem bonum commune extraordinaria pœna mitiori puniri. Ita Clarus, Panormitan. Baldus, Felin. & alij multi, quos refert, ac sequitur Sanchez *citatus dub. 12. numero 12.* Lessius *lib. secund. cap. 29. n. 169.* & alij.

Hanc sententiam veriorem esse reor. Nam 216 licet Iudex non habeat tunc assensum certum *Hoc verius esse reor.*
de delicto, habet tamen assensum certum de longe maiori verisimilitudine delicti, quam innocentiæ, & quamuis reus sit in possessione suæ inemenditatis, est tamen contra eum præsumptio adeo vehemens, vt præponderet possessioni illi, & transferat in ipsum onus probandi innocentiam, & facit multo credibilius eum deliquisse, quam non deliquisse: Quare licet peius sit innoxium punire, quam noxium absoluere: hoc tamen verum est in pari causa, non quando magna est inæqualitas, peius enim esset Reipublicæ noxios eo casu omninò liberos manere, quam aliquem innocentem talibus indiciis affectum sine culpa pati.

DVBIVM XLVII.

Quando reus confessus est delictum, v. grat. homicidium, sed dixit, se id gessisse in sui defensionem, illa confessio sufficitne, vt Iudex imponat illi ordinariam homicidij pœnam?

217 *Sufficit quidem.*

SVfficit quidem. Quia delictum semper præsumitur malo animo factum, nisi contrarium probetur. *Cap. 2. de præsumptionib.* & *leg. si non cominci Cod. de iniurijs.* Et quia si duo testes occuli testantur de homicidio, non liberaretur reus asserendo se ad defensionem occidisse: Confessio autem propria duobus testibus æquinalet: Ergo excusatio illa non poterit reum huiusmodi liberare. Sic Socinas *ad legem, Non vtique, ff. de exceptione*, & alij.

218 *Non sufficit.*

Non sufficit confessio rei, vt ei pœna ordinaria infligatur, sed extraordinaria afficiendus est. Quia probatio illa ex confessione non est clara, quando aliunde de homicidio non constat. Ita Panormit. Felin. Decius, Alexander, Palatios, Antonius, Gabriel, & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 3. consil. c. vni. dub. 13.*

219 *Hoc teneo, & confirmo.*

Hoc teneo, & confirmo, retorquendo argumentum pro prima sententia factum. Nam si ijdem testes qui de homicidio testantur, testarentur de excusatione, seu defensione,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

defensione, probatio illa homicidij non sufficeret: cum ergo homicidium solum constet ex testificatione delinquentis, qui simul de excusatione testificatur, non constat plane de delicto. Quia præsumptio mali animi tunc est, quando delictum patratum fuisse constat: in casu autem nostro delictum non constat nisi ex rei confessione, qui non confiretur delictum, sed defensionem: Ergò locus non est præsumptioni, quæ solum habet vim, quando delictum constat aliqua via, qua non constat pariter excusatio.

DVBIVM XLVIII.

Iudex contrà ius aliquid nouit à reo, vel à teste: potestne ex tali notitia reum punire in aliquo euentu?

220 *Regulam generalem suppono.*

NOn est sermo de notitia ex confessione Sacramentali promanante; hæc enim ad nullum prorsus iudicialem processum vtilius esse potest. Loquendo autem de alia notitia præter illam regula generalis est. Quoties iniustè, & illegitimè à Iudice habita est. Iudex non potest legitimè ex illa procedere: Nauarrus, Sotus, & alij, quos refert Sanch. *l. 6. consil. c. 3. dub. 39. n. 10.* Fagun. *præc. 8. Dec. c. 21. n. 3.* & alij communiter. Quæsierim autem an regula hæc adeò certa sit, vt Iudex cum aliquid contra ius nouerit à reo vel à teste, in nullo casu possit eum ex tali notitia punire?

221 *Potest Iudex huiusmodi notitia reum punire.*

In aliquo casu hæc regula deficit, & potest Iudex ex huiusmodi notitia punire reum: nempe quando scelus esset fœdissimum. Quia tunc ex non punito reo oriretur scandalum, maximè cum occasione huius extortæ confessionis iam esset scelus in populo publicatum. Sic Sotus *l. de secreto, memb. 3. q. 1. concluſ. 5.* dicens tamen rem esse dubiam, ideoque se aliorum iudicio committere. Clarius Nauarra *de restit. l. 7. c. 3. num. 243.* & alij, quos presso nomine refert Sanch. *l. 6. consil. cap. 3. dub. 39. n. 3.* Qui addunt, teneri tamen iudicem ad restitutionem pro damno toto consequuto.

222 *Minimè potest.*

In hoc regula casu, non deficit. Quia iudex non potest aliquid instrinsecè malum gerere, quale esset iniustè & sine probatione aliquem interficere ob scandalum populi vitandum. Ita Sanch. *ibi.* Cardin. Lugo *to. 2. de inst. d. 37. num. 148.*

223 *Hoc tenendum existimo.*

Hoc tenendum, iudexque obligandus, vt defectum probationis, & processus illegitimitatem fateatur, reumque absoluat. Ex hac regula infero, non posse iudicem contra reum procedere ex confessione facta in tortura, quando sine præcedentibus indicijs sufficientibus tortus fuit, licet illam postea ratificet: Et idem est, si tortus est, qui de iure torqueri non poterat, vel si alia quacumque ratione iniustè torqueatur. Vel si notitia illa à teste per iniustas interrogationes extorqueatur. Vel quando nulla præcedente infamia, inquisitio specialis contrà reum facta est in casibus, quibus fieri de iure non potest.

DVBIVM XLIX.

Personæ quæ ob sexum, ætatis, vel corporis fragilitatem, & periculum non possunt: possuntne terreri terrore propinquo, & leuiter torqueri ad terrorem magis, quam ad dolorem?

224 *Status quæstionis.*

PRæmitto, torqueri non posse senes, & pueros minores 14. annis, nec mulierem prægnantem, vel etiam paulo post puerperium, donec vires resumat nobiles etiam alicubi, Decuriones, & Doctores, & eorum descendentes. In crimine tamen in læsæ Maiestatis diuinæ nullum ad hoc priuilegium prodesse, nisi ex naturæ debilitate. Quæsierim autem, an personæ quæ ob sexus, ætatis, vel debilitatis non possunt torqueri possint terreri terrore propinquo, vel leuiter torqueri ad terrorē magis, quam ad dolorem exceptis tamen prægnantibus, quibus etiam terror ipse plurimum nocere posset?

225 *Non sunt posse.*

Minimè possunt. Quia senes, & pueri habent ius, ne torqueantur, imo non solū ex lege positiua, sed etiam ex iure naturæ illud videntur habere: Ergo terror torturæ erit metus iniustè illatus, cum sit metus mali, quod sine iniustitia eis non potest infligi maxime si terror ille de propinquo esset. Sic Les. *l. 2. n. 155.* asserens terreri posse senes pueros, ac fœminas non prægnantes remoto terrore, qui solis verbis, & equulei ostensione sistit, non de propinquo, vt cum quis spoliatur, vel illigatur. Fagund *præc. 8. Dec. c. 21. n. 14. & 15.*

226 *Possunt sæpe.*

Possunt planè. Quia licet regulariter metus mali est iniustus, quando malum comminatum iustè inferri non potest: aliquando tamen fallit ea regula. Quia possum ego habere ius inferendi terrorem mortis, & non mortem ipsam, vt constat in Principe, qui vult punire subditum, qui dignus capitali pœnâ non est, sed aliqua minori, atque adeò posset pro pœna inferre ei per triduum metum, & opinionem mortis subeundæ, vt hoc etiam modo magis in posterum à delinquendo deterreretur. Quod ergo tunc Princeps facere posset, hoc censetur in casu nostro fecisse lex positiua, imo & ipsa lex naturalis. Potest enim iudex malo aliquo inflicto cogere reum ad confessionem, non quidem tortura grani, quia hoc fieret cum graui periculo in tali persona: sed malo alio minori, in quo periculum illud non appareat. Cum ergo terror, & metus torturæ minus malum sit, quam tortura, & in quo non apparet periculum, ratione cuius tortura ipsa illicita est, consequens est, vt qui malo alio præter torturam potest à reo confessionem exigere, possit etiam metu torturæ id facere, cum ratio prohibendi torturam non procedat, vt metus etiam torturæ de propinquo prohiberetur. Ita Sanch. *l. 6. consil. cap. 3. dub.*

*dub.16.n.12.*Fagund.*præc.8.Decal.c.21.n.14.* & 15.Lug.*to.2.de inst.d.37.n.160*

227 *Prior distinctione.*

Ego quidem existimo distinguendum. Nã si sermo sit de personis, quæ ob ætatis sexus, vel corpoream debilitatem torqueri non possunt, crediderim eos terreri posse etiam terrore propinquo, imo & leniter torqueri ad terrorem, quia *Leg. Item apud Labeonem, §. quæstionem, ff. de iniuriis* dicitur: *Quæstionem intelligere debemus, & tormẽta) & corporis dolorem ad eruenda veritatem; Nuda ergo interrogatio, vel ictus territio non pertinet ad hoc edictum.* Igitur solum prohibetur hic torquere: terrree autẽ, vel minari, non est modus diuersus indagandi veritatem, qui non inuenitur prohibitus. Loquendo verò de aliis, quibus ob nobilitatem, vel dignitatem exemptio à tortura conceditur, aliter respondebo Dubio sequenti.

DVBIVM L.

Ij, qui ob nobilitatem, vel dignitatem torqueri non possunt ex priuilegio legis, licet non valeant vel leuiter torqueri: possuntne tamen verbis terreri?

228 *Possunt quidem.*

POssunt quidem, quia lex eos solum eximit à tortura. At terrere verbis, vel minari, non est torquere. Sed modus diuersus indagandi veritatem, qui non decet nobiles, vel in dignitate constitutos. Sic Fagund. *præcept. 8.c.21.n.14.* & 15.

229 *Minimè possunt.*

Minimè possunt. Quia lex illos eximens à tortura fauorabilis est, & non prohibet torturm propter peculiare malum, quod ipsa sola afferat, sed qua ob harum personarum merita, noluit eas cogi posse ad confitendum eo medio: quæ exemptio magna ex parte esset inutilis, si cogi possent metu torturę: legisque beneficium, & fauor suum effectum non obtineret. In hoc ergo casu metus esset iniustè illatus; quia tortura, & metus sunt contra ius rei à lege acquisitum. Ita Cardin. Lugo *to.2. de iust.d.37.n.160.*

230 *Auctoris resolutio.*

Qui *Dubio 49.* asserui, personas, quæ ob ætatis, sexus, vel corporis infirmitatem haud sunt torturæ obnoxię, posse tamen terreri propinquos terrore, imo & leniter torqueri: affirmo personas, quæ ob nobilitatem, vel dignitatem à tortura per legem eximuntur, terreri non posse, quando terror in his circumstantiis confessionem non spontaneam extorqueret. Ratio autem differentiæ est quia personæ prioris generis solum prohibentur torqueri propter vitæ periculum, vel notabilis nocumẽti: alioquin lex vellet etiam ab eis veritatẽ erui posse. Cum ergo terror aut leuissima illa tortura nullum periculum, vel nocumentum afferat: nõ videtur lex illam prohibere voluisse, quæ quidem solam veram torturam prohibuit, non fictam, in qua non est eadem ratio prohibitionis. In aliis verò personis priuilegiatis eadem lex quæ priuilegium, & ius illis concessit, ne torqueri possent: videtur consequenter dedisse eis ius, ne metu etiam torturæ affligerentur. Nam quoties aliquis minatur malum, quod iuste infligere non potest dicitur metus iniustè illatus, & perconsequẽs cum iniuria reo ab inferente illata.

DVBIVM LI.

Licetne iudici, illum dã nare, qui crimen confessus est spe veniæ, & impunitatis sibi à iudice promissæ?

231 *Licet falsi reum.*

LIcet iudici fallere reum spe veniæ, & incolumitatis, & poste a eum punire, quia sicut impium est, bonos decipere: ita pium est, malos, quos aliter punire non possumus, insidiis, & dolis circumuentos, punire. Nam (vt Bartol ait *l.1.col penult.v.Quæritur quidam.C.vnde vi*) nullus est dolus, si fides prædonibus non seruetur. Sic Gomez.*c.1.de constit. in 6. n.* 143. cum Felino, & aliis Archidiac. *Cap.vtilem 22.q.2.* refert de Alexandro III. qui cum non posset ab Episcopo simoniaco confessionem criminis extorquere, promissa illi secretò impunitate, si suum crimen coram Cardinalibus confiteretur hac via illum produxit ad suam culpam publicè detegendam: cui publice confitenti Pontifex dixit, *Ex tua confessione te condemno, & publice depono.* Quod dictum Archidiaconus valde commendat.

232 *Non licet reum fallere.*

Non licet iudici reu mfallere, & confessio sic extorta est ipso iure nulla: vnde sententia lata ex vi illius confessionis irrita est, & iudex tenetur omnia damna restituere? Quia confessio illa est per iniuriam extorta: Ergò contra ius, & per consequens est nulla, nec vllos potest iudicos effectus habere. Ita Ant. Gomez *to.3.variar.c.12.n.6. Ad leges Tauri, l.1.fol.6.n.4.* Imola *cons.* 106. Paris. de Puteo *tr syndic fol.293.* Hyspolit. de Marsil. *l.1.§. Quæstioni fidem, ff. de quæstionib.col.2.nu.12.* Lcs. *l.2.c.29.n.173.* Malder. *in præsenti, tr.6.c.1.dub.25.* Sanch. *l.6.consil.c.3.dub.35.*

233 *Quæstioni respondeo.*

Ego autem sic quæstioni respondeo. Nunquam licet proximum mendaciis, decipere, etiam ad bonum finem. Quia mendacium est intrinsecè malum: ideoque nunquam licebit iudici, ad detegenda, ac punienda delicta, quãtumuis communitati noxia, mendaciis, seu fictis veniæ promissionibus confessionẽ à reo extorquere. Porrò quãdo constat, reũ legitimè interrogatum, iniuste abnegare delictum à se perpetratum, non credo illicitum fore, amphibologia aliqua, vel æquiuocatione eũ decipere, vt aperiat veritatem, iudex enim habet ius illam extorquendi: Ergo si cum eam potest extorquere per vim tormentorum, cur non per dolum poterit, dummodo sit dolus iustus, & sine mendaciis. Et in hoc sensu secundam sententiam admitto.

DVBIVM

DVBIVM LII.

Peccatne Iudex, qui informationem sibi traditam ab vno litigante dat alteri parti videndam ob amicitiam?

234 *Peccat quidem.* PEccat quidem. Quia ideſt contra fidelitatem debitam illi, à quo vel explicitè, vel implicitè rogatur Iudex ſeruare, & occultare eam informationem. Sic nonnulli, nec improbabiliter.

235 *Non peccat.* Minimè peccat, per ſe loquendo. Quia Iudex vt poſſit rectè iudicare, non ſolùm debet vnius partis rationes videre, & alterius fundamenta percipere: Sed etiam quonammodo vtriuſque rationes queant diſſolui: Ad hoc autem iudicium formandum, non parum conducit audire, quid pars aduerſa reſpondeat huius informationi: Ergo vtitur iure ſuo, informationem parti contrariæ manifeſtando. Ita aliqui viri docti, quos tacito nomine memorat Card. de Lugo *to. 2. de iuſt. d. 37. n. 183.* & ipſe idem defendit.

236 *Auctoris reſolutio.* Aptè pro hac ſententia additum fuit illud: *Per ſe loquendo.* Quia aliquando per accidens poterit Iudex peccare, vt ſi vni parti referet alterius informationem, alterius, & non è contra: videtur enim eſſe aliqua in æqualitas, & perſonarum acceptio contra æquitatem, quam Iudex debet aſſernare. Per ſe autem loquendo, verùm omnino ſecundam ſententiam eſſe cenſeo.

DVBIVM LIII.

An famuli Iudicum, vel auditorum delinquant, qui occultè accipiunt, vel tranſcribunt informationem datam Iudici vel auditori, vt eam parti contrariæ tradant pro pecunia?

237 *Delinquũt quidem.* DElinquunt equidem. Quia tenentur ex iuſtitia Iudices ſeruare ſecretum, quod ſibi commiſſum eſt: igitur famuli cooperantes, vt huiuſmodi ſecretum referetur graui plerumque illius partis iniuriâ procul dubio delinquunt. Sic Sanch. *l. 3. conſil. c. vni. dub. 44. n. 5.*

238 *Non delinquunt.* Re ſecundum ſe ſpectatâ, & aliis circumſtantiis excluſis, quæ interuenire poſſunt: peccatum non eſt. Quia minor in famulo quam in Iudice ineſt obligatio. Ita aliqui apud Lugo *to. 2 de iuſt. d. 37. n. 185.*

239 *Prima ſententiæ adhæreo.* Ego quidem cum eminentis. Cardinali famulis hanc ſententiam concedi non poſſe exiſtimarim. Quia eodem ſecreto obligantur, & litigantes ſunt graviter, & rationabiliter inuicti. Vnde à fortiori, ne vnus litigans poteſt alterius informationem ſine graui iniuria furari.

CAPVT IX.

Circa Accuſatoris, ac Denunciatoris obligationes?

DVBIVM LIV.

Hæredes hominis occiſi teneanturne homicidam accuſare?

240 *Nonnulla de accuſatore præmitto.* PRæmitto de facto nunc non eſſe obligationem, regulariter loquendo, accuſandi accuſatione proprie dicta. Quia iis omnibus, quæ ex omiſſione accuſationis teneri poſſunt, ſatis opportunè prouidetur denunciando iudicialiter delinquentẽ. Igitur non eſt, cur aliquis ſibi aſſumat accuſatoris onera, quæ ſunt multa, & grauia propter periculum deficiendi in probatione ex defectu vel malitia teſtium, & propter odium, inimicitias, expenſas, & ſimilia. Loquendo itaque in genere, & ex natura rei regula generalis eſt, eſſe obligationem accuſandi, vel denunciandi crimen Reipublicæ pernitioſum, quod legitimè probari poterit, ſi alia via damnum publicum impediri non poteſt. D. Tho. *2. 2. q. 68.* Caiet. *ibi.* Sotus *l. 5 de iuſt. q. 5.* Sylu. *v. Accuſatio, q. 2.* Armil. *ibi*, §. *6.* & alij. Ratio eſt, quia pars tenetur cum proprio detrimento totius incolumitati proſpicere. Verùm aliqui ſunt, qui ex officio tenentur certa delicta accuſare, vel iudicialiter denunciare, vel ex pacto, vel ex promiſſione, vt fiſcales, cuſtodes, vigiles, & alij ſimiles. Si tamen poſſint aliter commune damnum impedire, aut illius, cui ſe obligarunt, non tenebuntur accuſare vel denunciare. Quia in tantum tenentur, in quantum neceſſarium fuerit ad commune, vel priuatum bonum procurandum. Quæſierim verò, an hæredes occiſi teneantur accuſare homicidam ſub pœna amittendæ hæreditatis?

241 *Accuſare tenentur.* Tenentur equidem. Quia dum accuſationem omittunt, videntur maxima in occaſum, à quo hæreditatem accepere, ingratitudine digna eiuſmodi pœna laborare. Sic Bart. *ad leg. In eum. ff. de accuſat. & ad l. cum furem, C. de his, quibus vt indignis.* Nau. *Cap. Inter verba, 1. q. 3. n. 168.* Vbi tamen impugnat eundem Bartolum, quòd in caſu homicidij dixit poſſe Iudicem compellere partem, ad accuſandum.

242 *Non tenetur.* Minimè tenetur. Quia lex Chriſti Domini nihil tale præcipit, nec Chriſtiani Principes eiuſmodi præcipient accuſationem. Ita Mald. *2. 2. tr. 6. c. 2 dub. 2.*

243 *Hoc dicendum.* Hoc mihi longè probabilius. Nam illa gratitudinis ſæculoris manifeſtatio non aptè cum Chriſtiana tolerantia componeretur.

E. SCOBAR. Theol. Mor. Tom. VI. VII. F. I. C.

DVBIVM LIV.

Promisit Antonius sub iuramento Petro delinquenti, eum non accusare, vel denunciare; potestne eum accusare, vel denunciare, non obstante iuramento.

244 *Status quæstionis.* CErtum mihi, in omnibus casibus, in quibus secluſa illa promiſſione, tenetur quis accuſare, vel denunciare non obligare illam promiſſionem, vel iuramentum. Quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, vel poteſt obligare ad peccatum. Quæſierim autem, an ſi ſecluſa promiſſione, & iuramento, melius eſſet denunciare, aut accuſare, quamuis non eſſet debitum ſub peccato, poſſit quis denunciare, vel accuſare, non obſtante iuramento?

245 *Non poteſt.* Minimè poteſt, quia licet in hoc caſu iuramentum non ſit vinculum iniquitatis, eſt tamen impedimentum, ne fiat quod melius eſt. Sic Sanchez *l. 6. conſ. c. 1. dub. 29. n. tertio* citans aliquos.

246 *Poteſt equidem.* Poteſt equidem. Quia hoc in caſu omiſſio denunciationis, vel accuſationis non eſt mala (vt ſupponimus) ſed indifferens: aliunde autem cedit in vtilitatem eius, cui facta eſt promiſſio: Ergo promiſſio, & iuramentum obligat, ita Malder. *2. 2. tr. 6. cap. 2. dub. 2. fine.*

247 *Hanc ſententiam defendo.* Hanc ſententiam defendo. Nam alioquin non obligaret promiſſio Matrimonij etiam iurata; quia eſt de re aliqua contraria virginitatis conſilio. Moneo tamen huiuſmodi iuramenta licita non eſſe, antequam crimen committatur, quia fouerent delinquentes, & materiam delinquendi præſtarent.

DVBIVM LV.

Appartiores, & Tabelliones, qui vt habeant occaſionem lucrandi, accuſant vel denunciant in iudicio peccatum occultum, peccantne graviter cum obligatione reſtituendi?

248 *Quæſtionis ſtatus.* ASſolent Apparitores, vel Tabelliones ſæpe aliquod crimen deferre ad iudices aut accuſando, aut indicialiter denunciando, vt lucro exhibeant occaſionem. Requiro, num graviter delinquant cum reſtituendi obligatione, ſi accuſent, vel denuncient peccatum occultum, quod tamen probari poteſt, ſaltem ſi delinquens erat emendatus, vel aderat emendæ ſpes, & aliunde nullum Reipublicæ aut alij tertio ex eo quod non accuſetur, vel denuncietur ſequitur damnum?

249 *Peccant graviter.* Peccant ſane & ad reſtituenda damna tenentur, quia ſi crimen occultum emendatum nó ſit, debet fraterna adhiberi correctio: ſi iam delinquens eſt emendatus, videtur accuſatio, vel denunciatio non tam zelo iuſtitiæ, aut pietatis, quam anaritiæ affectu exeri. Sic Sotus *l. 5. de iuſt. q. 5. a. 1.* & *q. 6. artic. 2.* & alij Recentiores.

250 *Non peccat graviter.* Nec peccant graviter, nec reſtituendi habét obligationem, quia via punitionis diuerſa eſt, & independens à correctionis fraternæ via. Hæc enim ſolummodo intendit ad bonum delinquentis: illa vero ad communitatis bonum, cui ſemper eſt vtiliſſima punitio delictorum, ne in Republica inualeſcant, & vt cæteri terreantur, ita Mercado, *de Contrat. l. 6. c. 9. fol. 152.* & alij.

251 *Hoc longè veriùs.* Hoc longè probabilius eſſe non dubito. Nam vſus id probat; quotidie namque fiunt eiuſmodi accuſationes, ſine punctione ſcrupuli, videntibus, nec contradicentibus Prælatis. Porrò bonum illud commune poteſt intendere ſemper denunciator, vel accuſator: & licet obiter ſuum priuatum emolumentum intendat, non ideo delinquet.

DVBIVM LVI.

Accuſator in cauſa criminali, ſi accuſatio eſt iuſta, poteſtne ab ea deſiſtere?

252 *Nonnulla ſuppono.* IN ciuilibus certum eſt deſiſtere poſſe ſi in his accuſator de ſuo proprio intereſſe agit. Et quando in cauſæ ciuilis vel criminalis proſecutione agnoſcit iniuſtitiam cauſæ ſuæ, vel accuſati innocentiam, non ſolum poſſe, ſed teneri deſiſtere. Quando vero iuſta eſt accuſatio criminalis, quæſierim, an ab ea poſſit accuſator deſiſtere?

253 *Non poteſt deſiſtere.* Minimè poteſt, quia id cederet in Reipublicæ damnum, cuius intereſt puniri delicta, quæ probari queunt; & per conſequens peccat is, qui pretio accepto deſiſtit, & qui pretium id offert, vt deſiſtat, vel qui pro libito gratis ab accuſatione recedit. Sic Armil Tabie. D. Antonin. & alij, quos refert Sanch. *l. 6. conſil. c. 1. dub. 1. n. 1. & 2.*

254 *Deſiſtere poteſt.* Poteſt omnino licitè gratis, vel etiam pretio accepto deſiſtere quoties accuſare non tenebatur, quia cum accuſatio non ſit ex obligatione, vel ex neceſſitate: nec etiam proſecutio ex obligatione erit, ita Sotus *l. 5. de iuſtit. q. 5. a. 3. ad. 3.* & *l. de ſigil. memb. 2. q. 5. concluſ. 5.* Sanchez *vbi ſupra dub. 1. n. 4.* Sayr. *in clauſ. l. 12. fine* Fagund. *citandus.*

255 *Hæc veriora mihi ſententia.* Hanc ſententiam veriorem eſſe reor. Si tamen ex iuſtitia quis tenebatur deſiſtere, alſero, pretium accipere non poſſe, vt deſiſtat. Quia venderet quod ex iuſtitia dare tenebatur. Requiritur etiam indicis licentia ad deſiſtendum ab inchoata accuſatione in criminalibus, quia iam accuſator obligationem contraxit probandi delictum, vel pœnam inbeundi: à qua obligatione nequit propria authoritate liberari Fagund. *prac 8. c. 47. n. 14.*

DVBIVM

DVBIVM LVII.

Clericus ob acceptam iniuriam in causa sanguinis possuntne propriè accusatoris personam gerere?

256 *De iis, qui accusare possunt nonnulla suppono.*

PRæmitto quempiam posse pro iniuria propria accusare: reputarique quoad hoc iniuriam propriam, quæ ad ipsum, vel ad suos pertinet *leg. Hi tamen omnes, ff. de accusat. & leg. De crimine, C. Qui accusare non possunt.* Vnde coniux potest pro iniuria coniugis delinquentem accusare. Anton. Gomez *libro tertio variarum capit. prim. numer.* 32. Nomine autem *Suorum* aliqui intelligũt consanguineos vsque ad secundum gradum. Alij vsque ad decimum in linea recta, & vsque ad Septimum in transuersa. Alij vsque ad sextum. Alij verius vsque ad quartum gradum. Fnudamenta, & Auctores lege apud Fagundez *prec. 8. Decalog. cap. 48. numero* 10. Clericus vero non potest suorum prosequi iniurias, sed suas solum in causa sanguinis, quia id solum ei conceditur in *Cap. fecund. de homicidio*, protestatione facta, quod ad vindictam, vel pœnam sanguinis non conqueratur. Quæsierim vero num tunc propriè valeat accusatoris personam agere?

257 *Non potest accusatorẽ agere.*

Non potest accusatorem gerere; sed solùm denunciatorem, quia de decet Sacrum Ministrum accusare: subolet namque vel accusatoris nomen vindictæ affectum. Sic Sanchez *lib. sexto consil. capite prim. dubio* 30. *numer.* 3.

258 *Potest quidem.*

Potest quidem, quia non apparet ad hunc effectum differentia inter accusatorem, & denunciatorem, si illa protestatio fiat: & textus in *Capite fecund. de homicidio generaliter* loquitur; ait enim: *Querelam de suis malefactoribus deponentes, petunt emendam sibi fieri, & prouideri, nè contra eos talia de cetero præsumantur.* Ita Fagundez, *vbi supra numer.* 11. *&* 12. *accusationis* nomine simpliciter vtens.

259 *Auctoris resolutio.*

Ego autem Sancio adhæreo cum maiori proprietate loquuto. Nam accusator defert crimen Iudici ad vindictam, & pœnam, Clericus autem non propriè accusat in eiusmodi causis, cum debeat expressam facere protestationem, vt constat ex dicto *Cap. secund. Quoad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt.* Quod idem constat ex verbis præcedentibus, quibus est de Clericis sermo. *Qui de suis malefactoribus querelã pœnes secularem Iudicem deponentes, petãt emendã sibi fieri, & prouideri, ne eos talia de cetero præsumantur.* Non ergo conqueruntur ad vindictam & pœnam, instar accusatorum, sed ad remedium propter securitatem propriam; quod non est propriè accusare, sed implorare iudicis officium.

DVBIVM LVIII.

Quando Clericus denunciat delictum pœna sanguinis dignum cum protestatione, si sequatur sanguinis pœna, ideone ab irregularitate excusatur, quod possit Clericus causam proximi prosequi, sicut suam potest?

260 *Præmitto nonnulla circa denũciationẽ, & triplicẽ admitto.*

PRæmitto triplicem esse denunciationem. Prima est Euangelica, seu Christiana, qua denunciator intendit solum bonum fratris denunciati, & ideo recurrit ad Prælatvt, ad patrem, vt subdito consulat. De qua non loquimur; quia non pertinet ad forense iudicium. Secunda est denunciatio Canonica, qua denuncians ad superiorem recurrit, vel ad iudicem, non vt puniat, nec intendens vindictam; sed vt ipse pro munere suo damnum commune ex delicto imminens impediat, vel alicuius priuati. Tertia est denunciatio propriè iudicialis, qua defertur crimen iudici, vt ipse suo munere puniat delinquentem, quem tamen denuncians non vult accusare, nec id facere causam suam, sed id totum relinquit iudici curæ, vt ipse suo muneri satisfaciat. Hoc suppositio, affirmo, ferè nunquam esse priuatis obligationem denunciandi iudicialiter. Quilibet enim suæ obligationi satisfacit, facta denunciatione Canonica, qua notitiam dat iudici, & eius prudentiæ committit, quid fieri oporteat. Officiales tamen, quibus ex officio incumbit procurare, vt delicta puniantur, tenentur iudicialiter denunciare: vt Fiscales, Custodes, Syndici & alij ad hoc munus deputati. Cæteri vero tunc solum tenentur ex se Canonicè denunciare, quando id necessarium est ad publicum damnum, vel alicuius innocentis impedimentum, quod aliter vitari non possit, & sine magno suo damno proportionato taliter denunciando possunt impedire. Ad quod non tenentur ex iustitia, vt patet, sed solùm ex omissione denunciationis debitæ nulla restituendi manet obligatio. Sanchez *lib. 6. consil capite secundo dub.* 9. Clerici autem tenentur ad denunciationẽ Canonicam, quando delictum dignum est pœna sanguinis, si aliter malum cõmune, vel priuati impendens impediri non valet: facta tamen protestatione debita, quod non intendunt vindictam, aut pœnam, sed solum quod damnum imminens impediatur, quia cum hæc obligatio sit iuris naturæ non potuit iure positiuo impediri. Sanchez *lib sexto consil. c. secund. dub.* 10. citans Caietanum, Nauarrum, Sotum, & Nauarra. Addit Sanchez non incurri tunc irregularitatem, licet pœna sanguinis sequatur. Quæsierim vero cur irregularitas in hoc casu non incurratur?

261 *Non incurritur ob eã*

Non incurritur, quia sicut Clericus potest prosequi suam causam, ita & causam proximorum. Sic Sanch. *vbi suprà.*

Non

rationem.

262 *Ob eam rationem non incurritur.*

. Non ob eam rationem clericus ab irregularitate liberatur. Quia in causa propria potest Clericus denunciare, etiam cum non tenetur, & quando non est necessaria denunciatio ad vitandum proprium damnum; hanc enim necessitatem iura non exigunt. Denunciatio autem, de qua in præsenti loquimur, tunc solum licita est clerico in causa sanguinis, quando aliter malo imminenti obuiari non potest. Ergo ratio à P. Sancio adducta non satisfacit. Ita Card. de Lugo *to.2. de iust.d.38.n.16.*

263 *Vndenam non incurratur, expono.*

Idem censeo, addens rationem, cur Clericus in hoc casu irregularitatem non incurrit, esse: Quia irregularitas non est imposita pro eo casu, quo ius naturæ obligat sub peccato Clericum ad denunciationem faciendam.

DVBIVM LIX.

In delictis, quæ adhuc sunt in fieri, vel conseruari contra bonum commune, vel priuatum, teneturne quis, ex vi edictorum denunciare, quando non potest in iudicio probare illud delictum?

264 *Nonnulla præmitto.*

DVbium hoc non habet locum, quando damnum commune tale est, vt etiam non stantibus edictis, ego teneat omnibus viis illud impedire. Tunc enim certũ est, quod etiamsi probare illud non possim, debeam tamen facere id, quod possim ad tantum periculum impediendum. Præterea certum existimo, non teneri aliquem accusare accusatione propriè dicta, quando probare non potest. Quia accusator suscipit in se onus probandi. Quæstio igitur est, an teneatur saltem ex Edictorum vi denunciare iudicialiter?

265 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia denunciatio iudicialis ordinatur ad punitionem, delictum autem, quod non potest probari, nequit puniri: ergo non est, cur sit iudicialiter denunciandum, nisi ad diffamandum sine vllo fructu proximum. Sic Sylvest. *v. Correctio, §.7 & v. excommunicatio, §.8.* Cum Angelo, & Rosella. Nauar. *sum. cap. 17.n.134.* Sotus *de sigillo, memb. 2. quæst.4 concl.2.* Cajet. *2.2. quæst. 64. art.1.* Beja *casu 104.* & alij, quos refert, ac sequitur Auila *de censur. p.2.c.5. dub.3. concl.4.* Suar. *de cens. d.20 sect.3.n.11.*

266 *Tenetur omnino.*

Tenetur omninò. Quia in Prælatis est potestas præcipiendi in aliquo graui casu denunciationem, seu manifestationem delicti, etiamsi probari non possit. Si quis enim sciat (secluso omni præcepto) aliquem agere de tradendo Principe hostibus, vel de prodendo Rempublicam, licet hoc probare nequeat, quis neget teneri eum delinquẽtem manifestare propter commune bonum. possunt ergo esse alij casus, in quibus, licet secluso Prælati præcepto, non esset fortasse tanta obligatio denunciandi: possit tamen prelatus propter rei grauitatem imponere præceptum denunciandi, quod probari non possit. Nam huiusmodi grauitas non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem, & possit aliquando esse tanta rei grauitas, vt sine præcepto iudicis tenearis: aliquando talis, vt Prælatus non possit id præcipere, aliquando vero talis, vt possit illud præcipere, licet alioquin non teneteris. Quando autem sit grauitas rei tanta, vel tanta, iudicandum est ex peccato, circumstantiis, ex damnoque, quod per ipsum inferri valeat communitati, vel Reipublicæ, illud enim damnum comparandum est cum damno, quod sequitur ex eo, quod iudex possit obligare subditos ad manifestanda peccata secreta, & quæ probari non possunt: Quando enim maius est detrimentum ex hac licentia, quam quod sequitur ex occultatione illius criminis, non censebitur iudex illam habere potestatem. Quando autem peccatum sit tale, vt ex eius occultatione multo maius damnum patiatur Respublica, quam ex illa iudicis potestate: tunc censebitur iudex, posse id præcipere. Hoc vero iudicium in particulari pendet ex multis circumstantiis, quarum consideratio arbitrio prudentis in ordine ad casus particulares relinquenda. Ita Eminentiss. Card. de Lugo *tom. secund. de iust. d. 38. num. 25.*

267 *Hanc defendo sententiam.*

Et adhæreo lubens quidem, & id videtur ipse Sylvester fateri, *v. excommunicatio 2.§.8.* vbi dicit, quod si iudex præcipiat sub excommunicatione, vt sibi denuncietur in iudicio peccatum, etiamsi denunciator illud probare non possit, non continere hoc præceptum intolerabilem errorem, quia semper intelligitur, saluo ordine Euangelico, & vtilis est denunciatio, vt ex ea habeatur plenior notitia, & procedat ad specialem inquisitionem, contrà reum, & ad quæstionem, id est ad torturam. Vnde si subditus non paret præcepto: incurrit excommunicationem. Sic ille. Loquendo ergo de possibili, non videtur negandum, hac potestate iudicem in aliquo casu graui potiri. Et probat communis vsus, sæpe hanc potestatem actu exerceri, præsertim in Tribunali S. Inquisitionis, Vbi non est dubium, quin denunciare iubeantur ij etiam, qui plene probare non possint. Quod in peccato Sacerdotis solicitandis ad res turpes in confessione est manifestum, iubetur enim pœnitens denunciare, vt constat ex Bullis Pontificiis Pij IV. & Gregorij XV. Pœnitens autem cum sit vnicus testis, probare non potest. Ergò non fertur præceptum denunciandi in eos solum, qui probare possunt.

DVBIVM LX.

Filium teneturne, patrem hæreticum denunciare?

268 *Nonnulla suppono.*

IN illo genere edictorum, quæ sub excommunicatione præcipiunt delicta denunciari, certum existimo regulariter consanguineos intra quartum gradum excusari: Quia propter magnam illã coniunctionem videntur, contra se ipsos agere denunciationem. Hoc tamen non habere locum in crimine hæresis, in quo nemo

nemo excusatur ob maximum nocumentum publicum, quod affert. Et eandem limitationem adhibendam etiam esse in aliis delictis, quæ vergunt in magnum Reipublicæ nocumentum: tenebuntur enim tunc consanguinei magis vel minus propinqui secundum proportionem maioris nocumenti, quod ex tali delicto sequi potest. Hinc pendet quæstio, an pater teneatur filium hæreticum denunciare? Communiter fatentur Doctores apud Sanctum *l.6.consil.c.2.dub.19.numer.3.* teneri & colligi videtur ex *Deuter. 13.* vbi iubetur pater denunciare filium colentem idola. Num autem etiam filius teneatur patrem hæreticum denunciare requiro.

269 *Non tenetur filius patrem denunciare.*

Non tenetur, quia non videtur tam durum onus filio imponendum, cui ex delatione patris magnum damnum semper sequitur. Sic Aiens. Viguer. Palac. Henriquez Simanc. Didacus Perez, & alij apud Sanctum *lib. 6. consil.c.2.dub19.n.9.*

270 *Tenetur quidem.*

Tenetur quidem, quia idem inconueniés sequitur, (imò grauius) ex delicto parentis hæretici, quam ex delicto filij. Ergò debet filius patris hæresim, sicut pater tenetur filij peccatum denunciare. Ita Caietan. Castro, Nauar. & alij, quos affert Sanchez *citatus* Suarius *d.20.de fide, sect. 4. n.21.* Azorius Comitol. Sanctarel. Bonac. Portel. Ludouic. Lopez, & alij, quos citat & sequitur Diana *p.1.tr.de denunc. resol.4.*

271 *Primæ sententia, limitatione adhibita, adhæreo.*

Primam sententiam defendo, eam tamen limitans, sicut ipsius Auctores, quos citaui, & Roias, Riccius, & Ioan. Valerus (apud eundem Dianam) limitarunt. Videlicet, tunc filium obligatum esse denunciare patrem hæreticum quando non est probabile alios denunciaturos esse, & hæresis perniciosa est Reipublicæ, eo quod pater alios pertertit. Alias non videtur hac filium obligatione teneri, ob magna incommoda, quæ ei ob huiusmodi denunciationem assolent euenire.

DVBIVM LXI.

Illi, quibus aliquod delictum dictum est petendi consilij, vel remedij causa: excusanturne à denunciando ex vi edicti, etiamsi delictum in alicuius damnum non vergat?

272 *Quæstionis status.*

CErtum est, eos, quibus delictum reseratum est in confessione Sacramentali, nunquam id denunciare posse. Quæstio autem est, an excusentur à denunciando illi, quibus dictum est petendi consilij, vel remedij causa?

273 *Regulariter excusantur.*

Regulariter ij, nempe Aduocati, Medicus obstetrix, Theologus & alij similes excusantur, quia hoc secretum oportet asseruari ad vitæ humanæ commercium. Dixi *Regulariter.* Quia quando ex occultatione sequeretur damnum Reipublicæ, vel alicuius tertij, quod sua culpa vult inferre ille damnificator iniustus non tenemur, nec possumus ei fidem seruare, dum ipse cessare non vult à damno inferendo. Sic Molina *tom. 6.de iust.d.5.n.6.* & alij.

274 *Non excusantur.*

Non excusantur, etiamsi delictum in alicuius damnum non vergat, quia maius bonum est, quod delicta grauia puniantur ad aliorum terrorem, quam quod secretum illud in consulentium solatium obseruetur. Ita Sotus *l. de secreto, memb.2.q.7.concl.4 & l.5. de iust.q.7.artic.1.ad 1.* & alij, quos refert Sanchez *l.6.consil.cap.secund.dub.20.n.3.*

275 *Reiicio Sotum.*

Merito hanc sententiam P. Sancius, pluribus adductis impugnant *ibi.* & Fagundez *præc.8.cap.51.num.7. & cap.52.n.14.* Quia maius bonum proculdubio est, quod miseris via consultandi homines doctos, ac probos ad spiritualis miseriæ remedium, non præcludatur, quam quod delicta tali modo cognita non vindicentur; dum tamen (vti vidimus) ad vitandum malum adhuc imminens ex culpa committentis secretum, & cessare nolentis reuelare possit. Vnde impedimentum etiam occultum matrimonij sub secreto cognitum posset eo casu ad illud impediendum reuelari.

DVBIVM LXII.

Quando edictum obligans ad manifestandum vel denunciandum delictum, fundatur in præsumptione; & quis scit præsumptionem in eo casu deficere: teneturne denunciare?

276 *Non tenetur.*

MInimè tenetur, quia Sixti V. bulla in eâ præsuptione fundatur. Ergò si ille certo scit, præsumptionem non subsistere, liber erit à denunciandi obligatione. Aliud esset, si dubiũ adesset circa præsuptionẽ: tunc enim ille denunciationẽ agere teneretur. Sic Riccius, Ioan. Valerus quos affert Diana *p.1.tr.de denunciat.resol.10.* Loquũtur verò hi Auctores de Chiromanticis, Necromanticis: asserentes denunciandos non esse ab eo, qui certò scit, eos nullum pactum cum dœmone habere.

277 *Tenetur omnino.*

Tenetur omnino eo etiam in casu denunciare. Quia iudicium circa suspicionem, vel præsumptionem illam non pertinet ad denũciantem, sed ad iudicem. Ita Diana *citatus* citans Freitas.

278 *Distinctione vtor.*

Ego autem distinxerim cum Cardinali de Lugo *tom.2.de iust.d.38.numer.42.* Si enim mihi non soleũ constat non esse pactum cum dœmone, sed neque adesse peccatum, denunciare non teneor, quia solum est denunciandi delictum obligatio: Si ergò mihi constat non adesse delictum, cessat obligatio ex vi edicti: licet aliunde propter damnum imminés posset obligatio ob remedium manere. Si verò est delictum, non excusor ex defectu pacti cum dœmone, quia illud Edictum non ponitur solùm, quando adest pactum, sed semper; quia semper de se est tale, vt ad huiusmodi pactum aptum existat: & de se illud habeat, licèt à delinquente ignoretur. Sicut etiam est obligatio denunciandi Confessarium solicitantem, licet mihi cõstet, illum

illum non esse in fide suspectum. Quia delictum est adeò graue, vt ex se possit huiusmodi suspicionem inferre: & hæc delicti grauitas, quam ex obiecto habet, semper reperitur.

DVBIVM LXIII.

Prælati in huiusmodi Edictis debentne ea limitare, vt denuncientur ij, qui possunt, (v.gr.) & debent, nolunt tamen restituere?

279 *Debet quidem.* DEbent quidem, quia alioquin datur ignorantibus occasio errandi, & denunciandi eos, quos denunciare non deberent. Sic Sotus citatus à Sanch. *l. 6. consil. c. secund. dub. 26. num. 1.*

Non debet. Non debent, quia Prælatus iure suo vtitur, cum eius verba debeant provt de iure intelligi. Ita Nauarrus, Caietanus, Bañes, quos affert ac sequitur Sanch. *ibid. n. 2.*

280 *Hoc teneo.* Profectò contra primam sententiam militat contraria omnium Prælatorum consuetudo, quam licitam esse, Doctores pro secunda adducti testantur. Porrò si ex ignorantia subditus Edictum non intelligat, sibi imputet, cum doctum virum circa obligationis sensum consulere potuisset.

CAPVT X.

Circa Testium obligationes.

DVBIVM LXIV.

Si quis tenebatur aliquem proximo inferentem iniuriam accusare, teneorne me testem in illius auxilium delicti denunciati conscius offerre, ne ob defectum probationis patiatur accusator?

281 *Nonnulla suppono.* SVPPONIMVS, nullum teneri ex iustitia propria sponte se ad testificandum offerre: vnde ex omissione testificationis ad restitutionem non teneri parti læsæ pro damnis. Disquirendum autem an ex charitate saltem, vel ex alia virtute adsit obligatio? Et quidem pro punitione iusta delinquentis nemo tenetur se offerre ad testificandum, quia ex eo quod delinquens non puniatur, patuum, aut nullum sequitur proximo, vel Reipublicæ nocumentum. Sed quid si accusatori ex defectu probationis graue damnum immineat? Si sponte, quando non tenebatur, accusauit, sibi imputet, qui nullo cogente, tali se periculo exposuit. Sic communiter Doctores respondent. Quæsierim verò, si ille non sponte accusatorem egit, sed accusare tenebatur, teneorne me testem in illius auxilium delicti denunciati conscius offerre, si video testimonium meum esse necessarium ne in probatione deficiens, graue damnum incurrat?

282 *Teneris equidem.* Teneris equidem, quia ille, qui ex obligatione accusauit, præuidit id necessarium esse ad obuiandum malo in futurum pendenti: Tunc enim solum est obligatio accusandi: Ergò etiam testificatio erit debita ob eundem finem. Sic Nauar. *sum. c. 25. num. 47.* Lessius *l. 2. c. 30. dub. 6. numer. 44. & dub. 8. num. 56.* Sanch. *l. 6. consil. cap. 5. dub. 1. numer. 4. dub. 1. numer. 4.*

283 *Non teneris.* Non teneris, quia potuit aliquis ex officio sibi imposito obligari ad accusandum, etiamsi non immineret malum in futurum, & ipse bona fide putauit, delictum probari posse, quia erant duo testes: vndè si alter tertius non se offerat deficiet accusator, negante vno ex illis duobus. Ita Lugo *tom. 2. de iust. d. 39. n. 2.*

284 *Auctoris resolutio.* Profectò valde dubito de primæ sententiæ veritate, quando reus non est causa iniusta illius damni, quod accusator patietur ex defectu probationis. Tunc enim cur teneat ego ex charitate impedire damnum accusatoris impedire cum æquali, vel maiori ipsius rei accusati damno? Vnde meo sapientissimo Cardinali adhæreo.

DVBIVM LXV.

Estne grauis obligatio ex charitate te offerendi in testem etiamsi proximus indigens testimonio tuo extrema necessitate non laboret?

285 *Non est grauis obligatio.* IN casibus *dub. 64.* indicatis non est graue peccatum te ad testificandum non offerre, quando proximus in extrema necessitate non adest: v.gr. quando ob omissionem testimonij tui, non sit amissurus vitam, vel ea, sine quibus sua, vel suorum vita peribit, quia cum hæc sit obligatio charitatis, & charitas non obliget ad subueniendum proximo in quauis necessitate: extra extremam non teneberis. Sic aliquis, cuius tacito nomine sententiam refert Sanchez *lib. 6. ext. consil. capite quint. dub. secund. numer. 1.*

286 *Grauis obligatio est.* Graue peccatum est, licet proximus extrema necessitate non afficiatur, quia licet non teneamur de nostro subuenire proximo in quauis necessitate, sed cum limitatione: nam subuentio nostra esset cum graui damno nostro; regula tamen generalis est, vt charitas obliget grauiter ad subueniendum indigenti, quando sine graui nostro incommodo respectiuo possumus. Ita Sotus, Nauarrus, Cordubâ, quos refert, & sequitur Sanchez, *vbi suprà.*

287 *Idem asserimo.* Longè hoc probabilius esse indico. Quoties igitur sine graui tuo incommodo potes proximo tuo indigenti testimonio subuenire, ad

ad id teneris, cum tunc nō subuenias de tuo, nec graue damnum respectiuum incurras.

DVBIVM LXVI.

Quando testis negatiuè se habet celando vel non aperiendo veritatem, & ea de causa aliquis iniustè læditur ab aduersario: peccatne contra iustitiam cum onere restituendi?

288 *Nonnulla præmitto.*

CErtum est, peccare contra iustitiam, si scienter testimonium falsum positiuum contra aliquem siue in ciuilibus, siue in criminalibus profert: vt si dicat, vineam esse Ioānis, cum sit Antonij: vel Petrum delisquisse, cum non deliquerit: & consequenter in his casibus teneri ad restitutionem damnorum, quæ ex falso testimonio sequūtur. Quæstio nostra est, quādo testis negatiuè se habet celando, vel non aperiendo veritatem, & ea de causa aliquis iniustè læditur ab aduersario an tunc testis peccet non solum contra obedientiam vel charitatem, sed etiam contra iustitiam cum onere restituendi?

289 *Peccat contra iustitiā oneri restituendi noxius.*

Peccat contra iustitiam, & restituere tenetur, quia tenetur ex officio testis sibi impositō, sicut iudex tenetur ex officio pro veritate: vnde si veritatem, cuius conscius est non aperiat, delinquet contra iustitiam, & restituere damna tenebitur. Sic Sotus, Nauarrus, & alij apud Lessium *l. 2. c. 3. dub. 8. Sà v. Restitutio, num. 8. & 44.* & alij quos sequitur Malder. *in præsenti, tr. 6. c. 2 dub. 9.* Hinc inferunt multi, idem esse de teste, quem iudex vult citare, ille autem de industria se abscōdit ne possit illi iudicis intimari præceptum: vel saltē postquam citatus est, dolosè eludit citationem, ne comparet: vel postquam comparuit, ne interrogetur Sanchez *l. 6 consil. c. 3. dub. 3.*

290 *Non peccat contra iustitiam, nec debet restituere.*

Non peccat contra iustitiam commutatiuam, sed contra charitatem, contra obedientiam, vel contra iustitiam legalem, aut contra religionem iuramenti: atque ideò non contrahere restituendi debitum, quia non tenetur aliūde testari verū, nisi vel ex iuramenti religione, vel ex Iudicis præcepto: Ergo tacēdo veritatem non peccat contra aliam virtutem, ita Molina *to. 1. d. 83 & tom. 3. d. 700. n. 3.* Theophylus Raynaudus eruditione, & sapientia huius sæculi plane prodigium, *de monitorio p. 1. cap. 3. q. 24.* Lessius *vbi supra* dicit esse probabilem hanc sententiam, & videtur in eam inclinare, non tamen audet definire. Alij recentiores tenent.

291 *Primam sententiam communiorem secundam veriorem esse iudico.*

Existimo, primam sententiam communiorem quidem valde esse probabilem, secundam vero fortasse probabiliorem quam lubens defendo. Et quidem loquendo de teste, qui se abscondit, ne ei iudicis præceptum intimetur dixerim, illum præcepto nondum illigari. Quia præceptum non obligat quamdiu non intimatur. Quare ille nondum debebat ex officio dicere veritatem, sed solum quærebatur, vt ei officium imponeretur. Et hoc ipsum admitto in eo, cui iam legitimè intimata est iudicis citatio, & falso prætextu impedimentum apposuit, vt se excusaret. De illo autem, quæ à iudice interrogatur procedit ratio pro secunda sententia adducta. Demùm ratio illa pro sententia prima allegata, scilicet, teneri ex officio testis sibi impositō, sicut iudex ex iudicis officio tenetur proferre pro veritate sententiam non vrget. Quia iudex tenetur ex officio assumpto, & per consequens ex quasi contractu implicito in assumptione officij, testis verò qui non vult testis officium acceptare, solum peccat contra obedientiam non acceptando illud, non autem contra iustitiæ debitum ex assumpto ortum officio.

DVBIVM LXVII.

Quando non imminet graue damnum publicum, vel priuatum obligatne secretum tibi commissum, antecedente iudicis præcepto?

292 *Status quæstionis.*

NOn loquor de secreto ex confessione Sacramentali orto, quod in nullo casu licet reuelari: sed de aliis, quæ explicite vel implicitè alicui manifestantur secretis. Regula autem generalis est, testem posse de iis deponere, quando imminet graue damnum publicum, vel priuatum ex malitia alterius, ad quod arcendum testificatio sit necessaria, & hoc quidem etiamsi cum iuramento promissum esset secretum, quia iuramentum non obligat ad faciendum aliquid, quod secundum se est illicitum. Quæritur vero, num quando tale damnum non imminet, secretum obliget, non obstante iudicis præcepto?

293 *Non obligat.*

Non obligat, quia promissio illa obseruandi secretum in hoc casu, promissio de re illicita fuit, cum quis non possit promittere aliquid contra superioris præceptum. Sic aliqui apud Lessium *in præs. c. 30. dub. 6.*

294 *Obligat planè.*

Obligat quidem, quia licet præceptum superioris secundum se obliget, non tamen contra ius naturale secreti: cuius violatio procul dubio in magnam Reipublicæ perturbationem redundaret; nemo enim in suis dubiis auderet consilium petere, si sciret, consulentem teneri ad id iudici manifestandum. Ablato autem consilio, peccatores in desperationem facilè deuenirent. Ita Lessius *citatus* Molina *to. 5. de iust. d. 5.* & alij communiter.

295 *Hanc defendo sententiam.*

Hanc sententiam veram esse quis dubitet. Ex qua quidem excusantur Aduocati Procuratores, Medici, Chirurgi, obstetrices, ac similes personæ, quibus sub secreto explicito, vel implicito reuelantur delicta pro remedio, vel consilio obtinendo. Idem est de iis, quibus sub secreto delictum commissum manifestatur. Aliud verò de iis, qui delictum vel viderunt

derunt vel audierunt, & postea promittunt id non reuelaturos. Quia hæc promissio etiam iurata non obligat, iudice legitime interrogante, est enim de re illicita, id est, de non manifestando eo, quod extra secretum nouerant. Similiter non obligantur promissione secreti ij, qui sub secreto vocantur vt ipsi delicto committendo interfint. Quia ij non accipiunt delicti notitiam sub secreto, sed oculati testes adsunt nec possunt se obligare ad occultandum iudici, quod proprio visu percepere, vti Molina bene de more *supra n.* 8. adnotauit.

DVBIVM LXVIII.

Quando crimen est publicum, sed delinquens est occultus, testis debetne eum iudici manifestare ex inquisitione præcedenti?

296 *Debet quidem*

DEbet quidem, quia iudex iuridicè inquirit de auctore criminis publici, dum tamen non interroget de aliquo in particulari, non præcedente infamia: Ergò testis tenetur respondere. Sic Valerus, Aragon, Miranda apud Dianam *p. 2. tr. 2. resolut. 64.* Turrian. *in præsenti, d. 50. dub. 5. n. 5.* alios citans.

297 *Non debet.*

Non debet manifestare, quia testis solum tenetur ad id respondere, quod iure possit iudex interrogare. Iudex autem hic non potest de delinquente non infamato inquirere: Ergò nec testis debet eum manifestare. Ita Turrian. *citatus.* Lessi. Filliuc Nauar. Bonac. Salon. & alij apud Dianam *vbi suprà* Caiet. Sotus, Tabie. Sylueſt. Corduba, quos affert, ac sequitur Sanchez *l. 6. consil. c. 3. dub. 37.*

298 *Hoc commune, & verum.*

Commune hoc & verum, quod amplector, putans quidem, illam inquisitionem deseruire ad hoc, vt qui sint infamati, quos iudex ignorabat. Deseruit etiam in criminibus, quæ sunt in damnum commune, vel innocentis, vt etiam non infamati manifestentur.

DVBIVM LXIX.

Habet quis verum ius ad rem, ad hanc autem obtinendam, aliquam circumstantiam falsam probare oporteret, quam testis, quem inducere intendit, putat esse veram: Potestne eum ad testificandum inducere?

299 *Nonnulla præmitto.*

PRæmitto, te non posse inducere testem ad testificandum verum quidem, sed quod ipse ignorat, si testis nouum iudicium, & assensum de veritate rei non efformet, quia esset petere ab eo id, quod ipse sine peccato præstare non potest. Lege Petrum Hurtado de Mendoza propinquum ac Magistrum meum sapientissimum *de charit. d. 173. sect. 15. §. 200.* Addo, nec testem, nec inducentem eum, ad restitutionem teneri, postquam certò sciunt, testimonium fuisse verum. Quia re vera nullum damnum irrogarunt. Si autem testis iudicium mutet, & credat illud esse verum, ita vt notitia illa sufficiens esset ad testificandum, testari potest testimonium ferre; & hoc modo potest ad testificandum induci nimirum adducendo ei fundamenta, ac testimonia talia, vt ipse prudenter possit id credere, & testificari etiam cum iuramento. Difficilior autem est quæstio, an è contra possis inducere Ioannem ad testificandum in tui fauorem id, quod ipse credit esse verum, sed tu scis esse falsum. Et quidem certum est, non licere inducere aliquem ad testificandum falsum, quo testimonio ego obtineam rem non meam, licet testis meam esse existimet, quia hoc habet malitiam contra iustitiam, vt patet. Dubium itaque est, quando quis habet verum ius, ad hoc autem obtinendum oporteret probare aliquam circumstantiam falsam, quam testis censet esse veram: vt si habet verum ius ad domum Antonij, quam illi debet ex contractu, testis censet, deberi ei ex testamento: an possit eum inducere ad id testificandum?

300 *Non potest inducere.*

Minimè potest, quia licet ille falsum scienter non iuret, re tamen vera adducit Deum falsæ rei in testem: ille autem, qui inducit, iam ex se mouet, & hortatur ad hoc vt Deus afferatur in testem falsitatis illius, quod quidem intrinsecè malum videtur, & præ se fert contra authoritatem diuinam plane irreuerentiam, quam non solum est malum adducere in mendacij testem, sed etiam quod id fiat, procurare. Sic Basil. Pont. *l. 5. de matr. c. 18. §. 8. n. 59.* Suar *to. 2 de Relig. l. 2. c. 14. n. 8.* Sanchez *t. 1. Decal. l. 3. c. 8.* Azor. *t. 1. l. 11. c. 11. q. 2.* Vasq. *de restitut. capite. 8. dub. 1. n. 8.*

301 *Inducere potest.*

Potest equidem, quia qui testem ad illud asserendum inducit, nil illicitum petit, sed licitum, & sanctum, nempe iurare id, quod iurans credit esse verum, quod quidem pertinet ad Religionem: Ergo inductio illa non habet malitiam scandali, cum nulla detur testi occasio peccandi. Neque etiam habet malitiam contra Religionem cum potius Deus à teste iurante, quod credit verum esse, colatur. Ita Hurtado de Mendoza *de charit. d. 173. sect. 16. §. 199.* quem sequitur Diana *p. 2. tr. de scandalo, resolut. 14.*

302 *Hanc amplector, plectar sententiam.*

Hanc sententiam probabilem planè amplector. Nam testis in hoc casu putat verum esse quod iurat, nempe, se putare, rem ita esse; ideoque qui iramentum ei consuluit, non consuluit perjurium etiam materiale, sed iuramentum verum de scientia vel opinione, quam re vera habet.

DVBIVM

DVBIVM LXX.

Licet testi pro testimonio vero ferendo aliquid accipere?

303 *Nonnulla suppono.*

SVppono posse testem pro labore itineris, pro expensis, ac lucro cessante, vel damno emergente pretium accipere. Nauar. *sum. 25.n.148.* Couar. *regula peccatum, p.2. pun. 3.num.2.* Molina *tom.1 de iust.d.38.v.de teste.* Pro falso autem testimonio ferendo nihil posse licite à teste decipi, quia ordinatur ad finem intrinsece malum: vnde quod acceptum est debet ante testimonium præstitū restitui: ob regulam vero generalem quod accepta ob turpem causam non debent restitui post præstitum testimonium restitui non debent, quia iam præstitum est aliquid pretio æstimabile, pro quo licitum sit id pretium retinere. Quæstio autem est, num pro vero testimonio ferendo possit aliquid recipi.

304 *Potest quidem aliquid accipere.*

Potest quidem, quia recuperare ab Antonio, v.gr. bona, quæ sine illa testificatione Petro cederent, implicarique fortasse Petri inimicitia aliquid videtur esse pretio æstimabile. Sic nonnulli.

305 *Minime potest.*

Minime potest aliquid accipi, & quod acceptum est, debet restitui, quia testis ex iustitia tenetur verum dicere, sicut tenetur iudex rectam sententiam proferre. Ita communiter Doctores teste Molina *vbi supra.* & Lessio *l.2.c.14.num.65.*

306 *Hoc vnice esse crediderim.*

Hoc vnicè (vt credo) verem, quod conueniētius alio ex capite probo, quia illud verum testimonium secundum se non est pretio æstimabile: nam si præscindas à labore, ab itinere, & ab aliis, pro quibus potest pretium accipi, ipsa veritatis manifestatio laboriosa non est, nec digna pretio. Quod autem sit valde vtilis Antonio cui pro testimonio tuo cedit hæreditas non vrget, quia si mihi indigenti vasa quæ dares, non potes pro illo aureum exigere, cum res non sit digna pretio, licet mihi sit admodum vtilis.

DVBIVM LXXI.

Testis, qui per ignorantiam testificatus est bona fide falsum teneturne ex iustitia, sed solum ex charitate, suum testimonium retractare?

307 *Status quæstionis.*

TEnetur quidem testis si ex eius testimonio damnum sequatur alteri, & sperat fore vtilem retraxationem, eamque possit sine graui suo damno præstare. Sanch. *l.6.consil.c.5.dub.21.* ex communi. Quæsierim vero, an ad id teneatur ex iustitia, an ex charitate?

Ex charitate tenetur non ex iustitia, quia qui bona fide illud tulit testimonium minime iustitiā læsit, nō enim proximo intulit iniuriā Ergo agnoscens hunc materialem errorem solum tenebitur ex charitate illum corrigere. Sic Sanch. *citatus, n.4.* qui tamen *l.1.cons.c.3. dub.5.* admittit obligationem ex iustitia, quādo aliquis perseverat in officio, non autem postquam officium dimisit: tunc enim *solum tenetur* (ait) *ex charitate.*

308 *Ex charitate, non ex iustitia tenetur.*

Ex iustitia tenetur, quia qui detinet alienum, inuito domino, licet non deliquerit in acceptione, tenetur restituere, cum primum esse alienum agnoscit. Ergo similiter hic qui famam detinet alienam, vel testimonio illo causa fuit grauis proximo damni. Ita Lessi. partim in præsenti *c.30.dub.7.num.55.* partim *cap.11.dub.22.* Molina *tom.5.tr.4.d.40.num.2.* & 3. & alij communiter.

309 *Tenetur ex iustitia.*

Existimo probabilius admodum, obligationem esse ex iustitia: non tamen ratione adducta nitor; nam P. Lessij venia, exemptum adductum simile non videtur, quia ibi tenetur ille restituere ratione rei acceptæ, quæ manet in illius possessione: in præsenti vero diffamator nō tenetur ratione rei acceptæ, cū fama nō maneat apud ipsū: nec etiā ratione iniustæ acceptionis, cū supponatur nō peccasse testificando: Ergo aliunde debet probari illa obligatio. Dicerem igitur: rationem aptius desumi posse ex eo, quod testis ille, quandiù dictū non retractat, censetur moraliter causa illius mali permanentis, atque adeo ex nunc incipit teneri ex iniusta acceptione non quidem præterita, sed præsenti; quia nunc non cessans, moraliter censetur conseruare suum testimoniū, & incommodum, vel infamiam ex ipso sequutam. Quemadmodum qui ex inaduertentia, vel putans id licere, domui alienæ ignem applicuit: agnoscens errorem, vel aduertens id non licere, tenetur ex iustitia extinguere ignē, si potest sine graui proprio damno, alioquin ad restitutionem damni tenebitur.

310 *Hoc affirmo, & suppono.*

DVBIVM LXXII.

Testis, qui dum testimonium aduersus Petrum dicit, iudex intellexit de Ioanne: teneturne ex iustitia (non solum ex charitate) dictum retractare seu declarare se de Ioanne minime loquutum?

EX iustitia non tenetur, sed solùm ex charitate, quia infamia illa Ioannis non sequitur ex testimonio illius, sed ex mala iudicis intelligentia, vel auditorum: supponо enim testem illum disertis verbis fuisse de Petro loquutum. Sic Lessi. *lib. secundo c.11.n.119.*

311 *Non tenetur ex iustitia, sed ex charitate.*

Tenetur ex iustitia, quia sicut iudex ex officio tenetur declarare sententiam, quam videt ex mala auditorum intelligentia in contrario sensu esse acceptam: sic etiam testis ex officio & obligatione iustitiæ

312 *Ex iustitia tenetur.*

ad id tenetur ; aliquo enim modo officium iudicis in officio participat. Ita Molina *tom. 5. de iust. tr. 4. d. 40. n. 2. & 3.* Lugo *to. 2. de iust. d. 39. num. 30*

313 *Longe veriorem hãc sententiam esse iudico.*

Existimo ver us lógè esse, testé tenerinon solũ ex charitatè, sed ex iustitia declarare, sede Petro locutum, nõ de Icãne. Nam si probabilius est, si si coram aliis dũ refero factum Francisci iniquum, audientes intellexere de Antonio, me ex iustitia debere declarare, de Antonio minimè loquutum: hæc sentẽtia multo magis videtur procedere in teste, qui magis videtur teneri ex officio, non solum curare, nè ex sua actione damnum sequatur, sed etiam procurare, quod omnino intelligatur veritas illa, quam in iudicium affert.

CAPVT XI.

Circa Rei obligationes.

DVBIVM LXXIII.

Vt reus obligetur ad respondendum, debetne prius certificari de probatione contra ipsum, ostensis ei meritis in processu, vel alio modo ?

314 *Non debet prius certificari.*

NOn debet quia in dubio semper parendum est superiori, vbi manifestè peccatum non apparet : Ergò testis, dum dubitat, an iudex legitimè, vel iuridicè interroget, tenetur obedire, ac respondere iuxta eã, de quibus interrogatur. Sic Palud. Sylvest. Antonin. apud Sanch. *l. 6. consil. c. 3. dub. 31.* & alij multi, quos refert Diana. *p. 3. tr. 5. resolut. 91. & 106.*

315 *Prius certificari debet*

Prius certificari debet, quia dum bona fide possidet honorem, vel bona non tenetur se illis spoliare, donec constet de iure, quo bona illa dimittere compellitur. Ita Caiet. *2. 2. q. 69. a. 1. &* 2. Sotus *de sigil. n. 6 q. 7. concl. 3. & lib. quint. de iust. q. 6. arrticul. secund. post. 5. conclus.* Nauar. *sum. c. 25. n. 43.* & alij communiter.

316 *Hanc sententiam probabiliorẽ plane defendo.*

Hanc sententiam probabiliorem planè defendo. Cui minime obstat contrariæ fundamentum. Nam vel sermo est de dubio quo dubitatur, an res præcepta sit licita : vel de dubio, an superior habeat potestatem præcipiendi. Si sermo sit de priori dubio, illo manente, non potest subditus obedire, in præsenti autem casu dubium est de iudicis potestate, & ideo in hoc casu speciali (quidquid sit de aliis) non tenetur testis obedire, quia iudex non habet à Rege potestatem interrogandi via inquisitionis subditos pro libito : sed interrogandi in certis casibus, tunc scilicet quãdo est publicum delictum, vel probabile, saltẽ si procedat per accusationẽ. Debet ergò prius iudex manifestare subdito potestatem quam habet, in hoc casu interrogandi : alioquin subditus suam possidet libertatem : iudex autẽ non possidet interrogandi potestatẽ, nisi cum talibus circũstantiis : imò Respublica non censetur dedisse ei potestatẽ interrogandi, nisi ostẽsa prius probatione sufficienti ad legitimè interrogandum, ob magna inconuenientia, quæ sequerẽtur, si posset iudex, prævia probatione non ostensa, interrogare, iam ergò subditus non dubitat in rigore in hoc casu, sed potius prudenter iudicat iudicem non posse hic & nunc interrogare, donec fundamentum quod ad rogandum habet, ostendat.

DVBIVM LXXIV.

Quodlibet mendacium in iudicio à reo prolatum est ne peccatum?

317 *Graue peccatum est.*

GRaue peccatum est, quia mendacium quantumuis leue potest iudicij tenorẽ graviter peruertere. Sic Caiet. *2. 2. qu. 69. articulo 3. ad 3.*

318 *Non est graue peccatum.*

Non est graue peccatum, si iuramentum desit, sed ex leuitate materiæ potest esse veniale, quia non omnia mendacia graviter ledunt ordinem iudicialem, ita Sotus, Medina, Nauarrus, Conarruuias, & alij quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 6. consil. c. 3. dub. 35.*

319 *Hoc verum.*

Nimium rigide Caietanus à mendacio huiusmodi materiæ leuitatẽ excludit. Cum plura mendacia valeant excogitari quæ ad sententiæ variationem nihil referant.

DVBIVM LXXV.

Potestne deferri reo saltem iuramentum calumniæ, non ostensa ei contra ipsum probatione ?

320 *Quid sit iuramentũ calumniæ præmitto.*

IVramentum calumniæ hoc continet : Primò, quod putat, se bonam causam tueri. Secundò, se interrogatum à iudice veritatem dicturum. Tertiò, non adhibiturum scienter falsas probationes. Quartò, non prorogaturũ litem fraudulenter. Quintò, se nihil contra legis prohibitionem promisisse, vel promissurum alicui, causa litis. Quæsierim itaque an huiusmodi iuramẽtum deferri possit reo, non ostensa ei contra ipsũ probatione?

321 *Non potest deferri.*

Minimè potest, quia reus tunc non potest obligari, vt iuret de veritate in omnibus particulariter dicendam. Ergo nec in communi, vel in genere cogi debet ad id promittendum probatione contra eum non ostensa. Sic Lessius *libro secundo capite 31. dub. 3. numer. 8.*

322 *Deferri potest.*

Potest omnino hoc iuramentum deferri, quia per id solum promittit dicere veritatem, quando postea legitime ac iuridice interrogetur : At si postea legitime non interrogetur, ad nihil tenetur. Ita Nauar. ad

ad Cap. Inter verba, num. 739. & 746. Sotus *de sigil. vnemb. 2. q. 7. concl. 3.* Sanchez *l. 6. consil. c. 3. dub. 34.* & alij viri docti.

323 *Verius hoc mihi.*

Veriorem hanc sententiam esse non dubito. Nam dum iurat reus, putare se bonam causam tueri, iurat verum; quia dum non constat illi de probatione contra ipsum, bonam causam, saltem formaliter, defendit. Est ergo magna differentia inter hoc iuramentum, & illud, quod postea exigitur: non solum eo quod vnum sit generale, aliud particulare; sed multò magis quia per vnum solummodò se obligat de futuro ad respondendum, quando tenebitur respondere: per aliud autem volunt eum obligare ad respondendum nunc, quando non tenetur.

DVBIVM LXXVI.

Quoties probatio semiplena præcedit, vel iudice reus interrogatur: teneturne ipse rogatus, contra se veritatem fateri?

324 *Sæpe reus tenetur veritatem fateri.*

Semper reus tenetur si interrogetur legitimè, veritatem fateri, etiamsi propterea morte esset plectendus, quia iudex habet potestatem exigendi à reo iuramentum, & eum legitimè interrogæt: Ergo reus tenetur ei respondere. Alioquin daretur bellum iustum ex vtraque parte, si iudice iustè ac legitime interrogante, reus iustè posset non respondere. Sic D. Thom. *2. 2. q. 69. a. 1.* Caiet. Henri. Palud. Gabr. Sotus, Nauar. Couar. & alij quos refert ac sequitur Les. *l. 2. c. 3. n. 12.* Tolet. *l. 5. c. 58.* Maldet. *2. 2. tr. 6. c. 3. dub. 1.* & alij innumeri, quos affert, & sequitur Sach. *l. 6. consil. c. 3. dub. 29.*

325 *Non tenetur semper.*

Non semper reus tenetur fateri veritatem, etiamsi legitimè interrogetur. Quia lex humana debet esse de re humano modo possibili, & humanæ infirmitati accommodata: alioqui erit inutilis, cū solùm ad conscientias illaqueādas deserviat. Est autem humano modo possibile, quod delinquens alioquin non dānandus, velit contra se dicere testimonium, vt ad mortē damnetur: Ergò iudex non potest ei huiusmodi præceptū imponere. Portò si leges humanæ nō obligāt testes deponere cōtra personas sibi valdè coniunctas: quanto minus obligabūr, quod aliquis cōtra se ipsū in causa amittēdę proprię vitę deponat. Ita Nauar. *l. 2. de rest. c. 4. n.* 137. citans Panormit. Sylvest. Angel. Armil. & alios. Manu. *sum. tr. de ordin. iudiciali c. 10. n.* 1. Sà *v. Reus.* Les. eam dicit *vbi supr.* esse probabilem. Et Vega *l. 5. casu* 422. Suar. consultus anno 1596. Salas, Henriq. eius probabilitatem firmarunt. Subscripsere Villalob. *sum. to. 2. tr. 16. diffic. 1. n.* 10. Filliuc. *tr. 4. n.* 266. Fagūd. *præc. 8. Decal. c. 31. n.* 11. Alcozer. *sum c. 16. §. & reo.* Reginald. *l. 24. cap. 3. sect. 3. num.* 3. Et alij plures. Præ omnibus autem huius sententiæ probabilitatem maiorem doctissimè de more defendit eminentiss. Cardin. de Lugo *to. 2. de iust. d. 39. n. 15.*

Cum his opinor. Nemo enim tenetur etiā iusus testificari contra alium, quando ex testificatioce timet, sibi damnum graue imminere posse: Ergò à fortiori non tenebitur contra se testimonium ferre, cum adeò graui damno ex sua testificatione imminenti. Mirabile enim esset, quod duobus videntibus delictum, vnus illud testetur, alius excusetur si ex suo testimonio timeat sibi graue damnum: si tamen ille secundus non esset testis sed reus, excusari non possit, quamuis certissimè sciat sibi mortem ex suo testimonio imminere. Conuincor igitur asserere hanc sententiam esse non solum probabilem, sed & probabiliorem. 326 *Cum his opinor.*

DVBIVM LXXVII.

In iis casibus, in quibus reus tenetur veritatem fateri, qui semel illam rogatus negauit, teneturne postea etiam non interrogatus, eam confiteri, retractādo quod dixerat, si sit adhuc sub iudicis potestate?

Svppono à iudice posse obligari eum ad respondendum. Primò in causis vbi non est periculum capitale. Secundò, in omnibus etiam, quando delictum est plenè probatum, vel reus scit probandum, & pœnam non fugiendam. Tertiò, in aliis casibus non quidem obligando ad culpam, sed ad torturā, vt scilicet si reus non vult tormenta grauia experiri, suum crimen fateatur. Quæsierim igitur in iis casibus, in quibus reus tenetur confiteri veritatem, vel vniuersaliter in omnibus (si sequare primam Dubij proximi probabilem sententiam) an qui semel illam negauit, teneatur postea etiam non rogatus eam fateri? 327 *Nonnulla suppono.*

Non tenetur, quando iam est extra iudicis potestatem: vt si iam absolutus, vel punitus fuit, vel è carcere per fugam est liberatus, quia tunc nihil aliud esset, quam se prodere, si rediret ad confitendum, quod negauerat. Quando verò adhuc est in iudicis potestate, nec sententia prolata tenetur ad confitendum, quia adhuc censetur durare iudicis præceptum obligans ad respondendum. Sic Sotus, Nauar. Salcedo, Angl. Sayr. Bañes, Saloni. quos refert Sanchez *tom. 1. Decal. l. 2. cap. 7.* Supponens vt certum non teneri, quando iam non est sub iudicis potestate. 328 *Tenetur fateri non interrogatus, si sit sub iudicis potestate.*

Etiamsi sit adhuc sub potestate iudicis non tenetur fateri, nisi rursum interrogetur, quia solum tenebatur respondere ex obedientia, obligatiō autem obedientiæ solummodo durat, quando iudex vrget, & exigit responsum: Ergo occasione illa transacta, iam non vrget præceptum. Aliunde vero nulla est restituendi obligatio, cum non deliquerit contra iustitiam, sed contra obedictiam: Ergo nullo ex capite obligatio retractandi primū dictum exoritur. Ita Sanchez *vbi suprà* alios referens. 329 *Non interrogatus non tenetur.*

330 *Placet sententia hæc.*

Placet admodum mihi sententia hæc, quam à simili roboro. Nam etiam extra iudicium, quando aliquis me interrogat de re aliqua sub iuramento, ego teneor ex veritate, & Religione non dicere falsum. Si tamen mentiar, non teneor posteà mendacium retractare, nec aliquis ad id me obligabit. Quia nimirum obligatio erat solum pro tunc quando responsum expectabatur. Ergo similiter in casu nostro obligatio respondendi, & dicendi verum, non durat nisi pro tunc, quando iudex vrget interrogando.

DVBIVM LXXVIII.

Non obstante delicti negatione, reus conuictus est, & damnatus, vltimum ducitur in supplicium: in mortis articulo obligandusne est à Confessario, crimen suum quod negauerat, fateri?

331 *Obligandus est.*

Obligandus est, quia eius taciturnitas redundat in detrimẽtũ iudicis, accusatoris, & testium, qui male audiunt apud populum, quando reus in asserenda innocentia persistat. Et quia dum sententia non est executioni mandata, adhuc reus censetur esse sub iudicis potestate, & ab eo interrogari. Sic Vega, Petr. de Ledesma, Corduba, Metina, & alij, quos refert Sanchez *l. 1. Decal. l. 3. c. 7. num. 10.*

332 *Non est obligandus.*

Non est obligandus, quia iam tunc non durat iudicis interrogatio, iam enim ille functus est officio suo, sententia prolata: imo iam esset inutilis interrogatio, cum non deserviat ad causæ decisionem. Ita Nauarra, Segura, Salcedo, Manuel, Sayrus, Sà, quos refert ac sequitur Sanchez *vbi suprà.*

333 *Longè hoc probabilius*

Probabilior hæc sententia est. Nam si contraria amplectenda esset, daretur locus inquæ aliquorum iudicum consuetudini, qui simulant, se reum damnare ad mortem, vt in illo articulo constitutus suum crimen fateatur quod si fatetur, eum de facto morti addicunt: si non fatetur reducunt in carcerem. Non ergò debet Confessarius reum cogere in illo discrimine ad crimen suum cum tanto periculo fatendum. Nec obstat scandalum contra iudicem, accusatorem, & testes, quia illud non est tanti momenti: semper enim præsũptio stat pro sententia iuridice prolata: & creditur reus negasse eo quod non censebat, se obligari ad fatendum: sicut re vera non tenebatur, sed potius tueri illam qualemcumque vitæ spem, quam poterat habere. Excipio tamen hæreticum negatiuum, ille enim præsumitur decedere in hæresi, quandiu non confitetur, quia non censetur absolutus à censura, dum reiicit oblatam reconciliationem, & absolutionem. Et quia cum cõuictus sit fuisse hæreticum, non vult Ecclesiæ publicè satisfacere pro publico illo crimine; quare merito censetur in eodem errore persistere. Suar. *de fide d. 23 sect. 2. n. 5.* Igitur ad tollendum huiusmodi scandalũ cogendus est huiusmodi homo crimen confiteri, quod male negauerat) interim dum vltimo supplicio non est affectus.

DVBIVM LXXIX.

Estne peccatum contra iustitiam occulta crimina accusatoris, & testium, detegere, vt reus infirmet illorum testimoniũ, quando alia via possit infirmari?

334 *Certa supponо.*

Certum est, si ad suam defensionem sufficiat reo negare crimen obiectum, & aliunde impingẽs accusatori vel testibus crimen mendacij, vel calumniæ, grauiter lædit famam eorum: erit ad minus peccatum cõtra charitatem, cum sine necessitate graue nocumentum proximo inferatur. Si tamen hoc necessarium esset ad sui defensionem in casibus, in quibus potest verum crimen negare, (vt suppono) non esset peccatum, nec etiam mendacium, quando non plenè probatum est, quia re vera qui accusat de crimine quod probare non potest, calumniator præsumitur: sibi ergo imputet accusator detrimẽtum illud honoris, quod subit, ipse enim causa est, cum sine sufficienti fundamento accusauerit. Les. *l. 2. c. 31. dub. 2.* Malder. *2. 2. tr. 6. c. 3. dub. 3.* & alij cõmuniter. Potest tamen reus occulta crimina testium detegere ad invalidandum eorum testimonium, si necessaria sit ad eum finem ea manifestatio, quia tunc terminos iustæ defensionis *non* excedit. Quando vero necessaria non esset (alia quippe via posset testium probatio infirmari) peccatum esset saltem contra charitatem; quia sine necessitate grauiter proximus infamaretur. Sanchez cum aliis *l. 6. consil cap. quint. dub. 20.* Quæsierim autem, an sit etiam contra iustitiam?

335 *Non est contra iustitiam.*

Contra iustitiam non est, quia testis eo ipso quod testatur, videtur suo iuri cedere, & reo permittere, vt se modo commodiori tueatur. Sic Lessius *lib. secund. capit. 31. dubio prim.* Fagundez *præc. 8. Decalog. capite 31. num. 3*

336 *Contra iustitiam est.*

Est contra iustitiam, quia terminos iustę defensionis excedit, cum posset alia via quæ in testium infamiam non cederet, eorum probationem infirmare. Ita Molina *to. 5. d. 43. n. 3.*

337 *Hoc verius esse credo.*

Hoc verius esse existimo. Nam si aliquis me velit occidere, ego facile possem minis fugare, delinquerem certe contra iustitiam, si eum interimerem, vti Lessius *libro secundo capite 9. numero 43.* fatetur, alserens obligationem restituendi resultare: Ergò etiam in casu nostro.

DVBIVM

DVBIVM LXXX

Si testis ordinem iuris seruauit, & debito modo contra reum testatus est veritatem, poterit reus adhuc ad tollendam ei fidem eius crimina detegere?

338 *Non poterit.* Minimè poterit. Quia tunc testis iure inuadit reum: Ergo iniustè se reus defendit cum repercussione testis, tantoque illius damno. Sic Sanch. videtur supponere *lib. 6. consil. capit. quint. dub.* 20. & alij.

339 *Poterit quidem.* Poterit quidem. Quia in eo casu accusatio in rei veritate est iniusta, cum non probetur per testes omni exceptione maiores, & qui per nullum crimen oppositum valeant repelli: Ergo reus se iustè defendit, ostendens iniustitiam, & defectum in accusatione latentem, quæ licet esset iusta ex præsumptione, dum testes præsumebantur boni, postquam tamen defectuosi apparent, idem defectus in accusatione arguitur. Ita Malder. 2. 2. *tractat. 6. capit. tertio dub.* 3. citans Bañes.

340 *Hoc mihi verius.* Probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Sibi enim imputare debent testes infamiam ex rei repercussione, cum possent eam impedire non testificando cum tanto infamiæ periculo. Idem autem erit, etiamsi testis coactus à Iudice fuerit testificatus. Quia debuisset adhuc non testificari cum tanto periculo, quare suæ culpæ, vel ignorantiæ imputet infamiam, quæ consequitur.

DVBIVM LXXXI.

Quando crimen, quod opponitur testi, non sufficit ad reum defendendum, quia alioquin delictum est sufficienter probatum. adhuc reus potestne crimen testis detegere, vt eius infirmet testimonium?

341 *Potest. quidem.* POtest quidem. Quia licet obiectio criminis non sit vtilis ad omnimodam defensionem, deseruit tamen, vt reus minorem contrahat infamiam, labefactando saltem testis vnius testimonium. Sic aliqui Doctores non immeriti.

342 *Non potest.* Minime potest. Quia illa minor infamia, quam vitat ex informatione vnius testis, non videtur digna tanta percussione, & defensione tam acerba, sic etiamsi inuasus à decano certo scias, non posse te non occidi, præsertim si defensio non sit tuo honori necessaria, non video quonammodo non sit contra charitatem vnum ex illis sine vlla spe euadendi hoc modo ex periculo interimere. A fortiori ergo in casu nostro erit contra charitatem, præsertim quando testes iuris ordine seruato, & non iniuste aggrediuntur. Ita Card. Lugo *to. 2. de iust. d. 40. nu. 24.* Les. *l. 2. c. 11. dub. 25. num. 132.*

343 *Auctoris placitum.* Existimo regulariter esse saltem peccatum contra charitatem. Imò quando testes iuris ordine seruato aggrediuntur, crediderim esse contra iustitiam. Quia tunc accusatio est omninò iusta, cum possit probari (vt suppono) sufficienter, etiam vnius testis reiecto testimonio. Cum ergo iustè aggrediantur, non videtur esse iusta defensio cum tanto ipsorum detrimento.

DVBIVM LXXXII.

Per se, & præscindendo à malitia mendacij, & periurij, estne contra iustitiam imponi à reo crimen falsum testi, qui falso, vel contra iuris ordinem aduersus eum testificatus est, vt se possit ab eius calumnia defendere?

344 *Certa suppono.* CErtum est, id non licere, quia saltem erit mendacium, quod nunquam est licitum. Item regulariter erit peccatum mortale. Quia vel deseruit ad defensionem, vel non. Si non deseruit, erit infamatio iniusta proximi sine necessitate, vel vtilitate. Si deseruit, hoc erit probando illam calumniam per testes, qui cum debeant iurare, periurij piaculum perpetrabunt, & consequenter eos ad hoc hortari peccatum mortale erit. Quæstio igitur est, num per se, & præscindendo à malitia mendacij, & periurij sit contra iustitiam imponere crimen falsum, vt se reus defendat à testimonio illius, qui reum iniuste aggreditur?

345 *Contra iustitiam est.* Contra iustitiam est. Quia illud est mendacium pernitiosum, & omninò improportionatum ad defendendam propriam vitam, vel famam, nam cum sit intrinsece malum, haud potest ad defensionem iustam ordinari. Sic Sotus *l. 5. de iust. quæst 9. a. vltim.* Molina *tom. 5. d. 24. numero secund.* Malder. 2. 2. *c. 3. dub. 3.*

346 *Non est contra iustitiam.* Non est contra iustitiam. Quia in prædicto casu, quando testis contra iuris ordinem testatur, etiamsi verum testetur, reus potest negare, & dicere, quod testis mentitur. Quia hoc perinde est, ac si falsum crimen obiciat, est enim dicere, illum esse falsum testem: Ergo nec etiam peccabit contra iustitiam imponendo ei quodlibet aliud falsum crimen, quod sit ad ipsius defensionem necessarium. Ita Ioan. de la Crux *Direct. prac. 8. articul. 4. dub. 17. conclus. prim.* citato Orellana. Ledesma *sum. tom. prim. tract. 8. c. 35. concl. 21.* Lugo *tom. 2. de iustit. d. 40. numer. 26.* & alij.

347 *Sententia Auctoris.* Certa sententia hæc speculatiue loquendo satis probabilis mihi obiicitur. Nam licet mendacium sit intrinsecè malum, non

tamen peccat contrà iustitiam, qui dolo ac mendaciis rem suam ab iniusto possessore recuperat. Certè qui dolo, & mendaciis suum iniustum ¡nuasorem deciperet, vt caderet in foueam, vel in fluuium, vt sic se ab illo liberaret, contra iustitiam non delinqueret. Ergo etiam in præsenti licet mendacium, & periurium sit intrinsece malum, non tamen erit contra iustitiam, propter eandem rationem.

DVBIVM LXXXIII.

Quando reus dubitat de sententiæ iniustitia, potestne licitè appellare?

348 *Plura recolo circa supplicationem.*

SVppono, aliud esse *supplicare*, aliud verò *appellare*. Supplicans, fatetur, sententiam fuisse iustam secundum rigorem legis, sed suppliciter orat, vt si fieri possit, rigor legis temperetur, aut re diligentius inspecta, sententia emolliatur. Qui autem appellat, regulariter negat sententiam esse iustam, ideoque recurrit ad superiorem, vt ab eo reuocetur. Profecto licitum est reo supplicare, etiamsi sententia iusta fuit, & iudicis supremi, dummodo supplicatio ex praua intentione non fiat ad fugiendam, vel differendam executionem sententiæ iustæ, sed ex causa rationabili, ex qua iuxta prudentis Doctoris arbitrium rationabiliter, & licitè temperari, aut reuocari valeat. Iudex enim, præsertim supremus potest aliquando ex rationabili causa legis rigorem temperare; Ergo reus licite potest per supplicationem illud temperamentum petere. Quando reus rationabiliter existimat, se iniustè à Iudice grauari, rectè potest ad alium supremum appellare Iudicem. *Cap. Omnis oppressus. Cap. Appellantes, 2. quæst. 6.* Fundatur autem ex iure naturali defendendi se ab iniusto grauamine. Appellatio enim est tutela, ac defensio licita contra iniustam sententiam. Quando reus est omninò certus de sententiæ iustitia non potest appellare ea spe ductus, quod fauore, aut alia via illicita reuocetur, vel impediatur. Per hoc enim violatur obedientia, impeditur iustitiæ executio, Iudici irrogatur iniuria, & maior aduersario, cuius iustitia impeditur, Respublica turbatur. Lege Sancium *lib. 6. conf. c. 4. dub. 2. per totum.* Iam vero quæsierim, an quando reus dubitat solum de iustitia sententiæ, licite appellare possit?

349 *Non potest appellare.*

Non potest appellare. Quia in dubio præsumendum est pro sententia Iudicis, & superioris: Ergo debetur ei obedientia, sic nonnulli.

350 *Appellare potest.*

Appellare licitè potest. Quia per appellationem non negatur obedientia, cum adhuc totum penes superioris Iudicis arbitrium relinquatur: sed solum, stante dubio, exquiritur, & imploratur Iudicis superioris fauor, vt videat, an sententia prima iusta, vel iniusta fuerit. Ita Sanchez *citatus dub. secund. numero prim.* citans Sotum. Turrian. *hic, d. 52. dub. 1. num. 9.* dicens esse communem omnium sententiam.

Idem censeo. Nec obstat, quod appellans significet, se à Iudice inferiori iniuste grauari, quia dici id non potest, quando non constat de iustitia sententiæ, licet aliquo modo conqueratur de grauamine, & quod sine sufficienti fundamento fuerit condemnatus?

DVBIVM LXXXIV.

Licetne reo appellare, quando constat Iudicem secundum minus, vel aquè probabilem Doctorum sententiam iudicasse, vt experiatur, an Iudex superior fortasse contrariam sententiam amplectatur?

NOn licet, etiam quando Iudex inferior secutus est sententiam minus probabilem, sed tamen probabilem. Quia quando Iudex amplexus est opinionem probabilem, nulli intulit iniuriam, & à sententia iusta applicare non licet. Sic Petr. de Ledes. *summ. tomo secundo tract. 8. cap. 24. conclus. 3. diffic. secund.* citans Orellanam. Non licet, quando Iudex amplexus fuit sententiam æque probabilem. Quia tunc iustè iudicauit. Sic Villalob. *summ. tomo secundo tract. 16. difficult. octaua numero quart.* 351 *Non licet, si aque imò minus probabiliorem est secutus.*

Licet equidem. Quia iuxta Doctorum communem sententiam, Iudex regulariter non potest iuxta opinionem minus probabilem relicta probabiliori iudicare, quare si sequutus fuit Iudex minus probabilem opinionem, meritò reus conqueri potest, quod iniustè eum condemnauerit. Si vero Iudex sententiam æque probabilem fuit amplexus, potuit planè iustè pro contraria causa proferre sententiam; vnde licet ei procurare aliud adire tribunal, vbi Iudex contrariam sententiam æque probabilem forte sequatur. Sic fere omnes Doctores. 352 *Licet plane.*

Longe hoc probabilius est. Quia contrarium militat contra praxim, quam omnes consulunt, approbant, & laudant, vti inquit Cardinal. Lugo *tom. 2. de iustit. d. 40. numero 45.* 353 *Longe hoc probabilius.*

DVBIVM LXXXV.

Licitumne est eos in causis ciuilibus appellare, quando Iudex secundum magis probabilem opinionem sententiam tulit?

LIcitum non est. Quia quando Iudex probabiliorem sententiam est secutus plene *citum.* 354 *Non est licitum.*

plenè suo munere functus est : & parti contra quam lata fuit sententia, iam de alterius partis vberiori seu clariori iustitia cõstat. Ergo minimè licitum est ei appellare, nisi conscius non esset, quod Index probabiliorem sententiam fuerit amplexus. Sic Sotus, Corduba, Nauarrus, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *l. 6. consil. c. 4. dub. 2. num. 2.* addens, teneri reum ad restitutionem totius damni. At in intelligi in ciuilibus, non in criminalibus, in quibus reus non facile est damnandus peccati lethalis, cum possit aliquando sperare aliquam pœnæ remissionem maximè si sui Aduocati arbitrium accedat.

355 *Licitum est.* Licitum est tam in ciuilibus, quam in criminalibus appellare à sententia prolata iuxta probabiliorem opinionem, si contraria etiam probabilis existit. Quia licet Index debeat communiter iudicare iuxta probabiliorem opinionem : hoc tamen in litigante locum non habet, qui ex officio non tenetur probabiliorem amplecti opinionem, sed potest causam probabilem defendere contrà probabiliorem, vti de Aduocato. *Cap. sequenti* defendam. Ita Turrian. *hic, d. 51. dub. 1.* Sylu. Salon. & Ioan de la Cruz, quos affert, ac sequitur Diana *p. 3. tract. 5. resolut. 104.* licet aliqui ex his solum id admittant in causa sanguinis. Cardinalis autem Lugo in omnibus causis id admittit *tom. 2. de iust. d. 40. numero 45.*

356 *Hanc sententiam amplector.* Hanc sententiam valde quidem probabilem amplector. Non enim video, cur reus possit ab initio se tueri habens probabilem causam, & sciens causam aduersarij esse probabiliorem, & post primam sententiam non possit, appellatione interposita, causam prosequi, & tentare, num Index superior veriorem fortasse putet sententiam quæ ipsi fauet, cum id nihil aliud sit, quam eandem causam vsque ad finem prosequi.

DVBIVM LXXXVI.

Reus condemnatus ad pœnam pecuniariam soluendam, & appellans ex falsa causa, si admissa appellatione postea absoluatur : debetne in conscientia pœnam illam pecuniariam soluere ?

357 *Soluere debet.* DEbet quidem soluere pœnam. Quia cum iniusta fuerit appellatio, secunda sententia absoluens illam quasi irrita debet iudicari : vnde persistit prima illum ad pœnam illam soluendam obligans. Ergo in conscientia eam soluere tenetur. Sic Beja *casu 65.* à Sancio citatus *lib. 2. consil. cap. vnic. dub. 37.*

358 *Pœnam soluere non debet.* Pœnam soluere non debet. Quia à Iudice superiori absolutè fuit absolutus, qui quidem non attendit ad iustitiam appellationis, sed ad ipsius causæ conditionem, ex qua sibi visus est debere reum absoluere. Ita Sanchez *citatus.* Palacius fatet, *libro quart. de contract. cap. 5.*

359 *Auctoris sententia.* Ego autem existimo, debere reum à causa iniusta desistere, tenerique parti contrariæ satisfacere pro expensis omnibus, quas occasione litis iniustæ facit : non autem teneri ad pœnam, postquam à Iudice superiori est absolutus.

DVBIVM LXXXVII.

Quando sententia est iusta secundum allegata, & probata, licet in veritate reus sit innocens : potestne licite resistere ?

360 *Certa supono de rei sistentia.* CErtum est, reum ad mortem damnatum iustè, non posse se defendere. Quia Iudex habet ius ad exequendam sententiam. Ergo non potest reus eam prohibere : alioqui daretur bellum ex vtraque parte iustum, omni ignorantia exclusa. Quando vero sententia fuit iniusta distinguendum est : nam vel fuit iusta secundum allegata, & probata, licet in veritate reus sit innocens : vel fuit contra allegata, & probata, & omni modo iniusta. In hoc secundo casu licitum est reo resistere, seclusa grauis scandalo. Quia sententia iniusta nullam inducit obligationem : Ergò sicut seclusa illa sententia iure naturali poterat se defendere : poterit etiam illa stante : nam in illius sententiæ executione Iudex se habet sicut persona priuata, ergo licebit ei resistere. Diu. Thom. 2. 2. *quæst. 69. articul. 4* Sylueſt. *v. Accusatio, §. 10.* Sotus *l. 5. de iust. quæst. 6. articul. 4.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 12.* Sanchez *l. 6. cons. capit. 4. num. 17.* Quando autem sententia est iusta secundum allegata, & probata, sed in veritate reus est innocens, quæritur, an possit resistere.

361 *Non potest resistere.* Resistere non potest. Quia tunc Iudex licitè, imo ex debito rem insequitur, dum autem esset Iudicem obligare, vt illum insequatur, à quo licitè potest occidi, iustè se defendendo. Sic Sotus *vbi suprà* Lessius *libro secund. cap. 31. dub. 4. numer. 29.* Vasq. *1. 2. d. 174. c. 1.* Sanch. *loco citato.* Couar. *sup. n. 13.* & alij.

362 *Resistere potest.* Potest resistere, & se defendere. Quia Iudex solum inuadit tunc licite ex præsumptione : Ergo qui conscius est veritatis potest ei resistere : sicut quando Index errat in persona malefactoris, & vult occidere Antonium loco Petri : potest Antonius se defendere. Ita Victoria, & alij Iuristæ, quos memorat Couarru. *citatus* Bannes *2. 2. q. 69. articulo 4.* & alij Theologi doctissimi de hoc dubio consulti, quos presso nomine indicat Cardinal. Lugo *tomo secund. de iustit. d. 40. numero 39.* qui quidem hanc sententiam amplectitur.

363 *Quid Auctor resoluat.* Crediderim his hærens Doctoribus, posse reum in casu præfato, non solum fugere, seque in loco tuto collocare, sed etiam inde armis, & minis Iudicem, & alios ministros terrere, ne accedant : impellere etiam ministros, quo è manibus eorum elabatur. Hæc enim

enim omnia fiunt sine eorum nocumento, Præterea loquendo de defensione, & resistentia cum eorum damno, videtur mihi probabilis secunda sententia, duplici limitatione adhibita. Prima, quod fiat resistentia sine graui scandalo, quod quidem in hac materia facilius posset dari, quam in aliis. Secunda, quod reus, quantumuis innocens non resistat eo modo, quando primo comprehenditur à Iudice, & eius ministris. Nam licet Iudex non possit innocentem punire, potest tamen eum comprehendere interuenientibus indiciis, & sicut culpa se habet ad pœnam, ita indicia culpæ ad comprehensionem: Ergo comprehensioni resistens, resisteret Iudici procedenti iustè materialiter, & formaliter, ideoque reus iniustè resisteret.

Potest omninò. Quia esset intolerabile iudicis præceptum, si reus damnaretur ad patienter ferendam illam detentionem, sicut ad patienter ferendam mortem, mutilationem, vel flagellationem. Ita Les. Bannes, Cordub. Ledes. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *vbi suprà.* 367 *Fugere potest.*

Probabiliorem hanc sententiam esse reor. Nullam enim differentiam inuenio inter vnam, & alteram fugam, vel sit è carcere post-quam reus condemnatus sit ad triremes, vel ex triremibus, post quam iam sit pœna executioni mandata. Qui ergo potest aufugere è carcere triremium futuram pœnam, poterit licite, si detur occasio, illius præsentem infamiam, & molestiam euadere. 368 *Probabilius hoc mihi.*

DVBIVM LXXXVIII.

Reus timens mortis, vel mutilationis, vel alius pœnæ similis executionem, potestne è carcere fugere?

NOn potest, si iustè detinetur. Quia contrà obedientiam debitam Iudici ageret. Sic Maior *in 4. dist. 15. q. 21.* Præcipue vero post sententiam prolatam. Sic alij Theologi. 363 *Non potest fugere.*

Potest è carcere fugere siue ante siue post sententiam. Quia ex natura ius vnusquisque habet ad procurandam suam vitam, & conseruationem. Ita nonnulli: quos presso nomine memorat, & sequitur Cardinal. Lugo *tomo secund. de iust. d. 40. numer. 42.* & alij communiter. 364 *Fugere potest.*

Putarim minime, esse iuxta humanam conditionem præceptum Iudicis obligans ad non fugiendum, cum reus possit, sed ad expectandam mortem, vel membrorum mutilationem. Licet enim in aliquo casu extraordinario ciuis teneatur propriam vitam pro salute communi Reipublicæ exponere: non tamen regulariter, & in quolibet casu. Idem defendo, quando aliam pœnam similem subire deberet, v.g. ad triremes, vel ad verbera damnationem. Quia hæ sunt graues admodum pœnæ pro quibus vitandis, aliquis mortem vltro subiret. 365 *Idem affirmo.*

DVBIVM LXXXIX.

Reus, qui est in triremibus, potestne oblata occasione inde fugam accipere?

MInimè potest. Quia semel tolerata infamia illius pœnæ, quæ poterat excusare è carcere fugam: persistentia in ea pœna non est ita grauis, vt valeat fugam rei contra præceptum iudicis honestare. Sic Vasquez 1. 2. *d. 174. numero septim.* Plures citat Sanchez *libro sexto Decalog. cap. 8. numero 16.* 366 *Non potest fugere.*

DVBIVM XC.

Quando reo licitum est fugere: licetne etiam ei rumpere, vel effringere carcerem, fodere parietem, & similia?

NOn licet. Quia leges ciuiles statuunt pœnas grauissimas in carcerum effractores, *leg. 1. ff. de effractorib.* Vbi pœna capitis imponitur, & alibi aliæ pœnæ imponuntur. At huiusmodi pœnæ graues admodum grauissimum indicant esse flagitium. Sic nonnulli. 369 *Non licet.*

Licet equidem effringere carcerem, & parietem fodere, quando licet aufugere. Quia cui licita est fuga, licet etiam impedimenta ad fugiendum remouere. Neque enim in hoc reus iudici formaliter resistit. Sed fugit periculum: Ita Nauar. *summ. capit. 17. numero 101. & capit. 25. numer. 38.* & alij communiter. 370 *Licet plane.*

Idem asserо, si regulariter loquamur. Nam aliquando potest damnum, quod sequitur Reipublicæ, vel custodi ex effractione carceris adeo esse magnum, vt debeat damno priuato rei, cuius fortasse non tanti interit fuga, vt possit eam cum tanto aliorum detrimento eam procurare, præferri. Profectò leges illæ, quæ ad pœnam capitis, vel mutilationem iniustæ sunt, vnde in vsu non sunt: quo ad alias pœnas mitiores; v. g. quoad flagellationem possunt admitti: hæc tamen non tam est pœna in vindictam criminis, quam terror, ne iterum reus id audeat præstare. Sicut dominus seruum fugitiuum punit, qui tamen iuxta probabilem sententiam aliquando fugere potest, nam illa non est propriè dicta punitio, sed modus coërcendi, ne iterum aufugiat. 371 *Idem asse-ro.*

DVBIVM

DVBIVM XCI.

Reus effringens carcerem, teneturne damnum ruinæ parietum, vel rupturam carceris reparare?

372 *Nonnulla suppono.* SVppono, si occasione effractionis huius alij aufugerint delinquentes, non teneri reum ad damna, quæ inde actoribus, vel Reipublicæ obueniunt. Quia reus vtitur iure suo, illa autem damna per accidens, & præter eius intentionem obueniunt. Sibi imputet custos, qui negligens suo in munere extitit. Lessius *lib. 2. dub. 5. num. 38* Salon 2. 2. *q. 69. art. 4.* Sanchez *lib 6. consil cap. 4. dub. 9.* Salas *de legib. d. 15. sect. 7. num. 91* & alij communiter. Quæsierim autem, an saltem teneatur ad reparandum damnum ruinæ parietum, vel rupturam carceris à se factam?

373 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia si reus iure suo vsus est, & per accidens esse reputatur effractio carceris, nullam videtur reus contrahere reficiendi illam, obligationem. Sic Bañes cuius sententiam probabilem esse ait Malderus, & ambo citantur à Cardinali Lugo *to. 2. de iust. d. 40. n. 47.*

374 *Tenetur quidem.* Tenetur quidem. Quia illud est damnum directè intentum. Sed efficacior ratio ex alio principio in materia restitutionis est desumenda. Nam si Respublica, verb. grat. indigeat domo tua eamque diruere ad commune bonum expediat, tenetur, si potest, tibi iustum pretium soluere. Haud aliter si ego indigeo tuo equo ad fugiendos hostes, & mortem, teneor tibi eius soluere pretium: nec enim qui emere potest, censetur habere ius accipiendi gratis rem, qua indiget. Qui ergo qui opus habet destruere carcerem ad fugiendam mortem, videtur saltem teneri ad damni reparationem, vel ad solutionem pretij. Ita Sanchez Lessius, & communiter alij; quos memorat, & sequitur noster (meus, inquam mille titulis) Cardinalis Eminentissimus, & Sapientissimus.

375 *Id assero.* Idem assero. Cur enim reus gratis acciperet, quod emere potest. Illa autem damna cæterorum, qui ea occasione fugiunt, non tenetur ille reparare. Quia respectu eorum solum se permissiue habet: nec ipse ea sibi vsurpat. Sicut qui ad fugiendum in extrema necessitate, acciperet equum Antonij, non teneretur soluere damna, quæ Antonius fortasse ea de causa per accidens incurrisset: sed solum pretium equi, quem in illa necessitate potuit emere, quidquid inde sequeretur.

DVBIVM XCII.

Cum reus ex iuramento præstito tenetur fugere è carcere, vel redire si ex custodis licentia exit: estne ei relaxatio iuramenti concedenda, quando timet mortis pœnam?

376 *Status quæstionis.* QVi iuramento promisit manere in carcere, quando carceri est iustè addictus, & pœna quæ timetur etiam est iustè certum est, obligare iuramentum manendi, vel redeundi ad carcerem. Quæstio autem est, an concedenda sit illi illius iuramenti relaxatio, quando timet capitale supplicium.

377 *Concedenda est.* Concedenda quidem est. Quia id exigit ius, quod quisquam habet ad procurandam vitæ conseruationem. Sic Ludouic. Lopez, & alij, quos refert Sanchez *tom. 1. Dec. l. 3. c. 11 num. 36.*

378 *Concedenda non est.* Non est concedenda. Quia est iuramentum præstitum in fauorem tertij, sine vlla iniuria, vel turpitudine ex parte illius, qui iuramentum postulauit. Ita Sanch. *vbi sup.* cum communi Doctorum.

379 *Hoc verius mihi.* Hanc sententiam iudico longè esse probabiliorem. Nam cum reus in fauorem tertij vltroneus iuramentum emisit, censetur suo iuri tuendi vitam renunciasse.

DVBIVM XCIII.

Si iniustè quis carceri addicitur, & pœna inferta timet se afficiendum, obligatne iuramentum præstitum de non fugiendo, vel redeundo ad carcerem?

380 *Non obligat.* NOn obligat. Quia potius tenetur non redimere ad carcerem: esset enim reditus offerre se temere morti. Sic Vasq. 1. 2. *d. 174. cap. 5.* & alij, apud Sanchez *to. 1. Dec. l. 3. c. 11. n. 31.*

381 *Obligat quidem.* Obligat profecto. Quia illud iuramentum est de re licita. Iuramentum de re licita præstitum in gratiam tertij, obligat. Ergo. Maiorem probo. Quia licet ille alius peccet detinendo, vel puniendo iniustè innocentem: innocens tamen non peccat permittens se detineri, vel puniri. Sicut enim vsurarius peccat exigendo vsuras: tu tamen non peccas eas soluens, ideoque iuramentum de soluendis vsuris obligat, vt declaratur in *Cap. Debitorem, & de iureiur.* & fatentur omnes cum D. Thoma 2. 2 *q. 89. artic. 3.* Ita Angel. Tabien. Syluest. Armil. Tolet. & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *citatus, num. 32.* Suar *tom. 2. de Religion. de iuramento l. 2. c. 10.* Lessius *l. 2. c. 41. dub. 6.* Salas *de legib. d. 15 sect. 7. numero 95.*

Non

382 *Auctoris resolutio.*

Non me latet circa noſtram quæſtionem varias eſſe ſententias, quas refert Sanch. *l. 6. conſil. cap. 4. dub. 16.* Alij enim negant obligare iuramentum, quando carcer eſt iniuſtus. Alij limitant præcedentem, vt locum habeat, quando iniuſtæ mortis pœna timeatur. Alij idem docent, quando timetur quodcumque iniuſtum in perſona periculum. Alij id extendunt ad caſum, quando timetur periculum iniuſtum in fama, vel re familiari. Alij docent, obligare ſi carcer erat iuſtus, licet pœna iniuſta timeatur. Alij denique addunt, eum, qui timent mortem iniuſtam non ſolum non teneri, ſed nec (vti vidimus ex Vaſquio) poſſe redire ad carcerem. Ego autem probabilius iudicarim, loquendo regulariter, illud iuramentum obligare, quando non relaxatur, etiam ſi carcer eſſet iniuſte inflictus, & pœna etiam iniuſta timeatur, ob fundamentum à Doctoribus ſecundæ ſententiæ (quam eligo expreſſum. Addidi autẽ, *Regulariter loquendo.* Quia aliquando non obligabit: tunc ſcilicet, quando iurans reditum, permanentiamve in carcere, non exiſtimauit tantum fore periculum: cognito vero poſtea periculo, poterit licitè fugere. Quia caſus ille non videtur comprehenſus in iuramento præcedenti. Mecum Suarius *vbi ſuprà n. 16.* & Sancius *n. 34.*

DVBIVM XCIV.

Qui Iudicis ſententia damnatur ad manendum in carcere perpetuo propter delicta, poteſtne licitè fugere?

383 *Non poteſt.*

MInimè poteſt. Quia illa eſt iuſta ſententia, cui reus tenetur obedire. Quemadmodum ſi ad exilium damnaretur, deberet in exilium abire. Sic Sotus, Valent. Sayr. Aragon. Caietan. Vaſq. quos refert Salas *de legib. d. 15. ſect. 7. n. 88.*

384 *Poteſt planè.*

Poteſt quidem, ſi carceri perpetuo addatur obſcuritas, rigor, vel aliæ incommoditates. Quia reus obligatur quidem ſubire carceris pœnam, vt in eo viuat, non vt ex eius grauiſſimis incommodis moriatur: Id enim eſſet damnari reum ad mortem ſubeundam, non ad carcerem incolendum. Ita Sanchez *libro 6. conſil. cap. 4. dub. 12. & 18.* Leſſius *in præſ. cap. 31. dub. quint. numero 39.* Salas *vbi ſuprà.*

385 *Vtor diſtinctione.*

Cum his Doctoribus diſtinxerim. A carcere perpetuo grauiſſimo quidem ob præfatas incommoditates, licitè poterit reus fugere, ſicut à triremibus etiam perpetuis. Secus vero è carcere faciliori, & mitiori, qualem aſſolent habere ij, quos S. Inquiſitionis tribunal damnat alicubi carceris perpetui pœna. Ad pœnam enim eiuſmodi poteſt in conſcientia reus obligari, vt ad pœnam exilij, ac ſimiles.

DVBIVM XCV.

Religioſus damnatus iuſtè ad triremes poteſtne ab eis licitè fugere, ſicut ſæcularis poteſt?

CErtũ eſt, licet ſæcularibus concedatur poſſe licite fugere è carcere iuſto, hoc tamen Religioſis abnegari cõmuniter, Quia quidquid ſit de ſæcularibus, Religioſi tamen, qui ſe ſua libertate priuarunt, iam videntur renunciaſſe illi iuri, quod ad fugiendum è carcere poſſent habere: ſicut ſe etiam ſponte ad clauſuram, quæ eſt quaſi quædam ſpecies perpetui carceris obligarunt. Hanc tamen doctrinam ex Doctoribus citandis tempero. Primò quando Religioſus timeret pœnam capitis, vel mutilationis. Adeo enim eſt naturale ius tuendi vitam, & membra, vt nunquam videatur eſſe illi ſufficienter renunciatum. Secundò quando iniuſtè damnatus eſt perpetuò carceri. Tertio, quando iuſtè damnatus eſt, ſed modo iniuſto executioni mandata ſententia, vt ſi ſuſtos proprio motu deneget illicitum, veſtitum, vel alia ad vitam tuendam neceſſaria. Imo etiamſi iuſtè damnatus eſſet ad perpetuum carcerem ita incommodum, vt damnati ad mortem eſſe videatur, paulatim plenè ſubeundam. Caietan. Aragon. Nauarr. Salon, Bannes, Ledeſm. Manuel, & alij, quos refert, ac ſequitur Sanchez *lib. 6. Decalog. c. 8. numero 12.* Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 3. l. 2. c. 10.* Quæſierim autem, an Religioſus iuſtè damnatus ad triremes, poſſit ab eis licitè fugere, ſicut ſæcularis poteſt?

386 *Plurare colo de Religioſo an poſſit è carcere fugere.*

387 *Non poteſt fugere à triremibus.*

Non poteſt ab eis fugere. Quia Religioſi non habent tantam fugiendi libertatem, quantam ſæculares, ob obediendi votum, quo etiam à Monaſterio in triremes tranſlati adhuc adſtringuntur. Sic Sanchez *vbi ſuprà num. 16.*

388 *Poteſt equidem.*

Poteſt equidem. Quia eo ipſo, quod Religioſus ad illam grauiſſimam, & infamem pœnam damnetur, videtur iam ſæcularibus ad illam damnatis æquiparari: atque ideo eorum ſubire conditionem quoad hoc: ideſt, poſſe fugere, ſicut reliqui omnes. Ita Bannes *2. 2. q. 69. a. 4. poſt 5. concluſ.* Granado *de leg. tr. 3. d. 13. n. 28.*

389 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Satis enim eſt Religioſo, ſi patienter ferat eiuſmodi pœnam, quamdiù cogitur tolerare. Fugere itaque licitè poteſt. Modo tamen aufugiat, non vt dinagetur, ſed vt ſuperiorem adeat, aut ad Pontificem ſummum recurrat, veniam, vel remiſſionem aliquam periturus.

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
E. IV
6

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DVBIVM XCVI.

Reo, qui potest licitè fugere, possuntne alij, qui iustitiæ Ministri non sint, instrumenta ei ad fugam exhibere?

390 *Certa suppono de præbentibus reo auxilium, vt è carcere fugiat.*

CErta, in quo omnes conueniunt præmitto primò, Ministros, & officiales iustitiæ non posse id præstare, imò nec consulere, nec dissimulare in eiusmodi fuga. Quia ex officio tenẽtur bono publico consulere, & ad iustitiæ executionem iuuare; alioquin Reipublicæ essent proditores. Secundò, licere cæteris omnibus consulere reo fugam in his casibus, in quibus ipse reus potest licite fugere. Quia licitum est vnicuique consulere id, quod ipse, per se loquendo, potest licitè facere. Pertinet autem ad consilium ostendere etiam modum, quo possit reus facile euadere, vel vincula abrumpere. Tertio, minime alios posse reum iuuare effodiendo parietes, effringendo portas, vel alia similia agendo. Quia si non licet effringere portas, vel effodere parietes priuatæ domus, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas vim pateretur. Licet ergo reo ipsi propter naturale ius conseruandi se ipsum, id liceat agere, non tamen hoc licebit aliis, quibus id ad sui conseruationem necessarium non est. Quarto, posse Principem legem condere, qua prohibeat, ne aliquis reum adiuuet ad fugiendum, quæ lex iusta esset, & vtilis, nec supra hominum vires. An vero de facto sit talis lex in aliqua Prouincia consulenda sunt iura municipalia. His præmissis, quæsierim, an reo, qui potest licite fugere, possint alij, qui non sint iustitiæ Ministri, conferre instrumenta ad fugam, puta funes, limam, malleum, scalas, & alia similia.

391 *Non possũt reo ad fugiendũ auxilium præstare.*

Minimè possunt: Quia ad id datur prohibitio. Nam sicut prohibentur cæteri, ne possint cooperari immediatè reo effringenti portas: ita prohibentur, ne cooperentur mediatè præbendo funes, &c. Eadem enim est ratio. Profecto si id liceret, licitum etiam esset mittere in carcerem seruum; cuius auxilio reus vtaretur; ad effringendam portam carceris. Qui enim refert mittere securim, aut mittere seruum, cum vtrumque sit instrumentum aptum ad eundem effectum? Sic Sotus *libro quarto de iustit. quæst. sexta articulo 4.* Valent. 2. 2. *d. quinq. quæst. 13. puncto quarto* Nauarr. *summ. capite 25 numero 38.* Tolet. *libro quinto capite sexto* Grassi. *libro tertio capite septim.*

392 *Possunt omnino.*

Possunt omnino. Quia ipse reus licite potest licite illis instrumentis, ad fugiendum, vt: Ergo possunt alij illum consilio, & arte instruere, instrumenta que exhibere ad fugam consequendam. Consequentiam probo. Nam si aliquis posset solus in lacu piscari alieno, possem ego ei retia, & alia instrumenta piscandi commodare, hoc enim piscari non est. Si maritus posset licitè in foro interno adulterum occidere, sicut in foro externo potest, posset etiam alius non solum hoc illi consulere, sed etiam commodare gladium, ad id gerendum, licet solus maritus posset occidere. Ratio à priori est. Quia si solum concurrit mediatè ad aliquem actum, qui provt ab agente immediato, per se loquendo, est licitus, non potest in ordine ad illum contrahere malitiam, nisi aliunde specialem prohibitionem habeat, etiam mediatè concurrendi. Ita Caiet. 2. 2. *qu. 69. artic. 4.* Aragon *ibi.* Salon. *ibi, controuer. 3.* Petr. de Ledes. *tr. 8. de iust. commut. cap. 24 post 8. conclus.* Vasq. 1. 2. *d. 174. c. 3.* Medina, Orellena, Sa, & alij, quos affert Salas *d. 15. de legib. n. 92.* Malderus *in præs. c. 3. dub. 8.* Les. *hic, c. 32. dub. 6.* & alij plures. Sanch. *l. 6. consil. c. 4. dub 10.*

Vnam, & alteram sententiam æque probabilem esse crediderim. Secundam tamen eligo, cui minimè obstant contraria fundamenta. Abnego enim eandem esse vtriusque prohibitionis rationem. Nam qui cooperatur immediatè, lædit quidem ipse sine iure ad lædẽdum, qui vero mediatè cooperatur, non lædit ipse, sed est causa quod alius lædat, qui quidem ius lædendi habet, in quo nulla apparet malitia nisi aliunde specialiter prohibeatur. Ad illud autem, scilicet, quod liceret mittere seruum, qui reũ adiuuaret ad carceris ostia perfringenda respondeo esse magnum discrimen inter seruum, & securim, vnum enim est instrumentum animatum, alterum inanimatum. Seruus effodiendo carcerem delinqueret, quia contrectaret ipse rem alienam inuito domino, atque ideo dominus peccaret mittens, ac præcipiens seruo, quod seruus sine peccato præstare non potest. Securis autem scindendo non peccat, ideo neque qui illam mittit, cum nec sit causa peccandi, nec mittens immediatè effractioni, carceris cooperetur.

393 *Ex his sententiis æque probabilibus secundã eligo.*

CAPVT XII.

Circa Aduocati obligationes.

DVBIVM XCVII.

Qui in vna causa Aduocatus fuit, potestne in eadem Iudex existere, sit, vel non sit Iudex ordinarius?

NOn potest, etiamsi iudex ordinarius sit. Quia id prohibetur *l. eos, C. de appell. & l. Prætor, ff. de iurisdict. omni. Iudicum.* Habetur enim suspectum eius iudicium propter affectum ad eam partem, cuius Aduocatum gesserat. Sic Sanch. *l. 3. cons. c. vni. dub. 26.* cum communi Doctorum, addens sententiam non fore validam.

394 *Non potest.*

395 *Potest quidem.* Potest quidem, si iudex sit ordinarius. Quia iam ad ipsum ratione officij pertinet, capsas omnium subditorum iudicare, & diuersimodè creditur se habiturum causam, dum versat vti iudex, quam cum eandem vti Aduocatus versabat. Ita Alex. Paul de Castro apud Sanchez *numero* 2. Corduba *summ. quæst.* 159. adiiciens prohibitionem illam procedere in foro externo: in interno autem si iudex ex patrocinio præstito non moueatur, posse Iudicem esse.

396 *Idè sentio.* Probabilem hanc sententiam iudicans, eam amplector. Vnde si ille, qui Aduocatum in eadem causa gesserat, agnoscat, se ad illam partem cuius patronum egit non specialiter alliciendum, proculdubio poterit Iudex in illa esse. Quia lex illa solummodo in præsumptione fundatur. Mecum Diana *p. 3. tract. 5. resolut. 56.*

DVBIVM XCVIII.

Aduocatus potestne semper in causa dubia patrocinari?

397 *Plura certa suppono.* CErtum est, Aduocatum debere perscrutari diligenter causę iustitiam, antequam eam defendendam suscipiat. Certum est, peccare lethaliter, si ex malitia, vel ignorantia culpabili causam suscipiat iniustam, & quidem cum restituendi obligatione, Diu. Thom. *2. 2. quæst. 27. articul. tertio*, & alij communiter. Quæ quidem restitutio gerenda est non solum parti contrariæ, sed etiam suo clienti debet pro expensis satisfacere, nisi eum prius de iniustitia causæ monuerit. Hoc autem peccatum habet frequenter admixtam periurij malitiam. Quia pierumque assolet exigi ab Aduocatis iuramentum sui officij initio de causa iniusta, ac improba non suscipienda. *Leg. Rem non nouam. §. Patroni. C. de iudiciis.* Certum est, post susceptam causam, quam iustam putauit, si re postmodum aptius considerata, appareat iniusta, teneri Aduocatum clientem monere, & deserere causam. Iam requiro, an in causa dubia, possit semper Aduocatus patrocinari?

398 *Absolutè potest.* Semper potest. Quia tunc videtur esse æqualis vtriusque clientis iustitia: vnde Aduocatus potest cuilibet parti propugnator adesse. Sic Malder. Lorca, Merolla, quos refert, ac sequitur Diana *p. 1. tr. de opin. probab. res. 6.* & *p. 4. tr. 3. res. 47.*

399 *Non potest absolutè.* Non potest semper. Quia in causa ciuil. v. g. si actor sciat, se non posse probare contra possessorem, sed rem dubiam manere, iniuste agit, & eum diuexat, cum in dubio melior sit causa possessoris: Ergo Aduocatus sciens, se nihil pro actore posse allegare, quo eius intentio probetur, sed rem semper debere manere dubiam, ideoque Iudicem pro reo iudicare debere: non potest iustè actorem iuuare sententiam iniustam petentem. Ita Salas 1. 2. *tractat. 6. d. vnic. sect. 11. numero* 108. cum aliis.

400 *Auctoris resolutio.* Existimo, primam sententiam vniuersaliter, seu sine distinctione intellectam veram esse non posse. Debet ergo distinguere de dubio. Nam si dubium sit, stantibus meritis causæ, pro quo debeat sententia proferri: vnicuique fas est sua merita proponere. Si autem perpensis omnibus allegatis, & quæ allegari possunt, certum sit, sententiam pro reo proferri debere, quia causa manet dubia, & reus in dubio debet absolui: non video quomodo licitè possit Aduocatus actori fauere. Quia tunc non dubiam causam, sed iniustam planè tuetur. Certè accusator videns, se non posse contra reum probare, iniustè accusat, vt omnes fatentur: Ergo Aduocatus illicitè iniustæ accusationi assistit. Quod quidem procedit etiam in causa ciuili, vt vidimus.

DVBIVM XCIX.

Quando causa vtriusque clientis probabilis est, alterum tamen probabilior, Aduocatus potestne sine distinctione, minus probabilem defendere?

401 *Status questionis.* QVando causa vnius fere nihil habet probabilitatis, vt vix sit moraliter spes in ea obtinendi, eo quod apud iudices semper reiiciatur: regulariter conueniunt Doctores, non licere Aduocato eam suscipere. Quia facit sine fructu à suo clienti tempus, ac pecunias expendi, & quia illa causa communiter probabilis non æstimaretur. Est vero difficultas, quando causa vtriusque est probabilis, alterius tamen probabilior: num possit Aduocatus minus probabilem defendere.

402 *Non potest.* Minimè potest. Quia iudex tenetur sententiam ferre pro parte probabiliori regulariter loquendo: Ergo Aduocatus non potest defendere causam minus probabilem: hoc enim esset petere à iudice id, quod iudex licitè facere non potest. Et quia ad iustitiam belli non sufficit, quod secundum opinionem probabilem habeat Princeps ius aliquod cõtra alium, pro quo stat probabilior sententia: Ergo nec Aduocatus potest contra aliquem probabiliorem habentem causam decertare. Sic Les. *lib. secund. cap. 31. dub. 9.* Sotus *lib. 5. de iustit. quæst. 8. articul. 3.* & alij. Adiicunt verò id intelligendum, vt possit defendi res in causa minus probabili. Possit item suscipi causa actoris minus probabilis in rebus parui momenti. In causis autem maximi momenti non potest suscipi causa actoris minus probabilis contra reum habentē causam probabiliorem.

403 *Potest quidem.* Potest planè suscipere causam actoris, vel rei minus probabilem sine distinctione, dummodo cliens de sua minori probabilitate moneatur. Quia illa distinctio de causis leniotibus, vel granioribus non habet fundamentum. Si enim reus habet ius in causis granioribus, id in omnibus habebit, cum lex vniuersaliter dicat, in æquali causa fauendum esse reo. Ratio autem à priori est. Quia licet reus habeat causam probabiliorem actor tamen habet causam probabilem. Ergo probabile est, meliorem esse actoris causam:

causam : Ergo Aduocatus sequendo hoc iudicium probabile potest illam suscipere tanquam causam meliorem , & veriorem. Ita Vasq. 1.2 *d.* 64. *cap.* 1. Salas 1.2. *tract.* 8. *d. vnic. sect.* 11. *numero* 10. & 104. Azor , & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *libro* 1. *Decalog. cap.* 9. *numero* 53. Lorca, Turrian. Villalob. quos affert, ac sequitur Diana *p.* 2. *tr. de opin. prob. resol.* 4.

404 *Verius hoc mihi.* Cùm his longè verius opinor. Nec enim contraria fundamenta vrgent. Fateor enim iudicem ex officio teneri partem probabiliorem eligere : Aduocatum vero non habere talem obligationem à Republica sibi impositam: nec etiam Iudici aliquid illicitum suadere , non enim suadet , vt pro parte minus probabili iudicet , sed conatur ostendere causam sui clientis esse veriorem , vt eo modo iudex fortasse conuincatur, & putet eam probabiliorem esse : & pro illa iudicet. Non enim tenetur pro parte probabiliori vtcumque iudicare , sed pro ea , quæ ipsi probabilior visa fuerit. Ad argumentum autem ex iustitia belli petitum , quidquid sit de antecedenti, de quo sunt variæ doctorum sententiæ abnego consequentiam. Quia bellum est executio sententiæ, quare Princeps iam se habet vt index condemnans partem contrariam. Licet autem index non possit contra sententiam probabiliorem iudicare: Aduocatus tamen potest causam minus probabilem defendere; quia ipse defendendo non definit, nec militat exequendo sententiam : sed proponit rationes ad experiendum , an iudici fortasse probabiliores vel æque probabiles rationibus contrarijs appareant.

DVBIVM C.

Quando cliens habet bonum ius in causa possessionis, non tamen in proprietate. Aduocatus potestne eum defendere in causa possessionis, interim dum non vertitur causa circa proprietatem?

405 *Defendere eum non potest.* EVm non potest defendere. Quia tunc cliens tenetur in cõscientia reddere vero domino statim rem illam quoad proprietatem, cum sciat certò non esse suam, sed illius: Ergo peccat defendendo possessionem : Ergò Aduocatus etiam peccat eum adiuuando , & illius cooperando delicto. Sic Burgos de Paz *in proœm. legum Tauri, nu.* 258. Medin. *sum. c. de Aduocat. & Procurator.* fauet. Colligitur ex Innocent. *Cap. Pastoralis, n.* 6. *de causa poss. & propriet.*

406 *Potest eum defendere.* Defendere potest. Quia iudex in prædicto casu rectè faciet, conseruando illum in possessione , donec de proprietate agatur , leges enim id volunt ad vitanda grauiora mala: Ergò Aduocatus petere, & consulere iudici id, quod ipse iudex potest, & debet facere. Aduocatus enim solum dicit , quid hîc & nunc iuxta leges index facere debeat. Ita Par. *Escob. & Mend. Theol. Mor.* To. VII. lador. *tract. rer. quotidianar.* plures referens.

Hanc sententiam probabiliorem esse iudico. Nam licet litigans peccet , tunc petendo possessionem : Aduocatus tamen non cooperatur positiuè ad illud peccatum , sed solum permissiuè. Quia sicut leges permittunt, imò volunt , illum non spoliari, donec iuridicè constet de defectu ad proprietatem, & per consequens permittunt , illum conseruari in possessione iniustà: ita iudex potest id permittere , etiamsi sciat iniustitiam circa proprietatem. Ita Ergo Aduocatus potest consulere, & petere , vt permittatur ; omnes enim permissiuè se habent ad grauiora mala vitanda. Quare si cum meretrix petens à Prætore defendi ab iis , qui eam volunt à meretricio impedire, peccat quidem petendo. Prætor tamen non peccat concedendo, nec Aduocatus, qui hoc Prætori consuleret ; nam hi solum concurrunt ad permissionem : ita in nostro casu dicendum videtur. Ratio autem est. Quia Aduocatus exercet verè munus consultoris apud Iudicem : respondet enim consulendo prout de iure. Quare licet hoc consilium in fauorem suæ partis redundet , & ideo ab ea solicitetur ad consulendum , dum tamen ipse clientem iniustum non foueat, nec eius intentionem approbet , sed solum se habeat ex parte Iudicis, consulendo , & exponendo illi quæ agere debeat ex suppositione , quod ille cliens petat illius rei possessionem : non videtur ad malum positiui , sed permissiuè cooperari , atque ideo fauere legislatoris intentum, quod licitum est.

407 *Hãc sententiam probabiliorem esse reor.*

CAPVT XIII.

Circa Notariorum obligationes.

DVBIVM CI.

Notarij peccantne , & contra sui numeris debitum, tradendo partibus, vel earum solicitatoribus, aut Procuratoribus processus originales, vel scripturas originales habentes?

408 *Peccant quidem contra iuramentum.* PEccant quidem. Quia Notarius vel Tabellio iuramento expresso promittit , apud se retenturum omnium instrumentorum originale : Ergo *graviter* tradens id partibus , vel earum solicitatoribus, aut procuratoribus contra iuramentum, ac fidelitatem promissam delinquit. Sic Nauarr. *sum. cap.* 25. *numero* 52. Tolet. *capit.* 5. *numero* 41.

409 *Non peccat.* Non peccat. Quia iuramentum retinendi scripturas originales non violatur, quando sine periculo per aliquod breue tempus partibus, aut earum procuratoribus traderetur, perinde enim est, ac si apud ipsum Notarium retinerentur. Ita Card. Lugo *to. 2. de iust. d. 41. n. 1.*

410 *Auctoris resolutio.* Scio, Notarium teneri, iustè, fideliterque suum munus exercere non solum ex debito muneris, sed ex iuramento, quo multa in speciali promittit, scilicet, quod conficiet instrumenta, de quibus fuerit rogatus verè, ac fideliter, quod seruabit secretum sibi commissum, quod non conficiet scienter instrumentum vsurarium, quod retinebit apud se originale omnium instrumentorum, quod nullo odio, amore, spe, vel timore officio suo abutetur, &c. Vnde existimo, peccare graviter cum obligatione restituendi, quando subest periculum, quod amittatur instrumentum originale, vel falsificetur, aut aliqua immutetur ex parte. Quando vero nullum esset tale periculum, crediderim Notarios peccati grauis haud esse damnandos.

DVBIVM CII.

Notarij, qui protocollum impleri non curant delinquuntne lethaliter?

411 *Status quæstionis.* SOlent Notarij ob angustias temporis retinere apud se registrum summarium, & breue, quod *Protocollum* appellant, vbi rei substantia breuiter continetur, quam postmodum, dum vacauerit extendant: interim autem tradunt partibus exemplaria extensa. Contingit verò, hæc protocolla summaria per menses, & annos apud Notarium imperfecta manere. Quæritur itaque, num Notarius lethaliter delinquat?

412 *Delinquit quidem.* Delinquit profecto. Quia adest morale periculum grauis incommodi, potest enim contingere, quod Notarius obeat illis non extensis, & per consequens non deseruiant ad fidem agendam. Sic Toletus *libro quinto numero 41.*

413 *Non delinquit lethaliter.* Non delinquit lethaliter. Quia plerumque scriptura licet non extensa, manet tamen cum tota substantia, & cum subscriptione necessaria, licet non cum solemnitatibus accidentariis. Huiusmodi verò scripturæ Originales assolent fidem facere in iudicio. Ita Lugo Cardinal. *tomo secund. de instit. p. 41. numero 15.*

414 *Auctoris resolutio.* Existimo, hoc verum esse quando illæ scripturæ (vt ait Cardinalis) fidem in iudicio facere valeant, & in hoc casu posse Confessarium mitius cum Notario procedere, dummodo ipse curet paulatim eas scripturas perficere, & absoluere. Quando vero scripturæ manent solum in compendio super notas ad memoriam solum deseruientes, & quæ in iudicio fidem non faciunt: oportet Notarium vrgere, vt eas quam primum extendant, quod si hoc semel, & iterum prætermittere, & non præstarunt, absoluendi non sunt, donec perficiant, vel modum statuant, quo de facto perficiantur. Itaque si loquamur de his protocollis, quæ fidem non faciunt in iudicio, veram esse Cardinalis Toleti censuram Lugo Cardinalis resoluit.

DVBIVM CIII.

An delinquant graviter Notarij, vel Secretarij, facientes processus, & causas ad alios Iudices, vel Relatores, vel receptores venire, ad quos iuxta ordinem Curiæ venire non debeant, & ad teneantur ad restitutionem?

NOn peccant graviter saltem contra litigantes, sed ad summum contra illum Relatorem, cui occasio illa emolumenti auferetur. Huic autem damni satisfieri potest procurando illi alium processum vel causam æque vtilem. Quia quod hic Relator referat causam potius, quam alius non videtur contra litigantes grauis iniuria, & quod hic iudex audiat potius, quam alius parum, aut nihil refert, cum & Iudices, & Relatores omnes sint approbati, & cum alioqui pars possit iudicem, vel Relatorem sibi suspectum recusare. Sic vni docti à Cardinali de Lugo *consulti*, vt ipse asserit *to. 2. de iust. d. 41. n. 16.* 415 *Delinquunt graviter cū obligatione restituendi.*

Graviter delinquunt cum restituendi obligatione. Quia licet ille qui deputatus est ex munere ad distribuendas causas inter iudices, & officiales alios: id possit facere, alij tamen, qui id ex officio non habent, vel qui id debent per sortem præstare, aut per aliam viam determinatam, non possunt illum modum inuertere sine litigantis iniuria, cuius valde interest habere hunc iudicem, vel Relatorem, magis quam alium. Et quidem graue onus est cogi ad eos recusandos: nec enim semper recusatio auditur nec vitari poterunt grauissima inconuenientia ex eiusmodi recusatione oriri solita. Ita meus Sapientissimus Cardinalis *vbi supra?* 416 *Graviter delinquunt cum restituendi obligatione.*

Hoc longè verius esse credo. Quia valde nocere assolet hæc iudicis, vel Relatoris variatio litiganti, & per consequens cum fiat ab eo, qui non habet ius, videtur fieri contra ius, per dolum, & iniuriam. Fateor, aliquando ex huiusmodi variatione accidentale esse, vt propterleuiorem materiam grauem non contineat iniuriam, sed tamen ex genere suo graue esse contra iustitiam placitum affero. In ipso tamen litigante, qui procurat, suam causam venire ad tales, vel tales Iudices, vel Relatores regulariter contra iustitiam non erit, si absit vis, vel dolus, & procuret id per media licita, hoc est, petendo ab illo, qui habet plenam potestatem causas inter Iudices distribuendi: vel 417 *Hoc longè verius esse credo.*

vel obseruando tempus, in quo hæc causa debeat, ad hunc iudicem, & non ad illum spectare. Fauet vius.

DVBIVM CIV.

Notarius, qui gessit instrumenta falsa in damnum tertij, si constitutus in mortis articulo vnde restituere possit non habeat, nec parti, cui fauit, valet persuadere vt restituat: teneturne schedulam apud Confessarium subscriptam relinquere, in qua scripturæ illius falsitatem declaret?

418 *Certa supposita.*

CErtum est, Notarium, qui instrumenta falsa gessit in damnum tertij ad restitutionem teneri, non restituentibus iis, qui emolumentum illud accepere. Si vero existens in mortis articulo, non habeat, vnde restituat, teneri ad faciendum, quantum in se est, vt pars seruetur illæsa: non tamen esse obligatum, ad se prodendum, & infamandum cum tanto dedecore, quia res inferioris ordinis non debent restitui, regulariter loquendo, cum iactura rerum ordinis superioris, quæ iuste possidentur iuxta communem Doctorum sensum, quem tradit Les. *l. 2. c. 11. dub. 15.* Debet autem alloqui eum, in cuius fauorem scriptura facta est, eique suadere, vt restituat, aut scripturam sibi reddat: minarique, & indicare, quantum sine mendacio potuerit, se alioquin falsitatem manifestaturum, si hoc autem non sufficiat, quæsierim, num teneatur schedulam apud Confessarium relinquere subscriptam, in qua declaret falsitatem illius scripturæ, ad quam se remittat in testamento, illius schedulæ authoritatem declarans.

419 *Tenetur plane.*

Tenetur sanè. Quia id remedium efficax est, nec nimium acre, cum potius declaret pietatem illius, qui honorem suum obligationi postposuit. Sic nonnulli, quos, presso nomine, memorat Card. Lugo *tom. 2. de iust. d. 41. num. 17.*

420 *Non tenetur.*

Non tenetur. Quia etiam illo modo se pœnitens infamabit saltem post obitum, potest vero illa infamia esse tanta: vt non obligetur cum tanto incommodo damnum pecuniarum ex falsitate scripturæ proueniens reparare. Ita Sapientissimus Cardin.

421 *Quid gerendum in hoc casu expono.*

Ex cuius mente dixerim, illud remedium schedulæ plerumque esse bonum, & iniungendum: vniuersaliter tamen minimè obligare. Doctrinam expendo Mater adultera non tenetur cum onere tanto infamiæ manifestare semper suum adulterium, ad impediendam filij spurij successionem, & legitimi damnum, aliquando tamen tenebitur id facere, quando infamia illa sit talis, quæ merito postponenda sit ingenti damno eximiæ hæreditatis. Similiter de Notario cum proportione dicendum. Nam illa regula, quod non obliget restitutio bonorum inferiorum cum bonorum ordinis superioris iactura, debet accipi cum hac limitatione. Quis enim dicat, quod aliquis excusetur à restituenda magna hæreditate eo quod timeat febrium, vel quatuor dierum esse corripiendum, & per consequens iactura aliqua sanitatis, quæ est in ordine bonorum superiori? Imo ipsimet qui matrem adulteram excusant ab adulterio manifestando: dicunt teneri eam id manifestare filio, si sperat eum creditorum, & restitutionem acturum: Ergo iam supponunt teneri matrem cum aliqua fame iactura: nam hoc ipsum filio manifestare, est se infamare apud illum. Debet ergo accipi illa regula cum proportione, hoc est, excusari aliquem à boni inferioris restitutione, quando id agere non potest sine tali boni superioris iactura, quæ viri prudentis iudicio sit cum illo bono inferiori incomparabilis.

DVBIVM CV.

Notarius teneturne restituere, quod accepit vltra pretium à lege noua taxatum, ob instrumenta, quæ conficit?

SI taxatio sit iusta tenetur procul dubio ad restituendum: an vero sit iusta, ex multis circumstantiis pendet, quæ in facto sunt considerandæ, plerumque enim quando leges taxantes sunt valdè antiquæ, non censentur iam iustæ; quia rerum omnium aucta sunt pretia. Quid si nouæ sint leges? tenebiturne ac restitutionem eorum, quæ vltra taxam illam accepit? 422 *Quæstionis status.*

Non tenebitur. Quia adeo ex communi ciuium vsu (vel potius abusu) sic sumptus quotidie crescunt, vt Notarius nequeat si taxa sit obseruanda, decenter, vti reliqui conciues, victitare. Sic nonnulli Auctores. 423 *Non tenetur.*

Tenebitur profecto. Quia pro legis nouæ est præsumendum obligatione. Ita alij Doctores, quorum sententiam approbat Card. Lugo *to. 2. de iust. d. 41. n. 19.* 424 *Tenebitur.*

Hoc vnice verum esse iudico. Nec obstat Notarium dictitare, haud posse ali familiam, si lex illa sit obseruanda. Quia id prouenit ex eo, quod velit alere familiam suprà sui status conditionem. Deberet enim considerare, crescente Notariorum, eorum iam operas viluisse, ac proinde non posse, nec debere nunc illum splendorem conseruare, quem nobiles viri, vel quem haberent, si pauciores essent vt olim in Republica Tabelliones. Fateor aliquos esse casus, in quibus Notarius aliquid possit vltra commune pretium accipere, quos lege apud Cardinalem *citatum numero 19.* 425 *Hoc vnicè verum esse credidi.*

DVBIVM CVI.

Notarius faciens scienter instrumentum pro contractu vsurario, illum explicans: obligaturne ad restitutionem, si fiat in eo loco, vbi Iudices solent ad soluendas vsuras obligare?

426 *Certare fero.* COnueniunt doctores, si instrumentum expresse contineat contractum vsurarium, non peccare Notarium contra iustitiam regulariter loquendo. Quia virtute illius instrumenti iudex non obligabit mutuatarium ad soluendas vsuras, licet aliunde Notarius peccet. Conueniunt item, quando non explicatur, sed palliatur contractus vsurarius sub nomine alterius debiti, tunc Notarium contra iustitiam delinquere illud instrumentum conficiendo, quo postea mutuatarius cogetur, illud debitum soluere, quando instrumentum non conficitur petente, sed potius inuito mutuatario: Quæsierim vero, an, quando instramentum explicat contractum vsurarium, obligetur tamen Notarius ad restitutionem, si fiat in eo loco, vbi Iudices assolent ad soluendum vsuras obligare?

427 *Non obligatur ad restitutionem.* Non obligatur Notarius ad restitutionem, etiamsi illud instrumentum non fiat ad mutuatarij petitionem. Quia ipse solùm dedit nudum testimonium veritatis, quod per accidens concurrit ad damnum alterius: scilicet ex malitia Iudicis illo testimonio abutentis, & mutuatarium ad vsurarum solutionem condemnantis. Sic Medin. *C. de vsur. q. 4. §. de cooperantib.* Angl. *q. de restit. Aduocati, diffic. 6. concl. 3.*

Obligatur equidem. Quia sequi illum effectum ex iudicis malitia, non liberat à malitia iniustitiæ cooperationem illam antecedentem: Exemplum exhibeo: si scias Petrum quærere inimicum, ad eum interimendum, & aperias illi, vbinam sit, testificaris plane verum, sciens tamen Petrum illa notitia abusurum ad homicidium ex sua malitia, non eris verè à peccato iniustitiæ liber, sed homicidij particeps, saltem si nulla cogente necessitate cooperatus fuisti. Ita Sylu. *v. Vsura q. 7. Les. l. 2. c. 20. dub. 21. n. 180.* Tolet. *l. 5. c. 61.* Nau *l. 3. de rest. c. 2. p. 2. dub. 10.* Mald. *tr. 5. c. 3. dub. 54.* & alij. 428 *Obligatur quidem.*

Hanc sententiam communem quidem, veriorem esse iudico. Nam si tyranno occidente Christicolas, tu Antonium Christianum esse manifestes, verum testificaris, quo tamen tyrannus abutitur ad homicidium, cuius tu etiam particeps eris. Ergo Notarius fidem faciens ac contractu vsurario, quem scit à iudice mandari executioni, illi iniustæ exactioni futuræ cooperatur, & per consequens tenetur saltem tertio ad restitutionem. Prius enim tenetur qui accipit vsuras, deinde Iudex, posteà Notarius. 429 *Hoc mihi probabilius.*

LIBER LXI.

DE Tributis, & Vectigalibus iam sermo procedit. Ostendam, Qui ea imponere iure possint? Quibus rebus? Quænam soluendi obligatio? Quinam à Tributis sint immunes?

SECTIO PRIMA.

De Tributis Receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

Quid sit Tributum, Vectigal?

1 *Quid tributum generatim. Et de vectigali, ac portorio speciatim.*

TRIBVTVM, seu vectigal generatim acceptum, est *pensio, quæ Principi soluitur ad onera communia sustentanda.* Profectò pensio hæc variis nominibus appellatur iuxta varietatem causarum, ob quas imponitur. Nam pensio, quæ soluitur pro rebus, quæ in Prouinciam inuehuntur, dicitur *Vectigal*, & *Portorium* Hispanè *Portazgo.* Et etiam *Portorium* vocitatur pensio illa, quæ soluitur pro transuectione mercium per pontes ad earum conseruationem.

2 *De Pedagio, & Gabella.*

Pensio vero, quæ soluitur à transeuntibus per aliquam viam pro viarum custodia, dicitur *Pedagium* Hispanè *Peage.* Quæ soluitur pro rebus venditis, vel permutatis, *Gabella* Hispanè *Alcauala* appellatur.

3 *De Tributo personali, & reali.*

Quæ autem pensio singulis personis imponitur, ad eas solùm attendendo specialiter dicitur *Tributum Personale*, seu *Capitale.* Demum pensio, quæ imponitur ratione bonorum, quæ quis habet, habita eorum proportione, etiam dicitur specialiter *Tributum*, & quidem *Reale* Omnes sic Doctores.

CAPVT II.

De iis, qui iustè possunt Tributa imponere.

4 *Qui in suis terris nullũ superiorem recognoscũt possunt tributa imponere.*

QVI qui suis in terris nullum superiorem recognoscunt, nempè Imperator, Rex, Respublicæ perfectæ; & alij Principes possunt tributa, seu vectigalia imponere, quia eis incumbit Reipublicæ cura, & administratio. Consonum ergò est rationi, vt possint à subditis tributa *tuta imponere.*
necessaria exigere ad suæ potestatis conseruationem, & ad prospiciendum Reipublicæ, & ad illius curam gerendam.

5 *Non id possunt inferiores.*

Non autem id possunt alij inferiores supremum aliquem recognoscentes, nisi ab eo eam facultatem sint adepti, saltem consuetudine legitima, quia inferioribus hisce non incumbit Reipublicę prospicere, nisi cum subordinatione ad supremum Principem: ac proinde nec tributa imponere nisi ex Principis præscripto. Est omnium.

6 *Qui illegitimè noua tributa imponunt, vel vetera augent, & exigunt, non solùm tenentur ad restitutionem, sed etiam incurrunt excommunicationis pœnam in Bulla cœnæ contentam. Bonac. in exposit. Bullæ cœnæ q. 6. & 19. punct. 1. & 3.*

Attamen quamuis inferiores nequeant tributa imponere, Oppida superiorẽ recognoscentia possunt *collectas*, seu *talias* Hispanè *sisas* imponere oppidanis pro aliqua publica Oppidi necessitate. Gasp. Hurtad. *de inst. d. 14. diffic. 2.* ex communi.

excommunicationem incurrunt.

CAPVT III.

De conditionibus requisitis, vt Tributa, seu Vectigalia iustè imponantur.

7 *Tria requiruntur, vt iustè tributa imponãtur. Primo, vt sit iusta causa.*

PRÆTER legitimam authoritatem tria requiruntur, vt tributa, seu vectigalia iuste imponantur. Primò quidem vt adsit iusta causa. Est autem causa iusta ad id, necessitas, aut vtilitas magna ad cõmune bonũ, quãdo ei nequit aliter quã tributo ũ impositione commodè prospici, v. gr. quã lo hæc impositio est necessaria, vel valde vtilis ad viarũ securitatẽ, vel ad mœniotũ reparationẽ vel pontiũ; & præsertim ad defẽsionẽ patrię, vel ad eius trãquillitatẽ. Vel ad cõ-

gruæ Principis sustentationem, quando ei nequit subueniri nisi tributorum impositione quia Principi bono cõmuni Reipublicę prospiciẽti debita proculdubio est sustentatio sic omnes. Et id verum crediderim, etiamsi necessitas impositionis tributorum culpa Principis contingat: vt quando sua prodigalitate exactum est publicum ærarium, aut captus est in bello ex sua parte iniusto, ac redimendus est, aut aliter incidit in inopiam, si ea bono si nociua communi. Existimo verò tributa, quæ imponuntur, quia Princeps sua culpa subiit inopiam, teneri eum, si possis restituere. Hurtad. *de iust. disp. 14. dub. 3.* & alij.

8 *Secundò, vt sit necessitati proportionatũ.*

Secundò requiritur, vt tributum sit necessitati proportionatum, pro qua imponitur proportione Arithmetica, idest, quod non imponatur maius, quam necessarium sit.

9 *Tertio, vt proportionatum sit etiam subditis.*

Tertiò vt imponatur proportionatum etiam subditis proportione Geometrica, id est, iuxta facultates, & lucra subditorum, nempe quod ditioribus & magis lucrantibus maius imponatur, & minus eis, quis minus ditiores sunt, & minus lucrantur, quantum commodè fieri possit. Ex his colligo, cessante necessitate in totum, vel in partem, etiam debere cessare tributum in totum, vel in partem, nisi necessitas non supereueniat, ob quam potuisset de nouo imponi.

CAPVT IV.

De rebus, quibus possunt iustè imponi Tributa.

10 *Ordinariè non est tributum imponendum super rebus quæ ad vsũ necessarium venduntur, vel emuntur.*

TRIBVTA possunt iustè imponi rebus, quæ ad lucrum seu negotiationis causa venduntur. Vnde grauissimis Doctoribus placet, ordinariè licitum non esse ea imponere super eis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, quia his rebus magis grauantur pauperes, quam diuites. *Cap. Quamquam de cens. in 6. leg. Vniuersi, C. de vectigal.* Exactores autem huiusmodi vectigalium sunt excommunicati in Bulla cœnæ Dom. *p. 2. tr. 3. resolut. 28.* Citet *v. Vectigal.* Angel. *v. Pedagium, nu. 3.* Tolet. *l. 5. c. 73.*

11 *In quatuor tamen casibus possunt talia tributa imponi.*

In quatuor tamen casibus possunt talia vectigalia imponi. Primò, si publica necessitas vrgeat, & vectigalia, quæ alunde possunt colligi non sufficiant. Secundò, si ob aliquam causam publicam ex totius populi consensu statuantur. Tertiò, si pro viarum securitate, nempe personarum, aut rerum deuehendarũ imponantur, quando, earum securitati aliter consuli nequit. Quartò, si sit consuetudo, quæ hominum memoriam excedat: modo non constet, causam, ob quam imposita tributa fuere, cessasse. Nauar. *Sum. cap. 17. numer. 202.* Sylueſt. *v. Gabella 3. q. 5.* Les. *lib. secund. cap. 33. dub. 7.* Sylu. *1. 2. 2. q. 66. a. 8. concl. 4.* Vnde non est damnanda consuetudo, quæ gabellę imponũtur carnibus, piscibus, vino, sali, oleo & aliis huiusmodi rebus, quãdo venduntur, vel emũntur vel extrahuntur etiam ad proprios vsus, quia non est contra ius naturale, vel diuinũ, vt huiusmodi gabellæ, vel collectæ imponantur; non enim requiritur, vt pauperes magis, quam diuites onerentur: nam pauperes solent paucis esse contenti, ac modico viuere, vnde pauca vendunt, vel emunt, & consequenter modicum soluunt. Et quia ius Canonicum, & ciuile possunt consuetudine abrogari, quare hæc in re considerandæ sunt Prouinciarum, vel ciuitatum consuetudines. Præfati Doctores.

CAPVT V.

De soluendi tributi obligatione.

12 *Gabellæ iustæ in foro conscientiæ sunt soluendæ.*

GABELLÆ iustæ soluendæ sunt in foro conscientiæ, & eas fraudantes in summa notabili, lethaliter peccant, & ad restitutionem tenentur, quia quod iuste exigitur, haud potest absque iniustitia defraudari: Sayr. *in Clau. l. 9. cap. 16. num. 30.* Les. *l. 2. c. 33. dub. 8.* Valent. *to. 3. d. 5. qu. 6. pun. 5.* Molina *tr. 2. d. 674.* Tolet. *l. 5. cap. 73. num. 3.*

13 *Circa extorum tributorum seruanda locorum consuetudo.*

Scio Doctoribus placere non paucis, vectigal pro rebus de loco in locum transuectis solui non debere, nisi exigatur, modo nihil actum sit fraude. Crediderim autem satius esse, seruare loci consuetudinem, vt scilicet subditus sponte se debere id aperiat, si consuetudine receptum sit: alias non. Vasquez in *opusc. c. 6. § 3. d. 2. n. 26.*

14 *Non debet vectigal, qui ad grauissimas sue vectigalis forma carens. Petr. Nauarra l. 3. de restit. c. 1. n. 236.* & alij.

Profectò ille, qui rem aliquam defert, emit aut vendit ad suæ extremæ, vel magnæ necessitatis leuamen, non debet in conscientia vectigal, quia respecta talis personæ censetur immodicum, ac proinde debita iusti cessatis rem vendit.

15 *Non debetur tributa quãdo causa cessauit.*

Gabella, vectigal, seu tributum non debentur, quando cessauit causa propter quam imposita fuere, quando autem causa cessauit solùm per accidens, & Princeps agit, quod in se est, remanet soluendi obligatio, quia iuste tunc exigitur. Princeps verò non præstans id ad quod tributum accepit, tenetur ad restitutionem, quia non pro se sed pro tali causa tributum accepit. Molina *tract. secund. d. 667.* Vasquez *opusc. cap. sext. §. 3. d. 4. & 5.* Suar. *de censur. d. 4. c. 5.*

16 *Non debet tributum qui emit ab eo quem sit illud fraudasse.*

Emptor nõ tenetur ad soluenda vectigalia pro mercibus emptis à venditore, quẽ nouit debitũ vectigal fraudasse: etiam si illud soluendum sit ex quota, idest, aliqua portione, & parte determinata mercium, quia onus soluendi vectigal pertinet ad eum, qui res adnehit, & vendit, modo emptor non fuerit cooperatus venditori ad gabellam defraudandam. Officiales tamen possunt facere executionem in illis mercibus, pro quibus tributum solutum non est, quamuis merces ad alios perue-

nerint, quia eiusmodi merces hypothecæ obligationem contraxere, cum qua transeũt ad emptorem; executio autem fieri potest in re, quæ fuit hypotheca. Molina *tract. secund. d.* 675. Sà *v. Gabella, n.* 9. Lessius *l.* 2. *c.* 33. *dub.* 9.

17 *Potest Principis creditor vectigalium fraudatione sibi cõpensationẽ facere, quãdo aliter non potest.*

Principis creditor potest sibi fraudatione vectigalium compensationem facere, quando non potest solutionem sibi debitam à Principe obtinere: Et hoc verum, etiamsi alteri elocatum sit vectigal. Quia conductor non habet maius ius, quam principalis habet. Idem visuenit in censibus. Decimis, & similibus iuribus elocatis alteri: modo Dominus principalis non transferat totum ius, seu dominium vectigalis seu census in conductorem: tunc enim si prior dominus mihi ex causa aliqua debitor fieret, post illam alienationem, vti compensatione non liceret. Sylvest. *v. Gabella* 3. *q.* 9. Nauarra *de rest. l.* 3. *c.* 1. *n.* 246. Molina *tr.* 2. *d.* 674. *num.* 10. Vasquez *opusc. c.* 6. §. 3. *dub.* 3. *n.* 37. Malder. 2. 2. *tract.* 5. *c.* 9. *d.* 16. Diana *p.* 2. *tract.* 2. *resol.* 16.

CAPVT VI.

De iis, qui sunt à tributorum solutione immunes.

18 *Quinam Clerici sint à tributorũ solutione immunes.*

OMNES Clerici Sacrorum Ordinum, & Beneficiarij, & Religiosi: & Religiosæ ab obligatione gabellarum, vectigalium, tributorum, & aliorum onerum sunt immunes. Quia hi omnes vel firmiter Ecclesiastico sunt statui addicti, vel actu Ecclesiæ deseruiunt. Clerici vero minorum Ordinum, & primæ tonsuræ secundum Canones, si non sint coniugati, liberi etiam sunt à tributis. Longa tamen cõsuetudine contraria hi, qui nec beneficium habent, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt videntur hanc exemptionem amisisse, etiamsi coniugati non sint, quia iam à multo tempore vectigal, & gabellas sicuti laici soluunt. Coniugati vero Clerici neque iure Canonico, neque consuetudine sunt à vectigalibus exempti. Manu. *parte secund. sum. capit.* 73. *numer.* 18. Couarruuias *pract. capit.* 31. *numer. quinto &* 9. Quaranta, *v. Vectigal.* Diana *parte prim. tract. secund. resol.* 36. & 37. *Cap. Quanquam, de cens. in* 6.

Clericus negotiationem exercens, ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, tenetur gabellas soluere. Si verò vendat vinum, oleum, & alia, quæ ex bonis propriis percipit, non tenetur soluere, quia non dicitur negotiari, dum vendit res ex propriis bonis tam Ecclesiasticis quam patrimonialibus collectas; negotiari enim dicitur, qui rem emit, vt eam carius vendat ad lucrum comparandum. Quando verò vectigalium exactori non constat, an quæ Clericus aduehit, aduehat negotiationis causa, aut ad propriam sui & familiæ sustentationem, standum est iuramento Clerici, & ipsius nunciorum, nisi aliud circumstantiæ suadere videantur. Diana *parte prim. tr. secund. resol.* 46. Lessius *lib. secund. cap.* 33. *numer.* 23. Mol. *tract. secund. d.* 672. *n.* 1. Bonacin. *de rest. d.* 2. *q.* 9. *pun.* 2. *n. secund.* Tolet. *l.* 5. *cap.* 73. Iuramentum autem hoc præstandum est coram iudice apud quem iuridicè probandum est, an sit verum, quod affirmatur. Cum verò iudex Ecclesiasticus respectu personarum sit legitimus huius rei index ratione earum exemptionis, apud illum faciendum est hoc iuramentum, non apud iudicem sæcularem. Iidem Doctores. 19 *De rebus ad negotiationem adductis tenentur.*

Bona patrimonialia & alia sæcularia, quæ ad Ecclesiam, aut ad Monasteria adueniunt, immunia sunt à nouis tributis imponendis. Tamen si priusquam ad illos venirent, onus aliquod certum, & inexitabile habebãt annexum, scilicet censum aliquem, vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adiacentis: hoc etiam ab Ecclesiastica persona est præstandum, quia res quæque suo cum onere transit. Sylvest. *v. Immunitas 1. num.* 9. Diana *part.* 1. *tract. secund. resolut.* 39. 20 *Bona patrimonialia sunt immunia.*

Ad gabellam, quæ imponitur communitati pro viarum, pontium, murorum vrbis, & similium reparatione, Ecclesiastici non tenentur: nisi fortè illa gabella imponeretur æque principaliter omnibus, Clericis scilicet & laicis, eo quod principaliter de Clericorũ vtilitate agatur. In hoc tamen casu Princeps sæcularis non potest per se ipsum compellere Clericos ad hanc gabellam, nisi superioris Ecclesiastici accedat authoritas. Manu. *p.* 2. *c.* 75. *n.* 13. & 14. Layman. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 6. *num.* 6. Molina *d.* 673. 21 *Quid de tributo imponendo ad æque principaliter omnibus, & laicis, eo quod principaliter de Clericorũ vtilitate agatur. In hoc tamen casu Princeps sæcularis non potest per se ipsum compellere Clericos ad hanc gabellam, nisi superioris Ecclesiastici accedat authoritas.*

Contra imponentes vel exigentes gabellas, vectigalia, vel alia tributa Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis, vel ex eorum bonis, lata est censura excommunicationis non solùm reseruata in Bulla Cœnæ, sed etiam in *Cap. Quanquam, de censib. in* 6. Lege Suarium *de cens. d.* 21. *sect.* 2. *n.* 99. Molina *d.* 670.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

De Tributis Dubia.

CAPVT VI.

Circa eos, à quibus Tributa possint iuste imponi.

DVBIVM I.

Potestas imponendi Tributa competit ex natura rei solis Principibus supremis?

22 *Solis Principibus supremis competit.*

COMPETIT quidem, quia accipiens à populo eam authoritatem, ab ipso consequenter accipit necessaria ad sui sustentationem status, & ad necessitates publicas, & ad stipendium ministris inferioribus soluendum, militibus, Ducibus, &c. Sicut enim operario debetur merces, & stipendium, sic Principi debentur à populo necessaria ad dignitatem sustinendam. Alij autem, qui non sunt Principes supremi. Et non habent sua munera à populo non debent exigere stipendium nisi à Principe supremo, à quo officium accipiunt. Quare non possunt populo tributa imponere, nisi ex speciali Principis concessione. Sic Lessius *libro secundo cap. 33. dubio tertio numer. 13.*

23 *Non competit solis Principibus supremis.*

Non cõpetit, quia in Republica libera, Magistratus etiam inferiores accipiunt à populo potestatem, siue à Republica, à qua iuste stipendium possunt exigere: Ergo possent etiã ad hũc finem populo tributa imponere, quod tamen est apertè falsum. Et quia tributa non solum imponuntur pro stipendio Principi debito ad suam dignitatem sustinendam. Sed etiam pro aliis boni publici necessitatibus occurrentibus. Certum autem est, quod Gubernator, & alij Magistratus à supremo Principe constituti possunt aliquando ex iusta causa boni communis exigere à ciue priuato rem ipsius, vt necessitati cõmuni subueniatur. Ad quem finem possunt equos ciuis priuati occupare, domum auferre ipso etiam inuito saltem soluto pretio, vt opus publicum, ac necessarium fiat, periculo vrgẽte, & alia eiusmodi. Sicut ergò ob necessitatem communẽ potest gubernator obligare hũc ciuẽ ad rẽ suã impertiẽdã: cur non poterit ob eandem necessitatem communem obligare singulos ciues ad contribuendũ modicũ, vt necessitatis succurrant? Plus enim videtur esse auferre ab vno aliquid magnum, quam à multis parum, quod videtur esse tributum exigere. Sicut ergo illud primum non superat ordinariam Gubernatoris subordinati potestatem, nec hoc secundum eam superabit. Igitur ex natura rei loquendo non est supra, aut contra potestatem habentis alium superiorem posse imponere tributa, seu contributiones necessarias ad muneris sibi commissi rectam executionem Ita Cardin. de Lugo. *to. 2. de iust. d. 36. n. 5.*

Cum eo opinor, si de natura rei loquamur. 24 *Verum hoc loquendo de naturali. De facto autẽ aliter dixerim.*

De facto tamen certum est, id non posse ab his fieri Gubernatoribus sine speciali supremi Principis concessione, vel cõmissione, quia de facto Principes supremi hanc potestatem sibi reseruarunt, nec censentur illam concedere in ordinaria gubernatinæ potestatis concessione, nisi id exprimant. Totum ergo hoc pendet ex supremi principis voluntate, qui potest gubernandi potestatem concedere sine, vel cum hac limitatione. De facto autem semper limitare eam intelliguntur adeo, vt etiamsi Rex constituat aliquem vicarium suum, vt Vice-regem generalem, eique Regalia concedat; non censeatur adhuc hanc potestatem concessisse, nisi exprimat. Sanchez à Lugo citatus *vbi suprà.*

DVBIVM II.

Ciuitas, vel communitas Principem superiorem habens, potestne aliquando Principis facultate contributiones ad publicas necessitates imponere?

25 *Potest imponere collecta.*

POtest quidem imponere quædam onera, quæ *Collecta* vocitantur, vel ad reparanda mœnia, pontes, vias, modò non imponantur peregrinis & id fiat conuocatis ciuibus, vel qui eorum vocem habent, quia hæ Collectæ annuentibus ciuibus acquisitæ non videntur esse tributa. Sic Cajet. *sum. v. Vectigalia inqua* Lessius *l. 2. cap. 33. dub. 3. numero 15.* Vasquez *opusc. de restitutionib. dub. primo numer. 5.*

26 *Minimè potest.*

Minimè potest ciusmodi contributiones imponere. Quia quod illæ vocentur *Collectæ* vel *vectigalia*, aut *tributa*, parum refert, & in re tributa sunt. Quod autem non extorqueantur ab inuitis, sed à consentientibus non sufficit. Nam quando minor pars dissentit, adhuc ab omnibus exigitur, & illi quidem inuiti soluunt: Ergo ex præcepto superioris obligantis, qui alius esse non potest, nisi communitas quæ eo casu obligat subditos: Habet ergò iam communitas illa potestatem ad

ad imponenda tributa sub collectarum nomine. Ita Cardinal. de Lugo *tom. 2. de iustit. d. 36. num. 7.*

27 *Placet sententia hæc.* Placet Doctoris sapientissimi obiectio. Vnde ne concedamus communitatem habere de facto potestatem ad tributa imponenda dicendum est, ex natura rei posse ciuitatem sub principis dominio existentem, ad sui gubernationem contributiones necessarias ciuibus imponere, si id à principe non prohibeatur, vel si eius consensus tacitus, vel expressus accedat: provt de facto accedit ad eiusmodi collectas, quas vel lege & concessione expressa in certis casibus imponere permittuntur: vel certè ex tacito principis consensu, qui hanc consuetudinem agnoscens, & non prohibens, eo ipso videtur, tacitum consensum exhibere. Potestas ergò extenditur tam, quoad quantitates quam quoad personas, quæ soluere debent, & quoad alias circumstantias, quantū principis concessio extenditur. Quæ in variis locis varias limitationes, aut extensiones habet iuxta varias leges & consuetudines municipales, quæ consulendæ sunt, nè excedantur.

DVBIVM III.

Consuetudine potestne acquiri ius noua Tributa imponendi?

28 *Non potest acquiri.* ACquiri non potest, quia id supponitur in *Cap. super quibusdam.* Vnde consuetudine præscribi ius potest aliquod tributum exigendi, de cuius exactionis initio memoria non extat: non tamen potest acquiri ius imponendi noua tributa, vel illud primum augendi. Neque enim ex hoc, quod aliquis possit aliquod tributū exigere, sequitur quod possit noua imponere, vel illud augere: vti constat ex iis, qui à Rege emerunt ius exigendi suis in oppidis tributum, quod Regi soluebatur. Nec textus in *Cap. super quibusdam* loquitur de iure imponendi noua tributa, sed de iure exigendi illud, quod ab immemoriali exigere talis Dominus assolet. Sic Alfonsus de Castro *l. 1. de lege pœnali, c. 11. corollar. 2.*

29 *Acquiri potest.* potest equidem, quia consuetudine etiam præscribi potest ius supremi principatus, quod secum affert potestatem etiam noua tributa imponendi. Ita Metina, Syluester, Angelus, Tabiena, Gabriel, Decius, Panormitanus, & alij, quos affert, ac sequitur Sanchez *l. 6. consil. cap. 4. dub. 4.* Molina *tom. 3. d. 666. num. 2.* Vasquez *hîc. §. 1. dub. 1. n. 6.*

30 *Hanc præfero scientia.* Verius hoc, sed vbi non est lex prohibens præscriptionem iuris exigendi tributa, vel illa imponendi, provt est in Hispania. Porro consuetudo imponendi aliquod tributum, non dat ius imponendi alia, vel illud augendi. Ad hoc enim requiritur consuetudo etiā immemoiralis imponendi noua, vel antiqua augendi tributa.

DVBIVM IV.

Princeps infidelis potestne Tributa imponere à Christianis per eius Regnum transeuntibus soluenda, licet Regnum illud Princeps infidelis à Christicola Rege vsurpauerit?

MInimè potest, quia Christiani mercatores, v. gr. per illud Regnum transeuntes, non tyranno illi, sed proprio Domino tributa debent. Ergo Princeps nequit ab eis tributum exigere. Sic D. Antonin. Hostiens. Tabie. Archidiac. Angel. Rosel, quos affert Sanchez *l. 6. consi. capite quarto dub. 5.* 31 *Non potest.*

Potest equidem, tributa huiusmodi infidelibus principibus, tyrannis etiam debentur. Nam hosti est fides seruanda *Cap. Innocens 2. 2. q. 14.* & *Cap. Noli 25. q. 1.* Et quia licet Princeps infidelis iniustè alienum Regnum vsurpet: illud tamen dominium non pertinet ad mercatores transeuntes, sed ad Principem Christianum cuius regnum illud erat. Quare non possunt mercatores Christicolæ illi compensare sibi, tributi vsurpatione. Ita Reinerius apud Syluestrum *vers. Gabella 3. q. 4.* 32 *Potest quidem.*

Probabilius distinguo inter Principem infidelem iusto titulo Regnum possidentem, & illum, qui iusto titulo illud possidet iniuste à Christianis ablatum. Primò dixerim Principi etiam à Christianis tributa deberi transeuntibus, vel mercatoribus. Secundò minimè nisi præcedat pactum de illis soluendis. Primam partem probo. Quia ille est verus, ac legitimus Princeps, quare ab omnibus iure naturæ ei tributū est debitum. Ergo sicut Christiani transeuntes per alterius Principis Christiani Regnum debent, illi tributa iusta soluere: Sic etiam debebunt transeuntes per legitimi Principis infidelis Regnum. Secundam ostendo, quia illi non sunt veri Reges, nec titulum habent: ergo eorum leges non obligant, vtpote à potestatem non habente conditæ: & consequenter tributi lex non obligat Christianos illac transeuntes. Mecum Sanchez *vbi supra.* 33 *Probabilius distinguo.*

CAPVT

CAPVT VIII.

Circa conditiones necessarias ad Tributi iustificationem.

DVBIVM V.

Princeps, qui sua culpa in paupertatem peruenit, quia prodigis elargitionibus, luxu, vel alio abusu consumpsit ærarium: potestne Tributum, ad egestatem sublenandam, imponere?

34 *Nonnulla refero circa primam conditionem iusti tributi*

TRES conditiones exigi assolent ad tributi iustificationem. Prima est causæ iustitia: hæc autem attenditur ex necessitate boni communis ad quod tributa debent ordinari: non ad principis vtilitatem, vel abundantiam. Pertinet tamen ad bonum publicum congruens ipsius principis sustentatio iuxta eius dignitatem, & statum. Cessante vero omnino necessitate iustitia tributi cessat, nisi alia causa subrogetur, ob quam tributum posset de nouo imponi; hæc enim ad continuandum sufficiet. Quæsierim itaque, an quando Princeps in egestatem pernenit, quia prodigis largitionibus, luxu &c. ærarium consumpsit, vel ære alieno grauatur, possit tributa imponere?

35 *Non potest.*

Non potest, quia populus nõ debet pro culpa Principis pœnam subire. Sic D. Antonin. Hostiens. Henricus, Palacios, Rubios, quos affert Sanch *hic cap. 4. dub. 2. num. 8.* Gabri. *in 4. dist. 15. q. 5. articulo 1. conclus. 2.*

36 *Potest planè*

Potest planè, quia à subditis debent principi necessaria ad sustentationem prouideri. Licet autẽ Princeps sua culpa venit ad egestatem: at hic & nunc ea pressus debet à subditis subueniri, Ergo potest licitè tributũ imponere. Ita Sanchez *citatus* Molina *tom. 3. d. 667.* Lessi. *l. secund. cap. 3. dub. 6. num. 48.* Vasquez *Opusc. de restit. §. 1 d. 2. 23.*

37 *Has sententias ad concordiam adduco, & plura adicio.*

Vnam & alteram sententiã ad concordiam adduco. Prima sententia vera est, si alia via Princeps possit necessitati subuenire. Secunda autẽ vera erit, si alia via Princeps nequeat sibi prouidere; tunc enim debent subditi contribuere. Notarium verò cum citatis Doctoribus, debere tunc principem moderari, quãtum fieri valeat, proprios sumptus, ne subditos sua culpa nimium grauet: debere etiam postea, quando ad pinguiorem fortunam venerit, damnum illud subditis resarcire, quod principis culpa passi fuerint. Vnde monet P. Molina *ibi, num 5.* peccare principes piaculo iniustitiæ, quando inordinatis sumptibus, immoderatisque largitionibus periculo se exponunt grauandi populos in futurum: & ideo confessarium, & Thesaurarios præuenire debere, & incicere scrupulum in huiusmodi sumptibus ob periculum grauis, cui se princeps exponit populos nimiis exactionibus aggrauãdi, occurrente postea necessitate præsertim, cum buna illa, quæ principes prodigunt non sunt eorum libera, sed ei à populo data ad defensionem Regni, & ad communes necessitates, quę occurrere possunt. Vnde etiã P. Sanchez *dub. secund. num. 8.* infert, si ex iniqua Rectorum administratione populus debita contraxit, posse ex facultate Regia imponi tributum ad ea debita soluenda, quando ex bonis Rectorum, qui male administrarunt, solui non possunt.

DVBIVM VI.

Estne iustum Tributum, quod ex rebus quæ communiter ad vsum vitæ humanæ emuntur soluendum imponitur, vt ex pane, vino, oleo, carnibus?

39 *Nonnulla recolo circa secundam, & tertiam iusti tributi conditionẽ.*

DIxi, triplicem conditionem assignari ad tributi iustificationem, primam autem esse causæ iustitiam, de qua *dub. 6.* Secunda autem est proportio tributi cum necessitate, vel causa propter quam exigitur. Tertia est proportio geometrica in tributi impositione seruanda, vt scilicet, si ad necessitatem non omnibus communem, sed aliquorum imponitur, ij primo loco grauentur, ad quos necessitas illa spectat: iisque non potentibus, ab aliis exigatur; quatenus membra eiusdem corporis debent sibi inuicem subuenire. Si vero necessitas sit communis, omnes communiter, & quoad fieri possit æqualiter grauentur. Æqualiter, nquam, æqualitate ac proportione geometrica, vt *ij, qui maiores vires habent*, plus soluant: & qui minorem, minus; alioquin non distribuũtur onera communia æqualiter æqualitate formali, sed æqualitate materiali, quæ est summa inæqualitas: vt si paruulo, & viro adulto æquale pondus singulis deportandum imponatur. Hinc quæsierim, an sit iustum tributum, quod soluendum imponitur, ex rebus, quæ communiter ad vsũ vitæ humanæ emũtur, vt ex pane, vino, oleo, carnibus?

39 *Non est iustum.*

Non est iustum. Quia in iis æquè, imò & plus grauantur pauperiores, qui plures filios habent ad quos alendos, plura emunt. Adde diuites, & nobiles plura ex iis habere ex suis possessionibus, absque eo quod emere cogãtur: atque ideo nihil soluũt; pauperes vero, qui debent pretio emere, eorum tributorum totum pondus apportant. Sic Alfons. de Castro, Driedo, Bernar. Hostiens. Angel. Tabie. Caiet. Sotus, Ledes. quos refert Sanchez *libro sexto cons. capit. quart. dub. 44 & 45.* Tolet. Zanard. Sayr. Roland. & alij, quos affert Diana *parte secund. tract. 3. resolut. 28.* dicens id esse probabile, & Bonac. *d. 2. de contr. q. 9. pun. 1. nu. 5.*

40 *Iustum est.*

Iustum quidem est. Quia consuetudo potest talis tributi prohibitionem abrogare. Sed hæc ratio non placet. Nam si tributum iniustum sit ob inæqualitatem, iniustitia illa erit contra ius naturæ, atque ideo non poterit consuetudine contraria purgari: sicut vsura non poterit consuetudine vlla licita reddi. Aliter melius probo. Quia seruatur æqualitas, quantum seruari potest. Nam

Nam licet pauperes cogantur emere: plusa tamen emunt diuites & nobiles vna die propter maiorem familiam, quam alunt, & propter lautiorem victum, quo vtuntur: quam pauperes emant vno mense, qui panicioribus contenti, parcius viuunt. Ita prima ratione nitētes Sylvest. Angl. Nauar. Gabr. Rosel. & alij, quos sequitur Sanch. *dub.* 44. & 45. Vasq. *opusc. de restit. §. 1. dub. 2. n.* 30. Molin. *to.* 3. *d.* 669. Suar. *de legib. l.* 5. *c.* 15. *n.* 3. Azor. Malder. Ioan. de la Crux, Turrian. Reginald. Molfes. quos refert, ac sequitur Diana *citatus.*

41 *Hoc probabilius esse defendo.*

Hoc probabilius esse defendo. Nā si tributum imponendum esset taxando c uiusque vires, & facultates, à singulis exigendo, quod soluere possunt, difficilius id fieret, & magis grauarentur subditi propter dependentiam ab exactoribus, & ministris, quorum iudicio taxandæ essent facultates, ac vires singulorū. Quare liberius hoc alio modo pauperes etiā contribuunt, quam si illo alio modo contribuere deberent.

DVBIVM VII.

Pauperes, qui defraudant tributa imposita in his rebus communibus, quas ad proprium vsum emunt, vel asportant, sunt ne peccati mortalis damnandi, & obligandi ad restitutionem?

42 *Damnandi peccati sunt & ad restitutionem obligandi.*

DAmnandi peccati sunt, & ad restitutionem obligandi, quia tributa in iis rebus imposita sūt iusta. Nam quod aliqui pauperes plura emant, quam diuites per accidens est ad conditionem proportionis: cum plures etiam diuites multo plura emant, plures enim agricolæ pauperes ex suis fructibus plerumque necessaria habeant, diuites verò è contra vt in plurimum ea emere cogantur; pauci enim sunt diuites, qui carnes, vinum, oleum non emant, aliaque, quæ plures pauperes potius vendunt, quam emunt. Vnde ex hoc capite nequeunt pauperes excusari. Peccant ergo grauiter, ac restitutioni sunt obnoxij, si ex præfatis rebus tributum defraudent. Sic Nauar. Rosel. Sylvest. Angel. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *hic dub.* 44. & 45.

43 *Nec peccati damnandi, nec ad restitutionē obligandi sunt.*

Non sunt damnandi peccati lethalis, nec obligandi ad restitutionem, quia tributa in illis rebus imposita non sunt iuxta proportionem geometricam in eorum impositione seruandam. Si ergo iusta non sunt: vndenam defraudantes ea graui piaculo sunt damnandi, & obligādi ad restitutionem? Ita Hostiens. Caiet. Sotus, Ledes. quos refert Sanch. *cap.* 4. *dub.* 44. & tenet ipse *n.* 7. indicat Less. *dub.* 8. *num.* 55.

44 *Idem assero.*

Probabile admodum esse iudico, non facile esse damnandos grauis piaculi, vel ad restitutionem obligandos: cum tot habeant Auctores graues, qui huiusmodi tributa licita esse negant. Saltem quando non constat de tributi iniustitia.

DVBIVM VIII.

Gabellarius, seu exactor tributi regij potestne tuta conscientia illud exigere, quando iniustum præsumitur ob aliquam ex tribus conditionibus non seruatam?

45 *Status quæstionis.*

VIdimus ad iustitiam tributi tres necessario requiri conditiones, nempe causæ iustitiam, tributi cum necessitate proportionē & geometricam æqualitatem. Quæstio itaque est, an si præsumatur, aliquam ex his conditionibus in tributi impositione deficere possit gabellarius, vel exactor tributi regij tuta conscientia illud exigere?

46 *Minimè potest.*

Minimè potest, quia si Rex ipse imponere illud non potest, nec iustè percipere: consequēter exactor id exigere, vtique cooperator mali, non valebit. Sic Doctores multi asserentes necessariam esse illarum conditionum existentiam ad tributi iustitiam.

47 *Potest plane.*

Potest sanè, quia ad eum non spectat tributi iustitiam vestigare: & iussus illud exigere imponentis id operatur ex nomine. Ita nè. alij graues Doctores Sanch. *dub.* 45. *n.* 9.

48 *Hoc verius*

Existimo posse illū tuta conscientia tributū exigere quamdiu ei de illius iniustitia clarè non constat, debet enim præsumere pro tributi iustitia præsertim in tanta opinionum varietate.

DVBIVM IX.

Assium (vulgo Sissa) impositum propter ipsius ciuitatis, vel loci vtilitatem, in quo imponitur: exigiturne iustè ab exteris illuc confluentibus?

49 *Non exigitur*

NOn exigitur iustè, quia cum causa pertineat ad solos ciues, non debent exteri ad eam communitatem minime pertinentes grauari. Sic Sylvest. Angel. Caiet. Tabie. Angl. Medina, apud Sanch. *dub.* 45. *n.* 6.

50 *Iustè exigitur.*

Iustè exigitur, quia si exteri non soluerēt, multi ex incolis fingentes se exteros emēdo non soluerent. Et quia exteri plerumque etiā fruuntur bono illo communi fontis, pontis, viæ, propter quod illi loco tributum imponitur, ita Sanch. *ibi.* Vasq. *hic* §. 1. *dub.* 2. *num.* 32. Molina *to.* 3. *d.* 669. *n.* 3. & alij.

51 *Veriorem hanc partē esse credo.*

Hanc sententiam veriorem esse iudico, quia incolæ eam huius loci, quando ad alias ciuitates, vel loca confluunt, illorum tributa locorum soluunt. Quare non fit inæqualitas, si incolæ aliorum locorum cogantur, & ipsi soluere tributa huius loci ex pacto tacito inter homines diuersorum locorum iure gentium inito.

DVBIVM X.

Procurator, qui ciuitatis nomine adest comitiis, vbi de imponendo tributo agendum est, si certum sit rem esse iniustè concludendam, nec illius suffragium esse profuturum nisi ad odium sibi conciliandum: teneturne adesse, & pro veritate loqui.

52 *Nonnulla suppono.* PRocedit difficultas hæc & sequentes in iis solum Regnis, & locis, in quibus Princeps nō potest tributa imponere noua sine subditorū consensu, quem petere solet à communitatibus, vel ab iis, qui eas repræsentant in comitiis publicis, seu in Parlamēto totius Regni, quo solent confluere qui electione, vel iure suffragium habent: ibi autem à Rege huiusmodi tributa petuntur ob vrgentes necessitates. Profectò ij, ad quos pertinet ferre suffragium, si timent, rem iniustè concludendam esse, & suffragium suum posse conducere ad id impediendum: tenentur adesse congressui, & conari ad impediendum: Nā licet nō teneātur sēper Decuriones adesse cōuentibus his cōmunibus: tenentur tamē, quando de re grauis momēti est decernendū, propter obligationē, quā ex munere suo habēt bono publico consulendi Doctores communiter. Quando vero certus ille esset, rem esse iniustè concludendam, nec eius suffragium profuturum, nisi ad conciliandum sibi odiū & inuidiam sine vllo fructu: quæsierim, num teneatur conuentui adesse, & pro veritate loqui.

53 *Tenetur sane.* Tenetur profecto, quia quilibet Christicola obligatur veritati fauere, quando ex silentio illius ipsa læditur, insultante iniustitia, quod victoriam adnersus veritatem, nullo dissentiente, fuerit consecuta. Sic nonnulli Dores pie quidem & vere.

54 *Non tenetur.* Non tenetur, quia cū ex eius præsentia nullum bonum publicum potest sperari; nō obligatur adesse cum tanto onere. Ita Ledes. *sum. to. 2. tr. 7. c. 2. concl. 24.* Ioan. Valer. in simili, & Nicolaus Garcia, quos affert, & sequitur Diana *to. 1. tract. de parlamen. resol. 18.*

55 *Hoc verius mihi.* Verius planè hoc. Solummodò enim quis tenetur ex munere, ad impediēdum damnum commune cum damno etiam proprio, si vtilitas tsperetur: non tamen ad proprium damnum subeundum, sine spe publicæ vtilitatis.

DVBIVM XI.

Si is, ad quē spectat ius suffragij probabiliter iudicium formet de iniustitia tributi, sed probabilius iudicet esse iniustum: potestne licite tributo consentire?

56 *Quæstionis status.* PRrofectò quando aliunde notitia haberi non potest, is ad quem pertinet suffragiū ferre: potest credere Regi attestanti, de gradu suæ necessitatis, & impotentia aliter subueniendi: si aliud in contrarium non constat, vel nisi argumenta sint fortia ad dubitandū de eius veracitate in circumstātiis præsentibus. Quid vero, si ille probabile iudicium efformet de tributi iustitia, sed probabilius iudicet esse iniustum. Potestne licite tributo consentire.

Minimè potest, quia illi, quos ciuitates ad comitia immittunt, debent esse quasi œconomi, & curatores ſubditorum, seu ciuium, quorum nomine tributum acceptant: quo titulo amplecti debent partem probabiliorem. Neque enim fideliter suo muneri facit satis œconomus, qui cum in promptu triticum melius æquali pretio comparare domino potest, minus bonum comparat: nec Medicus, qui ex duplici medicamento eligit minus tutum tutiori relicto æquè facile. Cum ergo de bono Reipublicæ agatur, cuius hi curatores, seu œconomi sunt, & probabile sit tributi cōmodum, sed probabilius eius incōmodum grauius: non satisfaciūt suo muneri, si probabiliori parte relicta, probabilē iustitiam tributi amplectātur. Sic Diana *p. 1. tr. de parlamen. resol. 20.* citans P. Valq. *dic. c. 6. §. 3. dub. 5. n. 75.* Ille tamen loquitur de Rege imponente tributum, qui quoniā index est inter bonū cōmune, cui subueniendū, & inter subditos, quibus tributū imponit: debet sequi probabiliorē partē, sicut index in sentētia ferēda; alioquin nō consulit, provt debet Reipublicæ, eligendo partē minus probabilem, & secutā. Nos verò nunc loquimur non de Rege, sed de subditis acceptātibus tributum, qui quidē indices non sunt. Attamē sunt (vti dixi) sicut œconomi & curatores ciuium, quorū nomine tributo consentiūt, quo quidē titulo idem quod Rex, & index præstare tenentur.

Potest equidem parti minus probabili adhærescere. Quia quamuis alij Doctores probabilius abnegent, Decurionem illum, (vulgariter *Procurador de Cortes.*) subesse periculo grauandi amplius Rempublicam si opinionem probabiliorē non amplectatur: alij tamen probabiliter satis asseuerāt id periculum nō subesse; cui iudicio probabili in ferēdo suffragio si se Decurio conformet, iā hoc eligit, vt malū illum impediat, quod probabile est vergere in grauius Reipublicę detrimentum. Porrò œconomus ideo peccat, quia empto meliori tritico, nullum periculum subit. at vero in casu nostro si tributū erat necessariū, eo quod sentētia probabilis illa asserit maius instare periculū, si tributum imponi non concedatur: tuta in cōscientia gerere potest. Ita Suar. *l. 5. de legib. c. 28. n. 19.* Nauar. *l. 3. de rest. c. 1. n. 268. & 269.* Cardin. Lug. *to. 2. de iust. d. 36. n. 34.* citans insuper Lessium. 58 *Potest quidem.*

Hānc sententiam in praxi admodum esse probabilem asero, & mihi eligo. In vtraque autē sententia concedendum videtur, quādo ex negatione tributi rixæ, Principis indignatio, scandala, ac similia timentur, & exiguus, vel nullus ferè fructus ex negatione speratur, quia vel alij plures consentient, vel adhibita noua suffragātium solicitatione impetrabitur: posse multo magis suffragatorem amplecti partem probabilem de iustitia tributi, probabiliori relicta. Quia obligatio eligendi partem probabiliorem à Procurato- 59 *Hanc deinde sententiam.*

re

re (sicut ab œconomo)non procedit, quando aliæ circumstantiæ partē illā reddunt. Non enim tenetur œconomus melius triticum cōparare cariori pretio , nec Medicus melius medicamentum adhibere ægroto , quod difficilius est Cùm ergo negatio tributi maiorem difficultatem afferat , sufficit per medium probabile , quale indicatur tributi concessio, bono communi prouidere.

DVBIVM XII.

Iudicandumne est iustum illud tributum , quod imponitur huic Regno, vt Rex alia Regna suæ ditionis defendat?

60 *Iudicandū non est, iustum esse.*

IVstum esse,non est iudicandum. Quia vnūquodque Regnum debet ad sui defensionem expensas impertire. Si enim hoc Regnum vtilitatem non percipit,iustum nō est, vt grauamine tanto prematur. Sic nonnulli in ratione status parum experti.

61 *Iustum esse, est iudicandū*

Iudicandum plane est iustum esse tributū quia est huius Regni in colis admodum necessaria huiusmodi contributo : cum hac occasione pace interna , & domestica fruuntur , quam non haberent , si aduersarij Regem debiliorem inuenientes , relictis aliis Regnis , bellum conuerterent ad hoc ipsum Regnum, quod nunc quiete potitur. Ita Vasquez *hic c.6.§.3.dub.1.n.6.* doctissime (de more)hoc punctum versans.

62 *Auctoris resolutio.*

Certè tributa , quæ subditis ad præsens solum interesse attendentibus grauissima videntur, si examinentur accuratè iusta plerumque sunt,& ipsis subditis necessaria. Locus integer P. Vasquez legatur , qui multum conferet ad efformandum iudicium probabilissimum de huiusce tributi iustitia , & ad perspiciendum, id tributum æqualiter ad huius Regni tuendam pacem ad hostes ex alio Regno profligandos , vel ne irruant in illud, reprimendos,exigitur.

CAPVT IX.

Circa obligationem Tributa soluendi.

DVBIVM XIII.

Estne obligatio in conscientia soluendi Tributa?

63 *Non est obligatio in conscientia.*

NOn est obligatio in conscientia soluendi tributa. Quia leges tributorum sunt vt in plurimum pœna les quæ non obligant ad culpam , sed solùm ad pœnam. Vnde pœnitentes vrgendi non sunt inuiti ad restituendum , quod fraudauerunt. Sic Angel. & Henric. apud Sanch *hic cap.4. dub.1.n.5.* Nauar. *sum.c.13.n.55. & 60.* Bein, & Duard. apud Dianam *to.1.tr.de legib.resol. 19.*& probabile iudicat Less. *l.2.c.33. dub. 8.n.55.*& Bonacin. *de contr.d.2.q.9 pun.1.n. 3.* Sà *v. Gabella n.6.* Mald. *2.2.tr.5.c.6.dub.15.*

64 *Obligatio est in conscientia.*

Est in conscientia obligatio. Quia tributum non debetur vt pœna, sed vt stipendium iure naturæ debitum Principi , ad suum statum , & bonum publicum sustinendum. Quantitas verò nisi pacto taxetur, debet lege taxari , qua lege posita,tributum Principi ex lege naturæ debetur : imo & Publicano, in quem totum Regis ius ex conductione, fuerit translatum. Ita Gabri. Medina, Sylvest. Couar. Caiet. quos affert,& sequitur Vasquez *hic §.3.dub.2.n.16.* Lessius *vbi supra* Turrian. *2.2.d.46.dub.1.* Molina *to.3. d.674.* Vega, Graf. Fernand. Megala, Ledesm. Gutier. Suar. Nauarra,quos affert,& sequitur Diana *citatus.*

65 *Quid dicēdum.*

Ego autem cum Cardinali Lugo *tom.2. de iustit.d.36.n.39.* affero,in hoc puncto aliqua esse certa debere,aliqua in dubium reuocari. Certum est tributa iniusta , in quibus deest causa,vel necessitas iusta,vt imponantur, vel alia quælibet conditio ex illis tribus , quæ supra assignauimus non deberi in conscientia etiā quando petuntur:nisi forte sint solùm iniusta quoad excessum, tunc enim debentur quoad eam summam , in qua sunt iniusta , & non excessum, in quo solum iniusta exponuntur. Certum est tributa iusta deberi in conscientia eo modo,quo lex obligat,vt soluantur. Quare si lex obligat,vt solnātur etiam non petita,& hæc iusta sint:obligatio erit in conscientia ea soluendi antequam petātur. Quia lex obligat, & determinat illam summam pro stipendio debito Regi ad suum statum tuendum, quod stipendium populus dare tenetur, Rege petente. Si ergo Rex petit per leges,vt soluatur absque alia noua petitione : vnusquisque debet ex se illam summam soluere,vt contingit in decimis,quæ in conscientia,& ex iustitia debentur,etiam non petitæ ; quia Ecclesia lege sua id postulauit.

DVBIVM XIV.

Leges tributorum suntne de facto tales , quæ exigant , tributa dari à subditi ex se ipsis sine alia petitione : & leges petentes tributa suntne ita iustæ vt obligent in conscientia subdito, cum onere restituēdi,si non obediant.

DE facto tales sunt , vt etiāsi tributa non petantur:debeāt impendi,quia no potest Rex sine hisce cōtributionibus sibi,& Regni necessitatibus prouidere : Ergo leges tributorū exigūt in cōscientia nō petita solui. Si verò non solnātur,qui retinet, ad restitutionē obligabitur. Sic Vasq. citatus à Cardin. Lugo *vbi infra,* addiciens, haud posse ex consuetudine introduci,quod Regi nō assignetur, & solnatur sufficiēs stipēdiū pro se,& pro publicis necessitatibus sustinēdis: sicut nec cōsuetudo facere potest , quod Ecclesiæ Ministris stipēdiū necessarium non soluatur,quia vtrumque est

66 *Etiamsi nō petantur, solui debēt*

iure naturali debitum. Ergo ne Regi necessaria deficiant, lex tributorum exigit, vt vel non petita soluantur.

67 *Solui non debent, nisi petantur.*

Leges quidem obligant ad hoc, vt subditus ex industria nõ occultet merces, vel fraudibus vtatur ad fugiẽdam tributi solutionem, non vero ad hoc vt ipse quærat exactores eisque sponte tributum offerat, quia id iam Regibus constat, à pluribus subditis gerendũ. Certè si tributa ab omnibus etiam non petita soluerentur excederet proculdubio quantitas illa id quod Regi à subditis debetur, cum de facto soluta solum, quãdo petuntur, sufficiãt, lex ergò, quæ de facto cogeret ad soluenda tributa non petita, non esset iusta, quoad illam circumstantiam; quia obligaret ad soluendam quantitatem excessiuam supra Regis necessitates: Ergo vt iusta sit ea lex, & obligare possit, debet solum obligare ad eam quantitatem quæ ex tributi petitis colligi potest, non vero ad illum excessum, qui de facto necessarius non indicatur, præsertim cum attenta consuetudine contraria, & certitudine antecedenti, quod lex in alio sensu illo non obseruaretur, lex illa non deseruiret nisi ad illaqueandas conscientias subditorum sine fructu, & per consequens ex hoc etiam capite esset etiam inutilis, & inualida. Ita Sotus, Tabie. Henriq. palati. Ledesma, Angl. & alij quos refert, ac sequitur Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 42.*

68 *Auctoris resolutio.*

Ego autem consilium P. Molinæ *d. 674. n. 9.* secutus, dixerim, monendum esse populum ad tributa soluẽda, & ad benè & iustè de illis iudicandum: ac præsumendum: & antefactum condendum esse, ne defraudentur, postfactũ verò, seu defraudatum tributum, si promittens certo, vel probabiliter sibi persuadeat in tanta tributorum multitudine esse aliquid iniustum, quod ipse soluit, vel multitudinem ipsam esse nimiam, & excessiuam, vel se attenta qualitate suæ personæ, & negotiorum ex reliquis tributis, quę non defraudauit, competẽter contribuisse ad necessitates publicas: non esse cogendum à Confessario ad restitutionem; hac verò doctrina prudenter, & cum dexteritate magna vtendum esse solùm, ne Sacramentum pœnitentiæ reddat nimis graue, & ne viam salutis præcludat multis, qui esto à Confessario obligentur, non restituent, & æternam damnationem incurrent. Cæterũ curandũ esse, vt populus semper ad obediendum Principibus inclinetur, vt Reipublicæ pax, & obedientia, reuerentiæque Principibus debita conseruetur.

DVBIVM XV.

Si gabellarius, vel custos simpliciter interrogat de mercibus, quas aliquis adfert vendendas, & minorem esse quantitatem sine iuramento respondet: obligaturne ad restitutionem?

69 *Nonnulla suppono.*

QVando gabellarius se remittit conscientiæ illius, qui soluere debet tributũ, & dicit simpliciter, vt soluat iuxta id, quod portat, vel quod emit, aut vẽdit, si sub iuramẽto interroget demeritũ quantitate, tenetur in conscientia, & cum onere restituẽdi totã quãtitatem manifestare si iurare vult, potest enim nolle iurare, teste Nauarro apud Sancium citandum Quod idem ipse Sancius dicit, quando gabellarius, vel custos committit conscientiæ vendentis, vt dicat verum. Quod autem quando non remittit conscientiæ, sed simpliciter interrogat de mercibus haud iuramento petito? teneturne fateri veritatem cum obligatione restituendi.

70 *Non obligatur ad restitutionẽ*

Non obligatur ad restitutionem etiãsi mẽtiatur, & mercũ occulter quantitatem. Quia non videtur exigi cum toto rigore, cum posset sub iuramento, vel alio modo arctiori id peti. Sic nonnulli, quorum sententiam Sanch. ait esse probabilem *l. 3. consil. c. 4. dub. 10. n. 13.*

71 *Ad restitutionem obligatur.*

Ad restitutionem obligatur. Quia gabella petita, tenetur soluere eam & iam tũc petitur. Ita Sanch. *ibid.* docens hanc sententiam esse probabiliorem Contestatur Cardin. Lugo *tom. 2. de iust. d. 36. n. 45.*

72 *Sententia Auctoris*

Hoc verum iudico, quando tributum iustum, & debitum petitur: secus si adhuc petitum, minimum, & excessiuum esse putaretur, *Auctoris* vti ipse Cardinalis annotat.

DVBIVM XVI.

Si postquam cessauit omnino causa Tributi iustè exigendi, transiit tempus, de cuius initio non constat, & semper Tributum solutum fuit: idne sufficit ad Tributi iustitiam?

73 *Certa tria.*

SI causa, ob quam tributum fuit impositum omnino cessauit: certum mihi, cessare tributi iustitiam, & obligationem illud soluendi *lo.* nisi alia causa, vel necessitas subrogata fuerit, quæ sufficiat ad illud iustificandum. At si solũ cessat ad tempus, & princeps manet cũ obligatione prouidendi, quando necessitas occurrerit, provt occurrere adhuc potest, eo titulo tributum poterit perseuerare. Anton. Alfons. de Castro, Caiet. Angl. Tabie. Rosel. & alij plures, quos affert, & sequitur Sanch. *l. 3. consil. c. 4. dub. 8. n. 2.* Quæsierim vero an si postquam cessauit, omnino causa, transiit tempus de cuius initio non constat, & semper tributũ solutum fuit id sufficiat ad tributi iustitiã.

74 *Sufficit quidem.*

Sufficit quidem. Quia consuetudo antiqua sufficit ad iustitiam tributi, vt colligitur ex *Cap. super quibusdam, de verborum signific.* Et quia sicut cætera iura præscribi possunt, poterit etiam ius præscribi. Sic Ioan Medina *C. de restitut. q. 14.*

75 *Non sufficit.*

Minimè sufficit, quia vel Princeps præscribit illud ius, ita vt tributum sibi debeatur vt priuatę personę, sicut alia bona sua, vel solũ sub titulo tributi. Non primo modo, quia supponimus, sẽper solutum esse, & solui vt tributũ, & eo modo quo cætera tributa, hoc autẽ modo prę scribi nõ potest, causa cessãte; quid quod solutur vt tributũ, debet solui elsẽtialiter ad satisfaciẽdũ debito naturali Regni cõferẽdi Regi,

Regi quæ necessaria sunt ad suum statum, & ad communem indigentiam: qua ratione cessante, impossibile est, quod detur vt tributum, cum deficiat eius essentia. Ita Corduba, quem refert, & sequitur Sanch. *l.3. consil. cap.4.dub.8.num.4.* Vasquez *hic dub. 5.num.58.* Nauarra *lib.3. de restit. cap.1.p.3. dub.11.* Turrian. *22.d.46.dub.4.n.4.*

76 *Hoc verius esse iudico.* Hanc sententiam longe veriorem esse iudico. Nam tributum illud in casu nostro singulis annis soluendum est propter titulum nouum, nempe propter præsentes necessitates: non propter titulum præcedentem, sicut alia bona priuata. Si ergo debeatur iure præscriptionis iam non soluetur amplius ob tributū, cum deficiat tributi essentia, quæ est solui ad subueniendum necessitatibus Regis. Repugnat ergò, quod manendo intra rationē tributi præscribi possit, causa necessaria ad tributum deficiente.

DVBIVM XVII.

Quando Princeps non præstat ea, ad quæ Tributum impositum, ac concessum fuit, subditi tenenturne soluere?

77 *Non tenētur soluere.* SOluere non tenentur, quia Princeps obligatur determinatè ad ponendam causam ob quam tributum est: sicut custos obligatur ad vineam custodiendam, & debet ex contracta & ex iustitia vineam custodire, quod si emittat, licitè poterit stipendium ei denegari: Igitur Principi omittenti id, ad quod tributum assignatur, minimè ei debetur. Sic Caiet. *v. Vectigal.* Syluest. *v. Gabella 3.q.3. & 9.* Sanch. *l.3. consil. c.4. dub.8.n.5.* citās alios Gabr. apud Vasquez *hic, §.3. dub.4.n.49.*

78 *Soluere tenentur.* Tenentur soluere, quia si bono animo Princeps accipiat tributum, scilicet vt expendat in id ad quod solmitur, licitè quidem accipit, & subditus tenetur illud soluere, licet princeps postmodum male expendat: non enim subditi id debent præsumere. Ita Vasquez *vbi supra.*

79 *Auctoris resolutio.* Ego quidem idem asseruerim: addo tamen si ex frequenti malo vsu constaret timendum esse quod Rex etiam in futurum tributo male vteretur, posse subditos non soluere. Quia saltem vsus illius tributi, etiam si iustè exigatur non deberet Regi committi, cum timeatur abusus; licet enim ille habeat propositum bene consumendi, & licitè exigat: subditi non tenentur illi credere.

DVBIVM XVIII.

Princeps non præstans ea, ad quæ Tributum concessum fuit, teneturne illud restituere?

80 *Restituere non debet.* NOn debet restituere tributum acceptum sed damna sequuta, ex eo quod non insumpsit in publicam vtilitatem, ad quod concessum est. Quia Princeps solummodo sub disiunctione tenetur vel ad expendendum tributum in iis, ob quæ datur, vel ad restituenda damna sequuta. Sic Medina *C. de restitut. q.14. §. Aliud dubium.*

Debet quidem restituere tributum. Quia Princeps non obligatur disiunctiue solum, sed determinatè ad causam ponendam: sicut custos non obligatur solùm disiunctiue ad custodiēdam vineam, vel restituenda damna; sed debet ex contractu & ex iustitia vineam custodire, nec potest id sine iniustitia omittere. Ita Vasq. *in præsenti §.3. dub.4.n.50.* & alij. 81 *Debet restituere.*

Huius Doctoris sapientissimi sententiam amplexus, sic eam expendo. Si Rex exigat tributum sine animo expendendi in publicam vtilitatem, sed in alios vsus, tributum est inualidum, & iniustum: caret enim debito fine vtilitatis publicæ: atque ideo illud Princeps restituere tenetur, quia sine titulo accepit: nisi postea mutato animo, in communem illam vtilitatem insumeret, & debet etiam damna resarcire. Si verò Princeps bono animo tributum accepit, & postea male expendit, scilicet, non in id opus, ad quod fuit ei collatum, vt ad pōtem, fontem, viarum reparationem, viarum custodiam: tenetur postea tantundem de suo in illud opus insumere. Quare subditi poterunt non soluere sequenti anno; quia pro eo anno princeps debet id quod iam pro anno præcedenti acceperat, & male expenderat, restituere. 82 *Hanc eligo & expendo sententiam.*

DVBIVM XIX.

Mercator, qui ex venditione debebat gabellam soluere, occultè rem Petro vendidit, ad gabellam defraudandam: Petrus teneturne restituere, eo quod fraudationi fuerit cooperatus?

83 *Restituere tenetur.* TEnetur restituere, quia is, ad quem merces titulo emptionis veniunt, non soluta gabella debita ex venditione, debet in conscientia eam soluere; est enim onus reale, quod cum ipsis mercibus transit. Sic Syluest. *v. Gabella 3.n.8.*

84 *Non tenetur restituere.* Non tenetur, Quia illud nō est onus ita reale affixum mercibus, vt Princeps habuerit iā mercium dominium; sed ad summum ferunt merces secum hypothecā pro gabella soluēda: ad hoc tamen debet fieri excussio in bonis venditoris, & intentari actio contra ipsas hypothecas. Non ergo tenetur emptor nec ratione rei acceptæ, quæ non erat sub dominio Regis, sed venditoris: nec etiam ratione iniustæ acceptionis. Ita Sanch. *l.3. cons. c.4. dub.12.* Molina ex parte *to.3. d.675.* Less. *l.2. c.33. n.9.* At Molina & Lessius non loquuntur expresse, quando venditor ex industria occultò vendit ad hunc finē; sed quando quis emit ab illo, quem scit fraudare velle gabellam.

85 *Verius qu stionis satisfacis.* Ego autem cum Cardin. Lugo *to.2 de inst. d.36.n.65.* existimo imprimis emptorem ex hoc capite non obligari, quando gabella talis est, vt debeat solui in conscientia solùm quando petitur: & hæc non debetur in

eo casu à venditore, nisi à gabellario petatur quare fraudatio illa non erit illicita. Si verò gabella est talis, vt debeat offerri etiam non petita, vel certè non possit occultari ex industria, ne soluatur: tunc distinguendum esse Nam si emptor cooperatur suadendo vt fiat in occulto, iam concurrit positiuè & determinatè ad rei alienæ retentionem: atque ideo tenebitur secundo loco non restituente ipso venditore: & id concedit expresse idem Sanchez *num.5.* Si verò cooperatur solum materialiter, quatenus ipse secretum non procurat, sed venditore domum eius intrante secreto, & offerente aliquid, ipse acceptet, & emat, sciens illum velle ita vendere, vt gabellam non soluat: ipse Sancius dicit, illam non esse cooperationem, quia emptor non cooperatur, sed meè passiuè se gerit: sicut qui recipit Sacramentum à ministro existente in peccato mortali parato cuicumque conferre. Hoc autem non admitto. Quamuis enim emptio illa non sit cooperatio determinata, sed adhuc indifferens, quia venditor potest soluere gabellam, si suo debito velit satisfacere: negari tamen non potest, quod sit aliqua cooperatio, cum secretum illud deseruiat venditori, vt valeat absque timore sibi gabellam debitam retinere. Quare eo casu crediderim, aliquam grauiorem causam desiderari ex parte emptoris, quam ad recipiendum Sacramentum ab indigno, vel ad mutuũ sub vsu is exigendum. Ipse enim Sancius *l.1. Decalog. cap. septim. numer.12.& 18.* cum communi docet, multò graniores & vrgentiores causas requiri, ad excusandum eum, qui alteri cooperatur etiam per actionem ex se indifferentem ad peccatum iniustitiæ & in damnum tertij, quam in aliis peccatis, quæ non sunt in damnum tertij, sed illius solum, cui cooperaris. Ex eo autem præcisè, quod scias, venditorem non soluisse, vel non soluturum Gabellam, quando ei nullo modo cooperaris: nõ teneberis soluere propter merces, quas emisti. Quia illud non est onus omninò reale.

DVBIVM XX.

De iure Hispano emptor (cui lege. 32. præcipitur, retinere partem pretij; vt gabellam soluat, si id omittat, tenebiturne restituere?

86 *Status quæstionis.*

QVæstio hæc procedit ex iure Hispano propter *legem 32. titul. 19. l. 6. nouæ recopil.* vbi præcipitur emptori, quod retineat partem pretij pro gabella soluenda, si non constet, à vendito resolutam esse. Quæsitum itaque, an si emptor id omittat, ad restitutionem teneatur?

87 *Tenetur. planè.*

Tenetur planè. Quia emptor tenebatur id gerere ratione officij sibi à lege impositi. Qui autem negligens est in officij executione, ad damnum sequutum tenetur. Sic nonnulli Doctores apud Sancium *lib. prim. Decal. cap. 7. n. 1.*

88 *Non tenetur.*

Non tenetur, quia lex illa non est vsu recepta. Ita Sancius *citatus*, Lugo Cardin. *to. 2. de iust. d. 36. n. 67.*

89 *Hoc defendo.*

Hoc defendo. Nam lex ea videtur iniusta, obligando emptorem, vt sit quasi ministet gabellarij nullo accepto stipendio, & cum graui detrimento proprio. Quia venditores graniter id ferrent, & vindictam fortasse inmerent: emptorque sibi noceret, cum omnes fugerent suas illi dimendere merces.

DVBIVM XXI.

Quando gabella alioquin est iusta, & omninò debetur: excusaturne is, qui ob necessitatem (id est coactus) vendit, à gabella ex venditione debita?

90 *Excusatur à gabella soluenda.*

EXcusatur à gabella soluenda, quia quando authoritate Iudicis vẽdere suas merces cogitur, quasi iniuria afficitur, quæ quidem retentione gabellæ potest compensari. Nam si ille ad tempus magis opportunum differret mercium venditionem, vberius proculdubio pretium acquireret. Sic aliqui Auctores, quos referunt Molin. & Turrian. *citãdi.*

91 *Non excusatur.*

Non excusatur, quia cuilibet mercium vẽditioni addicta est gabellæ solutio: cogi autem ad vendendum à Iudice, aut non cogi, accidentale quidem est. Ita Molina *d. 666.* Turrian. *2. 2. d. 45. dub 11. n. 10.*

92 *Auctoris resolutio.*

Adiicio tamen, æquitatem exigere, quod totum illud onus tunc in emptorem refundatur. Neque enim iuste quis potest cogi, vt rem suam vendat cum damno, sed debet totum pretium accipere. Concedo itaque deberi gabellam, sed à venditore soluendam non esse, sed ab emptore verius affirmo. Quod quidem tãdem hos Doctores asserere video.

DVBIVM XXII.

Ex mercibus prohibitis debetne quis gabellam soluere?

93 *Quæstionis status.*

DEbet v.gr. duo regales Hispani pro gabella ex quolibet dolio vini, quod in vrbe venditur: prohibetur tamen ne quis vinum ex aliis locis vendendum, vel absumendum à ciuibus afferat, donec hæredes Vrbis suum vinum diuendant: Quæritur, num si contra prohibitionem hanc vinum afferatur, debeat ex illo gabella solui?

94 *Gabella debetur.*

Debetur quidem gabella, quia si ex permissis mercibus gabella debetur, quare ex prohibitis soluenda non erit? Certè potiori iure videtur ex mercibus prohibitis exigenda, quã ex permissis. Sic nonnulli apud Sancium *in præsenti, dub. 16.*

95 *Non debetur gabella*

Non debetur. Quia gabella imponi videtur mercibus, quæ introduci possunt, & per ipsam gabellæ acceptionem videtur princeps introductionem approbare. Quando ergo Princeps inductionem approbare non vult, non

non exigit ex illa gabellam non enim debet offerri gabella, quam Princeps accipere nollet: sed Princeps ex tali vino gabellam scienter nunquam acciperet, sed prohiberet introduci: Ergò non est, cur debeat ei offerri. Ita Sanchez *ibid.* citans Medinam, & Couarruuias sauentes.

96 *Verius hoc mihi.* Probabilius hoc esse iudico, nisi contrarium à lege explicetur. Nam id videtur ex praxi confirmari. Quando enim deprehenditur vinum illud, vel merces quæque prohibita, non solet peti gabella, sed pœna.

DVBIVM XXIII.

Debenturne gabellæ ex rebus, quæ non ad negotiationem, sed ad proprium vsum deferuntur, vel emuntur?

97 *Non debentur.* NOn debetur. Quia gabella videtur solis negotiatoribus esse imposita, & gabellario de sola gabella ex mercatoribus procedenti assolet esse cura. Sic plures, quos affert Sanchez *dub.* 44. & Lessius *l.* 2. *cap.* 32. *dub.* 7.

98 *Debentur quidem.* Debetur equidem. Quia non semper sufficiunt gabellæ, quæ ex solis mercatoribus colligi possunt. Ita Sanctius, & Lessius, *vbi supra.*

99 *Cum his opinor.* Cum his opinor, annotans tamen, maiores causas requiri ad iustitiam tributi in his rebus, atque ideò facilius posse dissimulari cum illius defraudantibus.

DVBIVM XXIV.

Creditor Regis, qui nequit debitum ab eo recuperare: potestne non soluere vt sibi pro debito compenset, si eam gabellam Rex locauit alicui, in cuius præiudicium eiusmodi compensatio videtur resultare?

100 *Quæstionis status.* PRofecto quando tributum non est venditum, vel locatum alteri à Rege, sed ipse Rex per suos ministros id exigit, omnes fatentur, posse à creditore Regis fieri compensationem si cæteræ conditiones requisitæ ad iustam compensationem adsint. Difficultas est, quando Rex locauit gabellam alicui, in cuius præiudicium videtur ea compensatio resluere, an possit adhuc creditor ille compensare sibi debitum non soluendo gabellam?

101 *Non potest.* Minimè potest. Quia tunc creditor non compensaret sibi debitum illud ex bonis Regis, sed ex bonis conductoris gabellæ, qui quidem solus, & non Rex damnum ex tali compensatione sentiret. Sic Corduba *summ. quæst.* 95. *dub.* 3. Reginal. *tomo prim. lib.* 10. *numero* 383. Graf. *decis. p.* 1. *libro* 2. *cap.* 125. *nu.* 39.

Potest omninò. Quia huic periculo se exponunt conductores, & ob id minoris conduxerunt, quod sciant, à pluribus gabellam non esse soluendam, Ita Sylvest. *v. Gabella,* 3. *q.* 9. Sanchez, *hic, c.* 4 *dub.* 58. Molina *d.* 674. *numero* 10. Lessius *libro secund. cap.* 33. *dub.* 10. Vasq. *hic, §.* 3. *dub.* 3. *numero* 33. Turrian. 2. 2. *d.* 46. *dub.* 3. *numer.* 1. Nauarra, Molfes. Bonac. Barthol. à S. Fausto, Vega, & Malder. quos affert, & sequitur Diana *p.* 2. *tractat.* 2. *resol.* 16. 102 *Potest quidem.*

Hanc sententiam probabiliorem quidem eligo, fundamentum vero illud ab aliquibus Doctoribus *citatis* excogitatum infirmum cum Petr. Vasquez esse video. Nam si illud periculum iniuste patiuntur hoc non excusat debitorem. Probo autem conuenientius ex eodem Doctore. Quia publicanus conducens gabellam non fit dominus iuris directi tributorum: hoc enim ius manet semper penes Regem, nisi quando Rex vendit Marchioni, vel ciuitati tributa, ita vt dominium, vel quasi dominium in emptorem transtulisset, quo casu iam tributa non debentur Regi, sed illi Marchioni, vel ciuitati. Publicano autem non venditur tributum, sed vsusfructus, seu ius ad colligendam pecuniam debitam Regi pro vno, vel pluribus annis. Vsufructuarius verò non habet plus iuris ad censum, vel redditum pecuniarium, nec habet dominium alicuius rei, sed ius ad illos reditus, quando Regi debiti erant. Ius namque vsufructuarij tamdiu in eo durat, quamdiù dominium durat in domino, à quo ius vsufructuarij perpetuo dependet. Vnde fit conductores gabellæ non habere ex conductione ius ad gabellam, nisi ad eam, quæ Regi deberetur: quare ex quocumque capite gabella Regi non esset debita, siue quia incipit esse iniusta, siue propter aliam rationem, conductor nullum ius in illam habet. Cum ergo in eo casu gabella non sit debita Regi ab eo, cuius Rex debitor est, non potest gabellarius ex cõductione ius acquirere ad gabellam exigendam ab eo, cum non possit cogere nisi eos, qui Regi soluere deberent cuius loco subrogatur, ad exigenda ea solum, quę Rex posset exigere, 103 *Hanc eligo sententiam, eam fusius exponens.*

DVBIVM XXV.

Compensatio potestne fieri à Regis creditore, quando debitum contractum fuit à Rege postquam gabella absolutè debebatur?

EX præfatis videtur inferri, compensationem fieri non posse à creditore Regis, quando debitum contractum fuit à Rege, postquam iam gabella absolutè debebatur publicano, qui eam conduxerat, non dico, quando post conductionem gabellæ contractum fuit, sed quando contractum fuit, postquam gabella absolutè debebatur, v. g. postquam contractus celebratus fuit, vel post- 104 *Quæstionis status.*

quam merces introductæ fuere, ex quibus gabella debebatur. Quæsierim itaque, an in hoc casu à creditore Regis possit fieri compensatio, non soluendo publicano gabellam?

104 *Potest fieri compensatio.* Potest fieri. Quia etiam eo in casu Regi tributum soluendum non esset, si per se ipsum illud exigeret, nec publicano illud locasset, Ergo nec publicano conductori solui debet: cum ipse non habeat ius exigendi, nisi quando Regi esset soluendum. Sic Vasq. *hic*, §. 3. *dub.* 3 *n.* 41.

105 *Fieri non potest.* Fieri non potest. Quia creditor Regis ideo excusatur à gabella soluenda, quatenus in illis circumstantiis gabella esset iniusta, cum peteretur ab eo, qui supponitur, sufficienter contribuisse alunde Regi ad publicas necessitates. Hæc autem ratio in casu nostro non procedit. Quando enim afferuntur, vel venduntur merces, ex quibus gabella debetur, hic subditus nihil Regi contribuerat adhuc, nec Rex aliquid ei debet: Ergo tunc gabella iusta est, quam iam debet Regi, & Rex transfert totum illud ius in publicanum. Quare iam nullo modo Regi, sed soli publicano debetur propter iuris Regij in illum translationem. Quod autem postea subditus alunde contribuat Regi, non tollit primum debitum, ad cuius iustitiam non attendenda est causa gabellæ pro tempore sequenti, sed pro tempore, quo absolutè debuit solui. Ita Card. Lugo *to.* 2. *de iust. d.* 36. *n.* 80.

106 *Verius hoc esse iudico.* Verius hoc mihi. Nulla enim subest ratio, ob quam iustè publicano, gabella illa deneget, ad debitum Regis compensandum. Non enim potest retineri ob iniustitiam gabellæ, cum fuerit iusta hodie, quando soluí debuit: nec etiam ob compensationem, cum publicanus nihil illi creditori Regis debeat, Regi autem iam hodie nullo modo debeatur gabella illa propter translationem totius iuris in publicanum, cui soli iam debetur.

DVBIVM XXVI.

Dubium negatiuum de iustitia Tributi, excusatne ab eo soluendo?

107 *Quæstionis status.* DE tributi iustitia dupliciter dubitare potes. Primò, per dubium negatiuum, quando nec de eius iustitia constat, etiam per rationes probabiles. Secundò, per dubium positiuum, quando sunt vtrimque rationes probabiles. Loquendo itaque de dubio negatiuo quæsierim an id excuset à tributo soluendo?

108 *Excusat quidem.* Excusat quidem. Quia *Cap. Peruenit, de censib.* dicitur in omni censu oportere, *vt ad quid, & quando per solui debeat, præsciatur.* Et quia *Cap. Quamquam, de censib. lib.* 6. dicitur, pedagiorum exactiones tam iure Canonico, quam ciuili regulariter merito esse damnandas. Sic Sylvester Medina, Gabriel, Antonin. Margarita, Rosel. Cordub., Caietan. Armill. Tabien. Driedo. Bartol. Cornel. & alij, quos refert, & sequitur Sanchez *in præsenti cap. 9. art. dub.* 6. *numero secund.* Villalob. Ioan. de la Cruz, & alij, quos affert, & sequitur Diana *p.* 3. *tract. tertio resolut.* 39. Molina *d.* 674. *numero* 6. & 9. *conclus. quint.*

109 *Non excusat.* Non excusat. Quia tributum affert pro sua iustitia præscriptionem, in dubio enim præsumendum est pro principe, quod iustè præcipiat, ac petat. Certè in dubio sententiæ iudicis parendum est, & in dubio iustitiæ legis, præsumi debet iusta. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 33. *dub.* 8. *num.* 64. Malder. 2. 2. *tract.* 5 *cap.* 6. *dub.* 4. Soto, & Palacios apud Sanchez *citatum* Vasq. *hic* §. 3. *dub.* 5. *n.* 78. Turrian. 2. 2. *d.* 46. *dub.* 6. *n.* 5.

110 *Primam sententiam defendo.* Ego autem iudico, primam sententiam probabiliorem esse, stante vero dubio, & facta debita diligentia, ad illud expellendum. Si tamen præsumptio aliqua sufficiens adsit pro tributi iustitia, iam non erit subditus in dubio proprio, cum præsumptio illa partem contrariam fundet. Quando igitur sciri non potest, nec iudicari etiam probabiliter tributum esse iustum, non videtur obligandus subditus ad illud soluendum. Quia in dubio semper onus probandi incumbit ei, qui petit. Cum ergo Princeps, vel exactor tributi sit qui petit, ei incumbit onus probandi, tributum esse iustum, nisi afferat intentionem suam fundatam in præsumptione. Ergo dum is non probat positiuè tributi iustitiam, non debet subditus obligari, quamuis non valeat positiuè probare iniustitiam.

DVBIVM XXVII.

In dubio positiuo, quando adsunt rationes probabiles pro iustitia, & pro iniustitia Tributi, potestne subditus illud non soluere?

111 *Non potest non soluere.* NOn potest non soluere tributum. Quia Princeps sequens opinionem probabilem tributum imponit. Ergo subditus se debet eidem conformare, & tributum soluere, quod quidem iustum ex illa probabilitate opinionis procul dubio existit. Sic Vasquez §. *tertio dub. quint. numero* 78. Turrian. *in præsenti, d.* 46. *dub.* 6. *n.* 5. Suar. *l.* 6. *de legib. c.* 28. *num.* 10.

112 *Non soluere.* Potest quidem non soluere. Quia subditus opinans probabiliter sibi præceptam esse illicitam, vel excedere præcipientis potestatem, *re potest.* potest non obedire, vti multi probabiliter docent. Vnde subditus potest amplecti opinionem probabilem contrariam detributi iniustitia, & operari iuxta illam non soluendo. Ita Navarra *de restitutio. libro tertio p.* 3. *dub.* 13. Sanchez *libro sexto Decaleg. cap. tertio. numero septimo.* A fortiori idem docent, quotquot dicunt, subditum probabiliter indicantem, rem præceptam esse supra potestatem præcipientis, posse non obedire, vti latè probat Castro Palao *tract.* 1. *d.* 2. *pun.* 6. *num.* 5.

Expresse

Expresse Lessius *libro secund. cap. 33. dub. 8. n. 67.* asserens, esse communem Doctorum sententiam Malder *hic, tr. 5. cap. 6. dub. 4.* & alij multi, quos affert Diana *p. 1. tr. de parlamento, res. 59.*

113 *Auctoris resolutio.* Existimo, in eo casu quo probabiles sunt rationes pro iustitia, & pro iniustitia tributi, Principem licitè petere, & subditum licitè negare. Quia vterque opinionem probabilem sequitur, & dari potest bellum iustum ex vtraque parte propter ignorantiam veritatis, quę ex vna parte intercedit. Quamuis autem Vasquez *dub. 5. num. 6.* asserat Principem tributum imponendo, debere sequi opinionem probabilem, quia iudex est, alij tamen dicunt, satis esse, si probabilem opinionem sequatur. Lessi. & Turrian. *vbi supra.*

DVBIVM XXVIII.

Gabellarius dubitans de Tributi iustitia exigens id peccatne si subditus Regi non sit, nec ad exigendum compellatur?

114 *Status quæstionis.* SVbditus compulsus à Rege, licet dubitet de iustitia tributi, non peccat illud exigendo, si tamen prius consuluerit viros doctos, & illis consultis adhuc dubium perseueret. Nam obedientia debita subditum excusat. Quæstio autem est, si non sit subditus, nec ad tributum exigendum compellatur, an illud exigens peccet?

115 *Peccat, si non sit subditus.* Peccat quidem si non sit subditus, nec compellatur, sed se ingereret cum tali dubio, ad tributum exigendum. Quia periculo errandi in re grani exponitur, cū ex huiusmodi dubio stare iustitiam videatur pro subditis, à quibus tributum est exigendum. Sic Mol. *d. 674. n. 7.* Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 7.* & alij, quos afferunt.

116 *Non peccat.* Minimè peccat, etiamsi subditus non sit, nec compellatur. Quia iudicare potest Regem esse prudentem, neque imponere tributa absque doctorum hominum consilio. Ita Vasq. quem citat, & sequitur Turrian *hic, d. 46. dub. 6. n. 4.*

117 *His adhæreo.* His adhæreo. Quia si exactio tributi in non subdito iniusta esset, etiam in subdito esset iniusta. Subditus enim obedire nequit, si quod præcipitur iniquum est. Si igitur subditus excusatur à crimine, quod iudicet sibi iustum imperari, cur ob eandem rationem qui subditus non est, non excusabitur. Obligari autem subditum à Principe non obstat, quominus à crimine excusetur, cum debeat præcepto iniquo non obedire.

***

CAPVT X.

Circa personas à Tributis, & gabellis soluendis exemptas.

DVBIVM XXIX.

Potestne Princeps exemptionem à Tributo soluendis vendere?

118 *Certa præmitto.* CErtum est posse Principem ex causa iusta aliquos à tributorum solutione eximere, quomodo de facto nobiles in Hispania exempti sunt non ab omnibus, sed ab aliquibus soluendis. Quia ad rectam Reipublicæ gubernationem spectat, vt qui de ipsa eximiè meriti sunt, & qui eam suo periculo, vel sanguine fuere tutati, peculiariter vltrà alios remunerentur. Sanchez *libro secund. Consil. cap. 4. dub. 60.* Sotus *l. 3. de iust. quæst. 6. articul. septim. concl. 4.* Molina *d. 673. numero secund.* Profectò hæc doctrina procedit, etiamsi ex nobilitate, & exeptione alicui concessa, sequatur indirectè, quod alij plus soluant, decrescente numero eorum: qui soluunt. Potest enim intercedere causa, quæ id totum iustificet ob rectam (vt dixi) Reipublicæ gubernationem, quæ illi modicæ læsioni præponderat. Sanchez *numero tertio.* Vnde etiam Medici, Doctores, Milites, & alij similes, qui Reipublicæ vtiles sunt, rationabiliter eximi possunt, & hac exemptione inuitari, vt ad aliquam Vrbem aduentent, cui possint deseruire. Imò posse eis hanc immunitatem concedere Principes inferiores & communitates ipsas, fatetur idem Sanchez *numero 8.* cum aliis, quia per hoc non grauantur cæteri, in quorum commodum hæc exemptio ordinatur. Certum etiam est, Regem non posse licitè absque rationabili causa, & proportionata hanc exemptionem aliquibus concedere. Quia hoc cederet in præiudicium aliorum, qui plus soluere cogerentur. His præmissis, requiro, num Rex possit eiusmodi exemptionem, & nobilitatem non solum concedere ad remuneranda merita, sed etiam vendere.

119 *Non potest vendere exemptionem hanc.* Minimè potest, nisi remittat de tributo debito partem illam, quam exempti debebant soluere. Quia alias reliqui plus soluere cogentur. Sic Sotus, Palacios, & alij apud Sanchez *libro secundo consil. capit. 4 dub. 61. numero 5.*

120 *Eam vendere potest.* Potest equidem. Quia negari non potest, quod queat esse causa iustificans talem venditionem, etiamsi non remittatur pars illa de tributo reliquo, v. g. si Rex haberet iustam causam exigendi à subditis vltra consuetum tributum, cuius loco venderet exemptiones illas,

illas, vt pretio accepto populum ab illo alio onere noui tributi liberaret. Vel quando populi parati non sunt, vt contribuant necessarium pro aliqua vrgenti necessitate, cui pretio illo Rex potest prouidere. Ita Corduba, & alij, quos refert, ac sequitur Sanch, *vbi sup. num. 6.* Mol. *citatus.*

121 *Idem asseruo.* Idem asserо, sed cum Molina admonuerim; quo ad fieri possit, hæc esse vitanda. Quia non sine periculo maiorum postea onerum imponendorum fiunt.

DVBIVM XXX.

Quando is, cui Rex vendidit, vel locauit ius Tributi exigendi postea illud alteri vendidisset, vel locasset iste venditor vel locator debetne secundo emptori, vel conductori Tributum soluere, quod alioquin soluere debuisset, si ius ad Tributum id non accepisset à Rege?

122 *Soluere non debet.* NOn debet soluere. Quia ipse non vendidit, vel locauit nisi ius, quod habebat: non autem habebat ius exigendi à semetipso, cum nemo aduersus semetipsum ius non habeat. Sic Bart. Bald. Bocti. apud Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 19. n. 1.* Ipséque probabile esse profitetur.

123 *Debet soluere.* Debet equidem soluere gabellam, nisi aliud in contractu venditionis, vel locationis explicet. Quia hic vendit, aut locat ius illud, quod Rex habebat, & quod Rex prius in eum transtulerat: Rex autem habebat ius accipiendi etiam ab ipso gabellã. Ergo id totum secundo emptori, vel locatori dat, nam licet hoc ius confusum fuit in primo, postea tamen potest separari, & reuiuiscere in secundo: Sicut etiam ille primus dat ius, quod ipse habebat, ad gabellam exigendam ab ipso secundo, licet hoc etiam ius in illo secundo emptore, vel conductore confundatur. Ita Parladorus, & Bertachinus, quos refert, & sequitur Sanchez *vbi sup. n. 2.*

124 *Longè probabilior sententia hæc.* Longè probabiliorem hanc sententiam esse crediderim. Nam si conduxisti fructus & redditus alicuius ducis, vel Marchionis, cui tu etiam soluis annuum censum trium millium aureorum, & postea eiusdem Principis fructus, & redditus alteri loces: non videtur dubium, quod in iis cõcludatur annuus ille census, quem Principi illi soluis, & qui est bona pars illorum reddituum. Ratio est, quia tu censeris locare totum illud ius, quod Princeps habebat, in quo continebatur etiam ius ad censum à se soluendum. Similiter ergò in casu nostro transferre censeris totum ius ad gabellam à te soluendam. Vnde corruit sententiæ contrariæ fundamentum. Abnego enim, locari à te solum ius, quod tu habebas, sed locas totum ius, quod habebat Rex, & eodem modo, quo habebat.

DVBIVM XXXI.

Exemptio à Tributo soluendo concessa à Rege alicui, seruandane est à successore, quando concessa est in perpetuum?

125 *Seruanda est à successore.* SEruanda est equidem. Quia plerumque huiusmodi exemptio conferri solet in remunerationem, quæ planè concessio iam transit in pactum. Sic Lugo Card. *tom. 2. de iust. d. 36. n. 98.*

126 *Non est seruanda.* Non est seruanda. Quia Rex nequit in successoris præiudicium concedere regalia, & eius iura imminuere: qualia videntur esse tributa Regi debita. Ita Bald. Greg. Lopez, quos affert, & sequitur Sanch. *lib. 2. Consil. cap. 4. dub. 61.*

127 *Auctoris sententia distinguentis.* Ego autem ex Cardinalis Sapientissimi ei hærens mente distinguo. Si concessa fuit mera voluntate, & sine causa sufficienti, reuocari à successore poterit, vel moderanda erit iuxta causæ merita, ne eius iura (haud iuste) lædantur. Si vero concessa fuit ex causa, quæ ob remunerationem, concessionem huiusmodi exigat, seruanda erit. Quia (vti Lugo ait) iam transit in pactum, & multo magis si ex contractu oneroso fuit concessa. Enim vero potissima radix exemptionis à gabellis pertinet ad personas Ecclesiasticas. De qua exemptione *Vol. 10. lib. 59. par. 2.* loquutus, plura in præsenti *Cap. vlt.* adiiciam.

CAPVT XI.

Circa res, vel contractus, ex quibus Gabella est soluenda.

DVBIVM XXII.

Debeturne ex permutatione gabella quando quis debebat pecuniam tibi, & postea pro debito triticum (v. grat.) soluit?

128 *Plura recolo circa ea de quibus gabella debetur.* IN quibus contractibus vel rebus gabella debeatur, haud potest regula generalis adiici, cum res pendeat ex variis legibus, quibus in singulis prouinciis hæ, vel illæ gabellæ possunt imponi. Possumus tamen doctrina generalis fieri tradendo regulas generales ad cognoscendum, quando, & quibus in casibus gabella debeatur,

tur, cum illa posita est vendentibus, vel emendibus. Et in primis, quia materia tributi odiosa est, debet emptio, & venditio strictè accipi: cum aliis multis docet Sanchez *libro secund. Consil. cap. quart. dub.* 17. *numero tertio.* Vnde nisi in lege tributi fiat permutationis mentio non debebitur ex illa tributum, sed ex sola venditione, provt à permutatione condistinguitur. Quando tamen gabella ex permutatione etiam, & ex venditione debetur, provt *Alcauala* debetur in Hispania, quam solus venditor soluere tenetur, in permutatione tamen vterque permutans soluere debet, quia vterque se habet vt venditor. Si tamen alter det librum, & pecuniam pro veste, debet soluere ex libro, quem permutat, non ex pecunia, quia illa non venditur, sed solùm est pretium, ad emendam partialiter vestem, vt alios citans, annotat Turrian. *hic, d.* 45. *dub.* 8. *numero tertio. & quinto.* Si autem vna res, quæ permutatur, sit exempta à gabella, & alia pro qua permutatur, exempta non sit: ille solus: qui dat rem exemptam, debet gabellam venditori impositam, quia ille solus vendit rem exemptam. Idem Turrian. *numer.* 16. Quæsierim itaque vtrum ex permutatione debeatur gabella, quando quis debebat aliquid tibi, & postea pro debito triticum solvit?

128 *Debetur gabella.* Debetur quidem. Quia si debebatur pecunia, illa solutio ex tritico iam est venditio tritici, ex qua gabella debetur. Sic nonnulli, quos refert Sanchez *libro* 2. *consil. capite* 4. *dub.* 25.

129 *Non debetur.* Non debetur. Quia triticum illud non venditur, sed traditur pro pecunia illa, quæ debebatur: ac perinde se habet, ac si esset bos, vel vestis, quæ deberetur: vnde non est venditio, sed mera debiti solutio. Ita alij ab ipso Sancio citati, quos ipse sequitur.

130 *Cum aliis distinguo.* Alij verò aptius distinguunt. Si liberè, & & sine necessitate fit, deberi gabellam. Quia cum frumentum traditur pro pecunia debita, iam videtur esse venditio. Si verò id sit præter voluntatem ex necessitate, eo quòd debitor non habebat aliud quo solueret, nisi triticum, gabella non debetur. Quia ex intentione solventis illa non est permutatio, nec venditio, sed mera debiti solutio, & res illa datur solùm, quatenus æquivalet pecuniæ debitæ. Molol. *tom.* 2. *d.* 566.

DVBIVM XXXIII.

Debeturne gabella ex emphyteusi, seu locatione ad longum tempus?

131 *Debetur quidem.* Debetur quidem. Quia ille contractus, æquivalet venditioni, & hac prohibita, contractus ille prohibitus censetur. Sic aliqui Doctores citati à Sancio *l.* 2. *Consil.* 4. *dub.* 19.

132 *Non debetur.* Non debetur. Quia licet contractus sit similis venditioni, non est tamen propriè, & stricte venditio. Ita Sanchez aliis citatis *vbi supra.*

Idem affirmo probabilius. Quia in hac materia, vti *Dub.* 33. præmissi, venditio strictè est accipienda. 133 *Hoc probabilius.*

DVBIVM XXXIV.

Debeturne gabella ex transactione, quæ fit ad litem terminandam?

Debetur profectò. Quia illa est venditio, sic aliqui Doctores citati à Sancio *l.* 2. *Consil.* 4. *dub.* 21. 134 *Debetur.*

Non debetur. Quia licet transactio sit propriè contractus, non debetur ex ea gabella, quæ debet solui ex sola venditione, vel permutatione, quia est dinerius contractus. Ita cum Lasarte Molina *tom.* 2. *d.* 556, Padilla, & Parladorus, quos refert, ac sequitur Sanch. *vbi suprà.* 135 *Non debetur.*

Scio, alios aliter respondere. Tiraq. enim *de contr. gentilitio* §. 1. *glos.* 14. *num.* 61. distinguit dicens, deberi, quando fundus v. grat. litigiosus applicatur ei, qui eum non possidebat, dato aliquo pretio alteri in compensationem: secus vero quando remanet apud possessorem, dato aliquo pretio ei, qui non possidebat. Vasquez autem *hic*, §. *secund. dub. septim. numero* 33. & Turrian. *d.* 45. *dub.* 7. aliter distinguunt. Nam vel res, de qua erat lis, diuiditur, & per translationem pars datur vni, & pars alteri, & tunc non debetur gabella, quia nihil venditur, sed quasi per sententiam prolatam à litigantibus communi consensu litigiosa res diuiditur iis, qui ius prætendebant. Vel res manet tota apud vnum, & alteri datur pecunia in compensationem, & tunc gabella debetur, quia est venditio iuris, vel rei pro pecunia. Ego autem licet hæc sint satis probabilia, veriorem putarim esse Thomæ Sancij sententiam, scilicet non deberi tunc gabellam, quæ ex venditione, vel permutatione debetur. Quia licet transactio in vtroque casu sit verus contractus: non tamen est propriè, & strictè venditio, aut permutatio, sed alius contractus innominatus, & ideo gabella, quæ ex sola venditione, aut permutatione stricta debet solui, ex illo non debetur. 136 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM XXXV.

Petrus debetne gabellam, si donet omnia sua bona Antonio eo pacto, vt obligetur ad eius debita soluenda, & eum alendum?

Debet profectò. Quia illa est vera venditio, & permutatio, ex qua gabella procul dubio debetur. Sic aliqui Doctores, quos refert Sanchez *lib.* 2. *Consil. capit.* 4. *dub.* 24. 137 *Debet gabellam.*

Non debet gabellam. Quia non est vera venditio, 138 *Non debet.*

venditio, aut permutatio, sed alius contractus innominatus, ex quo gabella non debetur. Ita ipse Sanch. *vbi sup.*

158 *Placitum Auctoris.*

Profecto Thomæ Sancij sententia difficultate non caret. Nam videtur vera esse venditio. Nisi dicat, reduci fortè ad contractum ludi fortuitum, quatenus contrahentes se exponunt fortuito periculo vitæ breuioris, vel longioris ad alimenta, & grauioris, vel minoris oneri debitorum soluendorum. Quod si facultates, quę donantur, excedant notabiliter onus illud, magis erit donatio sub onere, quam emptio, aut venditio. Ex donatione autem sub modo gabella non debetur, vt docet Molina *tomo secundo d.* 397. §. *Ex his contractibus.*

DVBIVM XXXVI.

Quando consanguineus retrahere potest ex Lege 70. Tauri *rem aliquam alicui venditam eodem pretio: si tempore intermedio prior emptor alteri extraneo vendidit, & hic alteri, à quo postea consanguineus intra debitum tempus retrahit, debeturne gabella ex illis intermediis venditionibus?*

139 *Nonnulla suppono.*

QVando consanguineus retrahit rem aliquam venditam alicui eodem pretio, quo vendita fuit, prout conceditur iure Hispano *Lege* 70. *Tauri*. Si gabella soluenda sit à solo venditore, hanc debet solus ille, qui primo vendidit, & pro illa prima vice, non illum primum emptorem, quandò posteà dat rem emptam consanguineo. Quia illa secunda non est noua venditio diuersa à prima, sed subrogatur consanguineus loco primi emptoris vtens iure suo. Ad hoc autem requiritur, quod consanguineus intra tempus sibi concessum rem ad se retrahat, & vt eodem pretio, eisdem conditionibus, & necessitate retractus, volente consanguineo, vti iure suo, id fiat. Alioquin censebitur noua venditio, & noua gabella debebitur. Anton. Gom. Matienzo, & alij, quos affert, & sequitur Sanchez *libro secundo consil cap.* 4. *dub.* 18. Vasq. §. 3. *dub.* 3. *num.* 8. & 9. Turrien. *hic d.* 45. *dub.* 3. Molina *tomo secund. d.* 371. Quæsierim vero, an gabella debeatur, si tempore intermedio prior emptor alteri extraneo vendidit, & hic alteri, à quo postea consanguineus intra debitum tempus rem retrahit.

140 *Gabella debetur.*

Debetur equidem. Quia omnes illæ venditiones intermediæ fuerunt liberæ, & non iure contractus. Sic Lazarte, quem sequitur Turrian. *vbi sup. n.* 16.

141 *Non debetur gabella.*

Non debetur. Quia omnes illæ fuerunt venditiones sub conditione, si consanguineus non retraheret intra debitum tempus, & adueniente retractu omnes annullantur, perinde ac si non præcessissent. Ita Molina *citatus.*

142

Hoc verius esse existimo adiiciens, quando gabella debetur ab emptore, vel etiam si à solo venditore deberetur, emptor tamen assumpsit sibi onus soluendi gabellam pro venditore, consanguineum retrahentem non debere nouam gabellam propter rationem traditam, debere tamen reddere primo emptori gabellam, quam soluerat, sicut debet ei soluere omnes expensas in emptione factas, vt eum indemnem seruet, quemadmodum præfati Doctores affirmant. *Verius hoc nobis.*

DVBIVM XXXVII.

Quando res dotales dantur marito æstimatæ, ex eis debeturne gabella?

CErtum est non deberi, si fundus verb. grat. non æstimatum detur in dotem. Quia ibi nulla venditio inest. Requiro autem, num debeatur, quando res dotales æstimatæ marito traduntur? 143 *Quæstionis status.*

Debetur gabella. Quia æstimatio illa emptionem efficere videtur. Sic nonnulli Doctores. 144 *Debetur.*

Non debetur, siue ab initio conuentum sit de æstimandis rebus, siue non conuenerit. Quia lex generaliter concedit ex rebus dotalibus gabellam non solui. Ita Sanch. *l.* 2. *consil. c.* 4. *dub.* 33. 145 *Non debetur.*

Verùm Petr. Sanchez de iure Hispano loquitur. Secluso tamen illo priuilegio, & posito quod ex venditione qualibet gabella debeatur potest *adhuc dubitari. Et* quidem si non sit promissa dos prius in pecunia, sed detur fundus in dote, & æstimetur, crediderim, gabellam non deberi. Quia ibi nulla interuenit venditio, cum non detur fundus pro aliqua pecunia, vel pro alia re promissa, aut debita. Quando vero dos promissa fuit ex pecunia, & postea dantur alia bona æstimata loco illius pecuniæ, secluso alio periculo: assero gabellam deberi. Quia illa videtur esse venditio, qua marito, pro pecunia dotali debita, bona illa venundantur. Quod intelligo, quando æstimatio ad hoc fit, vt maritus acquirat dominium plenum illorum bonorum, & solum debeat, dissoluto matrimonio, valorem reddere: secus autem, quando æstimatio solum fit, vt constet, dotem solutam marito esse eius valoris, cuius promissa fuerat. Quam æstimationis diuersitatem explicat Molina *tomo secund. d.* 426. 146 *Resolutio Auctoris.*

***

DVBIVM

DVBIVM XXXVIII.

Quando cohæredes diuidunt inter se hæreditatem, & quia fundus indiuisibilis est, alter alteri dat pecuniam, debeturne gabella?

147 *Non debetur*

NOn debetur. Quia *l. 35. tit. 18. l. 9. nouæ recop.* prohibetur, gabellam soluendam non esse ex bonis defuncti, quæ diuiduntur inter hæredes, etiamsi pecunia, vel aliud inter personas illas intercedat, vt fiant æquales. Sic Sanch. *l. 2. cons. c. 4. dub. 34.* & alij.

148 *Debetur planè.*

Debetur quidem. Quia attento iure communi, si gabella ex omni conditione deberetur, & illa non accipiatur, gabella soluenda est, & à fortiori quando fundus extraneo venderetur, vt pretium diuideretur inter hæredes. Quo casu etiam stante illa lege Hispana, quæ nititur. P. Sanch. credo deberi. Nam illa solum dicit, ne soluatur gabella ex bonis defuncti, quæ diuiduntur inter hæredes, vt æquales reddanturin hoc autem casu pecunia non interuenit solum inter ipsos hæredes, sed inter emptorem extraneum, & hæredes, qui fundum ei vendunt. Ita Card. Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 159.*

149 *Et hæreo, nonnihil adiiciens.*

Et hæreo adiiciens, multò magis gabellam soluendam esse, si diuisione iam facta, & perfecta, alter alteri cohæredi portionem suam vendat, vel permutet cũ portione illius, quando ex permutatione etiam gabella soluitur. Deberi etiam, quando vnus ex hæredibus ante diuisionem factam, suam portionem alteri extraneo venderet. Si vero hic emptor postea in diuisione pecuniam det aliis cohæredibus ad faciendam diuisionis æqualitatem, gabellam de iure Hispano non deberi. Quia emptor ille loco hæredis succedit, qui ex diuisione illa gabellam soluere non debebat. Quia est hæres vtilis, vt cum Parladoro annotat Sanch. *dub. 35.*

DVBIVM XXXIX.

An in permutatione ex iure Hispano saltem debeatur gabella ante traditionem, quando ex permutatione debetur?

150 *Debetur quidem.*

DEbetur quidem. Quia ex iure Hispano ex pacto nu loontur obligatio ciuilis, & datur actio ante traditionem. Sic Lazarte apud Mol. *to. 2. d. 337. col. 1.*

151 *Non debetur.*

Non debetur. Quia licet illud pactum obligationem inducat, tamen nondum est permutatio, quæ sola traditione perficitur. Ita Mol. *ibi*, ex Turrian. *hic, d. 45. dub. 6. n. 21.*

152 *Hoc verius*

Hoc verius esse iudico. Nam cum gabella non debeatur ex omni contractu obligante, sed ex venditione, vel permutatione, non debebitur ex illo solo pacto, ante traditionem.

DVBIVM XL.

Venditio inducitne obligationem soluendi gabellam ante traditionem?

153 *Obligationem inducit.*

INducit profecto. Quia venditio perficitur ante traditionem: Ergò ante traditionem rei venditæ obligationem soluendi gabellam inducit. Sic Mol. *tom. 2. d. 337. col. 1.*

154 *Non inducit.*

Non inducit. Quia venditio non perficitur essentialiter, ante traditionem rei venditæ. Ita Vasq. *hic, §. 2. dub 6. n. 27.*

155 *Auctoris sententia.*

Ego autem cum Turriano *in præsenti, d. 45. dub. 5. n. 3.* venditionem assero perfici ante rei venditæ traditionem. Vnde si gabella præcise venditioni imponatur, debebitur, etiamsi postmodũ res non tradatur, & consequenter cum P. Mol. concedo, posse gabellarium illam exigere, licet contrahentes postea à contractu recederent, & pertinere ad illum, ad quem loco, ac tempore contractus spectabat, non ad eum, ad quem spectabat in loco, vel tempore traditionis, denique si tempore contractus erat immunitas, non debebitur, licet tempore traditionis, cessasset, & è contra. Addo tamen, de facto non deberi in Hispania ex sola venditione ante rei traditionem venditæ, repugnante praxi, quia nunquam exigitur gabella ante traditionem: alioquin si venditor rem nondum traditam venderet secundo emptori, deberet duplicem gabellam soluere: quod credibile non est. Porrò cum hæc pendeant ex vsu interpretante gabellæ legem, consulenda est consuetudo. An vero debeatur solui gabella solùm in loco, vbi fit contractus, vel vbi res traditur, consulendæ sunt peculiares Regni illius leges, quas recolit P. Mol. *d. 679.*

DVBIVM XLI.

Debeturne gabella ex venditione, ante quam pretium sit solutum, si res tradita sit?

156 *Debetur quidem.*

DEbetur quidem. Quia sufficit alterutrum ad debitum gabellæ, quod vel res, vel pretium traditum sit, nam eo ipso quod pretium venditor accipit, vel rem suam tradit emptori, sufficienter dispositisse videtur de re sua vt ratione illius gabellam debeat soluere. Sic Turrian. *hic, d. 45. dub. 5 n. 19.*

157 *Non debetur.*

Non debetur, donec pretium accipiatur. Quia gabella exigitur ex lucro venditionis: ergo antequam lucrum illud sit, non debet cogi, ad pensionem ex illo soluendam. Ita Lugo *d. 36. n. 163.*

158 *Quid dicendum expono.*

Profecto si æquitas consulenda sit, verius duxerim, venditorem non debere gabellam soluere, donec pretium accipiat. Vnde à fortiori, si neque habet spem illud recipiendi.

Sed quia

quia emptor effugit, non debet gabellam solvere, vti Sanch. aduertit *l. 2. cons. c. 4. dub. 38.* Qui hoc etiam concedit, quando emptor prætium re vera solvit procuratori, vel proxenetæ, cui res vendenda tradita fuerat, & hic, pretio recepto aufugit, quia non videtur æquum afflicto addere afflictionem, & exigere ab eo partem pretij, quod absque sua culpa non accepit. Vnde etiam infert *Dub. 37. nu. 9.* cum aliis, quos citat, quando aliquid pecunia credita venditur, gabellam non deberi, donec pretium solvatur. Assentior omninò.

DVBIVM XLII.

Fit venditio cum pacto de retrouendendo, seu de redimenda re, reddito pretio intra certum tempus ad arbitrium venditoris, & tunc gabella soluitur: Porro debeturne noua gabella, quando venditor reddito pretio rem suam redimit?

159 *Recolo plures modos, quibus contractus dissolui potest.*

REcolo plures modos, quibus contractus dissolui potest. Primo, dissolui poterit ex consensu contrahentium, qui si incontinenti, & sine interuallo, antequam ad alia digrediantur, contractum dissoluant, gabella non debebitur neque ex resolutione, neque ex ipso contractu. Quia perinde reputatur, ac si contractus factus non fuisset. Sanch. aliis citatis *l. 2. cons. c. 4. dub. 39. n. 7.* Secundo ex pacto contrahentium, qui in ipso contractu, vel in continenti verbis directis conuenerunt, vt si pretium intra tot dies non soluatur, res putetur non vendita, quod appellatur *pactum legis commissoriæ.* Vel ita vt si intra talem terminum alius emptor cum maiori pretio inueniatur, res non sit vendita, quod appellatur, *in diem addictio.* Certè in his casibus gabella non debetur neque in contractu, nec in eius dissolutione, si pactum in venditione, vel in continenti verbis directis appositum fuit. Quia impleta conditione censetur non facta anteà venditio. Sanch. *dub. 39. n. 9.* plures afferens. Tertio potest dissolui ex eisdem duobus pactis non directè, sed verbis obliquis impositis in contractu, vt si dicatur, si non solueris, vel si alius emptor occurrat, res reuertatur, redeat, pertineat ad me, &c. Quo casu gabella debetur ex venditione. Quia fuit vera venditio. Non tamen ex dissolutione. Quia non est venditio, sed rescissio prioris venditionis ex pacto in ea appositio. Sanch. *ibid. n.* 10. Molina 4. 679. §. *Dubium est.* Quarto denique potest dissolui ex pacto in ipsa venditione, vel in continenti appositio de retrouendendo, seu de redimenda re, reddito pretio intra certum tempus ad arbitrium venditoris. Tunc quidem venditione prima debetur gabella ex communi sententia Doctorum, quos affert, ac sequitur Molina *d.* 374. §. *Dubium est.* Sanch. *dub. 39. numero* 11. Quia illa prior fuit vera venditio, & transtulit absolutè dominium in emptorem, & ita de facto soluitur gabella, quando census redimibilis venditur. Iam quiro, num postea noua gabella debeatur in redemptione, quando venditor dato pretio, repetit rem suam?

160 *Non debetur.*

Non debetur. Quia illa non est noua venditio, sed prioris dissolutio ex pacto in ea incluso. Sic Mol. & Sanch. *vbi sup.* Vasq. *hic, d.* 358. *dub. 2. n. 5.*

161 *Debetur quidem.*

Debetur quidem. Quia sicut prima venditio vere venditio fuit, eo quod pretium traditum est, & res accepta: sic redemptio illa est noua venditio, eo quod pretium pro merce redimenda de nouo tradatur. Ita nonnulli Doctores.

162 *Primam sententiam eligo longè veriorem.*

Primam sententiam longè veriorem defendo, repens vtique non esse illam nouam venditionem, sed dissolutionem prioris. Si tamen pactum illud de retrouendendo, non fuisset appositum in prima venditione, sed postea ex internallo apponeretur, iam illa redemptio esset noua venditio, & non sequela prioris, atque ideo ex ea noua gabella deberetur. Vnde si venditio fiat cum pacto de retrouendendo vsque ad sex annos, & postea, nondum sex annis elapsis, ad alios sex terminus prorogetur, & anno octauo (v g.) redimatur: debebitur noua gabella. Quia non resoluitur contractus ex vi prioris conditionis, sed est noua venditio omnino distincta. Idem affero, si pactum non fuisset de retrouendendo simpliciter, sed de iure prælationis, & quando emptor rem illam venderet, deberet primus venditor præferri eodem pretio præ omnibus aliis, quia illa non esset propriè resolutio prioris contractus, sed noua venditio condistincta.

DVBIVM XLIII.

Cum rescinditur contractus à minori factus, gabellarius debetne restituere ei gabellam, quam ex venditione soluerat?

163 *Rescindi potest contractus pluribus modis.*

POtest rescindi contractus venditionis ex ædilitio edicto ob vitium rei venditæ à venditore occultatum. Quo casu gabella soluta non esse à gabellario restituendâ docet Sanch. *l. 2. cons. c. 4. dub. 40. n. 1.* & Mol. *d. 353.* & supponitur in *leg. Debet 27. ff. de ædilitio edicto.* Quia venditio illa valida fuit, licet petente emptore rescindi valeat: Ergo gabellarius acquisiuit ius ad suam gabellam absolutè. Potest etiam rescindi venditio ex remedio *l. 2. C. de rescind. vend.* propter-læsionem vltrà dimidium iusti pretij, quo casu gabellarius non debet gabellam prius acceptam reddere. Quia etiam tunc venditio fuit valida. Debet autem damnum gabellæ sustinere, qui iniustè læsit: ita vt si venditor emptorem decepit, debeat illum indemnem seruare: si forte gabellam soluerit, & è contra emptor venditorem, si illum decepit. Molina *d. 349.* Turrian *hic, d 45. dub. 8. n. 18.* Sanch. alios referens *vbi supra n. 2.* Potest etiam rescindi, eo quod metu vel dolo venditoris vel emptoris facta venditio fuerit, & tunc gabellam soluta restituere debet, qui dolum, vel metum iniectum

iniustum apposuit. Quia qui iniustitiam commisit tenetur alterum indemnem seruare, & integrum damnum sustinere. Sanch. *n.* 4. Mol. *d.* 352. *concl.* 3. & 4. Denique (vt ad quæstionem accedamus) potest rescindi contractus à minori factus, eo quod in eo se læsum prætendat. Dubium itaque est, an tunc gabellarius debeat minori restituere gabellam, quam ab eo ex venditione accepit.

164 *Non debet gabellarius restituere.*

Non debet restituere, sed licitè eam retinere potest. Quia prior venditio valida fuit, licet postea rescindi posset. Quare si minor soluerat totam gabellam, ipse solus eam perdet: si alius contrahens partem, vel totam soluerat, singuli perdent id quod tradiderant. Huic enim periculo se expoluit, qui cum minore contraxit. Sic Mol. *to.* 2. *d.* 573. §. *illud est obseruandum*, alios citans.

165 *Restituere debet.*

Debet restituere minori gabellarius gabellam, quam ab illo ex contractu venditionis accepit. Quia rescissio illa contractus omnia in pristinum statum restituit. *Leg. Quod si minor, §. restitutio. ff. de minorib.* Ita Sanch. *dub.* 40. *fine.*

166 *Primam sententiam defendo.*

Primam sententiam teneo. Nam *Lege Quod si minor*, qua D. Thom. Sanchez nititur, solum est sermo de restitutione in ordine ad contrahentem cum minore, à quo debet minor restitui quoad omnia pristinum in statum. Quæ ratio non videtur procedere contra fiscum, cui gabellam soluit verè debitam. Nulla enim læsio prætendi potest ex eo, quod vnum debitum soluerit: sicut si baiulo pretium soluit, vt rem venditam domum ferret, non potest postea restitutione obtenta, & venditionis rescissione, petere à baiulo pretium illi solutum: sicut neque à Notario pretium ei solutum ob venditionis instrumentum. Quia hæc omnia erant vera debita soluenda. Idem ergo dici debet de gabella soluta ex venditione, quæ non minus debita erat fisco, quam pretium instrumenti, Notario, vel Iudici, qui authoritatem præbuit.

DVBIVM XLIV.

Debeturne gabella ex censu vitalitio, quando imponitur, vel si alius possessor alteri vendat?

167. *Variæ hic quæstiones excitantur. An debeatur gabella ex censu redēptione?*

VArias quæstiones in præsenti Doctores excitant, lubet præmittere in vberiorem rei intelligentiam, duas. Primo est, an ex census redemptione gabella debeatur? Suppono, quando instituitur census siue redimibilis, siue irredimibilis, gabellam deberi, quia est propria venditio. Vnde si is, qui censum possidet, illum alteri vendat, debet etiam gabellam. Quod tamen in Hispania non seruatur in censibus, quos Rex soluit, quos vulgo *Iuros* vocitant. Ex his enim non solum quando primò emuntur à Rege gabella non soluitur, sed neque etiam quando possessor illos alteri vendit. Molina cum aliis *to.* 2. *d.* 384. Quod quidem in honorem, & gratiam Regij census fuit introductum. At de censibus redimibilibus respondeo quæstioni, si cum eo pacto venditi sūt, vt ex vi illius postea redimantur, non deberi nouam gabellam in redemptione. Quia ille nō est nouus cōtractus, sed prioris resolutio ex pacto in eo appositō. Si verò tale pactū appositū à principio nō fuisset, sed postea ex conuentione partium redimatur eodem pretio, nouā gabellam deberi. Quia illa non est contractus prioris executio, sed nouus contractus. Ex Molina citato. Secundo, an ex censu reseruatiuo debeatur gabella (census reseruatiuus est, quando Petrus dat Antonio prædium quoad vtile, & directū dominium pro censu annuo duodecim aureorum v.gr.) respondeo gabellam non deberi. Quia illa non est propria venditio, imo nec permutatio, sed est reseruatio illius iuris, qua Petrus transferens suum prædium in Antonium, reseruat sibi ius accipiendi de fructibus illius duodecim aureos annuos, quod ius Antonius non dat Petro, sed ipse Petrus dans prædium quoad reliqua, reseruat sibi illud ius. Aliud esset, si pecunia aliqua adnasceretur, quam Antonius daret de præsenti pro prędio simul cum annuæ pensionis reseruatione. Tunc enim ex pecunia illa gabella deberetur. Quia esset pretium prædij pro ea vendita. Ex Mol. *to.* 2. *d.* 382. Iam ad nostram dubiam accedo quæstionem, requirens, num ex censu vitalitio gabella debeatur, quando imponitur, vel si illius possessor alteri vendat?

168 *An ex censu reseruatiuo gabella debeatur? Et quis census reseruatiuus?*

Non debetur. Quia illa non est propria venditio, sed contractus quidam aleatarius, vt assecurationis, vel sortium. Sic Sarmiento *l.* 7. *select. interpret. c.* 1. *n.* 40.

169 *Non debetur gabella.*

Debetur planè. Quia emitur ius super prædia hypothecata, ad percipiendam partem ex fructibus per totam vitam, sicut si emeres vsumfructum in vitam. Ita Mol. *d.* 384. §. *An verò*, cum aliis communiter.

170 *Debetur quidem.*

Veriorem hanc sententiam esse crediderim. Nec enim est necessarium ad venditionem, quod res, quæ venditur sit perpetua, potest namque vendi creditum: quod habes aduersus Petrum, & ius ad vnicam solutionem: Ergo à fortiori vendi poterit ius ad plures solutiones per singulos vitæ emptoris annos.

171 *Verior hæc sententia mihi.*

DVBIVM XLVI.

Qui solum debet soluere gabellam ex negotiatione, qualis est Clericus, debetne illam quando aliquid emit ad suum vsum, & postea, mutato consilio, illud maiori pretio vendit?

DEbet gabellam. Quia *Lege* Hispana 5. *tit.* 7. *part.* 5. dicitur portantem aliquid ad suum vsum non debere gabellam, nisi postea illud vendiderit. Ergo Clericus ille vendens postea, quod ad proprium vsum emerat gabellam soluere tenebitur. Sic nonnulli Doctores.

172 *Gabellam debet.*

173 *Non debet gabellam.*

Gabellam non debet. Quia illa non fuit vera negotiatio, quæ tunc solum datur, quando aliquis emit ad vendendum, & lucrandum. Hic autem licet postea vendiderit cum lucro, non tamen ad illum finem emit. Ita Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 46.*

174 *Hoc teneo, & confirmo.*

Hoc teneo, & confirmo ex iis quæ Doctor ipse *loco citato* tradit, nempe gabellam debitam ab iis, qui portant aliquid ad vendendum, non deberi ab eo, qui emit, vel portauit ad proprium vsum, licet postea, mutato consilio, id vendiderit. Probatur ex *Leg. vni. C. de imponenda lucratiua descript. l. 10.* vbi gabella imposita rebus adsportatis titulo lucratiuo, non debetur, quando contractus in suo exordio non fuit lucratiuus, licet postea res lucri titulo in dominium alicuius inciderit. Quia origo, & primordium est attendendum. Nec obstat lex Hispana illa, qua prima sententia protegitur. Id enim intelligitur, quando statim ille vendidit. Quia præsumitur ad vendendum rem illam deportasse. Debebit autem gabellam ex venditione sequenti, quando ea debetur ex omni venditione, & ille non est alioqui à tali gabella soluenda immunis, vt de Clerico innuimus.

CAPVT XII.

Circa locum soluendi Tributi.

DVBIVM XLVI.

Si res, circa quam fit contractus, & quæ tradenda est, sit in Hispania, & contractus fiat in Gallia: an Tributum soluendum sit in Hispania?

175 *Plura præmitto circa locum vbi tributum est soluendum.*

Circa locum, vbi gabella soluenda sit, multa ex legibus municipalibus dependet, plures ex iis, quæ ad Hispaniam attinent affert Mol. *to. 3. d. 676.* Loquendo autem in genere, certum est gabellas, quæ ad vectigalia, & portoria pertinent, deberi ibi, vbi merces adsportantur, vel introducuntur. Tota itaque difficultas est de gabellis, quæ ex contractibus debentur, an soluendæ sint in illo loco, vbi contractus executioni mandatur. Et quidem leges ad fraudes vitandas, & dubia tollenda, assolent explicare, vbi, & quibus soluenda sit gabella ex contractu debita, quæ leges consulendæ, & obseruandæ erunt. Ad nos solum attinet dicere, seclusis his legibus, quid sequeretur præcisè ex gabellæ impositione. Regula itaque generalis est, quod attendantur verba legis, quibus gabella imponitur. Aliquando enim imponitur soli contractui: aliquando traditioni, aliquando vero ipsis bonis, de quibus contrahitur. Quando lex imponit tributum soli contractui ibi debetur, vbi contractus perficitur, in ratione talis contractus, licet bona ibi non essent, sed alibi. Ita dicendum esse de iure communi docent Bald. & Panormit. quorum sententiam commendat Sanch. *l. 2. cons. c. 4. dub. 42. n. 3.* Cardinalis autem Ioan. de Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 174.* aptè adnotat id etiam ex iure communi habere exceptionem. Nam ex eo iure statuitur, contractum ibi censeri factum, vbi contrahens se ad soluendum obligauit: quare si Romę te obligas ad soluendum Matriti, poteris Matriti conueniri. *L. Contraxisse. ff. de actionib & leg. Quæro ff. de solut.* Quare cum res immobiles, & solo affixæ, non possint solui, nisi vbi sunt, earum locus videtur attendendus ad gabellę solutionem, loquendo de iure communi. Iam igitur quæsierim, an si res, circa quam fit contractus, & quæ tradenda est, sit in Hispania, & contractus fiat in Gallia, tributum sit in Gallia, an in Hispania soluendum?

176 *Authores relati.*

Soluendum est in Gallia, non in Hispania. Quia gabella non potest exigi nisi a subdito: sed Gallus existens in Gallia, non est hispanię subditus: Ergò quando in Gallia vendit alteri bona, quę habet in Hispania, non potest à rege Hispaniæ ex eo gabella peti. Sic Lazarte apud Mol. *to. 3. d. 676.*

177 *Soluendum est in Gallia non in Hispania.*

Soluendum est in Hispania, non in Gallia. Quia vbi res, seu bona de quibus fit contractus tradenda est, ibi tributum soluendũ esse *lege Contraxisse* imperatur. Ita Mol. *vbi sup.* Bald. *ad Leg. Multi interest. ff. si quis alteri, vel sibi*, & alij multi, quos refert Bertachinus, *de gabellis p. 6. n. 8.*

178 *Soluendum est in Hispania non in Gallia.*

Probabilior hæc mihi sententia. Nam si bona quæ ille vendidit sunt prædia, vel domus, quas in Hispania habet, vel etiamsi sint bona mobilia, obligauit se per contractum ad ea tradenda in Hispania: conueniri potest super eo contractu in Hispania, atque adeo quoad illum contractum fit subditus, & capax obligationis gabellam soluendi.

179 *Probabilior hæc mihi sententia.*

DVBIVM XLVII.

Quando contractus fit per procuratorem, debeturne Tributum, vbi procurator contrahit?

180 *Debetur vbi procurator contrahit.*

Debetur quidem vbi procurator nomine alterius contrahit, non vbi ille cuius nomine contrahit adest. Quia ex facultate accepta procurator illius agit personam. Sic Lazarte cum Baldo, quos refert, ac sequitur Mol. *d. 676. n. 4.*

181 *Non debetur vbi adest ille, cuius procurator contrahit, sed dominus.*

Non debetur vbi procurator contrahit, sed vbi adest ille, cuius ex nomine fit contractus. Quia gabella non solvitur à procuratore, cum ipse verè non contraxerit, sed Gallus, v. grat. vel eius medio ipso. Gallus autem in Gallia degens, non est subditus Regis Hispaniæ. Ita nonnulli Doctores.

182 *Primam sententiam sequor.*

Primam sententiam longè veriorem eligendam duxi. Nã quando Gallus in Hispania cõtrahit per procuratorem, debet ibi gabellam; quia *ineor.*

quia iam censetur ibi præsens in illo adesse, & sicut ratione illius contractus potest inibi conueniri, poterit etiam ad soluendam gabellam debitam ex illo contractu obligari. Alioquin nec deberent soluere vectigal famuli, vel muliones, qui in Hispaniâ merces Galli manentis in Gallia deportant. Quia ipsi non portant merces suo nomine, nec soluunt verè gabellam, sed dominus mercium, qui non est subditus. Cæterum quoad illum actum est subditus, quia qui per alium mittit merces, subijcit se legibus loci, ad quem eas mittit.

DVBIVM XLVIII.

Quando contractus fit per litteras hinc inde datas, debeturne gabella in loco, vbi secundus contrahens, acceptis literis alterius, consentit?

183 *Debetur ibi.* DEbetur vbi secundus contrahens, acceptis litteris alterius, consentit. Quia inibi contractus perficitur, ob quem gabella debetur. Sic Lazarte apud Mol. *to. 3. d. 676. numero 4.*

184 *Non debetur ibi.* Non debetur ibi, sed vbi primus litteras ad illum immisit. Quia non perficitur venditio, donec consensus secundi, & eius acceptatio ad notitiam primi deueniat. Ita Mol. *vbi sup.*

185 *Auctoris resolutio.* Profecto hoc pendet ex cognitione quando, & quomodo requiratur notitia illius acceptationis, vt contractus sit perfectus, & neuter contrahentium recedere valeat, de quo sapientissimè de more Card. Lug. *to. 2. de iust. d. 22. de Contract. sect. 3.* Iuxta cuius doctrinam dixerim ibi gabellam deberi, vbi vltimò perficitur contractus, qui anteà nondum erat perfectus, & irreuocabilis.

DVBIVM XLIX.

Contrahentes possuntne ante contractum conuentiones facere cum gabellario vt partem gabellæ debitæ remittat, vt inibi contractum efficiant?

186 *Nonnulla præmitto.* EXistimo posse contrahentes (si non sit lex aliqua municipalis contraria) ad vitandam solutionem gabellæ apposito contractui, transferre se ad alium locum ab ea gabella immunem, ibique contractum celebrare, quando bona non remanent necessario tradenda in loco, vbi gabella exigitur. Bertachin. *in dictionar. v. Gabella*, & alij, quos sequitur Sanch. *lib. 2. consil. capit. 4. dub. 42. numer. 3.* Quæsierim autem, an contrahentes possint conuentionem facere cum gabellario, antequam contrahant, vt partem gabellæ debitæ remittat, vt ibi contrahant, & non alium excedant ad locum?

187 *Non possunt.* Minimè possunt. Quia contrahentes debent ex lege solvere tantum pro gabella quare nequeunt de illo detrahere. Sic nonnulli doctores.

188 *Possunt quidem.* Possunt omninò cum gabellario pacisci, vt partem remittat. Quia licitum eis est, ad alium pergere locum, & illud lucrum alterius loci gabellario dare. Ita Vasq. §. 2. *dub. 9.* Turrian. *hic, d. 45. dub. 8. n. 14.*

189 *Hanc sententiam defendo.* Existimo, id neque esse iniustum, vel illicitum. Cui resolutioni non obstat, quod contrahentes debeant ex lege soluere tantum pro gabella. Fateor enim debere ex lege soluere summam illam lege præscriptam, nisi Rex, vel qui eius habet authoritatem, in totum, vel in partem remittat. Gabellarius ergo, cuius interest, & qui potestatem habet, remittit partem, & hoc propter suum lucrum, quam remissionem licitè acceptare, & procurare potest contrahens, quia ipse ante factum contractum nulli debet gabellam. Quod quidem minimè admitterem in decimis Ecclesiæ debitis, si verb. grat. aliquis pacisceretur cum Parocho, vt si ad eius Parochiam veniret, partes decimarum remitteret, & Parochus consentiret, ne illud lucrum perderet. Quia decimæ non ex Parochi, sed ex Ecclesiæ præcepto debentur integrè dandæ alicui Ecclesiæ ministro, cui præcepto ille non satisfaceret, dando vnam partem ex conuentione cum Parocho facta. Vasq. *de benef. c. 1. §. 1. dub. 3.*

190

CAPVT XIII.

Circa alias res, ex quibus Tributum debeat solui.

DVBIVM L.

Cum res aliqua centum aureis verb. gr. venditur, sed pro venditione facienda venditor decem aureos insumpsit, vt proxeneta, præconi, & aliis solueret: Gabella debetne ex centum aureos integrè solui?

191 *Nonnulla suppono.* EGi in superioribus, an ex rebus necessariis, vel ex iis, quæ ad proprium vsum emuntur, aut deferuntur gabella debeatur? Nunc adiicio ex quibus rebus aliis soluenda sit, quod quidem pendet ex legibus municipalibus circà singulas gabellas, quibus solent varia priuilegia concedi variis mercibus; v. g. libris, armis, agriculturæ, & aliis, vt à gabellæ solutione eximantur, quæ leges erunt consulendæ; plures quoad aliquas gabellas Hispanas recole apud Mol. *to. 3. d. 664.*

192 Nunc in genere disputo de qua quantitate soluenda sit gabella quando verb. grat. decima, vel vigesima pars pretij pro gabella soluenda sit à venditore, & res aliqua venditur centum aureis, sed pro

venditione gerenda venditor decem insumpsit, vt solueret proxenetæ, præconi, Notario, & aliis, quæritur, an gabella solui debeat ex centum, an ex solis nonaginta, quæ remanent venditori?

193 *Ex solis nonaginta soluenda est.*

Ex solis nonaginta qui remanent venditori soluenda est, non ex decem aureis illis, qui insumpti fuere, vt proxenetæ, præconi &c. fieret satis. Quia insumptio illa necessaria fuit ad venditionem, quæ aliter non fieret: Ergo pretium contractus illius erunt solummodo nonaginta aurei, ex quibus solum gabella debeatur. Sic nonnulli, quos affert Lazarte apud Molinam *to. 3. d. 679.*

194 *Non est soluenda ex solis nonaginta.*

Non solum ex nonaginta aureis, qui venditori remanent soluenda est gabella, sed ex toto pretio, nempe ex centum aureis non deductis oneribus, nisi lex aliud explicet. Quia illud totum est rei pretium. Ita cum Lazarte Molina *ibid.* & alij, quos affert Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 41.*

195 *Hoc probabilius esse, imo ex praxi certum indico.*

Soto, Bertachinum, & Tiraquellum citatos à P. Vasquez *hic*, §. *2. dub. 9. num. 15.* asseruisse, si lex dicat, quod soluatur decima pars verb. grat. ex pretio à venditore recepto, soluendam esse gabellam deductis aliis oneribus, ex eo, quod remanet. Si vero dicat, vt soluatur ex pretio, quo res vendita fuit, soluendam esse ex pretio, non deductis oneribus.

196

Probabiliorem autem iudico secundam esse sententiam, si lex aliud non exponit. Nam praxis ita habet, & alioquin deducendæ etiam essent expensæ factæ in adsportandis mercibus, imo & in acquirendis, vel faciendis eis, quod esset absurdum. Nec in decimis Ecclesiæ soluendis huiusmodi expensarum ratio habetur, sed iis non deductis, ex totis fructibus integra decima soluitur.

DVBIVM LI.

Si gabella tota à venditore soluenda sit, & emptor assumat in se onus illam soluendi: tunc ad gabellæ solutionem solumne computandum est, quod datur venditori, sed etiam ipsa gabella?

197 *Status quæstionis.*

TItulum Dubij explico. Venditori dantur pro merce mille libræ, & gabella est decima pars; quæsierim, an sufficiat soluere centum, vel an rursus ex his centum debeat solui pars decima?

198 *Debet solui.*

Debet quidem solui. Quia gabella ipsa tota fuit pars pretij, quo res empta est ab emptore, qui in partem pretij promisit etiam gabellæ solutionem. Si ergo ex toto pretio debet solui decima, non sufficit soluere ex 1000. datis venditori, sed debet solui ex 1100. libris, quæ sunt illius mercis pretium. Sic Molina *tom. 3. d. 678. numero 7.* Vasquez *hic* §. *secund. dub. 9. numer. 15.* Turrian. *d. 45. dub. 8. numero 9.* & alij, quos refert, ac sequitur Sanchez *libro secund. consil. c. 4. dub. 41. numero 5.*

199

Solui minimè debet. Quia dare turpe processus in infinitum. Nam si pro illis centum gabellario datis deberet ea decima solui: Ergò pro hac decima deberet solui alia, & pro hac alia. Semper enim eadem ratio procedit, quod totum ideſt pars pretij, & ex toto pretio decima debetur. Ita aliqui Doctores, consequenter equidem. Vnde cum Lazarte apud Molinam negarit, post soluta decem pro illis centum, debere solui aliud pro illis decem, ipse Molina inconsequenter hoc à Lazarte dici probat. *Non debet solui.*

Ego quidem primam sententiam veram esse defendo: secundæ autem assertoribus respondet Molina, ex æquitate, & vsu videri non soluendum pro illis decem aliud, quamuis in rigore solui deberet. Attamen facilius respondeo cum Cardinali Lugo *hic, d. 36. numero 182.* non sequi processum in infinitum: ad quem vitandum, & soluendam gabellam æqualem computandum esse, quod datur venditori, & dandam esse gabellario nouam partem illius summę, quæ data est libera venditori, vt si v. g. sunt venditori data 900. libera, danda sunt 100. gabellario, hoc enim pacto habebit integram decimam totius pretij, cum pretium totum sit 1000. ex quibus gabellarius habet 100. pro gabella. 200 *Primam sententiam defendo.*

DVBIVM LII.

Ad gabellam soluendam, computandumne est, quod licitatori datur, pretium mercis augenti?

201 *Quæstionis status.*

QVando in publica subhastatione promittitur ei, qui licitatus fuerit supra alios, quod sine ipse sit, vel non sit vltimus, dabitur ei quarta pars, verb. grat. eius augmenti, quod supra præcedentes obtulit. Dubitatur itaque, an ad soluendam gabellã computandum sit totum pretium, quod vltimus obtulit, & soluit, an vero id, quod remanet venditori, deductis illis, quæ ex pacto præcedenti reddi debent iis omnibus, qui licitando, pretium auxerunt.

202 *Deducenda sunt quæ licitatoribus soluuntur.*

Deducenda sunt illa, quæ licitatoribus soluuntur, & solum ex reliquo gabellam soluendam. Quia illa alia pretium imminuunt. Sic Parladorus quem refert, ac sequitur Sanchez *libro secundo Consil. cap. 4. dub. 41. numero 4.*

205 *Non sunt deducenda.*

Non sunt deducenda illa, sed ex toto pretio gabella soluenda. Quia sicut non deducuntur aliæ expensæ, ita non debent deduci ea, quæ ex tali pacto soluuntur. Ita Molina *tom. 3. d. 679. n. 2.* citans alios: addicit tamen, nisi consuetudo contraria sit.

204 *Distinctione vtendum existimo, & quando vna, & quando altera sententia vtrius quæstionem expono.*

Ego autem distinctione vtendum existimo, si in rigore loquamur, nisi vsus leges temperauerit. Vt scilicet solummodo deducendum sit id, quod datur emptori ob vltimam licitationem ab ipso factam, non quod aliis datur, qui pretium auxerunt, & non emunt, nec etiam quod datur eidem emptori ob priores licitationes ab ipso factas,

supra

supra quas alij postea obtulerunt. Ratio est, quia illud est pretium datū ab emptore, quod ipse offert, & solvit pro re: hic autem emptor, qui invenit iam oblata 32. pro re illa, & ipse offert 40. re vera non offert nisi 38. præcedente pacto, quod quarta pars augmenti esset quasi non oblata, sed ipsi remaneret: Ergò pretium, quo emit, sūt 38. adeo vt si illud esset pretiū summum, venditor iuste ei venderet, nec aliquid restituere teneretur; quia non accepit ab eo, nisi 38. Ergo ex illis soli solui debet gabella. Quod autem non debeat deduci, quod aliis prioribus licitatoribus solvitur, similiter ostendo: quia pretium non est quod manet libernm venditori deductis expensis, quas in venditione fecit: sed quod solvitur ab emptore; sicut etiam gabella, quam venditor solvit, intrat in pretium, ideo si illa 38. excederent pretium iustum summum, deberet excessus emptori restitui, etiamsi soluta gabella, & solutis iis, quæ prioribus licitatoribus debentur, non maneret venditori nisi pretium iustum: quia considerandum est, an emptor plus solvat de suo, quam res valeat alioquin patitur iniuriam, cum cogatur pro re supra eius valorem solvere. Ergo solum debet deduci, quod ipsi solvitur ob licitationem, non quod aliis solvitur. Denique quod deduci non debeat quod eidem emptori solvitur ob alias licitationes priores ab ipso factas, ex eodem principio probo; quia illud totum est pretium, quod emptor dat de suo, vt rem habeat. Caiu ergo, quo emptori iam debebantur quatuor ob alias licitationes priores, & nunc offert 40. addendo octo supra vltimam licitationem, ex qua oblatione potest sibi retinere duo, si emat: offert vere de suo 38. quia offert 34. quæ re ipsa solvet, & alia quatuor, quæ iam ipsi debebantur, etiam si non obtulisset 40. Ergo perdit de suo 38 vt rem habeat. Ergò ita 38. sunt pretium integrum, quod dat pro re illa, atque adeo ex illis 38. solvenda est gabella, in rigore loquendo.

DVBIVM LIII.

Debeturne gabella ex onere, quod vltra pecuniam emptori imponitur?

205 *Quæstionis status.*

DOmum, quæ plus valebat vendit quis pro mille, addito onere emptori, vt ipse debeat conducere aliam domum illius in annos decem, vel vt pretio aliquo locet ei aliam domum suam: vel vendit ancillam cum pacto, ne in loca longinqua deferatur: quod onus videtur esse pars pretij, & ideo æqualitas & iustitia contractus pensanda est non solum ex pecunia, quam soluit emptor, sed etiam ex iusta illius oneris æstimatione, quod cogitur subire. In his itaque casibus dubitarim, an gabella debeat solvi non solum ex pecunia, quæ redditur, sed etiam ex onere, quod imponitur, quanti æstimatione prudentis poterit duci?

206 *Debet solvi ex pecunia, & ex onere*

Debet solvi ex pecunia & ex onere. Quia totum illud est pretium, quo res illa venditur. Sic Lazarte apud Molinam *tom. tertio d. 678. num. 9.*

207 *Non debet solvi ex onere. sed ex sola pecunia.*

Non debet solvi ex onere impositio gabella, sed ex pecunia solum, quia licet totum illud considerandum sit ad æqualitatem, & iustitiam contractus, & ad illa etiam onera exigenda detur actio & venditio iuxta *leg. Fundi partem, ff. de contrahenda empti.* quatenus quando alius contractus miscetur cum venditione, & pretium pecuniæ, quod solvitur, excedit valorem & æstimationem alterius oneris adiuncti, totus contractus reputetur venditionis ad effectum, vt possit agi actione ex vendito pro illis aliis quoad gabellam verò debet solum solvi ex illo contractu, quatenus propriè venditio, aut permutatio est. Prout vero habet obligationem illam aliam adiunctam, non est propriè venditio, aut permutatio, cum non sit rei pro pretio, vel rei pro alio onere, vel obligatione: quare ea ex parte gabella non debebitur, ita Molina *citatus.*

208 *Auctoris resolutio.*

Ego quidem hanc sententiam probabiliorem esse iudico, quando gabella debetur solum ex venditione, vel permutatione. Nam si deberetur ex aliis contractibus onerosis, priorem partem vti vnicè mihi veram amplecterer.

DVBIVM LIV.

Qui vendit triticum pretio ex lege taxato, potestne reiicere in emptorem ipso consentiente onus soluendi gabellam, quando venditor deberet soluere?

209 *Potest hoc onus in emptorem reiici.*

POtest hoc onus in emptorem reiicere, quia si ille consentit, nemini fit iniuria nō Regi, cum ei gabella soluatur nō emptori, cum ille consentiat, & sic gratis id soluere videatur. Sic Ludonic. Messia, quem citat. Lazarte *de decima venditionis, c. 15. n. 25.*

210 *Reiici non potest.*

Imponi non potest onus huiusmodi, etiam venditore consentiente, quia illa gabella ab emptore soluta, esset etiā pars pretij, atque ideo iam venderet maiori pretio supra legis taxationem. Ita Molina *tom. 3. d. 678. n. 10.* citans Lazarte. Turrian. *hic. d. 45. dub. 8. n. 13.*

211 *Quid opiner, expono.*

Profectò si venditor, se gabellam voluntariè soluere promittat, pacto minime adstrictus: videbitur se illud venditori donare, si autem pactum intercedat, licet emptor, vt ei forte indigenti, frumentum vendatur, minime poterit venditor reiicere in emptorem gabellę solutionem, ne in pretio taxam legis excedat.

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. VI. VII.
F. I. V
6

CAPVT XIV.

Circa Ecclesiasticarum personarum à Tributis, seu gabellis soluendis immunitatem.

DVBIVM LV.

Immunitas à solutione Tributorum prouenitne Ecclesiasticis, etiam à iure diuino completè, ac proximè.

212 *Quæstionis status.*

LIBRO 59. plura de immunitate Ecclesiasticorum à gabellis solueudis expressi, pluraque ad proprium hunc de Tributis tractatum seruaui, illa recole, hæc accipe. Certum est Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis hanc immunitatem de facto ad minus iure humano competere, Canonico quidem. *Cap. Non minus. Cap. Aduersus, de immunit Eccles. Cap. Quanquam, de censib. lib. 6. Cap. 1. de immunit. eodem lib. Clement. Præsenti de censib. Authentica Item nulla communitas, C. de Episc. & Cleric. Leg. Sancimus, 2. C. de Sacros. Ecclesiis.* Quæsierim verò, an competat etiam de iure diuino?

213 *Non eis competit completè ac proximè.*

Non eis competit completè & proximè de diuino iure, sed remote, ac fundamentaliter: quatenus supposita ordinatione Christi Domini, qui Pastores, & statum Ecclesiasticum instituit conuenientissimum erat, quod lege humana eximerentur, provt exempti fuere, verum directè, ac proxume exemptos esse iure diuino dicendum non est: quia id nullo ex sacro textu constat. Si Lessi. *l. 2. c. 33. dub. 4. n. 28.* citans Caietanum, Victoriam, Medinam, Sotum, Couarruuiâ, & Nauarrum, Molin. *to. 1. d. 31. & to. 3. d. 670. n. 2.* Salas, Malder. Hériq. Villalob. Arag. Ledesma, & alij plures etiam ex Iuristis, quos affert Diana *p. 1. tr. 2. resol. 1.*

214 *Eis completè, ac proximè competit.*

Competit eis completè, ac proximè à iure diuino, quia id videtur expresse tradi à Bonifacio VIII. in *Cap. Quamquam, de censib.* & innitur satis in Tridentino *sess. 26. cap. 20.* dum dicitur, *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonum sanctionibus constitutam esse.* Ita Suar. contra Regem Angliæ *l. 4. c. 22. n. 30.* Homobon. Hugolin. Alterius, Peregrin. Duardus, Comitol. Laym. Azor. Sola, Filliuc. Bonac. & alij plures ex Iuristis, quos affert, & sequitur Diana *citatus.*

215 *Hoc verius esse crediderim.*

Profecto, supposito, quod iure diuino Ecclesiastici exempti sint à correctione, & iurisdictione hica quoad personas suas, ita vt non possint ab ea iudicari, vel puniri: difficile est, quomodo non sint eodem iure exempti quoad tributa soluenda, hæc enim imponi nequeunt nisi à superiore habente vim coërcinam ad obligandum subditum, & eum puniendum, si non obediat. Si ergo Princeps secularis nō potest iudicare, nec punire Ecclesiasticam personam: non apparet, quonammodo valeat obligare ad soluenda tributa, quæ imponit?

DVBIVM LVI.

Clerici minorum Ordinum non coniugati Beneficium Ecclesiasticum non habentes sunne à soluendis Tributis immunes?

216 *Quæstionis status.*

CErtum est, eos Clericos Ordinum minorum, qui coniugati sunt etiam cum virgine, ea immunitate non gaudere, licet habitum Clericalem, ac tonsuram habeant. Quia sic habetur in *Cap. vni. de Clerico coniug. in 6.* & in Trident. *sess. 25. c. 6.* & ex cōsentu Doctorum probat Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 49. num. 2.* Quæstio autem est de Clericis minorum Ordinum non coniugatis, qui beneficium Ecclesiasticū non habent, an sint à tributis soluendis exempti?

217 *Non sunt immunes.*

Non sunt à tributis immunes. Quia si à tributorum solutione essent immunes, ostium aperiretur innumeris, qui vt à soluendi gabellas onere eximerentur, Ordinibus minoribus initiari curarent. Certè pluribus in locis ab huiusmodi Clericis gabellæ exiguntur. Sic Angl. Olanus, Parlador. apud Sanch. *num. 3.* Lazar. Gutier. Ledesma, Ioan. de la Cruz apud Dianam *p. 1. tr. 2. resol. 35.* Et saltem id verum esse affirmant, quandō non habent conditiones à Trident. *sess. 25. c. 6. requisitas*, nempe vt deferant habitum Clericalem, & tonsuram, deputatique sint ab Episcopo alicui Ecclesiæ, aut in seminario Clericorum, vel in aliqua schola vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Ordines maiores suscipiendos versetur, Mauricius Matienzo apud eundem Sanch. Layman. Suar. Azor. Reginald. Filliuc. Coriolan. Alterius, Molfes. & alij apud Dianam *ibi resol. 36.*

218 *Immunes sunt.*

Immunes sunt à tributis soluendis, nisi cōsuetudine aliqua ex tacito Pontificis summi consensu alicubi fuerint subiecti. Quia hi sūt vere Clerici, atque ideo personæ Ecclesiasticæ: Ergo fruuntur exemptione omnibus Ecclesiasticis personis concessa. Nullibi antè eis ablatam esse reperitur: non in iure communi, nec in loco Concilij citati, in quo non agitur de hac exemptione, sed de fori priuilegio, ad quod illæ conditiones requiruntur; quare quoad hanc immunitatem vt antè erant, relinquuntur, ita Molina *tom. 3. d. 671.* Medina, Bertachin. Felin. Perez, Couar. quos affert, & sequitur Sanch. *vbi supra* adiiciens cum Imola, Tabiena, & Couarruuia, id intelligi etiamsi non deferant habitum, & tonsuram. Lessi. Malder. Garcia, Comitol. Torreblan. quos affert Diana *resol. 36.* vbi leges epistolam Cardinal. Caraffæ ex mēte Congregationis Concilij id referentis ad Comitolum.

219 *Cum his probabilius.*

Cum his probabilius opinor. Fateor tamen, alicubi esse legem, & consuetudinem exigendi

di ab eis gabellas, quando beneficium non habent. Quæ consuetudo si approbata tacite sit à summo Præsule, valida erit. Potuit enim rationabiliter approbari propter multitudinem eorũ Clericorum; plurimi enim primam tonsuram accipiebãt ad finem non soluendi gabellas. At stando in iure Canonico, etiam si ea intentione Clericalem tonsuram acciperent, sine animo ascendendi ad ordines sacros immunes essent, quia intentio illa. Clericalem statum non tollit.

DVBIVM LVII.

Clerici minorum Ordinum coniugati, mortua vxore, quam virginem, & vnicam duxere, recuperantne exemptionem à Tributis, si habitum, & tonsuram non deferant?

220 *Recuperant priuilegium hoc.*

REcuperant quidem, quia hi sunt verè Clerici non coniugati. Ergò non est eis ablatum hoc priuilegium, quod solis coniugatis aufertur. Sic Conar. Dominic. Ioan. Andre. Francus, Panormit. quos affert, & sequitur. Sãch. *l. 2. consil. c. 4. dub.* 53. & alij.

221 *Non recuperant.*

Non recuperant priuilegium hoc, si habitum, & tonsuram non deferant, quia immunitas à soluendis tributis solis his Clericis in minoribus constitutis conceditur, qui conditiones à Tridentino *sess. 25. cap. 6.* expressas obtinuerunt, quarum vna est habitum, ac tonsuram gestare. Ita nonnulli Doctores apud Sanchez *citatum.*

222 *Primam sententiam veriorem esse reor.*

Primã sentẽt. à omnino præferẽdã esse reor, quia Tridẽtinũ de priuilegio fori inibi loquitur. Profecto solis coniugatis video expresse huiusmodi immunitatis priuilegium ablatum esse, ideoque clerici, defuncta vxore quã virginem, & vnicam duxerant, cum vel sine habitus & tonsuræ gestatione verè Clerici existant, non est, cur eos à priuilegio huius immunitatis à gabellis soluendis excludamus, maxime dum Diana cum aliis eos nec à fori priuilegio excludendos affirmet.

DVBIVM LVIII.

Laicus habens in sua familia vnum, vel plures filios Clericos, vel etiam beneficiarios; potestne extrahere ex gabella partem iuxta id, quod Clerici illi consumunt?

223 *Potest quidem.*

POtest equidem, quia sicut Clerici non possunt cogi ad recipiendos milites ad hospitium, sic neque eorum patres vel fratres habitantes cum ipsis in domo communi: Ergo idem videtur dicendum de exemptione à tributis. Sic Riccius, & Graf. quos affert, & sequitur Diana *p. 3. tr. 1. resol.* 32. in casu illo haud dissimili de militibus recipiendis.

224 *Non potest.*

Non potest ex gabella detrahere, sed integram debet pater ille soluere, quia gabellam non soluit, qui comedit, aut consumit res illas; sed qui eas emit, vel affert pater autem solus est qui emit, vel affert, & qui est earũ rerum post emptionem dominus sicut à contrario Clericus nihil gabellæ soluit de omnibus, quæ emit, licet id consumi debeat ab eius famulis, vel amicis laicis, quos ad prandium inuitat, ita Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub.* 54. recentiores alios referens. Cardin. Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n.* 105.

225 *Placet hæc resolutio.*

Ego etiam quidquid sit de exemptione ab hospitibus, nego paritatem, quia in illo casu attenditur ad Clerici quietem, quæ militum hospitio turbaretur: in gabella autem soluenda solum attenditur ad commodum, vel incommodum illam soluendi.

DVBIVM LIX.

Nouitij Religionum debentne de bonis propriis, quæ retinent, gabellas soluere?

226 *Debẽt soluere.*

DEbent quidem, quia id priuilegium Religiosis professis concessum est, vel *Religioni*, quę pro professis supponere videtur. Ergo nouitij qui adhuc vti læculares bona sua retinent, læcularium instar debebunt gabellas soluere. Sic Parladot. *l. 1. rerum quotidian. c. 13. §. 1. n. 21.* Lazarte *tr. de decima vẽdit. c. 19. n. 50.* Manuel. *to. 2. qq. Regul. q. 43. a. 8. & to. 3. q. 74. a. 9.* Gironda *de gabel. p. 7. in princ.* Molfes. *sum. tr. 22. c. 22. n. 162.* fauet, dum docet, Religiosos professos exemptos esse à gabellis, vbi videtur nouitios excludere.

227 *Soluere non debent.*

Minimè debẽt, quia nouitij sunt pars communitatis Ecclesiasticæ, cui toti competit exemptio, ita Molina *to. 2. d. 672.* Turrian. *hic, d. 44. dub. 4. n.* 8. Malder. Barbos. Graf. Bertachin. & alij plures, quos affert, & sequitur eruditissimus amicus meus Diana *p. 1. tr. 2. resolut.* 37. Sanch. *l. 6. Decal. c. 10. n. 16.*

228 *Longe hoc mihi verius*

Longe hoc verius esse non dubito. Nam nouitij in fauorabilibus pro Religiosis habentur, & ideo omnibus Religionis potiuntur indultis. Et quidem vsus id habet, vt Religiosum per viam transeuntem nunquam custodes rogitent, an sit professus, vel nouitius, vt gabellam soluat.

DVBIVM LX.

Regularium coloni debentne gabellam soluere?

228 *Debẽt quidem soluere*

DEbent equidem, quia priuilegium liberans Regulares à gabellarum solutione videtur esse personale, id est personis Religiosis concessum. Vnde cum re ipsa non transit ad colonos, Sic aliqui, quos presso nomine affert Diana *p. 1. tr. 2. resol.* 37. & probabile iudicat esse Card. Lugo *tom. secund. de iustit. disp. 36. num.* 107.

dum

dum contrariâ sententiam veriorem appellat.

230 *Soluere non debent.* Minimè debét soluere, quia priuilegiũ illud est reale, & transit cum re ipsa, quę adhuc est sub dominio Religionis, vt videtur expressum in Bulla Pij V. quam affert Diana *vbi supra.* vbi ipsi etiam coloni in hac exemptione nominantur. Ita Abbas, & alij, quos affert. Menoch. *l. 2. de arbitrar. casu 562. num. 46.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 1. d. 15. q. 21. num. 6.* Lugo *citatus* Peirin. *de priuileg. Minimorum, tom. 1. const. 2. Iulij II. §. 33. numero 142.*

231 *Probabilius hoc mihi.* Hoc probabilius longe esse credo, & certius esse existimo, quando in ipso contractu esset expressum, quod colonus huiusmodi exemptionem retineret, Menochio *ibidem.* & Mascambruno *cons.* 18. *num. 39.* annotantibus: & quando fructus, ex quorum emptione petitur gabella, nondum sunt à solo Ecclesiastico communi separati.

DVBIVM LXI.

Emphyteuta sæcularis habens in emphyteusim rem Ecclesiæ, liberne est à gabellæ solutione?

232 *Liber non est ab onere soluendi.* NOn est liber, quia Ecclesia in eum rẽ transfert, quasi in dominum toto eo tempore, quo durat emphyteusis: Ergo debet ex re illa gabellam soluere ac de re sæculari. Sic Auendaño, Valascus, & Rolandus apud Dianam *p. 1. tract. secund. resolut. 24.*

233 *Liber omninò est.* Liber omninò est, quia adhuc dominium directum manet apud Ecclesiam, licet indirectum sit emphyteutæ sæculari translatum. Ita Felicianus de Solis *tr. de censib. to. 2. in addit. l. 1. in præfat. num. 1.* Fauent, quæ dicuntur in *cons. 2. quod habetur tom. 12. tractatuum. fol. 99. col. 3.* & sequitur Diana *vbi supra*

234 *His adhæreo.* His adhæreo Doctoribus, quia dum directum dominium rei illius remanet in Ecclesia libera est à solutione tributi; non enim tunc sæcularis ille, sed res ipsa priuilegio exemptionis potitur. Aliud esset quando dominium etiam directum transferretur, impósito solùm onere soluendi censum annuũ Ecclesiæ, vt Felician. de Solis *to. 1. l. 1. c. 10. num. 5. & 15.* aduertit.

DVBIVM LXII.

Ecclesiasticus debetne ex bonis patrimonialibus gabellam soluere?

235 *Debet soluere.* DEbet quidem, quia patrimoniala illa bona iam addicta erant tributo priusquam ille statum iniit clericalem: Ergò & postmodum tributaria manebunt. Sic cum aliis Iurisijs Bobadilla *in polit. tom. 1. l. 2. c. 18. n. 260.* Quia tamen excipit bona patrimonialia, ad quorum titulum quis fuit ordinatus.

236 *Non debet.* Non debet ex bonis patrimonialibus gabellam soluere, Quia Canones expresse ac generaliter loquuntur non solum de bonis Ecclesiæ, sed de bonis Ecclesiasticorum: nec id deberet limitari ad sensum formalem, nẽpè quatenus Ecclesiastici sunt. Ita communiter Doctores, quos Diana *p. 1. tr. 2. resol. 39.* citat, & sequitur.

237 *Hanc sententiam veram esse defendo.* Hanc sententiam veram esse defendo. Nam quando exemptio datur quoad aliqua solũ bona, solet id explicari: vt in commendatariis Ordinum Militarium lex explicat exẽptionem quoad bona commendæ. Vbi ergò non limitatur, debet exemptio vniuersaliter intelligi quoad omnia bona. Vnde non solũ in bonis propriè patrimonialibus hoc locum habet, sed etiam in bonis & donatione, emptione, vel alio titulo ad personam Ecclesiasticam pertinentibus, quia de iis omnibus eadem est ratio. Scio tamen, statutum Regni Neapolitani referri, quod Clerici de bonis sibi donatis debeant gabellam soluere. Quod sustineri poterit si habeant consensum expressum, vel tacitum sũmi Præsulis. Duard. Barbosa, & alij quos refert, ac sequitur Diana *p. 1. tr. 2. resol. 42.*

DVBIVM LXIII.

Quando bona ad Ecclesiasticam personam venirent habebant onus, vel tributum annexum, quod Clericus soluere proculdubio debebat, & non soluit: potestne ad soluendum id à Iudice sæculari cogi?

238 *Nonnulla præmitto.* QVæstio vertitur à Doctoribus, an debeatur gabella, quando bona Ecclesiastici antequam ad eum venirent, subdita erant gabellæ soluendæ? Et melioris notæ Doctores distinguunt. Si bona illa habebant onus, vel tributum perpetuum, ac mere reale annexum, cum illo onere transeunt ad Ecclesiam: secus autem si onus illud non erat reale, sed ratione personæ, vt si soluebatur ex bonis tributum, generali ex lege, & obligatione, qua bona subditorum sunt obligata, & hypothecata Principi pro tributis ipsi debitis Ita docent omnes, quos latè congerit, ac sequitur Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 57.* & idem cum proportione dixerim, quando aliqua bona, ex quibus ignobilis soluebat tributum, transeunt ad nobilem à tributis exemptum. Nam si onus illud reale erat, ipsi rei affixum, ad nobilem cum eodem onere trãsit; si vero erat ratione personæ, non transit onus cum re ipsa. Quid autem si Clericus præfato oneri non satisfaciat, tributum ex illis bonis debitum soluat. Potestne cogi à Iudice sæculari ad soluendum cogi.

239 *Potest cogi à Iudice sæculari.* Potest quidem, quia tunc magis conuenitur res ipsa, quam persona. Sic Guillelmus, Bartolus, Gregorius Lopez, Olanus, Albericus, Gutierrez, & Hostiensis, quos refert Sanch. *l. 3. consil. c. vnico dub. 30. num 10.* Aliqui tamen eorum explicant, posse quidem à sæculari iudice

dice fieri exequutionem in re illa: non tamen geri aliquid circa Clerici personam.

240 *Cogi non potest.* Minimè potest Ecclesiasticus coram iudice seculari conueniri, nec ab eo cogi ad tributi illius solutionem, quia à seculari tribunali est omnino exemptus, nó solum in causa criminali, sed etiam in ciuili, vt constat ex *Authent. Statuimus, C. de Ep. & Cleric.* Ita Panormit. Socin. & alij, quos refert, ac sequitur Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 57. n. 4.*

241 *Auctoris resolutio.* Licet Clericus onus illud reale non soluat, minime potest à iudice seculari obligari ad soluendum, quamuis executio in re, fiat, & nihil circa personam Clerici geratur: cum omnino & in criminalibus, & in ciuilibus causis sit à seculari potestate, seu iurisdictione exemptus: vnde ad Ecclesiasticum iudicem erit recurrendum.

DVBIVM LXIV.

Potestne lege imponi obligatio realis omnibus fundis, vt etiamsi ad Ecclesiam deuentant, Tributum soluat Ecclesia?

242 *Status quæstionis.* NOnnulli Iuristæ inuenire cautelam, vt Ecclesia ex prædijs in futurum habendis tributum solueret: reddendo scilicet omnia prædia tributaria ex ciuitatis statuto, vt sic omnia illa ad Ecclesiam trãseant cum onere reali soluendi tributũ. Quæsierim itaque, an possit lege imponi fundis huiusmodi realis obligatio?

243 *Potest quidem hoc lege præscribi* Potest equidem, quia hoc non in odium Ecclesiæ, sed in communis iuris conseruationem sic hoc constitutum laudat Bartolus, Otalora, Ancharranus, Azeuedo, & alij, quos affert Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 57. n. 5.*

244 *Minime potest.* Minime potest, quin tributa ab alio, quam à Principe imposita sunt extraordinaria, quæ Clericos non ligant. Ita Sanchez *citatus n. 6.* multos alios referens. Fatetur tamen *num. 7.* quod si illa onera realia generaliter indicta à Principe fuerint supremo, & sine fraude, ac odio Ecclesiarum valida essent, & ad Clericos transirent; quod quidem alij ab ipso citati concedunt.

245 *Quid dicẽdum expono.* Hoc verò minime placet Cardinali Lugo *tom. 2. de iust. d. 36. num. 113.* nec mihi: nisi prædia, quibus tributum illud imponitur, essent re vera ipsius Principis quo ad proprietatem: tunc enim vnusquisque potest rei suę onus reale apponere, quod voluerit, & facere, vt ad quoscumque cum illo onere transeat: quod tunc non est proprie tributum: sed census soluendus in Domini præsentis vel præteriti recognitionem. Quando verò prædia sunt subditorum, onus illud, quod apponeretur, esset verè tributum, quod non exigeretur intuitu prædij, quod est ipsius subiti, sed quia subditus est, & propter potestatem iurisdictionis Principis in ipsum, quare deficiente illo titulo, & potestate, provt deficit respectu personæ Ecclesiasticæ, haud potest onus illud persistere.

DVBIVM LXV.

Equites Ordinum Militarium participantne hanc à gabellis soluendis exemptionem, ex iure communi?

246 *Status quæstionis.* LOquor seclusis eorum specialibus priuilegiis, si quæ habent, nè gabellas soluant: sed solum de iure communi ob personarum Ecclesiasticarum exemptionem. Requiro itaque, an ex iure communi hi sint à gabellis soluendis exempti.

247 *Omnino exemptisũt* Exempti suntomninò, quia sunt verè Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, quibus concessa est eiusmodi immunitas. Sic Carranza, & Flores de Mena, quos refert, & sequitur Diana *p. 1. tr 2. resol. 49. & p. 2. tr. 1. resol. 51.* id extendit ad eos, qui media Crucc alba D. Ioannis condecorantur. & *resolut. 45.* id extendit ad vxorem viduam Equitis S. Iacobi, vel Alcantarę, donec alteri nubat, citatque Barbosam *p. 2. de potest. Episc. allegat. 13. num. 15.*

248 *Non sunt omnino exempti.* Non sunt à gabellis exempti nisi quoad bona suarum Commendarum, quia hi non sunt ver i Religiosi: Ergo non fruuntur exemptione Religiosis concessa; ita Doctores multi, quos citat Sanchez *l. 2. consil. c. 4. dub. 58.* vbi fatetur, Clericos horum Ordinum, qui in communi viuunt, immunes omninò esse; Equites autem, seu Milites gabellas soluere de aliis bonis præter suæ commendæ fructus, provt præcipitur in lege Hispana, quę est *lex 9. tit. 18. lib. 9. nouæ recopil.* vbi dicitur, de iis etiam fructibus soluendam esse, vbi fuerit talis consuetudo.

249 *Auctoris resolutio.* Scio Bobadillam *tom. 1. polit. l. 2. c. 18. num. 264.* asseruisse, omnino exemptos non esse; nam gabellam soluere debẽt de aliis bonis ad commendam non pertinentia. Scio P. Molinam *d. 663. num. 6.* docere, in Lusitania huiusmodi Equites, si commendam habeant esse immunes omninò, secus si nudo habitu sine commenda, decorentur. Ego autem cum Cardin. Lugo *d. 36. num. 114.* sequendam iudico quoad hos Milites cuiuscumque Regni consuetudinem: quia vtraque est rationabilis, cum provtraque parte sint rationes non leues, ad id iudicandum. Illud autem de vxore vidua Equitis, Barbosæ venia, nimium mihi videtur; nec enim vsu receptũ esse video.

DVBIVM LXVI.

Imponentes vel exigentes gabellas à personis Ecclesiasticis: incurruntne excommunitationem latam in clausula 5. Bullæ Cœnæ?

SVppono, in *Cap. Non minus*, & *in Cap. Aduersus*, *de immunit. Eccles.* ferri excommunicationem ipso facto incurrendam in Consules Ciuitatum, & quoscumque alios

250 *Plura reco. circa pœnas iure*

Latæ contra imponentes vel exigentes gabellas ab Ecclesiasticis.

alios potestatem habentes, eorumque famulos qui Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, eorumve bona aut pauperum usibus deputata grauant taliis, collectis, aut exactionibus, si admoniti non desiterint: à qua excommunicatione absolui non poterunt, donec satisfaciant. Et in *Cap. Quamquam. de censibus iuncto Cap. 1. de immunit. Eccles. in 6.* excommunicari ipso facto omnes qui ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis pro personis, vel eorum bonis, vel ecclesiarum exigunt, vel extorqueunt per se, vel per alium suo, vel alieno nomine pedagium, vel quidagium, nisi pro rebus causa negotiationis delatis: qui etiam nequeunt, nisi satisfactione præmissa: absolui. Ibidemque præcipi, vt si in hoc communitas delinquat, locus ipso facto interdicto non relaxando, nisi præmissa satisfactione, subiaceat. Et in *Bulla Cœnæ Domini clauſ. 5.* excommunicatione ipso facto percuti omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas, ad id potestatem non habentes, imponunt, vel exigunt. Et *clauſ. 14.* excommunicari quemcumque statuta, aut decreta facientem, ordinantem, vel publicantem, aut eis vtentem contra Ecclesiasticam immunitatem. Et *clauſ. 17.* affici excommunicatione eum, qui collectas, decimas, talias, præstantias, & alia onera Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, & bonis eorum, Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, illorumque fructibus, ac redditibus, seu prouentibus huiusmodi absque Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, exigunt, aut imposita etiam ab sponte dantibus, ac concedentibus accipiunt: necnon qui per se, vel alium, vel alios directè vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiusdem auxilium, vel fauorem, aut votum, seu suffragium palam, vel occultè præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ sit. Non est dubium, quin prædicti omnes in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrant, quidquid dixerit Nauarrus *sum. capite 27. num. 128.* & ex eo Diana *part. 1. tract. secund. resolut. 47.* Solum est difficultas an incurrant excommunicationem contentam *in clausula quinta.*

251 *Non incurrunt excõmunicationem clauſ. 5. Bullæ Cœnæ.*

Non incurrunt, quia ibi solum excommunicantur, qui gabellas in se prohibitas imponunt, vel exigunt: non verò qui gabellas in se licitas, & legitima potestate impositas exigunt à personis exemptis. Sic nonnulli doctores, quos memorat, presso nomine Cardin. Lugo *hic d. 36. n. 146.*

252 *Incurrunt planè.*

Incurrunt planè, Quia licet illa tributa sint iusta, & legitima potestate imposita quoad laicos: sunt tamen sine legitima potestate provt ad Ecclesiasticos ordinantur; vnde secundum illam partem verè imponuntur à non habentibus potestatem. Ita Angel. Sylvest. Tabie. & alij, quos refert & sequitur Molin. *d. 670.*

253 *Hoc verius esse credo. Attamen parum hoc refert ad iudicium, cum in clauſ. 17. vt præmisi, si omnes excommunicatione feriantur, Monuerim, in Clement. Præsenti, de censibus* præcipi diœcesanis, vt denunciari faciãt, quos nouerint incurrisse excommunicationem, vel interdictum à iure statutum (donec restituant & satisfaciant) eo quod quidagia, vel pedagia ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis non negotiantibus exegerint. Quod quidem esse præceptum graue, & obligari sub mortali cum Thoma Sanchez *lib. secund. consil. cap. 4. dub. 56. numer. secund.* citante Nauarrum affirmo. & *n. 3.* annotat Sancius, Episcopum debere, parte vocata, & audita id facere, licet factum sit notorium. Quam tamen citationem necessariam non esse existimo, quando non denunciantur nominatim personæ, sed solum generaliter. Mecum Imola in dictam *Clement. n. 16.*

DVBIVM LXVII.

Vt Clericus negotiator immunitatem à gabella soluenda amittat, requiriturne trina monitio.

CErtum est, Clericum debere gabellam soluere ex iis rebus, quæ negotiationis causa affert, vendit, vel emit. *Cap. Quamquam. de censibus Clement. vltima de censibus Cap. fin. de vita, & honest. Cleric.* quod quidem in odium negotiationis Clericis prohibitę fuit introductum. Quæritur autem, an hæc immunitas ipso facto amittatur an vero prærequiratur trina monitio, vt à negotiatione desistat. 254 *Quæstionis status.*

Requiritur trina monitio, quia in *Cap. fin.* solum præcipitur Episcopo, vt si Clericus ter ab eo monitus non desistat, eum à gabellarum solutione non defendat. Et quamuis in *Cap. Quamquam*, & in *Clement. vltim.* huiusce monitionis mentio non fiat: est tamen argumentum à contrario, quod non valet, quando contrarium est in iure decisum. Solum enim dicitur, non exigendas gabellas à Clericis ex iis, quæ non causa negotiationis afferunt, &c. Sic Ludouic. Lopez, Butrio, Abbas, Parlador. Ioan. Andr. Imola, Felician. Salcedo, Tabie. Angel, Sylvest. quos affert Sanchez *lib. secund. consil cap. 4. dub. 51. numer. 1.* Rodriguez, Sosa. Petr. de Ledes. Ioan. de la Cruz, Molfes. Reginald. quos citat & sequitur Diana *part. prim. tract. secund. resol. 46.* Suar. Comitol. & alij, quos refert Diana *parte secund. tract. 1. resol. 44* Gabriel. Pereira, Homobon. & alij, quos adiicit idem Antonin. *parte tertia tract. secund. resol. 28.* 255 *Trina monitio requiritur, vt immunitas cesset.*

Non requiritur trina monitio, sed ea non precedente, potest exigi à Clerico gabella, quia prædicta iura generaliter excipiunt casum negotiationis à Clericorum immunitate, ita Malder. protel. Ioan. de Nenia, Prosper. de Augustino, Turrian quos affert Diana *parte prim. tract secund. resol. 45.* Alios plures citat Sanch. *vbi supra.* 256 *Non requiritur.*

Ego autem probabilius distinxerim asserens, Clericum debere gabellam etiam non precedẽte monitione ex iis, in quibus negotiatur, provt habetur in *Cap. Quamquam & in* 257 *Distinguitur probabilius*

in *Clement. vltima*; quoad reliqua verò bona debere etiam gabellam, quando ter ab Episcopo monitus à negotiatione nō desistit, quia hoc est, quod dicitur in *cap. fin. de vita & honest. cleric.* dū Episcopo præcipitur, vtpost trinā monitionē: *quominus dū his se implicat de suis facultatibus, statutis, & cōsuetudinibus patria subiaceant, eos non defendat.* Quo pacto aptè vtraque iura absque vlla repugnantia conciliantur. Mecum P. Sanch. *dub.* 51. *n.* 6. & Castro Palao *to.* 2. *tr.* 12. *d. vni. pun.* 9. *n.* 15. Lege Dianam *resol.* 46. *citata* alios referentem male tamen Molinam *tom.* 1. *d.* 147. *concl.* 5. vbi de hac quæstione nihil profatur: sed *tom.* 2. *d.* 342. *col.* 2.

DVBIVM LXVIII.

Potestne ab Ecclesiasticis exigi gabella pro communibus necessitatibus, vel commoditatibus, etiam consequenter Clericorum in commodum redundantibus?

258 *Exigi potest gabella.*

POtest gabella exigi, quia Clerici ipsi hac communi commoditate potiuntur. Habetur in *leg. Ad instructiones. C. de sacrosf. Ecclesiis*, & in multis Legibus Hispanis, quas affert Sanch. *l.* 2. *consil. c.* 4. *dub.* 55. *n.* 13. Sic Innocent. & multi Iuristæ apud Molinam *d.* 572. *n.* 4. & innumeri quos affert idem Sanch. *num.* 13. eamque sententiam vt probabiliorem sequitur Henriq. & alij plures quos affert Diana *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 38. & 78. & 82.

259 *Non potest gabella exigi.*

Minimè potest. Quia si in his casibus, v. gr. reparandis muris, fontibus, pontibus, &c. Ecclesiastici non sint exempti, fere ad nihilū eorum immunitas reduceretur: cum communiter gabellę ad has, vel æquales necessitates imponantur, ex quibus redūdat, ex quibus redundat vtilitas publica, & consequēter in Clericos, qui sunt partes communitatis. in hoc autem consistit eorum exemptio, vt propter eorum dignitatem, & beneficia superioris ordinis, quæ populus ab iis continuò accipit, ab huiusmodi communibus oneribus sint immunes. Quemadmodum viri nobiles immunes sunt ob suorum progenitorum merita à multis tributis, quæ in communem vtilitatem soluuntur: & à recipiendis militibus in hospitium, licet hæc receptio sit ad vtilitatem publicā necessaria, ita Panormit. Anton. Ioan. Andre. Bartol. Hostiens. Specius, Calder. Iason, Lndou. Lopez, Sylvest. Angel. Table, Medina, quos refert Sanch. *ibid. dub* 55. *n.* 12. qui fatetur esse hanc sententiā satis probabilē. Laym. Homobon. Ioan. de la Cruz, Barbos. Salon. Sosa, Portel. Alterius, Graf. Azor. Megala, Molfes. Duard. Beller. Marta, & alij quos citat, ac sequitur Diana *citatis locis.* Suar. *in Reg. Angl. l.* 4. *cap.* 26. *numer. tertio* Molina *d.* 672. & alij multi.

260 *Hoc teneo & confirmo.*

Veriorem hanc sententiam esse indico, cui quidem leges ciuiles, si quæ sunt, minime obstant, quia lex illa *Ad instructiones* non sine causa correcta indicatur in ipso iure ciuili in *Authent. Item nulla. codic. de Episc. & Cleric.* quæ est noua constitutio Friderici Imperatoris. Sed quidquid de his legibus sit in hoc puncto standum magis sacris Canonibus. Habetur autem in Concilio Lateran. citato in *Cap. Non minus de immunt. Eccl.* in fossatis faciendis, quæ sunt ad Vrbis custodiam, communem vtilitatem, non esse aliquid à Clericis exigendum, neque ad expeditiones, nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem aspexerint, vt absque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum facultates non suppetunt, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Idem sub eodem anathemate in *Cap. Aduersus, eod. tit.* reperitur.

DVBIVM LXIX.

Vt Clerici ad communes necessitates, vel vtilitates contribuant, requiriturne, quod ad id laicorum bona non sufficiant?

261 *Non requiritur.*

NOn requiritur, quia cum communis sit necessitas, & vtilitas, vsus iam receptus non attendit, an sufficiant laicorum subsidia: sed etiam Clericorum bona succurrunt. Sic aliqui quorum opinioni minus cautè Sancius adhæsit. *l.* 2. *consil. c.* 4. *dub.* 55. *n.* 19.

262 *Requiritur planè.*

Omnino requiritur, quia id expressis verbis Concilium Lateran. præcipit, & in *Cap. Aduersus* imperatur: & vsus in curia ita habet, vt à summo Præsule non concedatur facultas, nisi cū tali clausula, vt cōstet ex Bullis Clement. VIII. & Vrbani VIII. & id alij communiter supponunt. Ita ex communi Doctorum Cardin. Lugo *tom. secund. de iust. d.* 36. *num.* 125.

263 *Mihi hoc vnicè verū.*

Hoc vnicè verum esse existimo mei Sancij venia: vnde refellendam penitus primam sententiam esse crediderim.

DVBIVM LXX.

Vt verba Conciliorum illa: Quòd laicorum bona non sufficiant, *verificentur sufficitne facultates communes Ciuitatis non sufficere, licet priuatorum sufficerent facultates?*

DEcretū Concilij Lateranēsis, vbi imperatur, ne Clerici tributa ad necessitates, vel vtilitates communes conferre obligentur, nisi quando sæcularium bona non sufficiant, ad eiusmodi necessitatibus, vel vtilitatibus subueniendum hanc ingerunt dubitationem, num vt verificentur verba illa, *quod laicorum bona non sufficiant*, satis sit facultates communes ciuitatis non sufficere, licet priuatorum suppetant facultates?

264 *Status quæstionis.*

Sufficit, vt bona communia ciuitatis non 265

Sufficit, quo bona ciuitatis non suppetant.

suppetant, licet priuatorum suppeterent facultates, vt Clerici debeant contribuere, quia alioquin nunquam Clerici obligandi essent, cum raro ita exhaustæ sint facultates laicorum, vt hos sumptus facere non valeant. Neque etiam Episcopus posset facilè id examinare. Sic Castro Palao *to. 3. tr. 12. d. vni. pun. 9. n 9.*

266 *Non sufficit*

Non sufficit. Quia Vrbanus VIII. in Bulla concessa pro Ducatu Mediolanensi (cuius verba affert Diana *p. 4. tr. 1. resolut. 11.*) expresse affert pro ratione concessionis, quod facultates communitatum, & hominum illius status ad eam expensam non sufficerent. Et alioquin fere semper cogendi essent Clerici; quia fere nunquam ex redditibus ac bonis communibus solis potest his necessitatibus subueniri, tunc enim nec laici deberent ex suis bonis priuatis contribuere. Ita alij graues Doctores meritò primæ partis expositionem repellentes.

267 *Hanc sententiam defendo.*

Faceor, me aliquando cum meo Ferdinando de Castro sensisse. Sed aptius nunc cum P. Suario *l 4. de immun. c. 26.* quem alij sequuntur sentio, ea verba Concilij intelligenda esse moraliter: nec singulos posse sine magno grauamine suis solis sumptibus tale opus perficere. Quod aliqui ita explicant, vt laici soluendo gabellam illam sine Clericorum auxilio cogerentur se eis priuare, quæ quotannis necessaria eis sunt ad viuendum iuxta eorum, status conuenientiam. Quod ego ita intelligo, vt non sufficiat, si in laicis reperiantur aliqui ita diuites, vt eorum expensis id fieri posset: sed considerandas esse vires eorum omnium laicorum quibus moraliter tributum imponendum esset, an sint tales communiter loquendo, vt sine magno detrimento communitatis in necessariis ad statum singulorum possent sufficienter contribuere.

DVBIVM LXXI.

Quando petitur iudicium Episcopi, & Cleri, vt Ecclesiasticis gabellas ad necessitates communes soluant, nomine Cleri *intelligiturne solum Capitulum ecclesiæ?*

268 *Solum capitulũ Ecclesiæ Cathedralis intelligitur.*

SOlum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis nomine *Cleri* intelligitur, quia ita fert vsus Ecclesię circa gabellarum materiam. Sic Suar. *de immunit. c. 26. n. 16.* Palao *tom. 3. tr. 12. d. vni. pun. 9. n 8.*

269 *Non intelligitur solũ Cathedralis Ecclesiæ capitulum.*

Non intelligitur solum Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, sed necessarius est consensus aliorum, ita vt vocentur etiam Capitula Vrbis si sint: & Vicarij foranei, quia *Cleri* nomen genericum est, & cum alia Capitula in Vrbe sint, non benè in singularis capituli nomine verificatur, ita Beller. Barbosa, Megala, Bonac. Marchin. quos refert, ac sequitur Diana *p. 2. tr. 2. resol. 11.*

270 *Verius hoc mihi.*

Verius hoc esse credo dans fidem Marchino, qui *tr. de peste, p. 4. c. 11. n. 11.* asserit, ita obseruatum fuisse Mediolani in hoc casu ac decisum à sacra Rota.

DVBIVM LXXII.

Cum iam nunc ad hoc, vt in his communibus necessitatibus Clerici tributa soluant præter Episcopi ac Cleri consensum Pontificis summi consensus requiratur: validusne est consensus Cleri, Pontifice inconsulto, ad hunc effectum?

271 *Status quæstionis.*

LIcet olim sufficeret consensus Episcopi, & Cleri sine summi Præsulis approbatione iam ipse ob aliquorum imprudentiam hoc sibi reseruauit, vt constat ex *cap. Aduersus de immun. Eccl.* Quæsierim vero, num Episcopus & Clericus, licet illicite, valide tamen consentiant, summo Pontifice inconsulto?

272 *Valide consentiunt.*

Validè consentiunt, quia in *cap. Aduersus* nullum verbum irritans apponitur, sed solum præceptum. Sic Suar. *de immunit. c. 25. nu. 17.* Bonac. *in Bull. Cœnæ, d. 1. q. 19. pun. 3. §... n. 6.* Azor. *tom. 1. l. 5. c. 13. q. 8.*

273 *Non consentiunt valide.*

Non consentiunt validè, sed irritus est consensus, quando Pontifex consuli potest, quia Clerici post decretum illud *cap. Aduersus* non possunt obligari Pontifice non annuente, ita Castro Palao *to. 3. tr. 2. d. vni. pun. 9. n. 7.* Marchin. *tr. de peste, p. 4. c. 4. n. 14.* Diana *p. 1. tr. 2. resolut. 11.*

274 *Auctoris resolutio.*

Ego autem cum Cardin: Lugo vtramque sententiam æquè iudico esse probabilem. Dixi vero, *Quando Pontifex consuli potest.* Nam quando eius consensus necessitate vrgente, expectari non potest, conueniunt Doctores, posse non solum valide, sed & licitè Episcopũ ac Clerum consensum exhibere. Aduertit autem apte Suarius, & alij cum ipso posse id aliquando fieri, vrgente necessitate ad inchoandum tributum: debere tamen consensum Pontificis peti, ad illud continuandum, cum ad continuationem haberi possit. Lege Lugum *to. 2. de iust. d. 36. n. 127.*

DVBIVM LXXIII.

Vt Clerici tributum soluant ad ea quæ immediatè concernunt bona eorum & non solùm consequenter: requiruntne ea eadem conditiones, ac requiri dixi ad contributionem in communi vtilitate, seu necessitate?

275 *Status quæstionis.*

VIdisti, quid sentiendum sit de tributis ad necessitatem, vel vtilitatem communem pertinentibus. Est verò aliud genus contributionis ad ea quæ concernunt immediatè etiam, ac directè Ecclesiasticorum bona & non solũ consequenter: vt quãdo cõtribuendũ est ad auertendum fluuium, cuius impetus perdit agros laicorũ simul ac Ecclesiasticorum

siasticorum, qui in littore adsunt. In quo casu, & in similibus requiro, an eædem conditiones requirantur, nempe consensus pontificis facultas, & quod laicorum facultates non sufficiant?

276 *Requiruntur illa conditiones.*

Requirantur equidem. Quia praxis id docet. Nam in iis etiam casibus ad summum Prælulem recurri assolet. Civitas Florentina petiit à Clemente VIII. pro reprimendo flumine Arno, cui vicini erant agri Clericorum & laicorum: & civitas Panormitana ab Vrbano VIII. pro expensis tempore pestis: à quo etiam petiit Ducatus Mediolanensis ob alias similes necessitates. Diana attestante *p. 4. tr. 1. resol. 11.* Sic ipse alios citans concludit Pontificis facultatem esse necessariam, & *resol. 152.* aliquos præterea Auctores idem asserentes adduxit. Porrò in hoc casu excussiones faciendas in bonis laicorum, docent aliqui, quos affert, ac sequitur idē Diana *resol. 11.* Fauet praxis curiæ in qua etiā in iis casibus facultas cōceditur *Si laicorū bona non sufficiāt.*

277 *Non requiruntur.*

Non requiruntur huiusmodi conditiones, quia licet ex bonis propriis ciuitatis, vel oppidi posset illud opus fieri, adhuc tenentur Ecclesiastici ad contribuendum; illa enim bona communia cum sint destinata ad bonum commune, non sunt expendenda in aliquorum particularium vtilitatem. Non autem Pontificis consensus requiritur, quia illa contributio est voluntaria, & necessaria ad prædia, non autem est tributum. Ita in prima conditione, quod non sit solum in subsidium, quādo laici non possint, multi Doctores, quos affert ac sequitur Sanchez *l. 2. consil. c. 4. dub. 55. num. 6.* Anchar Menoch. Ceuallos, cum aliis, quos citat Diana *p. 4. tr. 1. resolut. 11.* Quod autem Pontificis consensus non requiratur docent Molina *d. 672. num. 4.* Syluest. Angel. Panormit. Ludou. Lopez, Tabie. quos affert, & sequitur Sanchez *ibi, dub. 54. n. 7.* Garcia, Laym, Megala, Manuel. Ledesma, Ioan. de la Cruz, quos refert, & sequitur Diana *p. 2. tr. 1. resol. 40.*

278 *Distinctione vtor, & amplius expendo quæstionem*

Distinctione vtendum existimo. Possunt enim tunc Ecclesiastici, quorum interesse agitur, & qui prædia habent vicina, quibus subuenire intenditur, conuenire, & pacto se obligare ad contribuendum ad expensas pro parte sua: vel potest hæc contributio illis per modum tributi imponi à superiore. In primo casu verā credo esse sententiā secūdā, nec sūmi Præsulis requiri cōsensum, quia illud non est propriè tributum, sed contributio, quam ipsimet ex pacto sibi imponunt propter interesse quod habent: nec tunc attendi debet, an laici possint soli expensas soluere, quando vero Clerici nollent consentire, vel non omnes, & necessarium esset illos constringere: tunc iam videretur esse species aliqua tributi: & verā putarim esse primam sententiam, quod requirendus esset summi Præsulis consensus, ad Clericos obligandos. Pontifex autem aliquando consentire poterit, vt absolutè contribuant Clerici, nulla facta discussione facultatum laicorum: aliquando prudenter hāc conditionem exiget; quia cum sit obligatio, & species tributi, non vult obligare Clericos nisi in laicorum subsidium. Cæterum in iis Bullis, & concessionibus, quæ pro prima sententia afferuntur: aliquæ sunt pro resarciendis expensis factis tempore pestis, quæ quidem non videntur esse ex illis, de quibus loquimur, sed potius immediatè tendunt in bonum communitatis, & consequenter in Clericorum vtilitatem, sicut pontes, fontes, custodiæ, & similia, quare non mirum, quod Pontifex nolit contribuere Clericos nisi in subsidium laicorum, præsertim cum sumptus illi iam facti essent in subsidium eorum, qui vel infecti fuerant, vel mortui, & solum contribuendum nunc sit ab aliis Clericis, qui ex iis non participarunt. Porrò illa concessio pro fortificandis arcibus, non est in hoc genere, de quo quæstio, sed in illo, quod pertinet immediate ad publicam vtilitatem, & consequenter ad Clericos. Denique illa pro defendendis agris à fluuio Arno, licet videretur esse immediate in vtilitatem eorum Clericorum, qui agros fluuio vicinos habebant: sed tamen non petebatur facultas, vt illi soli contribuerent; sed pro toto clero: nec præcesserat pactū, aut consensus eorum, qui habebant interesse, sed volebant eos omnes cogere, imponendo verum tributum: in quo Pontifex prudētissime noluit consentire nisi in subsidium, & defectum laicorum, vt Conciliorum decreta obseruarentur. Hæc quidem ex eminentissimo sapientissimoque Cardinal. de Lugo (*to. 2. de iust. d. 36. n. 130.*) accepi.

DVBIVM LXXIV.

In iis casibus, in quibus Clerici possunt, vel debent contribuere, si reluctentur, possuntne à laicali cogi potestate?

279 *Status quæstionis.*

Quæstio grauis volvitur; num quando contributio gerenda sit à Clericis iuxta superius dicta, si ipsi reluctentur obligationi satisfacere, possint à sæculari iudice cogi ad soluendum, an à solo suo Prælato Ecclesiastico, sine gabellæ soluendæ sint ob vtilitatem, seu ob necessitatem concernentem directè, siue solum mediatè ipsos Clericos?

280 *Possunt à Iudice laico coërceri.*

Possunt reluctantes à iudice laico coërceri, quia in eo casu Iudex ille non procedit contra personam Clerici, sed contra illius bona Sic Auendaño, Azeuedo affert Sanch. *l. 2. cō- sil. cap. 4. dub. 55. num. 8.* Baldus, Olanus, Ricchard. Quæsada, Auila, apud eundem Sanchum, *n. 30.* Salgado, Lazarte, Coriolan. apud Dianam *p. 1. tr. 1. resol. 41.*

281 *Minimè potest.*

Non possunt reluctantes à potestate laica cogi, sed solus superior Ecclesiasticus habet vim coërcitiuam, ad eumque est recurrendum vt Clericos obliget ad tributum soluendum, sicut in omnibus aliis debitis, quia sic præcipitur *cap. Non minus, & in Cap. Aduersus, de immun. Eccl.* Ratio est clara, quia Ecclesiastici generaliter exēpti sunt à sęculari iurisdictione non solū quoad personas, sed etiam

quoad bona sua, super quibus non possunt coram iudice laico conueniri, vel ab eo molestari; ne per viam viam concedatur iudici, quod per aliam negatur, vt dicitur in *Cap. vnico de Cleric. coniugat. in sexto.* Ita Paulus de Castro, Gutier. Ludou. Lopez, Sylvest. Angel. *vbi supra n.* 9. Glos. Anchar. Gigas, Baldus. Innocent. Speculator. Gregor. Lopez, Hostiens. Felin. Ripa, & alij plures, quos citat, ac sequitur idem Sanch. *n.* 31. Qui *n.* 32. addit, si Episcopus renuat appellandum esse ad superiorē Ecclesiasticū.

282 *Hoc mihi certum.* Cum his probabilius admodum, imo certe admodum sentio. Quod quidem in lege Hispana video esse approbatum, quæ est *Lex* 54. *tit.* 6. *part.* 1. Quamuis ergo Clericus delinquat non soluendo tributum, quod debet haud potest conuenirī propter hoc debitum vel delictum nisi coram suo legitimo Ecclesiastico iudice; debitum enim vel delictum non dat iurisdictionem creditori, vel ei qui offensus est.

DVBIVM LXXV.

Quando Clericus ex negotiatione debet Tributum, vel ob negotiationem (post monitionem trinam) continuam perdit exemptionem à Tributis: bona illius possuntne à iudice sæculari capi, quæ ad solutionem debiti Tributi sufficiant?

283 *Potest quidem.* POtest equidem, quia in *Cap. vltim. de vita, & honest. clericor.* dicitur non esse defendendos ab Episcopo, Clericos negotiatores, ne tributa soluant, sicut laici: & *leg.* 7 *tit.* 18. *l.* 9. *nouæ recopil.* de iure Hispano dicitur eos ad soluendam gabellam teneri. Sic Azeuedo, Mexia, Lazarte apud Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 4. *dub.* 55. *n.* 30.

284 *Non potest* Minimè potest, quia quamuis id in illo *capite vltimo* & in *leg. septim.* dicatur: in nullo tamen loco dicitur, iudicem sæcularem iurisdictionem habere ad coërcendum Clericum: sed id iuris communis dispositioni relinquitur, qua Clericus super illo debito, sicut pro aliis, debet coram suo Episcopo conueniri. Ita Sanch. *vbi sup. n.* 31. *in solut.* 3. *argum* plures citans.

285 *Probabiliorem hanc sententiam esse iudico.* Probabiliorem hanc sententiā esse defendo. Fateor enim huiusmodi Clericum non esse ab Episcopo defendendum in hoc casu. At ad Episcopum pertinet iudicare, num defendi debeat, necne. Postquam igitur comperiat, in negotiatione deliquisse, vel ob persistentiam in ea post trinam monitionem amisisse immunitatem à gabellis soluendis, Episcopus non debet eum defendere, sed cogere, vt tributum soluat, sicut laici.

DVBIVM LXXVI.

Si mercatores laici in ipso Ciuitatis ingressu aliquod Tributum soluunt ex mercibus, quas vendendas afferunt: estne indirectè contra Ecclesiasticam immunitatem?

VT dignoscas; quando tributum conferi debeat contra Ecclesiasticam immunitatem, regulam generalem accipe: Iniquum est tributum, & contra immunitatem Ecclesiasticam, quando directè, vel indirectè tendit ac Ecclesiasticos grauandos. Quare quoties ab ei petitur tributum, siue ex contractu, siue ex adsportatione mercium, siue ex alia causa, non est dubium, quin directè lædatur immunitas. Totum dubium est de indirecto grauamine, quandonam verificetur. Quæsierim itaque, anne mercatores laici in ipso ciuitatis ingressu aliquod tributum soluunt ex mercibus, quas vendendas afferunt, sit indirecte contra Ecclesiasticam immunitatem? 286 *Status quæstionis.*

Est quidem, quia mercatores illi propter tributum prius solutum carius postea vendunt merces; vnde Clerici carius eas emere coguntur, ideoque grauamen tributi impositi sustinere videntur. Sic nonnulli Doctores, quos presso nomine affert Cardinal. Lugo *to. secund. de instit. d.* 36. *numer.* 133. 287 *Est contra immunitatē indirectè.*

Non est indirecta immunitatis læsio, quia nimia videtur esse indirectæ læsionis explicatio. Nam hoc modo vix vllum esset tributum laicis impositum, quod contra immunitatem Ecclesiasticam non existeret, siue enim in veste, siue in pane, siue in vino, siue in carnibus gabella laicis imponatur, poterunt Clericis conqueri, quod ratione illius tributi coguntur ipsi maius dare famulis stipendium, vel operariis, quos conducunt; quia ipsi ad emenda sibi necessaria, maiori indigent pretio ob tributa, quæ soluuntur à venditoribus, vel emptoribus earum mercium. Quare Theologi omnes conueniunt ea quę ita remotè Clericos lædere possunt, nec indirectè esse contra eorum immunitatem. Ita ex his Molina *tom. secund. de inst. d.* 663. *n.* 5. vbi id tanquam certum supponit. 288 *Non est.*

Ego autem existimo Auctores illos (vti ait Lugo *citatus* hoc defendens) minimum videntur indirectam immunitatis læsionem extendisse. Nam si hoc contra immunitatem Ecclesiasticā esset, etiā esset contra immunitatē nobilium, qui ex priuilegio exempti sunt à tributis soluendis. Nunquam tamen nobiles conquesti sunt, quod eorum priuilegia lędantur, quando eiusmodi tributa plebeis imponuntur. Lege Sanctum *hic dub.* 55. *n.* 40. 289 *Auctoris resolutio.*

DVBIVM LXXVII.

Si gabella exigenda sit à venditore, vel emptore laico, estne contra immunitatem Ecclesiasticorum si hæc gabella ab eo exigatur, quando venditi etiam Clerico, vel ab illo emit?

290 *Est contra immunitatem.*

CONtra immunitatem est. Quia non solum est illicitum statutum directè tendens contra libertatem Ecclesiasticam: sed etiam quod indirectè eam lædit. In hoc autem casu licet gabella directè à Clerico non exigatur, indirectè tamen videtur ab eo recipi, siquidem carius cogitur emere, vel vilius vendere propter gabellam suo venditori, vel emptori impositam: quod perinde est, ac si ipse solueret. Sic Gratian. Menoch. Laderchius, Surdus, Roccius, Homobon. Zerola, quos affert Diana *p. 1. tr. 2. resol. 48.*

291 *Contra immunitatem non est.*

Non est contra immunitatem, quia gabella non exigitur à Clerico, sed à solo laico venditore, vel emptore, Ita Bocri. Bursat. Alexand. Purpuratus, Tiraquel. Valasc. Menochius sibi contrarius, Mexia, Lazarte, & alij, & quos affert idem Diana *vbi supra* qui nihil definit. Henriquez *l. 10. cap. 15. n. 5.* Manuel *tom. 3. qq Regul. q. 74. a. 7.* Molina *d. 663. n. 5.*

292 *Hoc verius mihi.*

Ego quidem existimo veriorem esse hanc sententiam. Nam illud *Indirectè* in hac materia sicut ego, quando lex non tendit directè ex verbis suis ad Ecclesiasticos grauandos, nihil enim eis præcipit, vel ab eis exigit, vel eis iubet aliquid specie quidem externa subditos solum grauando, vel eis præcipiendo: sed in tali materia, vel talibus circumstantiis, quæ ostendunt, id præcipi, vel exigi ad finem grauandi per circuitum illum Ecclesiasticos, quibus directe præcipi non poterat. Directè ergo læditur Ecclesiastica immunitas, quando imponitur gabella soluenda ab omnibus etiam Ecclesiasticis: tunc enim directè & immediatè grauatur ipse Ecclesiasticus, non mediante vllo alio ex cuius grauamine Ecclesiastici grauamen reuiuiscat. Indirectè verò, quando præceptum, vel onus imponitur laico ea intentione, vt consequenter Clericus grauetur. v. gr. si laicis prohibeatur, ne vendant, vel laborent nisi cum licentia speciali Magistratus ea intentione, vt non detur licentia vendendi, vel laborandi pro Ecclesiasticis: hæc prohibitio directe tendit ad laicos, ad Ecclesiasticos indirecte. Et quidem auctore Suar. *de censur. d. 21. sectio. secund. numer. 78.* in hac materia indirectæ læsionis multum ad statuentis intentionem est attendendum.

DVBIVM LXXVIII.

Sina imo seu intentione grauandi Ecclesiasticos statuta circa Tributa fiant læduntne eorum immunitas cum obligatione restituendi?

293 *Nonnulla suppono.*

INnui *dub. proximo*, in hac materia læsionis indirectæ multum attendendum esse ad intentionem statuentis. Nam licet intentio sola non sufficeret: quando tamen actio externa apta est ad nocendum consequenter Ecclesiasticis, multum refert, quod ex illa intentione fiat, ad hoc, vt aliquis dicatur, Ecclesiasticam immunitatem violare. Putarim tamen hanc intentionem sufficere præsumptam, vt lex illa intelligatur illicita: quando scilicet circumstantiæ tales sunt, de quibus præsumitur ordinari à statuente ad eum finem grauandi consequenter Ecclesiasticos. Ideo enim *in cap. vltim. de immun. Eccle. in 6.* de eiusmodi statutis dicitur. *Cum talia in derogationem Ecclesiasticæ libertatis præsumantur.* Quia nimirum præsumptio in talibus circumstantiis, efficit, quod grauamen Ecclesiæ intendatur. Exemplum exhibeo: si gabella imponatur mercatoribus afferentibus Ecclesiasticos libros, v. gr. Missalia, Breuiaria, Diurnalia, nam talis lex specialiter exigens ab afferentibus tales libros in particulari, secum affert præsumptionem, quod Princeps laicus intendebat gabellam eo modo ab Ecclesiasticis exigere, quos quia directe grauare non poterat, imponit onus illud soluendum à mercatoribus laicis, vt ipsi carius vendant Ecclesiasticis. Quare illam iudico esse indirectam huius immunitatis læsionem prohibitam. Quæsierim itaque, an si animo lædendi Ecclesiasticã immunitatem hæc fiant, læsio huiusmodi sit cum restituendi obligatione?

294 *Non est cũ restituendi obligatione.*

Non est cum obligatione restituendi. Quia licet contra immunitatem delinquatur, malus tamen animus non facit, vt res, quæ alioquin non erat contra iustitiam, & obligationem restituendi asserat. Sic Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 55. n. 42.*

295 *Est cum obligatione restituendi.*

Est cum restituendi obligatione. Qua si ille animus facit, quod sit contra immunitatem, & ideo peccatur: sufficit etiam, vt sit contra iustitiam, & cum onere restituendi. Nam quoties contra immunitatem aliquid exigitur, iniustè exigitur. Ita Richardus *quodlibet. 2. quæst. 30. articulo sexto* Cardinal. Lugo *tomo secund. de iust. d. 36. n. 139.*

296 *Hanc sententiam veriorem esse existimo.*

Probabiliorem hanc sententiam esse credo. Quia P. Sancij ratio probaret etiam, quod non peccaretur. Animus enim habendi illud lucrum à Clericis non facit, quod sit contra eorum immunitatem id, quod ex se contra immunitatē non erat, sufficit tamen non intentio, sola sed in talibus circumstantiis, quæ secum

secum afferant præsumptionem, quod in odium Clericorum fiat, quæ immunitas, hæc dat ius Clericis, ne eorum grauamen intendatur, seu ne fiant talia statuta, quæ in talibus circumstantiis ordinata sint ad eorum grauamen. Nec sufficit dicere, quod tunc peccatur quidem contra charitatem, non verò contra immunitatem; si enim peccatum est, non est contra solam charitatem, nec enim obligaret charitas ad amittendum lucrum illud à Clericis, quod iustè posset haberi ob publicam necessitatem, & quod nullo Religionis, vel Ecclesiæ præcepto esset prohibitum. Si ergò peccatur, est, quia Ecclesia prohibet indirecta etiam grauamina, hoc est, talia, quæ in iis circumstantiis præsumuntur esse ad Ecclesiasticos per circuitum aggrauandos.

non potest à Clericis exigi; quia esset verum tributum, & non merum pretium.

DVBIVM LXXIX.

Estne contra Ecclesiasticam immunitatem, quando lege communi augetur aliquantulum pretium carnium (v gr.) vini, & olei, ita vt illud augmentum non maneat penes venditorem, sed ad aliquam necessitatem, vel vtilitatem publicam applicetur?

296 *Non est contra immunitatem.*

QVando exiguum est pretium, quod additur, nec imponitur ad grauandum Clericos non est contra immunitatem, quia id potest statui iustè vt pretium commune. Sic nonnulli Doctores, quos affert Diana *p. 11. tr. 2. resol. 45.*

297 *Contra immunitatem est.*

Est contra immunitatem Ecclesiasticam, quia tunc secundario & indirectè grauantur Clerici. Ita alij, quos ipse Diana affert, ac sequitur.

298 *Auctor hanc sententiam alio nitens fundamine defendit, validiori quidem.*

Hoc dicendum existimo, rationem autem mihi non placere ingenuè fateor. Nam Clerici tunc directè grauantur, cum omnibus emptoribus in vniuersum, atque etiam Clericis illud onus immediate imponatur, & nullo alio mediante cui mediatè videatur imponi docet Sanch. *l. 2. consil. c. 4. dub. 55. nu. 47.* quando ob necessitatem publicam Granatæ statutum fuit, vt exta, ac capita arietum, quę prius dimidio argenteo pauperibus communi ciuitatis lege dabantur, tribus argenteis venderentur, & augmentum illud ad publicam illam necessitatem cederet. Quod statutum Sanchez merito dixit esse contra immunitatem, quatenus Clerici cogebantur illo pretio emere. Quod licet potuisset statui iustè vt pretium, tunc tamen non erat pretium venditori dandum cũ apud ipsum non maneret; sed erat tributum soluendum ad communes necessitates, sicut si pretium carnium statuatur dimidium argentei, iustum esset, & Clericus deberet illud soluere, sitamen cum prius minoris venderetur, actum est vsque ad argenteum, vt aliquid ex illo ad publicos vsus accipiatur, iam ille excessus

DVBIVM LXXX.

In prædictis casibus excusanturne imponentes illas gabellas generaliter, quando protestantur, se in anni fine reddituros Clericis quod per modum gabellæ soluerunt?

299 *Excusantur quidem*

EXcusantur quidem, quia ad vitandam confusionem Clerici communi pretio emunt, sicut alij cives laici, & in fine anni eis restituitur, quod in more tributi solusse se cum iuramento affirmant, iuxta maiorem, vel minorem quantitatem, quam illo anno emerunt. Porrò hoc fit consentientibus Clericis. Sic Diana *p. 1. tr. 2. resol. 44.* asserens Panormi id licitè fieri. Cardinal. Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 141.* pro hac pugnat sententia.

300 *Non excusantur.*

Non excusantur, quia negari non potest, Clericis non leue incommodum ex hac cautela prouenire & absolutè dum eis non restituitur quod in morem gabellæ cum aliis soluerunt, tributarij esse videbuntur. Ita Duardus *in Bul. Cœnæ l. 2. can. 18. q. 15. n. 3.* Alteri. *to. 1. de censur. l. 5. d. 19. cap. 3.* Vnde monet Duardus, vt ad vitandam excommunicationẽ, curent exigentes Clericis restituere aliquid plus in fine anni in illius incommodi, & intereresse compensationem.

301 *Primam sententiam amplectur.*

Primam sententiam probabiliorem esse iudico. Non enim video, vndenam hoc sit contra immunitatem, cum non cogãtur Clerici ad aliquam contributionem, vel aliquod grauamen, sed ipsi voluntariè velint, ad vitandas publicanorum fraudes suam exemptionẽ executioni modo illo securiori, ac faciliori mandari. Consilium autem Duardi mihi nullo modo placet. Nam accipere plus aliquid pro incommodo pecuniæ antea datæ, esset vsura manifesta, nisi ob lucrum cessant, vel damnum aliud emergens præter carentiam pecuniæ acciperetur. Neque etiam hoc modo censura vitaretur, quia si id fieret innitis Clericis, iam imponeretur eis aliquod onus, cogendo eos ad mutuandum sub vsuris: quod aliquod onus esse negari non potest. Si autem ipsis cõsentientibus, nec vllũ grauamẽ ex hoc sentiẽtibus, non est necesse plus aliquid dare.

DVBIVM LXXXI.

Quando non ex fine exigendi à Clerico indirectè, nec hoc intuitu gabella imponitur, estne contra immunitatem Ecclesiasticam exigere gabellam à venditore laico, etiam quando Clerico vendit?

NOn est contra immunitatem. Quia tunc gabella non exigitur à Clerico, sed à laico, *contra*

302 *Non est*

immunitatem.

laico, qui debet soluere ex bonis suis; nempè ex pretio, quod à Clerico accepit. Et quamuis aliquandò ea occasione carius vendat propter onus consequens, quod habet soluendi gabellam, id tamen est per accidens, & idem ferè contingit, quando mercatores in Vrbis ingressu gabellam soluunt ex mercibus, quas postea carius eam ob causam etiam Clericis vendunt. Ratio est, quia tunc non fit directè contra immunitatem, cum nihil petatur à Clerico, nec etiam indirectè, cum non petatur à laico ob eum finem, vt Clericus consequenter soluat. Sic Card. Lugo *to. 2. de iust. d. 36. n. 142.*

303 *Contra immunitatē est.*

Est contra immunitatem. Quia in hoc casu videtur auferri Clericis libertas, quam habent contrahendi cum laicis, nam eo ipso, quod laico gabella imponitur in ipsomet contractu, prohibetur laico, ne contrahat cum Clerico nisi cum illo onere gabellam soluendi. Non videtur autem posse prohiberi contractus vni, quin vterque contrahens grauetur, cum contractus indiuisibiliter vtrumque respiciat contrahentem. Sicut è contra quando datur facultas contrahendi vni, alteri data censetur, ob eandem rationem. Ita graues Doctores, quorum meminit Lugo *citatus.*

304 *Primam sententiam eligo, & confirmo.*

Vtramque sententiam probabilem satis esse reor. Eligo mihi primam, quam veriorem esse crederem. Quia immunitas Clericorum non obligat Principem laicum, vt nihil petat à laicis, ex quo consequenter Clerici aliquod damnum sentiant. Hoc enim fere impossibile videtur, cùm ex qualibet gabella consequatur, quod laici aliunde sibi prouidere debeant plus exigendo in aliis contractibus, etiam cum Clericis, sed solum obliget, ne petatur vllo modo à Clerico aliquid, neque etiam à laicis in iis circumstantiis, quæ ostendant, id fieri, vt consequenter aliquid à Clericis extrahatur, quod est agere indirectè contra immunitatem. Monuerim tamen, in iis omnibus casibus, in quibus ex grauamine laicis imposito grauantur consequenter Clerici carius ementes, vel quodlibet aliud onus subeuntes: non posse Clericum prohiberi, ne aliunde sibi prouideat de iis rebus, si possit. V. g. si laicis vendentibus carnes, vel vinum imponitur gabella non Clericorum intuitu, nec vt hi consequenter soluant: non posse prohiberi, quod Clerici possint offerre sibi vinum, vel carnes aliunde, vt meliori ea pretio habeant. Hoc enim esset directè grauare Clericos contra libertatem, quam habent sibi, vndecumque voluerint, prouidendi. Similiter si Rex sibi soli reseruet potestatem faciendi chartam, & postea, aucto eius pretio, lucrum ad publicam necessitatem deferuiat, Clerici prohiberi non possunt, ne sibi chartam faciant, si possint, vel meliori modo prouideant. Quia hoc esset contra eorum immunitatem, ac libertatem. Et sic de aliis similibus iudicandum esse non dubito. Item quādo mercatores afferentes aliquas merces gabellam in ingressu soluunt, & ideo eas postea carius vendunt. Non enim Clerici prohiberi possunt, quod faciant sibi eas merces afferri absque vllo onere gabellam soluendi: alioquin iam exigeretur à Clerico,

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: XVII. VII.
E. IV
6

LIBER LXII.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS, RELIGIOSIS, AC SÆCVLARIBVS,

Receptiores Doctorum communes Sententiæ.

PARS PRIMA.

ECCLESIASTICÆ PERSONÆ.

DISSERO de Clericis in communi, de Summo Præsule, de Archiepiscopo, de Episcopo, de Romanæ Ecclesiæ Cardinali, de Canonico, de Capitulo, de Parocho.

CAPVT I.

De Clericis in communi.

1 *Quinã Clericorum nomine intelligantur.*

APPELLATIONE Clericorum largè veniunt omnes, qui ordines habent, quacumque dignitate præfulgeant, etiamsi prima solùm tonsura sint initiati. Vnde in materia favorabili Clericorum nomine veniunt Episcopi, & Religiosi: in odiosa verò, minimè, nec alij in dignitate constituti, nec Ecclesiæ Cathedralis Canonici nec Monachi, seu Religiosi. *Cap. Cum contingat, de ætate, & qualit. Cap. Quia periculosum, de sent. excom. in 6. Cap. In fidei favorem. de hæret. in 6. Cap. Statutum, de elect. in 6.*

2 *Canonico iure plecem priuilegiis Clerici fruuntur.*

Clerici, loquendo generatim, multis priuilegiis fruuntur. Coram læculari non conueniuntur Iudice, *Cap si diligens, de foro compet.* Eos diuerberans, est excommunicatus. *Cap si quis suadente, 17. q. 4.* Munera, seu onera personalia, vel realia præstare non tenẽtur. *Cap. Non minus, de immun. Eccl.* Possunt rem concessam Ecclesiæ ante traditionem vendicare *Cap Ex litteris, de consuetud.* Eorum familiæ eodem fruuntur priuilegio quoad forum. *Cap. Clericum 11. q. 1.* Edentes contra Clericum statuta excommunicationem incurrunt. *Cap. Eos, qui, de immunit. Eccl. in 6.* Solummodo Clerici possunt beneficium Ecclesiasticum obtinere. *Cap. Ex litteris de transact.* Non possunt per literas contra laicum impetratas cum clausula generali, conueniri. *Cap sedes, de rescr. in Clem.* Sportula dare non tenentur, *Cap. Cum ab omni, de vita, & honest. Clericor.* Possunt de acquisitis, etiam sub patris potestate, pro libito disponere. *Authent. Presbyteros. Cap. de Episcopis, & Clericis.*

3 *In rebus spiritualibus Clerici sunt immunes à ciuili potestate*

Iure diuino Clerici à ciuili laicorum potestate in rebus spiritualibus, diuinis, & Ecclesiasticis sunt immunes, ac liberi. Huiusmodi sunt, Sacramenta ministrare munia sacra obire, litteras sacras interpretari, pœnas Ecclesiasticas sancire, idoneos Ecclesiæ ministros examinare, eligere, creare, constituere, confirmare, ad ordines promouere, &c. Quia spiritualis immunis potestas est supernaturalis, & à Christo Domino collata non Regibus, aut sæcularibus aliis, sed Apostolis, & eorum successoribus. *Cap. Quanquam, de censib. Cap. si Imperator, dist. 96. Suar. lib. 4. de immunit. c. 2. Azor. tom. 1. l. 5. c. 12. q. 1. Bonac. in Bullam Cœnæ, d. 1. q. 16. sect. 1. pun. 1. Salas de legib. d. 14. sect. 12. Molina de iust. d. 31. Filliuc tract. 40. numero 155.*

4 *Non autem à legibus ciuilibus, à legibus ciuilibus, non tenentur Clerici has leges seruare, quæ non sunt contra Ecclesiasticam libertatem*

Attamen nec diuino, nec humano iure sunt à legibus ciuilibus, quæ non sunt contra Ecclesiasticam libertatem, nec sacris Canonibus, vel Clericorum statui repugnant exempti. Tenentur proinde Clerici has leges seruare, quæ non sunt contra Ecclesiasticam libertatem, non vi coactiua, sed directiua. Quia nemo tenetur directè legibus eius, qui in ipsum non habet iurisdictionem. Tales leges sunt, qui-bus frumenti taxatur pretium, præscribitur modus testandi, contrahendi, &c. Vnde si clerici frumentum vltra pretium à Republica statutum vendant, & lethaliter delinquunt, ad restitutionem tenentur. *Suar. de legib. l. 3. c. 34. Filliuc. tr. 35. num. 94. Bonac. de legib. to. 2. d. 1. q. 1. pun. 6. num. 29. Sayr. in clau. l. 4. c. 4. num. 16. Sanch. l. 7. Dec. c. 3. n. 20. Nau sum. cap.*

cap. 23. *n.* 88. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 1. Tanner. 1. 2. *d.* 5. *q.* 6. *dub.* 2.

5 *Reprobat Ecclesia Principum sæcularium leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, vel personis decernunt.*

Principum sæcularium leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, aut personis decernunt, Ecclesia reprobat, tametsi Ecclesiæ fauorem, vel patrocinium continere videantur. Quia eiusmodi legibus prætenditur directa laicorum Principum iurisdictio super Ecclesiasticos, talis autem potestatis vsurpatio immunitati Ecclesiasticæ repugnat. Vnde leges Imperatoriæ quales extant (v. g.) in *tit. C de sacrosanct. Ecclesiis*, & *Auth. eodem tit.* nullius sunt roboris vti profectæ à non habente potestatem, nisi Canonico iure sint receptæ, ac approbatæ. *Cap.* 1. *Rene quidem, d.* 96. *Cap. Ecclesia, de constit.* Abbas *ibi, n.* 10. Angel. *v. Lex, nu.* 5. Suar. *de legib. l.* 3. *c.* 34. *n.* 13.

6 *Non possit Clerici privilegio Canonis & Fori renunciare.*

Non potest Clericus priuilegio exemptionis renunciare, Canonis scilicet, & Fori, se Iudici laico subiiciendo. Quia hoc est ei omnino interdictum tam in ciuilibus, quam in criminalibus *Decret. p.* 2. *causa* 11. *quæstion.* 1. Et quia hæc priuilegia non personis priuatim, sed toti clericali ordini iuncta indulta, quibus persona priuata communitatis illius cedere non potest. *Cap. si diligenti, de foro compet.* Sotus *lib.* 5. *de iust. quæst.* 4. *articul.* 1. Salon. 2. *quæst.* 67. *artic.* 1. *controu.* 2. Suarez *de censur. d.* 22. *sect.* 1. *num.* 58. Bon. *de censur. d.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 2. *n.* 5. Fernand. *p.* 2. *c.* 6. §. 1. *numero* 5.

7 *Hæc priuilegia nulla lege, vel consuetudine possunt sine Papæ tolli authoritate.*

Hæc quidem priuilegia nulla lege, vel consuetudine, etiam immemorabili, vel præscriptione possunt sine summi Præsulis authoritate tolli. Quia laici cum sint iurisdictionis incapaces Ecclesiasticæ, numquam possunt se tueri consuetudine etiam immemorabili, quæ vnquam nequit esse legitima ad præscribendum. Omnis enim consuetudo contra Ecclesiasticam libertatem reprobatur in *Cap. Nouerint, de sentent. excomm.* Azorius *tom.* 1. *libro* 5. *cap.* 12. *quæst.* 1. Duard. *de Bul Cœna, cap.* 14. *d.* 76. *numero quinto* Layman. *lib.* 4. *tract.* 9. *capit.* 10. *numero* 1. Fill. *tract.* 16. *numero* 255.

8 *In minoribus constitutus, duplici solum priuilegio gaudet, si matrimonii ineat.*

In minoribus constitutus duplici solum priuilegio fruitur, si matrimonium ineat, nempe Canonis *si quis suadente Diabolo*, & fori, id est, ne petri neat ad forum sæculare in causis criminalibus, siue criminaliter, siue ciuiliter agatur. Debet autem conditiones à Tridentino *sess.* 23. *cap.* 6. præscriptas habere, nempe vt clericalem habitum, ac tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ ex sui Episcopi mandato deseruiat, & vnicam, & virginem duxisse. Si vero Clericus coniugatus cum vnica, & virgine tonsuram ac Clericalem vestem deponens, postea resumat, gaudet priuilegio fori *Capit. cum non ab homine, de iudiciis. Cap. secund. de foro compet. Cap. si quis* 17. *quæst. quart.* Couar. *in pract. qq. capite* 31. *numero* 8. Suarez *cont. Regem Angl. libro* 4. *capite* 17. Sanchez *de Matrim. l.* 7. *d.* 46. *numero* 29.

9 *Nouitius Regularis fori priuilegio nunc fruitur.*

Fateor nouitium ob delictum ab eo commissum ante Religionis ingressum, iuxta Sixti V. constitutionem potuisse habitu Religionis spoliari, à Iudiceque sæculari puniri. Attamen post modificationem Clementis VIII. affirmo, ingressum Religionis validum esse ad hoc vt nouitius fori priuilegio gaudeat, etiamsi ingressus factus fuerit cum fraude intentione scilicet subtrahendi se à sæculari potestate. Iudex vero sæcularis potest in hoc casu Iudicem causæ agere, non personæ, & ad summum nouitium punire in pecunia, ac bonis, non autem in corpore. Quia satis probabile est, nec in pecunia posse puniri. Barthol. de Vechis *in praxi nouit. d.* 11. Diana *p.* 1. *tr.* 2. *res.* 33.

10 *De tonsura habituque clericalis gerendi obligatione.*

Sacri Ordinis vel beneficiarius clericus sub mortali tenetur, tonsuram, & habitum clericalem gestare: neque potest contraria consuetudine (quæ nequit rationabilis esse, sed corrupte la inducanda est) excusari. Quia legem in materia grani violat, & quia potest suspensione affici, vt in Tridentino habetur. Porrò necessitas vitam tuendi, honorem, aut bona, propria, vel proximi, sicut a legis humanæ obligatione excusat, ita ab hac excusare potest. Nec non commoditas ad modicum tempus sine honestatis detrimento arbitror excusare. Clerici autem minorum Ordinum facilius à piaculo excusarentur. Quia possunt ad statum laicalem transire. Nec possunt de iure communi ad ferendum habitum cogi, nisi quatenus velint clericali priuilegio vti. *Cap. fin. de Clerico coning.* Nauar. *comm.* 4. *de regul. numer.* 27. Diana *p.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 60. Bonac. *to.* 1. *d.* 8. *q. vni. pun. vlt.* Reginald. *l.* 30. *num.* 10. Henriq. *l.* 13. *cap.* 39. *n.* 4. Ang. *v. Clericus* 4. *n.* 1.

11 *Quænam sint clericales vestes.*

Verùm clericales dixerim vestes eas, quę communi vsu in qualibet sunt Prouincia receptę, & ex quarum aspectu à quocumque, gestans eas, Clericus iudicatur. Si vero controuersia fuerit, an habitus, quocum Clericus est inuentus, clericalis sit, discussio ad Iudicem Ecclesiasticum attinet. Quia ipsius est habitum à Clericis ferendum præscribere. *Cap. si Iudex laicus, de sent excom. in* 6. Con. *pract. qq. c.* 33. Mol. *de iust. tom.* 4. *tr.* 3. *d.* 49. Laym. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 7. *n.* 6.

12 *Plura clericis à sacris canonibus prohibentur.*

A Sacris Canonibus multa Clericis prohibentur. Officia, vel commercia sæcularia exercere non debent, maxime inhonesta, mimis locularibus, & histrionibus intendere. Tabernas prorsus fugere, nisi causa necessitatis, si in itinere constituantur. Ad aleas, & taxillos non ludere, nec huiusmodi ludis interesse. Debet tonsuram congruentem habere, & in Ecclesiasticis officiis, aliisque congruentibus se exercere studiis. Plura eis prohibentur, & præscribuntur in *Cap. clerici* 2. *de vita, & honest. cleric.* Negotiari non possunt, intendendo rebus emendis pretio maiori vt inde lucrentur. Si autem id fiat semel aut iterum, lethalitèr non delinquunt. Porrò per alios non est illicitum Clericis negotiationem exercere. Quia solum prohibetur, ne per se clerici negotientur, & per alios negotiando, cessat prohibitionis ratio. Mald. 2. 2. *tr.* 5. *c.* 2. *dub.* 4. Mol. *d.* 342. *n.* 10. Les. *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 1. *n.* 6.

CAPVT

CAPVT II.

De summo Præsule.

13 *Papa Christiani Pastor populi, unde dictus.*

VMMVS Præsul dictus est *Papa* quasi *Admirabilis à Papè* interiectione admirantis, eo quod Vicarius ac Christi Domini DEI Filij, cuius est terra, ac plenitudo eius. Et quidem totius Christiani populi Pastor, omnium caput Ecclesiarum, Episcoporumque omnium Episcopus ex Christi institutione. Clem. Roman. *de iureiur.* Sylu. *v. Papa n.* 1.

14 *A Christo Domino eius prouenit iurisdictio.*

Papæ iurisdictio non confertur à Cardinalibus per electionem, sed postquam hi personam suffragiis solitis designarunt, à Christo Domino prouenit vi promissionis factæ DIV. Petro *Mat.* 6. Vnde obseruatum semper fuit, vt à nemine iudicari, aut deponi possit, nisi notoriam labatur in hæresim, saltem postquam ab Ecclesia est declarata. Suarez *libro quart. de Legib. capite* 7. Layman. *lib.* 1. *tractat.* 4. *cap.* 6. §. 1. *numero* 6. *&* 7.

15 *Errare non potest in decretis fidei, quæ toti proponit Ecclesia.*

Profecto quamuis quo ad suam personam in hæresim etiam notoriam possit incidere: tamen ob DEI prouidentiam errare non potest circa decreta Fidei vniuersalia, seu circa ea, quæ toti proponit Ecclesiæ, quamuis sine Episcoporum Concilio. Neque in præceptis circa mores versantibus, nec circa res ad salutem necessarias, vel quæ per se bonæ, aut malæ sunt. Quia si Pontifex in his Fidei, aut morum decretis erraret, tota Ecclesia in errorem contra Fidem, aut Christianam DOCTRINAM in errorem posset induci, quod est impossibile. Layman. *libro secund. tractat. prim. cap. septim. numero prim. & secund.* Bannes 2. 2. *quæstio. prim. articulo* 10. *dub. secund.* Azor. *part.* 2. *libro* 5. *cap.* 5. & omnes.

16 *Secus in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ de facto sunt.*

Potest autem errare etiam vt publica persona in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ plerumque de facto sunt. Quia assistentia, ac directio Sancti Spiritus Petro, ac successoribus est promissa in ordine ad Ecclesiam, ne eam in errorem inducant: cuius rei periculum nullum est in decretis particularibus ad vniuersam Ecclesiam non pertinentibus Bellarm. *lib.* 4. *de Pontif. capit.* 2. Bannes. 2. 2. *quæstio.* 1. *artic.* 10. *dub.* 6 *conclus.* 4. Corduba *l.* 4. *quæst.* 1. *propos.* 10. DE Pontificis potestate circa censuras ferendas, circa impedimentorum matrimonij dispensationem, & circa alia innumera differo in tract. de Beneficiis, de censuris, de casibus reseruatis, de DISPENSATIONIBVS, de Indulgentiis, de Simonia, de voto, de Ordine, de Irregularitate, & alibi sepè.

CAPVT III.

De Archiepiscopo.

17 *Archiepiscopus ejus suffraganeorum Ordinarius.*

POstquam Archiepiscopus à sede Apostolica Pallium, accipit, fit Ordinarius ac superior suffraganeorum, siue coëpiscoporũ PROVINCIÆ, vtis præcipere, eosque ad officium negligentes compellere valeat. *Cap. Nisi, de author. & vsu Pallij Cap solicitudinem. de appel.*

18 *Non potest in causis criminalibus maioribus sine Papæ authoritate, contra Episcopos procedere.*

In causis tamen criminalibus maioribus depositionem merentibus, re cum Prouincialibus Episcopis cognita, ad sententiam definitiuam aduersus Episcopum non potest sine sedis Apostolicæ authoritate procedi. *Capit.* 2. *de translat. Episc.* Imo iure nouo non solum condemnatio contra Episcopum, sed etiam cognitio, ac processus in criminibus, quæ depositionem, vel priuationem merentur, soli summo Præsuli est reseruatus, & inferioribus interdictus. *Cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. Nau. *lib.* 2. *consil.* 1. *de foro compet.*

19 *Non habet in subditos coëpiscoporum iurisdictionem.*

In subditos coëpiscoporum Archiepiscopus iurisdictionem non obtinet, nisi in triplici casu à iure expresso. Primò, si ab Episcopo ad ipsum appelletur, (non tamen obstante negligentiam Episcopi, nulla interposita à partibus appellatione) ad Archiepiscopum iurisdictio deuoluitur. Propterea Archiepiscopus non potest adiri per viam querelæ per subditos suffraganei sui, *nisi ipse consentiat. Cap. Duo simul, de offic. Ordinar.* Secundò dum Prouinciam visitat (quod libere facere potest iure communi, etsi nulla Episcopi negligentia intercedat, sed cum limitatione Trident. *sess.* 24. *c.* 3.) potest PROVINCIALIVM confessiones audire. *Cap.* 1. *de offic. lega. Cap. significasti. de foro compet.* Item iubere, Crucem antè se deferri, ac populo benedicere, etiam in locis Prouinciæ alioquin exemptis. *Clement. Archiepiscopo, de priuileg.* Tertiò, ei absolutè permissum est, intra suam Prouinciam indulgentias concedere iuxta Lateranensis Concilij limitationem. *Cap. nostro, de pœnis.*

20 *Quid agere synodum Episcoporum ea de causa debet congregare, in eaque tanquam decanus in re debeat Capitulo præsidere. Et quod in synodo fuerit decretum, renocare, immutare, in eoue dispensare nequit, cum sit inferior synodo, seu Concilio Episcoporum, à quibus, & quando vnde statuta potest indicari. Suar. de legib. l. 6. c. 15. Sanch. de matr. l. 8. d. 17. n. 36. Cap. Nullus primas 9. q. 3. de Archiepiscopi authoritate plura Quaranta scribit in sum. Bullar. 7. Archiepiscopi authoritas, quæ quidem omitto, quia ad conscientiam pertinere non video.*

provincia-lia condere.

CAPVT

CAPVT IV.

De Episcopo.

21 *In quibus possit peccare Episcopus ante Episcopatus receptionem.*

IN multis potest Episcopus ante Episcopatus collationem, & post illius receptionem delinquere. Ante receptionem quidem illum appetendo, ac procurando. Qui appetitu deliberato Episcopatum habere appetit illo indignus existens, nec cogitat se dignum præstare, mortaliter peccat. Quia id appetit, quod habere mortale prorsus est. Qui vero Episcopatum appetit quamuis dignus ob temporarios reditus, aut propter honorem tanquam finem, etiam peccat lethaliter. Quia est periculosa cupiditas, & bono communi nimis pugnans ambitio. Qui vero propter gradum præcipuè eum desiderat, præsumptionis placuio saciatur, non tamen mortifero, sed tantu n venia li. Quia non inest eo in appetitu tanta perueisio. Denique qui propter officium, Episcopatum appetit, vt aliis prosit. Ex se quidem non peccat, quia aliquando potest rectè fieri, peccatum tamen est, nisi cum necessitate fiat. Quia illud prodesse aliis est cum præesse coniunctum, quod est planè difficile. D Tho. 2. 2. *quæst.* 185. *a.* 1 Sylu. *ibi* Fernand. *p.* 4 *cap.* 7. §. 1. *num.* 1. Sotus *l.* 10. *de iustit. quæst* 2. *art.* 1. Sà *v. Episcopus, n.* 3.

22 *Nomen ac officium Episcopi.*

Episcopus Græcum nomen idem Latinè est, ac *Speculator*, ac *superintendens*, eo quod subditorum vitam speculetur, & Clericis, ac laicis sibi commissis superintendat. Eius officium consistit in Chrismatis confectione, in Confirmationis, ac Ordinis collatione, in consecratione Ecclesiarum, & Altarium: Et solus Episcopus illa Sacramenta dispensat, quæ suscipientem in aliquo perfectionis gradu super alios constituunt. D. Tho. *in* 4. *dist.* 24. Syluest. *v Episcopus.* Tolet. *l.* 5. *cap.* 3 *numero* 1.

23 *Quando obligetur quis ad Episcopatū recipiendū.*

Naturali, ac diuino iure quis obligatur, ad Episcopatum accipiendum, vel aliam Prælaturam in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis, v. c. si persona præ aliis Ecclesiæ sit idonea regendæ. Vnde ad id potest superioris compelli præcepto. Porro solus Pontifex cogere quem potest ad Episcopatum acceptandum, Prælatus vero Religionis etiam Generalis non potest. Quia potestas, qua Religionis superiores potiuntur, per se ad commune Religionis, aut particulare subditi ordinatur, nec ex vi officij habent communi bono Ecclesiæ prouidere. At Episcopatus non ordinatur ex se ad bonum Religionis, aut subditi, sed ad commune bonum Ecclesiæ. Vnde cum Doctores affirmant, Religiosum teneri Prælato obedire ad Episcopatum acceptandum, nomine Prælati Pontificem intelligunt Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resolut.* 33. citans Manuelem, Suarium, Sanctum, Faustum, & alios.

Si quis fraude, aut vi, aut subreptione Episcopatum recipiat, vel sciens, se eo indignum, carentem qualitatibus à iure requisitis, ætatis maturitate, litterarum scientia, morum probitate, lethaliter delinquit. Trident. *sess.* 22. *cap. secund.* Reginald. *lib.* 30. *numero* 46. 24 *Lethaliter peccat, qui sciens se indignum, eū accepit.*

Episcopatus electus, & confirmatus Tridentini præscripto obligatur, intra tres menses proximos consecrationem suscipere, alioquin tenetur ad omnium fructuum percepiorum restitutionem pro rata illius temporis. Et vltra sex menses consecrationem differens Episcopatu iure ipso priuatur. Trid. *sess.* 23. *c.* 2. 25 *Obligatur, intra tres menses cōsecrationē suscipere.*

Iure communi siue diuino, siue humano multiplex obligatio grauat Episcopum. Prima est, in Ecclesia propria personaliter residere. Trid. *sess.* 23. *c.* 1. Mortale quidem est, absque causa abesse, & toto tempore, quo non residet, omnes reditus pro rata perdit ipso facto, absque vlla alia declaratione fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus applicandos. Secunda, vt irreprehensibilis sit, haud scandalo subditis, sed optimo potius exemplo, *Timoth.* 1. *c.* 3. Tertia, Per se debet concionari, non per alium, nisi legitimè sit impeditus. Trid. *sess.* 5. *c.* 4 & *sess.* 24. *c.* 2. & 3. Quarta, annis singulis debet Diœcesanam Synodum conuocare, in qua de rebus ad statum Ecclesiæ suæ pertinentibus agat. Quinta, quotannis debet Episcopatum suum, vel maiorem eius partem visitare, si verò fuerit iuste impeditus, id per Vicarium gerere. Sexta, debet Sacramenta Confirmationis, & Ordinis administrare. Septima, tenetur probos Ministros constituere tam ad internum, quam ad externum forum. In hoc autem deficere ex crassa malitia, aut negligentia mortale, graue admodum est. *Cap. Decenter, dist.* 89 Lege Bonacinam *to.* 2. *d.* 6. *q. vni. pun.* 8. *n.* 5. Regin. *l.* 20. *num.* 69. Caiet. *v. Episcopus.* 26 *Malitas Episcopi obligationes recēseo.*

Haud potest Episcopatum absque Pontificis licentia deserere. Si autem videat, se non posse munus implere, sed peccare non implendo, vel graue exhibere scandalum, licentia petita, tenetur Episcopatum relinquere. *Cap. Nisi cum pridem, de renunciatio.* 27 *Non potest Episcopatū absq; Pontificis licentia deserere.*

Religiosus in Episcopum electus, à iurisdictione Prælatorum suorum eximitur, & à pœnis, quæ in constitutionibus Monasticis urgoganturnon verò à tribus Religionis votis in professione factis. Debetque assernare ea, quę ad Ordinem spectant, iis exceptis, quæ cum Episcopali statu non cohærent, vt claustrum, silentium, & similia D. Thom. 2. 2. *quæstio.* 185. *articulo* 8. Sylueit. *inibi, concluſ. prim. secund. & tertia.* 28 *De Religioso ad Episcopatum transeunte.*

CAPVT

E. SCOBAR Theol. Mor. Tom. VI. VII. Ed. IV. C

CAPVT V.

De Cardinali.

27 *Quid sit Cardinalatus?*

CArdinalatus non est Ordo sacer, nec characterem imprimit, nec à Christo Domino fuit institutus. Quia non habet consecrationem aliquam, nec materiam, nec formam: Ergò nec erit Ordo. Propterea Patres, Concilia generalia, ac Summi Præsules omnes sacros Ordines commemorantes, de Cardinalatus gradu nullam gessere mentionem. Igitur Cardinalatus est tantùm dignitas Ecclesiastica eminentissima à Pontificibus antiquitus inducta, vt sibi in Ecclesiæ regimine Accessores, ac Consiliarios haberent eo modo, quo Moses septuaginta sibi seniores adsciuit. Proinde potest à Papa extingui, consequenterque non erit de iure diuino, neque ordinis Sacramentum. Bellarm. *libro prim. de Cleric. cap. 16. controu.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 24. *quæst. secund. articul.* 4. Azor. *part.* 2. *lib.* 4. *cap. prim. quæst.* 3.

28 *Potest censuras in Ecclesia sui tituli ferre.*

Cardinalis respectiuè ad Ecclesiam, in qua iurisdictionem in foro externo habet, vt in Ecclesia sui Tituli, potest Censuras in subditos contumaces ferre. *Cap. His quæ de maior. & obedi.* Sayr. *lib prim. de cens. capit. 6. numero* 11.

29 *Excommunicatione generaliter lata non ligatur.*

Excommunicatione generaliter lata ligatur, nisi illius fiat exceptio. Suspensione tamen, & interdicto generaliter latis non ligatur, nisi illius expressa mentio fiat. Primum probatur, quia lex generalis generaliter est intelligenda: Et Cardinalis superiorem habet Præsulem summum, cuius iurisdictioni subiicitur: secundum patet, quia sic præscribitur. *Cap. Quia periculosum de sent. excommun. in* 6.

30 *Solũ Pontificem habet vt proprium Pastorem.*

Cardinalis sicut ratione dignitatis propinquissimus est Pontifici, ita illum solum habet vt proprium Pastorem ac Sacerdotem. Est autem Collegium illud veluti vnum spirituale corpus, cuius proximum caput est pontifex, Caiet. *v. Absolutio* 2. Filliuc. *tract.* 7. *n.* 197.

31 *Potest sibi Confessariũ eligere.*

Potest sibi Confessarium eligere. Quia quamuis Episcopis non sit superior, potestate, & iurisdictione: tamen iam iuxta communem Ecclesiæ vsum, superior dignitate censetur. Angel. *verb. Confessio* 3. *numero* 3. Syluest. *v. Confessor numero* 8. Caietan. *v. Absolutio.*

32 *Qui eum percutit, ipso iure beneficio priuatur.*

Qui audet Cardinalem percutere, ipso iure quodcumque beneficium Ecclesiasticũ amittit. Quia indignus est beneficio ecclesiæ potiri, qui tam eminentis Ecclesiæ dignitatis debitam læsit reuerentiam. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 17. Les. *l.* 2. *c.* 34. *dub.* 34.

33 *In Ecclesia sui tituli potest leges ferre.*

Potest in loco, seu Ecclesia sui tituli ferre leges suum territorium obligantes. Leges vero vniuersales condere nequit. *Cap. Querelam, de elect.* Suar. *l.* 4. *de legib. c.* 5. *n.* 4.

Cardinalium Eminentiss. declarationes vim legis non habent. Quia vt lex obliget, necesse est, vt promulgetur: At huiusmodi declarationes non promulgantur. Ergo non obligant. Attamen maximi sunt ponderis, & ab iis recedendum non est sine firmissimo fundamento. Proinde Vrbanus VIII. sub die 11. Augusti anno 1632. decreuit, vt nulla fides illis tanquam declarationibus Cardinalium adhibeatur, nisi in Authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Verba decreti lege apud Barbosam *in collect. Bull. v. Congregat.* 2. Bon. *de legib. d.* 1. *q.* 1. *pun.* 8. *n.* 4. Portel, *in dub. Regul. v. Cardinalis. in declarationes.* Sanch. *de matr. l.* 8. *d.* 2. *num.* 10. Dian. *p.* 1. *tr. de leg. ref.* 29. 34 *Quid de Cardinalium declarationibus.*

Ex summi Præsulis facultate possunt à Cardinalibus Presbyteris Ordines minores conferri. Quia nulla sufficiens afferri potest ratio, cur his nequeat conferri facultas: quam existimo vel Sacerdoti simplici conferri posse, si Pontifici libeat. Victoria *de ordi. n.* 234. Val. *to.* 4. *d.* 9. *q.* 3. *pun.* 1. Coninch. *d.* 20. *dub.* 9. *numer.* 77. 35 *Potest si Presbyter sit, Ordines minores conferre.*

CAPVT VI.

De Canonico.

IN beneficio Ecclesiastico duo iura 36 *Sola præbenda Canonicum facit, non autem secundum.*
considerari possunt primum per se spirituale videlicet ius officij, seu potestas exercendi muneris spiritualis, alterum secundum se temporale, nempè ius ad reditus Ecclesiasticos, & hæc iura à se inuicem mutuo possunt separari. Vnde præbenda spiritualis Canonicum non facit, sed potius collatio spiritualis iuris facta ab eo, qui potestatem habet. Quare fieri potest, vt ob solum ius Canoniæ aliquis in Capitulo habeat suffragium, quamuis non propriè habere beneficium censeatur, si nullos reditus accipiat. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 24. *n.* 1. & 2. Abbas *ad Cap. Cum super, n.* 2. *Cap. Relatum, n.* 2. *de præb.* *Spiritualis collatio.*

Receptus in Canonicum cum promissione 37 *Receptus cum præbendæ, eam potest exigere, cum occasio se obtulerit.*
præbendæ, eam potest exigere, cum occasio se obtulerit. Quia de iure debetur Canonicis non ex vi promissionis præcisè, sed ratione Canoniæ obtentæ: congruum enim non est, vt Canonicus sine præbenda sit. Si tamen post eius receptionem alius ex mandato Papæ cum gratia exspectatiua fuerit receptus, hic illi est præferendus. Quia licet alter sit prior tempore, non tamen habet ius per se, ac directè ad beneficium primo vacaturum, sicut posterior. *C. Relatum, de præbend.* iuncta glossa, *v. In promissis.* Abbas *ad Cap. Cum super, n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *n.* 2. *in Canonicum promissione præcisè, non cum præbenda promissione, potest eam exigere.*

Qui priuilegium Canonicatus obtinuit cũ futura successione, ad horas Canonicas non tenetur. Quia Canonici coadiutor non est vere Canonicus, nec pro tali habendus est, proprietario superstite. Et quia obligatio Horas recitandi semper apud proprietarium manet. Ergo non obligat coadiutorem. Et ita declarat. 38 *Quid priuilegium Canonicatus obtinuit cũ futura successione, non tenetur Horas recitare.*

tum à Paulo V. ad petitionem Cathedralis Ecclesiæ Conimbricensis fuisse Suarez affirmat *to. 2. de Relig. l. 4. c. 22. n. 19.* Medina *de orat. c. 7.* Nauar. *de orat. c. 2. num. 18.*

39 *Tenetur canonicus recitare etiãsi primo anno fructus non recipiat.*

Tenetur Canonicus diuinum Officium recitare, etiamsi primo anno fructus beneficij non percipiat, dum hi ex consuetudine cedunt Canonici morui hæredibus, vel inter Canonicos antiquiores distribuuntur. Quia voluntarie se oneri subiecit, & habet titulum ac possessionem beneficij, cui obligatio officij recitandi est annexa. Et quamuis de præsenti non percipiat fructus, nihilominus ipsius hæres post obitum eius percipiet. Azor. *p. 1. l. 10. c. 4. q. 4.* Garcia *de benef. p. 3. c. 1. num. 62.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 5. n. 4.* Lelli. *l. 2. c. 34 n. 170.*

40 *Qui dom recitat, vt postea in Ecclesia alius muniis seruiat, non peccat nec ad restitutionem distributionũ obligatur.*

Qui dom officium recitant, vt postmodum in Ecclesia aliis officiis Alteris, chori, sacramentis ministrandis, &c incumbat, non peccant, nec consequenter ad restitutionem tenentur distributionum, præcipue si ad eos ex officio pertinet. Quia Tridentinum *sess. 24. c. 8.* sanxit, vt Pœnitentiarius, dum confessiones in Ecclesia audit, præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones quæ choro interessentibus tribuuntur, percipere valeat. Secus autem si diuinorum officiorum tempore confessiones domi, vel alibi exerciat. Suar. *de Relig. t. 2. l. 4. c. 12. n. 10 &* 11. Dian. *p. 2. tr. 12. resol. 33.* Fil. *tr. 23. n. 196.*

CAPVT VII.

De Capitulo.

41 *Absque consensu Episcopi nequit capitulum aliquid statuere sine eius voluntate.*

VIVente Episcopo, qui iurisdictionem tenet, Capitulũ nil potest absque eius voluntate, & approbatione statuere, vel innouare *Cap. Cum consuetudine, de consuet.* Tamen in causis exiguis sine Prælati consensu statuere potest, si ad ipsum propriè causæ pertinent, puta, qua ratione Capitulum sit congregandum, distributiones, vel reditus dividendi. Abbas *ad Cap. Cum omnes, n 3.* Innoc. *ad Cap. Cum consuetudinis.* Bonac. *de legib. d. 1. q. 1. punct. 3. num. 30.*

42 *Neque Episcopus sine capituli consilio in his quæ maioris sũt momenti.*

Episcopus sine Capituli consilio nihil debet statuere iure communi, & exclusa consuetudine, in iis, quæ maioris sunt momenti. Quia Episcopus & Canonici vnum corpus efficiunt, cuius ille caput est, hi membra. Ac si Capitulum sine iusta causa consensum abneget, firmum erit Episcopi statutũ, quia iura non tã cõsensũ qua cõsiliũ Capituli requirũt. *Cap. Nouit. Cap. Quanto de his, quæ fiunt à Prælat.* Abbas *ad Cap. Edocere, n. 6. de rescript.*

43 *In causis quæ ad capitulum attinent eius consensus requiritur.*

Porrò in causis, quæ ad Capitulum quoque attinent, vel in eius possunt damnum cedere, consensus etiam Capituli tanquam collegarum, & consortium in tali causa erit exigendum. Suar. *de legibus l. 4. cap. 5. nu. 1.* Felin. *ad Cap. Cum omnes, de constit. n. 11.* Bonac. *de leg. d. 1. q. 1. pun. 3. n. 24.*

44 *Vt statutum Capitulare fieri possit*

Vt statutum Capitulare fieri possit sufficit consensus maioris partis, si ratio necessitatis, vel maioris vtilitatis vrgeat, alioquin autem quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *Reg. 29. in 6.* *Esseb. & Mend. Theol. Mor.* Tom. VII. *fieri possit sufficit maioris partis consensus.*

Si Episcopus, aliusvè Ecclesiæ Prælatus male administret, Capitulum contra illum potest agere, & res male alienatas reuocare. Abbas *ad cap. Edoceri, de rescript.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 7. §. 4.*

45 *Si Episcopus male administret capitulum potest contra eum agere.*

Beneficia, quæ patrimonialia non sunt, Capitulum sede vacante conferre non potest. Potest tamen beneficia concedere in commendã ad sex menses: etsi interim Episcopus non eligatur, & confirmetur, tempus prorogare *Cap. Illa deuotionis. Ne sede vacante.* Rebuf. *in praxi benef. p. 1. tit. de deuolut. n. 77.* Præterea si libera collatio beneficiorum ad Episcopum & Capitulum cõmuniter pertinet, possunt ea, sede vacante Capitulo conferri *Cap. si ad Episcopũ ne sede vacante in 6.*

46 *Non succedit Episcopo in iurisdictione delegata.*

Non succedit Capitulum Episcopo in iurisdictione delegata, quia censetur electa industria personæ. Succedit autem, sede vacante, in iurisdictione, quæ competet Episcopo iure communi, & ordinario, non in ea, quæ speciali iure. Propterea quoties potestas Prælato competit ratione Prælaturæ, eo mortuo ad Capitulum transit, iis exceptis, quæ, sede vacante, expediri nequeunt. Abbas *ad Cap. Cum olim, dub. 5. de maiorit. & obedient.* Ioan. Andre. *ad Cap. Cum olim, de maiorit.* Azor. *p. 2. l. 3. c. 37. q. 6.* Rebuf. *in praxi, p. 1. tit. de deuolut. n. 58.* Sanch. *de matr. l. 8. d. 2. n. 10.*

47 *Bona immobilia, & mobilia pretiosa Ecclesiæ cathedralis alienare nequit, potest tamen alienationẽ inferioris Ecclesiæ confirmare*

Bona immobilia Cathedralis Ecclesiæ, & mobilia pretiosa, quæ seruando possunt conseruari, vacante sede, Capitulum alienare non potest, sine sedis Apostolicæ authoritate. Quia Ecclesia tunc defensore suo carere censetur. Sed nec causa iudicialis agitari debet, nec præscriptio contra Ecclesiam interim procedere potest. Tamen in alienatione ab inferioribus Ecclesiis facta in causis permissis, potest consensum præstare ac cõfirmare, quia hic actus est iurisdictionis, & quamuis Capitulum res Episcopatus alienare prohibeatur, non tamen prohibetur confirmare alienationem, si Ecclesiæ inferiores iusta ex causa alienauerint, & in casibus, quibus Episcopus posset *Cap. Hæc huius 12. q. 2. Cap. 1. & vlt. Ne sede vacante* Moli. *tr. 2. d. 78. & tr. 5. d. 11.* Abbas *Cap. Cum olim, dub. 3. de maior.* Rebuf. *in praxi, tit. de deuolut. n. 104.*

48 *Infrà annũ à die vacationis non potest ordinandi licẽtiam dare.*

Infrà annum à die vacationis ordinandi licẽtiam, seu dimissorias litteras impertire non potest, præter quam ei qui Ecclesiastici beneficij recepit aut recipiendi occasione est ordinatus. Et si contrauenit Capitulum, Ecclesiastico subiacet interdicto, & eius dimissoriis litteris ordinatus, si in minoribus constitutus sit, nullo priuilegio Clericali, præsertim in criminibus gaudet, si in maioribus verò, ab executione Ordinum, ad futuri Prælati beneplacitum est ipso iure suspensus. Trident. *sess. 7. c. 10.* scio, iure antiquo ordinandi licentiam impertire potuisse *cap. cum nullus, de temper. ordin. in 6.* Sed iam est reuocatum.

49 *Potest matrimonio assistere.*

Potest, sede vacante, matrimonio assistere, vel alij Sacerdoti licentiam dare, Quia succedit in omni ordinaria Episcopi iurisdictione, *cap. cum olim fin. de maior. & obed.*

Sanchez *de matrim. lib. tertio d.* 28. *numero* 5.

50 *Nequit se-de vacante Mendicantium licentiam ad audiendas confessiones revocare.*

Quamvis sede vacante possit de iure communi licentias & approbationes Religiosis concessas confessiones secularium audiendi, revocare, necnon prædicandi, siue sint absolute concessæ, siue ad certum tempus: spectatis tamen Regularium privilegiis, aliter est dicendum. Nequit enim Mendicantibus revocare licentiam ad confessiones audiendas, ad prædicandum, & ad aliqua vota emissa in pia opera commutandum, ob speciale privilegium Dominicanis concessum à Clemente IV. in Bulla *Exigentibus vestræ devotionis meritis.* Rodrig. *in Bullario, Bulla* 4. *Clem. IV. & to.* 1 *qq. Reg. q.* 59. *a.* 6.

51 *Nec gratias mere voluntarias conferre.*

Ad Capitulum non pertinet, vacante sede, gratias merè voluntarias, siue donationes sine debito necessitatis conferre, aut commoda Episcopatus distrahere. Glos. recepta *ad Cap.* 1. *de instit. in* 6.

CAPVT VIII.

De Parocho.

52 *De Parochi legitimitate, ætate, &c.*

PAROCHVS secundum iura debet esse legitimus, & qui illegitimè natus beneficium curatum habet absque, pontificis dispensatione, nec potest reditus percipere, nec beneficium retinere. Debet annum vigesimum quintum agere, & post beneficij collationem intra annum fieri Sacerdos, aliter ipso facto titulū perdet. Debet esse idoneus officio; vnde cui scientia necessaria deest, nec animum discendi habet, vel cognoscit se ad discendum aptum non esse, vel peccator est publicus, nec de emendatione cogitat, suscipiendo beneficium curatum lethaliter delinquit. *Cap. Cum in cunctis, de elect. Cap. Licet canon. de elect. in* 6. Trident. *sess.* 6. 5-7. *capit.* 3. Tolet. *l.* 5.

53 *Duodecim Parochi obligationes recenseo.*

Duodecim ex Doctoribus Parochi obligationes collegi. Prima est, si aliquid ei deest ad officium obeundum necessarium, tenetur, in quantum potest curam adhibere, vt discat si ignorans sit, & se corrigat, si vitam prauā degat. Secunda, residere obligatur. Tertia, debet celebrare Dominicis, ac Festis diebus & aliis iuxta loci consuetudinem. Quarta, tenetur populo, eumque necessaria ad salutem edocere, puta symbolum, & Decalogum, Pater noster, & peccata communia generalesque virtutes, Incarnationis mysteria. Porrò magna in his docendis negligentia lethalis est. Quinta, tenetur ministrare Sacramenta non solùm tempore obligationis, sed etiam cum ex deuotione suscipiuntur. Sexta, tenetur sua in Parochia peccatores publicos inquirere, & vitia publica corrigere per se, vel episcopo manifestare. Septima, debet infirmos Parochiæ suæ visitare, sciréque, an Sacramentis indigeant. Octaua, tepelire etiam pauperes suæ Parochiæ, licet inde nullam speret eleemosynam, illorumque animas Deo commendare. Nona, tenetur promissum sacrificium absque mora implere. Quia grauis iniuria est, animam in purgatorio ob eius inuriā detineri, vel rei postulatæ differri consequutionem, & *Cap. Quæ oblationes* 13. *q.* 2. defunctorum *necatores* appellantur, qui eorum detinent oblationes. Decima tenetur cæremonias muneris sui recte scire. Quia alias, sese errandi periculo exponit. Vndecima, nimiā cū Parochianis familiaritatem debet euitare, loca suspecta fugere, rusticum tamen, nec asperum nimium se non ostendat. Duodecima, tenetur discordias inter parochianos componere. Quia eius officij est, gregis damna vitare. De munditia autem Ecclesiæ, Altarium, purificatoriorum, & speciatim corporalium curare debet. Quia *Cap. Relinqui nolumus, de custodia Eucharistiæ* hoc præcipitur: *Nimis videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedeceret etiam in profanis*, Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 13. *n.* 1. & 2. Tolet. *l.* 5. *c.* 5. Bonac. *tom.* 2. *d.* 6. *q. unica pun.* 8. *n.* 4. Nauar. *sum. c.* 25. *n.* 133. Filliuc. *tr.* 22. *n.* 46. & 47. Sà *v. Parochus n.* 4.

54 *Quomodo se gerere debeant confessiones infectorum contagio audituri.*

Auditurus confessiones eorum qui peste, vel contagioso simili morbo sunt infecti, curare debet, vt si fieri possit, in loco ærei non infecto sit constitutus, vnde ipsi infirmitati obligati sunt è cubiculo, aut domo, ad confitendum, egredi, ad fenestram, Parocho foris stante, deportari, si id sine graui incommodo eorum fieri queat. Si vero infirmus egredi, vel loco eo moueri non valeat, nec tàm alta voce cōfiteri, vt è loco distanti possit audiri, seu propter infirmitatem, seu propter simul decumbentes: tunc Parochus, debet accedere, & pœnitentes in secreto audire. At si timeat contagionis periculum, & non audeat cum pœnitentibus diu morari, poterit eis dicere, vt grauiora quædam, aliis omissis, aperiant. Quia sicut pœnitens excusatur, quominus integram peccatorum confessionem teneatur gerere, si ex ea mortis periculum ipsi immineat: ita etiam excusari videtur Confessarius, quominus integram confessionem teneatur audire, ex qua sibi mortem probabiliter timet. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 13. *n.* 4. Capeauil. *c.* 1. *q.* 9. & *c.* 3. *q.* 29. Zambran. *c.* 4. *dub.* 5. *n.* 12. Plura de Parocho *tr. de pœnit.* inuenies.

PARS

PARS SECVNDA.

RELIGIOSÆ PERSONÆ.

NONNVLLA in communi de Prælato Regulari annoto, de Abbatissa, déque Monialium Clausura plura indico.

SECTIO VNICA.

De Personis Religiosis, Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Prælato Regulari.

1 Quinam dicendi Prælati, Regulares suorum subditorum Regularium Indices.

PRÆLATVS propriè dicitur, qui Ecclesiæ Collegiatæ, sæculari vel Regulari, aut communitati Religiosæ præponitur. Inter Religiosos (de quibus sermo) sunt Prælati, Abbates, Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Commissarij, Visitatores, Præpositi, Rectores, Correctores, &c. Non vero eorum Vicarij, nempe Superior, priore nec mortuo, nec amoto. Quia ordinariam non habent iurisdictionem. Alij prælati ordinum exempti sunt ab Episcoporum iurisdictione, v gr. Mendicantium prælati, summo præsuli immediatè subiecti, qui quidem in suos subditos Regulares quasi Episcopalem habent iurisdictionem. Alij sunt prælati non exempti, qui tamen Ordinarij Iudices suorum Regularium existunt, saltem in causis ad Regularia statuta, ac disciplinam attinentibus. Quamobrē illos carceri addicere, punire, &c excommunicare possunt: nec Episcopus in tali causa se valet immiscere, nisi ob Regularis prælati negligentiam. Abbas *ad Cap. Cum ab Ecclesiarum, de offic. Ordin.* Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Prælatus* Tambur. *tom. 1. de iure Abbat. d. 1. q. 1. n. 7. & 8.*

2 Duplex eorum potestas dominativa & iurisdictionis.

Duplicem in prælato Regulari potestatem agnosco, vnam dominativam seu œconomicam; alteram politicam, seu iurisdictionis. per *dominativam* intelligo ius acquisitum Religioni, & eius prælatis ad imperandum Religiosis, eorumque operibus vrendum, prout conuentus iudicauerint. Per potestatem *iurisdictionis* intelligo potestatem spiritualem ad Claues Ecclesiæ pertinentem, à Christo Domino traditam, vel deriuatam medio summo Pontifice, vel aliis Episcopis. Suar. *de Relig. tom. 3. l. 2. c. 18. a n. 6.*

3 Potest subditum in conscientia obligare.

Prælatus Regularis potest Regularem subditum in conscientia obligare per legem, ac præcepta, suppositio vniuersali Ecclesiæ consensu, ac vera religiosi status institutione. Huiusce autem potestatis duplex est titulus, primus est votum obedientiæ; alter iurisdictio Ecclesiastica prælatis necessaria, & de facto ad effectum hunc sufficientes communicata. Sanch. *l. 3. Decal. cap. 1. num. 20.* Suar. *de Relig. tom. 4. tr. 8. l. 2. c. 8.*

4 Non potest actum purè internum secundū se præcipere.

Non potest actum purè internum secundū se præcipere: nec subditi tenentur obtemperare, Quia illa potest quis præcipere, de quibus potest iudicare, pœnasque sumere, sed de actibus mere internis solus Deus potest iudicare, &c. Quatenus vero spectant ad actuum externorum complementum, vel sunt ad esse physicum necessarij, vel quatenus inuicem connexionem habent, possunt à prælato præcipi, ac prohiberi indirecte D. Thom. *2. 2. q. 104. a. 5.* Miranda *tom. 1. q. 26. a. 3.* Manu. *to. 3. qq. q. 19 artic. 2.* Suar. *de legib. l. 4. c. 13. n. 6.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 2. n. 5.*

5 Nec impetrare, quod contra Regulam esse constiterit.

Nec impetrare quod contra Regulam esse constiterit. Quia tale præceptum non est validum, cùm præcipientis potestatem ad ædificationem non ad destructionem acceptam excedat. Attamen si superior qui potest in Regula ad singularem eum actum dispensare, præcipiat, debet subditus obedire, quia id opus ex rationabili prælati dispensatione fit licitum. D. Tho. *2. 2. q. 104. a 5.* Nauar. *sum cap. 23. n. 39.* Faust. *in thesau. Relig. l. 6. q. 83.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 3. n. 8.* Suar. *de Rel. to. 3. tr. 7. lib. 10 c. 8.*

6 Nec ad ea obligare, quæ sunt supra Regulā, sed custos, ac minister Regulæ ipsius q; potestas quæ sunt vltra eius terminos nō extēditur supra Regulā est.

Nec ad ea obligare, quæ sunt omnino supra Regulā, quia prælatus non est dominus, sed custos, ac minister Regulæ ipsius q; potestas quæ sunt vltra eius terminos nō extēditur supra Regulā *supra Regulam.*

E. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: VI. VII.
F. I. V
6

est,quod ipsius limites excedi, v.g.ad infideles progredi, vbi adest magnum mortis, vel seruitutis periculum,& alia similia.D.Thom. *Quodlib.*10.*a.*10.Caiet.2.2.*q.*88.*a.*8. Manu. *p.2.sum.c.9.n.*1.Nau.*comment. 4. de Regul.n.* 23. In triplici tamen casu aliquid præcipere poterit,quod supra Regulam sit. Primus est, in alicuius criminis admissi pœnam. Secundus, si ad votorum obseruationem necessarium videatur.Tertius ob aliquam publicam necessitatem.Regin.*l.*18.*n.*395.Ang.*v.Religiosus,n.*30.

7 *Non debet esse facilis ad ferenda præcepta, quæ sub lethali obligẽt.*

Non debet esse facilis ad ferenda præcepta obligatoria sub mortali.Quia experientia edocet, eorum frequentiam magis contemni, quam formidari.Trid.*sess.*23.*c.*3.

8 *Non potest suos subditos obligare, vt ad Indos pergant,vbi vitæ periculum immineat.*

Nequit Religionis Generalis suis Religiosis præcipere,vt ad Indos infideles, vbi martyrij periculum imminet,vel ad hæreticos,& Schismaticos causa eorum conuersionis procurandæ,proficiscantur. Quia res est difficillimâ, multisque animi,ac corporis periculis obnoxia. Excipe nostræ Societatis IESV professos, qui quarto ad id se obligant voto. Verùm cum summo Præsuli cura boni communis totius orbis incumbat,is solus potest, & Regularibus,& sæcularibus Clericis præcipere,vt ad quamlibet orbis plagam tendant ad infidelium conuersionem.Manu.*tom.*3.*qq. Regul.q.*19.*a*7 *&* 8.*& tom.*2.*sum.c*9.*nu.*5. Lopez *p.*1.*instr.c.*56.Les*l.*2.*c.* 41. *dub.*9.*numero* 75.

9 *Virtutes in Prælato Religioso requisitæ.*

Virtutes in prælato Religioso requisitas annumero. Primo tenetur bonum commune Religionis semper affectare, proprio commodo postposito,pro Regulari obseruantia,si opus fuerit,vitam in discrimine constituendo. Secundo,Maximè necessaria in eo est fortitudinis virtus,iustitia enim sine fortitudine,terga nonnunquam vertit. Tertiò inesse debet in eo pietas,non tamen nimia,sicut nec nimia iustitia,ac seueritas,sed lenitas cum seueritate est admiscenda.Porro Prælati munus, est, cõmunitatem à vitiis expurgare, ad virtutem ac perfectionem promouere.Quare prælaturę onus est vel Angelicis humeris formidandum,vti ait Trid.*sess.*6.*c.*1.

10 *Quæ obseruare debeat ad prudentem subditorum gubernationẽ.*

Pro prudenti autem subditorum regimine nonnulla à Prælato obseruanda recenseo.Nullum negotium aggrediatur, nisi omnibus, quæ illud circunstant,consideratis.Consilium aliquando mutet,si negotium exigere videat. Non facile credat delatori.Nihil sine consilio gerat. Linguam cohibeat, Prælati namque verba,& notantur attente, & velociter circumferuntur,& magnam faciunt in subditorum animis impressionem, subditorum nimiam familiaritatem fugiat,quæ assolet contemptum parere,aliosque excitat ad inuidiam, liberalitatem in subditos prudenter exerceat.

Pacem inter subditos tueri, præcipua eius sit procuratio. Cuncta Patribus Greg. Bernar. D. Tho. Nazian.& aliis.

CAPVT II.

De Abbate.

Que requirantur ad Abbatis Religiosi electionem.

IN Abbate Regulari requiritur,vt sit 11
expressè professus, Sacerdos, ætatis 25.annorum,à Monasterio,cui præesse debet,electus, & ex eodem Monasterio, ad cuius præfecturam assumitur,creandus,nisi quando Monasterium personam idoneam non haberet.*Cap.Nullus,de elect.in* 6.*c.* 1.*de ætate, & qualit. ordinand. Cap.Abbas,Cap. Abbatem* 18.*q.*2.& alibi.

Populum in Ecclesia subiectum benedicere, suis subditis Religiosis potestatibus(ait) aut aliis quibuscumque quantumuis exempto non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis,vel exempti esse dicantur, cuiquam, quì Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.

Potest populum solemniter benedicere in 12
Ecclesiis sibi pleno iure subiectis,(aliis vero in locis non nisi ex priuilegio speciali) post Missæ sacrificium perfectum, post vesperinas, aut matutinas preces decantatas. Potest tonsuram, ac minores ordines conferre,non obstante longi temporis desuetudine,decreto tamen Tridentini *sess.*23.*c.* 10. asseruato. *Abbatibus*(ait) *aut aliis quibuscumque quantumuis exempto non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis,vel exempti esse dicantur, cuiquam, quì Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.* Facultas autem tur. hæc restringenda ad eos Prælatos Regulares, qui ius mitræ,ac baculi deferendi habent.Zerol.*in praxi,v.Abbatis.*Barb.*p.*2.*alleg.*3.*n.*13.

Et consecrare altaria, Calicem, &c.

Abbas,qui insignibus Pontificalibus vtitur, 13
immemorabili consuetudine calices, altaria, campanas,lapides,& pyxides consecrandi facultatem præscripsit. Quæ consuetudo etsi contra ius commune sit(vt patet ex *Cap. Abbates,iuncta Glossa,v.Tonsuram, de priuileg. in* 6.) fundata est in priuilegio Innocentis VIII.apud Tamb. Barb. *de potest. Episc.p.*2. *alleg.*27.*n.*36.Miranda *to.*2.*q.*40.*a.*4.Suar.*de Relig.to.*4.*l.*2.*c.*30.*n.*8.

Quid possint Abbates circa subditos præterea, summatim indico.

Quid possint Abbates, & alij Prælati Re- 14
gulares circa subditos summariè recenseo. Habentes iurisdictionem Episcopalem possunt in suos subditos circa absolutiones,& dispensationes quod Episcopi in Diœcesanos virtute Tridentini.Dixi posse subditis ordines minores ab Abbate mitrato conferri, at nouitiis ante professionem minimè potest.Abbas Cistercienfis ex priuilegio confert suis Monachis Diaconatum, & Subdiaconatum.Potest Abbas,& alij Prælati Regulares dare subditis Regularibus dimissorias,eosque ad quemlibet Episcopum ordinandos immittere.Abbas Regularis dispensat super interstitiis ordinum minorum,quando ille subditos suos ordinare potest, in interstitiis vero aliorum ordinum Episcopus dispẽsat.Ex variis priuilegiis potest absoluere suos subditos à casibus Papalibus, ac censuris,imo & Moniales sibi subditas.Potest irritare,commutare,vel dispensare subditorum vota,& iuramenta.Plura alibi.

CAPVT

CAPVT III.

De Abbatissa.

15 *Quanam dicatur Abbatissa aut Priorissa, & quānam ætatem debeat habere.*

IN Monialium conuentibus Abbatissa, seu Priorissa dicitur Religiosa illa, quæ ibidem habetur tanquam caput, & mater, gubernatrix, ac Magistra Post Tridentinum *sess. 25. cap. 7.* eligi debet non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi poterit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur; ex iis quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque annis saltem post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente vna eligatur. Duobus Monasteriis nulla præficitur: etsi quæ duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogitur, vno excepto, intra sex menses cætera resignare. Ex Concil. Rodrig. *tom. 1. qq. q. 12. a. 2.*

16 *De Abbatissæ benedictione.*

Vbi Abbatissæ assolent benedici, intra annum à suæ confirmationis tempore computandum benedictionis munus suscipere debet, alioqui à iure suo, nisi rationabilis causa subsit, prorsus se nouerit cecidisse *Clement. Attendentes bene de statu Monach.* Vbi autem moris non est Abbatissas benedici, benedictione non indigent. Porrò non omnes Abbatissæ possunt benedici, sed solùmodo illæ, quæ perpetuæ sunt. Laym. *l. 5. tr. 9. c. 13. § vni. num. 17.* Azor. *tom. 1. l. 13. c. 10. quæst. 4.*

17 *Non est capax potestatis quæ Ordinis vocatur.*

Non est capax potestatis, quæ dicitur ordinis. Vnde nequit subditos benedicere ex officio, & publicè: secus vero priuatè ad modum, quo mater aliqua suam filiam benedicit. Nec prædicare, aut publice docere, licèt sanctitate, ac doctrina præfulgeat: secus autem in Capitulo, vel claustro Monialium. Neque in Missa Euangelium legere quamuis possit in Matutinis, vnde in iure Diaconissa appellatur. Neque Moniales velare. Syluest. *v. Abbatissa, num. 8 q. 3.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. nu. 3.*

18 *Nequit dispensare in ieiunijs ac votis.*

Abbatissa ac Priorissa, seu quæuis Monialium Prefecta nequit dispensare in ieiunijs, aut aliis legibus Ecclesiasticis cū Monialibus subditis, quia huiusmodi dispensatio ad solam potestatem Ecclesiasticam pertinet. Nec dispensare in votis, aut ea commutare, quamuis id Prælati possint, quia spirituali iurisdictione carent. Benè tamen possunt ea irritare. Quia maiorem potestatem dominatiuam in suas habent Monsales, quam pater in filios aut maritus in vxorem. Neque peccat, vota irritans sine causa, si illa fuere absque ipsius facultate emissa. Manu. *to. 1. qq. q. 25. a. 7.* Pottel. *in dub. Regul. v. Abbatissa, numer. 2.* Sanch. *l. 4. Decal. c. 39. num. 7.* Bonac. *de voto, d. 4. qu. 2. pun. 7. §. 2. n. 26 & §. 4. num. 29.* Filliuc. *tract. 26. n. 243.* Reginal. *l. 18. num. 224. & 240.*

Illegitima non potest absque dispensatione Abbatissæ vel Priorissę officium obire, attento iure communi. At primi legium habent Generales, ac Prouinciales Ordinum Mendicantium, ad dispensandum cum Monialibus sibi subiectis, vt non obstare hoc defectu, possint in Prælaturam eligi. Et ad huiusmodi dispensationem concedendam non est opus Prouinciali Capitulo Nauar. *sum. c. 27. num. 201.* Vinald. *p. 3. c. 5. n. 10.* Sayr. *in Thesau. to. 2. l. 6. c. 11.* Suar. *tom. 5. d. 50. sect. 5.* Sanch. *l. 5. Decal. c. 5. num. 19.* Manu. *qq. to. 1. q. 13. a. 22.* adiciens, quando conceditur aliquod priuilegium viris censeri fœminis etiam concessum, si talis priuilegij sint capaces.

19 *Non potest illegitima sine dispensatione eligi.*

CAPVT IV.

De Monialium Clausura.

MONIALIVM clausura solo iure humano fuit instituta. Patet ex Pontificum constitutionibus Bonifacij VIII. *Cap. Periculoso, de statu regul. in 6.* Pij V. *circa Pastoralis* Gregor. XIII. *Deo sacris virginibus*, & Tridentini *sess. 25. capite quinto* Tambur. *de iure Abbatiss. d. 8. q. 3. num 3.*

20 *Clausura Monialium solo iure humano introducta fuit.*

Duo in Monialium clausura prohibentur. primum, Monialium extra Monasterium egressus. Secundum, aliorum cuiuscumque sexus intra Monasterium ingressus. Clausura intelligitur, spatium, quod intra ianuam Monasterij semper clausam continetur. Termini verò, seu limites huiusce clausurę complectuntur omnia Monasterij loca, quę ianua clausa continentur, & ad quæ sæculares non admittuntur. Nauar. *ad cap. Statutum 19. quæst. 3. num. 29. comment. 4. de regular.* Miranda *de Monial. qu. 1 artic. 1.* Manu. *tom. 1. qq. q. 44. a. 1.* Azor. *to. 1. l. 13. cap 8. q. 2.* Suar. *de Relig. to. 4. l. 1. c. 8.* Sāch. *l. 6. Decal c. 15. n. 3.*

21 *Duo prohibentur, Monialium egressus, & aliorum ingressus.*

Et si Bonifacius VIII. *Cap. Periculoso, de de Statu Regul. in 6.* omnibus Monialibus clausuræ præceptum præscripsit, eius tamen Decretalis per contrariam consuetudinem notam quidem ipsis Pontificibus, in Gallia, Hispania, Germania fuit derogata. Vnde illud ius commune non comprehendit Tertiarias in communi viuentes, tria solemniter emittentes vota. Quia illarum Regula per Leonem X. edita, & confirmata post illud *caput* eis concessit, vt non teneantur ad clausuram, nisi illæ, quæ eam vouere voluerint: idemque dicendum de aliis multis Monialibus aliorum Ordinum, puta D. Bernardi, ac D. Benedicti. Porrò post Tridentinum, & constitutionem Pij V. ac Gregorij XIII. dicendū est omnes, ac singulas Moniales cuiuscūque Ordinis sint, etiā Conuersas ac Tertiarias post professionē onere clausuræ teneri, modo in cōgregatione viuāt. Nouitiæ tamen non tenentur ad clausuram. Quia in iure semper est de professis, non de nouitiis. Corduba *in annotat. ad collect. primil. v. clausura, not. 11.* Caiet. *sum. v. Monachi, & Moniales*

22 *Præceptum clausuræ non omnes Moniales obligabat tamen omnes in communitate viuentes obligat.*

Tambur, *de iure Abbatiſ. d.* 18. *quæſt.* 5. *& 6.*

23 *Quinam egrediendi facultatem Monialibus impertiant.*

Epiſcopus, vel eius Vicarius, & Capitulum ſede vacante dat facultatem Monialibus ſibi, vel ſedi Apoſtolicæ ſubiectis, vt extra clauſuram egredi valeant, vt in Tridentino decernitur. Exemptis vero, quæ Regularibus ſubduntur, attento motu proprio Pij V. qui incipit, *Decori, & honeſtati*, facultatem impertit Generalis, Prouincialis, vel alius Prælatus immediatus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem obtinens Miranda *tr. de. Monial. q.* 3. *a.* 6. Sanchez *l.* 6. *Decal c.* 15. *n.* 28. Suar. *de Relig. tom.* 4. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 13.

24 *Legitimè egreſſus cauſæ indicantur.*

Cauſa vero legitima ob quam Monialibus poteſt regreſſus à clauſtro concedi, triplex in Pij V. motu proprio exprimitur. Prima eſt *Magnum incendium*, ſeu incendium ita magnum, & euidens, vt certum ſit, aut ſaltem probabile, niſi exeant Moniales, eſſe perituras, At ſi ignis poſſit extingui, ipſis intra manentibus, nec cum Prælatorum licentia egredi valent. Secunda, *Lepra infirmitas*, ideſt, ægritudo adeò contagioſa, vt ſi infecta non egrediatur reliquæ ſint non ſine graui vitæ periculo inficiendæ. Tertia eſt *Infirmitas Epidemia*, ſeu morbus contagioſus communitati, puta peſtem, morbum Gallicum, ignis S. Antonij, ac ſimiles. At ſi Monialis poſſit in Monaſterio abſque aliarum infectione curari, haud poteſt exire. Quia ceſſat iuſta exeundi cauſa Gutier. *qq. Canon. cap.* 14. *num.* 8. *l.* 1 Laym. *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 1. Tambur. *de iure Abbatiſ. d.* 2. *qu.* 2.

25 *Licet aliquando, inconſulto ſuperiore egredi.*

Quando verò neceſſitas exeundi manifeſta eſt, & ſuperior tunc pro licentia petenda adiri non poteſt abſque graui periculo longę diſtantiæ ratione: licitum eſt Moniali eo inconſulto egredi, quia neceſſitas lege caret. Tenetur tamen id ſuperiori ſignificare, ſi poſſit, egreſſu durante. Tambur. *de iure Abbatiſ. d.* 20. *n.* 3. *&* 4. Lezan. *to.* 3. *ſum. v. Clauſura, n.* 10. Compend. priuileg. Mendic. *v. Clauſura caſu.* 1.

26 *Pœna egredientis ſine licentia extra caſus permiſſos,*

Egrediens, ſine facultate extra caſus permiſſos, eſt ipſo facto excommunicata maiori excommunicatione ſummo reſeruata Præſuli. Et prælati licentiam impertientes extra caſus permiſsos, dignitatibus, officiis priuantur. Barbo. *in collect. Bull. v. Monial. clauſura circa egreſſum.*

27 *Omnibus interdictũ, Monialiũ clauſtra inire.*

Omnibus perſonis cuiuſcumque conditionis, ſexus, & ætatis fuerint poſtquam ad vſum rationis aduenerint, ſub excommunicationis ſummo Præſuli reſeruatæ pœna prohibetur, ne iutra ſepta Monaſterij Monialium ingrediantur ſine licentia extra caſum aliquem neceſsitatis in ſcriptis obtenta ab Epiſcopo, cui conuentus ille ſubiicitur, vel à Prelato Ordinis, cui ſubeſt *Cap. Periculoſo de Statu regul. in* 6. Trident. *ſeſ.* 25. *capite* 5. Manu. *tom.* 3. *qq regul. q.* 47. *a.* 2. Nauar. *ſum.* 27. *n.* 109.

28 *Datur in ingreſſu, & egreſſu materiæ paruitas.*

Porrò in ingreſſu, vel egreſſu exiſtimo dari materię paruitatem, à peccato mortali, ac cenſura excuſantem: nempè quando hę non perfecta, & cõſũmata, ſed ſemiplena eſt, quia nimirum pars corporis eſt intra, pars autem extra. Quia dum totum corpus non eſt intra, vel extra, nõ ſunt perfecti ingreſſus, & egreſſus. Sanch. *l.* 6. *Decal c.* 16. *nu.* 70.

29 *Cauſæ iuſtę ingrediendi plures.*

Cauſa iuſta ingrediendi eſt Monaſterij, ſeu Monialium neceſſitas manifeſta: cui aliter cõmodè occurri non poſſit. Profecto huiuſmodi neceſſitas ſumenda non eſt metaphyſico modo, ſcil. vt ſit extrema, ſeu ſtrictiſſima, ſed ſatis eſt moralis. Quia præcepta Eccleſiaſtica tantũ moralè neceſſitatẽ ad excuſandã tranſgreſſionem requirunt. Non tamen quæcumque cauſa, quæ rationabilis ſuperiori alias fortè viſa fuiſſet, hoc tempore ſufficit, ſed opus eſt vt moralis neceſſitas adſit. Bon. *de clauſ. q.* 4. *pun.* 4. Mirand. *de Monial. q.* 2. *a.* 4. *conel.* 2. Portel. *de dub. Regular. v. Clauſura, num.* 4. Tambur. *de iure Abbatiſ. d.* 24. *q.* 1. Certè iuſtam ingreſſus cauſam habent Medici, chirurgi medendę Monialium ægritudini neceſſarij, Fabri, ac neceſſarij alij miniſtri ad Monaſterij ædificium Confeſſarij, dum Monialis in lecto decumbit, aut nequit ad Confeſſionale accedere. Eandem iuſtam habent cauſam Sacramenta extremè vnctionis, ac Eucharitiæ miniſtraturi, Tamburin. *de iure Abbatiſſar. d.* 20. *q.* 6. Mirand. *de Monial. quæſt. ſecund. a.* 17. Sanch. *l.* 6. *Decalog. cap.* 16. *numero* 43.

30 *Superioribus licet ingreſſus.*

Præterea ſuperioribus licet ingreſſus cum comitatu præſcripto à Gregorio XIII. *Bulla Vbi gratiæ*, cauſa viſitandi conuentus officinas, Monialium cellas, ac ſupellectilem, dormitorij decentiã. Tambur. *ibid. d.* 24. *q.* 8. Baiuli ingredi poſſunt, dum aliquod onus in Monaſterium ſit transferendum, quod à Monialibus commodè portari nequit. Debet tamen illud onus in Monaſterij vtilitatem deportari. Sanch. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 56. Licita, & iuſta ingreſſus cauſa reputatur Monialem tranſeuntem ad aliud Monaſterium, aut ex iuſta cauſa extra clauſuram exiſtentem in hoſpitium admittere, dummodo ſit Monaſterium in quo admittitur, eiuſdem Ordinis, & inſtituti. Item quando Monialis eſſet in aliqua prinata domo recuperandæ ſanitatis cauſa, velletque animi recreandi gratia, aut Moniales inuiſendi, ingredi eiuſdem Ordinis Monaſterium, id vtique liceret. Quia talis Monialis non cenſetur extranea, cum ſit eiuſdem inſtituti. Denique lex generalis ſit, data vrgente neceſſitate, cui ſolæ Moniales nequeant occurrere, & prælatus creditur conceſſurus, neceſſarias perſonas ingredi poſſe. Plures caſus enumerant Sanch. *l.* 6. *Dec. c.* 16. *n.* 10. Hieron. Roderic. *q.* 26. *n r.* 49. Villalob. *p.* 2. *ſum. tr.* 35. *diffic.* 47. *n.* 27. Tamb. *de iure Abbatiſſ. d.* 24. *quæſt.* 15.

31 *Quinam in ingreſſu diſpenſent.*

Epiſcopus poteſt ordinaria authoritate in Monaſteriis ſibi ſubditis facultatem ingrediendi impertire, authoritate verò delegata in Monaſteriis ſummo Præſuli ſubiectis, in illis autem, quæ Regularibus ſubiecta ſunt, facultas concedenda eſt à Generali, Prouinciali, aliouè immediato conuentus prælato. Quia cui ligandi facultas competit, poteſtas ſoluendi competere ſolet, ſed ſuperioris, qui Monaſterio præeſt, eſt Monialibus clauſuram indicere. Ergo ad eundem diſpenſare in ingreſsu pertinebit. Nau. *comm.* 4. *de Regul. numero* 60. Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *q.* 7. Tamb. *de iure Abbatiſſ. d.* 23. *quæſt. prim.*

Abbatiſſa

32 *Abbatissa non potest dispensare.*

Abbatissa tamen minimè potest huiusmodi concedere facultatem, quia ad illam non spectat clausuram indicere cum etiam ipsa clausuræ onere teneatur. Idem dicendum de Priorissa, & alia Monialium Præfecta. Tamen ex Episcopi, vel alterius legitimi superioris delegatione hæc facultas potest Abbatissæ, vel Priorissæ cõcedi in casibus sæpe cõtingentibus, cum facilis ad superiorem aditus non patet. Natar. *comment. 4. de Regul. n. 59.* Graf. *p. 1. dec. l. 4 c. 23. n. 6.* Tambur. *de iure Abbatiss. d. 23. q. 3.*

33 *De ingressu mulierum in claustra virorum, & pœnis eas admittentiũ nempe excommunicatione, &c.*

Ingressus fœminarum in claustra virorum Regularium iuxta constitutionem Pij V. *Regularium Personarum*, & Gregorij XIII. *Ubi gratiæ* non ita absolutè prohibitus censetur sub mortali, & excommunicationis censura: sed nisi fiat prætextu facultatum Apostolicarum, quas ibi Pontifices reuocant. De quo *sect. 2.* At interim ex constitutione Pij V. fœminæ ingredientes Monasteria virorum incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. Aliquando tamen excusari possunt nõ solùm ob bonam fidem, verum etiam ob ignorantiam vincibilem, crassam, & affectatam. Quia ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur audacia, scientia, vel ingens temeritas, quæ scientiæ comparetur Religiosi verò, qui faciunt, vel permittũt fœminas sua ingredi Monasteria prætextu facultatũ à sũmo Pontifice, vel ab aliis concessarũ, excõmunicationẽ Papæ reseruatam incurrunt, & priuationem dignitatũ, & beneficiorũ, & inhabilitatẽ ad illa, vel alia in posterũ obtinenda, vt decernitur in Bulla *Vbi gratiæ*, Alij verò Religiosi, qui fœminas in Monasteria intromittere, vel admittere præsumunt etiamsi ille absque facultatum prætextu ingrediantur: incurrunt ipso facto suspensionem à diuinis, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum accipiendo, vt habetur in proprio motu Pij V. Regularium personarum. Nomine autem Monasterij intelliguntur ea sola loca, quæ sunt intra septa conuentus, qui clauduntur, vel claudi debent. Bonac. *de censur. d. 1. q. 2. pun. 1. num. 11. & 12.* Sanchez *l. 2. Decal. c. 10. nn. 28.* Syluest. *vers. culpa q. 1. tion. 11.*

Ab excommunicatione hac solus Papa absoluit, dum excommuniratio publica est. Quia illius absolutionem sibi reseruat. At si esset occulta, posset Episcopus ab ea absoluere ex Trident. *sess. 24. cap. 6.* Religiosi habentes priuilegium absoluendi à censuris Papæ reseruatis, possunt etiam ab hac excommunicatione absoluere. Porrò cum crimen præsumptuosæ introductionis mulierum Monasteria, & è contra non sit grauissimum, neque atrox, nec superet adulterium: Episcopus ex iuris concessione *Cap. At si Clericus, de iudiciis, §. de adulter.* potest in pœnis priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa dispensare, quia Pius V. & Gregorius XIII. nec priuationem hanc ab officiis, nec inhabilitatem ad ea, sicut excommunicationem, reseruarunt. Et hoc speciatim verum, quando crimen est occultum in sententia eorum, qui volunt, has priuationes, & inhabilitates absque iudicis sententia declaratoria incurri, vt patet ex Tridentino *sess. 24. cap. 6.* vbi Episcopis datur facultas dispensandi ab omnibus irregularitatibus, modo publicæ non fuerint, & absoluendi ab omnibus censuris, & casibus occultis Summo Præsuli reseruatis. Hæ vero priuationes, & inhabilitates sub nomine pœnarum suspensionum, imò irregularitatum comprehenduntur.

34 *Quinam ab hac excommunicatione dispensare valeat.*

E. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: V. VI. VII.
F. I. V
6

PARS TERTIA.

PERSONÆ SÆCVLARES.

EX probatissimis Doctoribus Principum supremorum, Communitatum, Regiminis Vrbium, Ministeriorum quorumdam Reipublicæ, Medicinæ, Militiæ, Agriculturæ, Mercaturæ, Artificumque obligationes expendo.

SECTIO VNICA.

De Personis Sæcularibus, Receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Principibus supremis.

1 *Eorum obligatio circa propria bona.*

PRINCIPES supremi tenentur non dissipare adeò propria bona, vt aliena vsurpare aggrediantur, subditos scilicet nimium molestis aggrauando tributis, debita non soluendo, ingentem auri, & argenti vim subditorum iniuria accumulando.

2 *Circa Regni securitatem, & legum inductionem.*

A culpabili præuisa incuria abstinere, vt curent imminentem famem retardare. Regni securitati prouidere. Leges pœnales inducere in delictorum repressionem, non expilationem subditorum, sibi non adiicere subditorũ diuitias, tributa sine publica necessitate suis superfluis vsibus deseruitura stabiliendo, de nouo subditos seruituti addicendo, vt agros sine mercede excolant.

3 *Circa supplicia, & res subditorum.*

Morti non deputare, aut graui supplicio afficere ciuem inauditum, grauissima haud intercedente causa. Iniuste nõ commouere, bella Regni, aut dominij propagandi affectione, ita erga subditorum mores se habere, vt eorum incuria vitiis, speciatim publicis non maculentur, iustitia sine patrono relicta.

4 *Circa Ecclesiæ immunitatem, officiorum assumptionẽ, creationem, & bona naufragij.*

Leges non præscribere Ecclesiasticæ immunitati repugnantes. Nec tam sublimi pretio officia, seu munia committare, vt ministri ad resarciendum damnum sint explicandis ciuibus operam nauaturi. Nec aduertenter iudices indoctos creare: & cognita postmodũ (si inaduertenter creati sint) eorum insufficientia, illico amouere. Nec sibi accommodare naufragij bona priusquam exacta fiat de eorum dominis inquisitio.

CAPVT II.

De Communitate, seu Vniuersitate, Collegio.

QVI docturus est alios, debet se haud desidem circa litterarum studium exhibere: ex incuria enim magistri 5 *De Magistro.* assolet discipulorum graue incommodum oboriri. Et in discipulorum conspectu ita se modestum præstare, vt prauis actionibus in discipulorum effrænationem non influat.

Togati tenentur non curare consequi togam si cognoscant, se requisitas qualitates 6 *De Togatis.* non habere. Et vt admittantur titulo paupertatis, non seducere electores, dum bonis, quæ possidebant, renunciant cum recuperationis pacto. Et subornationibus non vti, vt cathedra fruantur iniuste, non quidem ad iniustam vim, seu vexationem propulsandam. Et in oppositionibus grauia, vel leuia quidem queis oppositores alij Cathedram amittant, eis imputare. Et vt ad se auditores alliciant, alterius Magistri defectus fallo non euulgare, aut celandos aperire & ex Collegij oppositoribus minus dignum & idoneum repellere, inidoneum admittere, ne Nationis verbi gratia affectui iniuste consulere videantur, eo reiecto, cui ex iustitia toga debebatur. Et non fouere cum scandalo Nationum discordias: nec pronocare assectas, vt contrariis, eorumque patronis inferant iniurias. Et quidquam contra iuramentum præstitum gerere, aut contra statuti perinij pœnam. Et ad togam plane indignum non admitte-

re,

re, etiamsi oppositoribus aliis inestis quidem iniuria non inferatur. Et non adesse in præparatione animi, vt contra aduersæ ditionis votum iustum, vel iniustum ipsi voueant. Et non curare, vt statuta fiant bono communi aduersantia ob propriam commoditatem. Et capellæ secreta contra iuramentum non aperire.

7 *De Scholasticis.* Scholastici verò tenentur cum iuramento alterius discursus falso non confirmare. Rectori obtemperare cum sub pœna præstiti aliquid imperat, postquam sunt matriculæ addicti. Suffragium non vendere iustum. Nec suffragium iniustè adhibere, non merito, aut merito quidem, sed plus merito admodum relicto oppositore. Et non adeo desides in studio se exhibere, vt verè sint paternorum bonorum dissipatores.

CAPVT III.

De *Vrbium Regimine.*

8 *De Magistratu.* Magistratus tenentur publica officia sine authoritate non vendere. Et magna munera à ministris Reipublicæ non accipere. Indignis officia publica in damnum commune non conferre. Haud se nimium desides circa ministrorum correctionem exhibere, ne iniustitia pauperibus inferatur. Præcauere assistentia, ne officinis publicis scandala, rixæ, homicidia exoriantur. Pretia ciborum moderare, & cibos corruptos repellere, grane quidem damnum illaturos. Carcerem inuisere, vt grauis vinctis vexatio non addatur ob Præpositi lucrum, & vt peccata vitentur, mulierculis ablegatis. Inuisere etiam publica hospitia, vbi mulierculæ profligatæ assolent habitacula grauissimo incommodo collocare. Ex Vrbe deturbare vagos Reipublicæ nocumentum inferentes. Peccata publica punire. Ludos prohibitos propulsare. Pauperum vtilitati consulere. Ita milites distribuere transeuntes aut diutius commorantes, vt ciues pauperes leuamine donentur. Die festo actus iudiciales non facere, pietate, aut necessitate non cogente. Non prætermittere pœnam ciuilem, aut criminalem, quam debent reis imponere. Nihil graue contra iuramentum præstare, aut omittere. In Senatu reprimere eos, qui propriæ passioni, non iustitiæ suffragantur, & prohibere Senatores propriis Vrbium vtentes pauperes dimexantes, à publicis horreis frumentum auferentes, aut non soluentes debitoribus. Curare horrei triticum pauperibus distribui, pauperes breui temporis interstitio iudicatos emittere, ne eis grane oboriatur ex detentione incommodum. Reprimere, & punire famulos, vel ministros, qui vel ingressum ad tribunal litiganti vendunt. Aduocatum non agere ipsa in causa, cuius Iudices fuere. Non interrogare reum quod non possunt nec rens debet respondere. Graui dubio pressi, doctos adire, & Assessorem sine graui causa litigantium expensis. In sententia ferenda aliquam ambiguam clausulam non adiicere, vnde graue incommodum alicui proueniat.

9 *De Senatu.* Senatores debent graues ciuitatis leges callere, & custodire. Ad Curiam Regiam non se conferre Reipublicæ expensis ad negotia eis, *re.* & Reipublicæ communia, contra *leg. 22. tit. 3 lib. 7. Recopil.* Curam defensioni communi impendere potentium vim frangentes, si possint, ne Reipublicæ grauia incommoda obueniant suffragium non dare graniter nocens iustitiæ, officia publica, graui nocumento non exhibere indignis Publica crimina (cum ad id tenentur) aboleri procurare. Consulto à Senatu non abesse, cum Reipublicæ grauis causa geritur, si ob huiusmodi absentiam graue incommodum aduenturum timeatur. In distributionibus sumptuum, aut gabellarum æquitatem seruare, graniter hos aggrauantes, vt illos subleuare possint Reipublicæ bona in magna quantitate non vsurpare, nec retinere. Cum ex officio obligantur, curare de pŏderum, ac mensurarum æquitate. Pretium non accipere pro publicorum munerum assignatione, cum gratis debeant idoneos Reipublicæ ministros addicere. In suffragiis proferendis iniustam in re grani causam non defendere, quia aduersarius Senator contrarium asserit. Non impedire Magistratum, ne flagitiosos supplicio afficiat, graui inde damno excitando. Non efficere, aut permittere, suos famulos potiores fori cibos emere, vt carius vendant, quam à vendente acceperant. Senatus arcanum in re grani non violare, vnde Senatores non audent rursum libere suas mentes depromere. Ex horreo publico non auferre, & restituere ablatum, cum pauperibus est necessarium. Publicas eleemosynas pauperibus veris erogare, non famulis aut consanguineis paupere minimè laborantibus. Non dissimulare grauia crimina venatorum, aut aliorum officialium, vt sibi gratos habeant tributarios. Consulto à congregatione non abstinere, cum consanguinei, vel amici iniusta causa in Senatu agenda est, ne contradicere, vt debent, cogerentur. Non curare, munia onerosa eis iniungi, quos odio prosequuntur. Publici muneris occasione non emere res pretio minori, quam æquum est, & maiori vendere. Greges prohibitis pascuis non introducere, grani damno sequuturo dominis. Aliis propria onera, aut eorum grani iniuria non imponere.

10 *De Scribæ senatus.* Scriba Senatus debet iuramentum de munere rectè gerendo arcanoque custodiendo non violare. Plus pretij grani soluentium incommodo non accipere, quam ex taxa debetur. Scire constitutiones capitulares, Regalia instrumenta bonæ negotiatorum expeditioni necessaria. Curare, ne sua incuria, seu iniquitate Regij reditus, aut Reipublicę graniter imminuantur, cum emptoribus traduntur. Non supprimere inimici petitiones, grani damno obuenturo, vt per legat amici codicillum. Tributarium à matricula non abolere, Regij patrimonij iniuria. Curare, vt transgressores constitutionum non puniantur, quia amici aut propinqui, constitutiones operiendo, quas quidem post modum manifestet, vt inimicus supplicio afficiatur.

CAPVT

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
F. I. V
6

CAPVT IV.

De quibusdam Reipublicè Ministris.

11 *De Tutore.*

TVTOR tenetur iuramentum factum in re graui non violare. Illico bonorum pupilli inuentarium constituere, si ex dilatione graue damnum timeatur. Non dare pupillo plus nummorum quam ad iustam recreationem opus sit sine iudicis authoritate, ac graui patrimonij iniuria. Curare, bonis pupillum moribus educare: Decimum accipiens debito tempore fructus vendere, si alias graue incommodum timeatur: & vt proprio commodo consulat in tempus non opportunum fructus non reseruare. (quo tempore debeant venditioni exponi docet Molin. *to. 1. d. 224.*) Tradere reditus lucrationi, vnde debeant augeri. Debita liquida comparare. Bona alumni non emere sibi authoritate propria, aut ad lucrum accipere rectitudine non seruata iuxta communem æstimationem: Bonorum pupilli rationem cum solutione exhibere, si alias grauis ei iniura inferatur. Non exigere ab alumno, dum sub eius potestate degit, vt ei donet graue aliquod bonum. Iniustas lites non excitare ob indebitam bonorum acquisitionem.

12 *De Testamentario.*

Testamentarius tenetur non differre post annum testamenti executionem. Curare vt prius debita soluantur, quam gratiosa legata: me si prius soluuntur gratiosa fortasse pecunia ad debita soluenda deficiat. Legata gratiosè soluere, cum possit, ne cogatur accepturus, iniuste insumere ad acquisitionem. Curare, vt defuncti bona opportuno tempore vendantur. Non differre eorum consultò venditionem, vt sibi minori pretio valeat acquirere. Diligentiam adhibere, ne fructus eius pereat iniuria. procurare vt vidua, & pupilli, cum debet, alantur. Pro missis offerendis aliquid eleemosynæ assignatæ non auferre, seu Sacerdotis, seu defuncti iniuria: Defuncti inquam, imminuens enim eleemosynam adest periculum, ne non integrè obligationi satisfiat. Cum ex testamento debet eleemosynam erogare v. gr. Paschatis die, minimum non differre proprium curatus emolumentum, aut graue pauperibus incommodum afferens.

13 *De Regij ærarij Præposito.*

Præpositus Regij ærarij tenetur soluere, quod debet, & monetam, qui fuerit obligatus. Pretium nō exigere pro debito præstādo, nil accipere debēs, nisi ei gratuitò (quod ferè nūquam) & sine vlla exactione aut obligationis respectu tradatur. Non recipere munus ab aliquo pro anticipata solutione, si alteri, cui debetur, ideo suo tempore non soluit. Non agere solutionem vili moneta, quam argentea debet, haud præmij addito excessu. Nihil percipere vsuram committens, vt præstet inducias debitori, cum ideò specialiter alteri creditori nequeat debito tempore satisfacere. Cum nummi singuli creditoribus non sufficiant, vnicuique pro rata soluere: nec vni, vel alteri tolummodo in integrum soluere aliorum iniuria, aut proprio cōmodo, accipiens scilicet pretium pro beneficio. Instrumenta seu litteras decretæ pecuniæ non reiicere iniustè, aut acceptationem differre graui creditoris incommodo.

14 *De Regalis patrimonij Administratore.*

Administrator Regalis patrimonij tenetur Ministrros idoneos assignare, fideles quidem ne aut Regis prouentibus, aut agricolis aut aliis a quibus exiguntur, iniuria inferatur, Non accipere mercedem ob Ministrorum assignationem, ne ipsi pauperibus expiandis dent operam, vt pretium datum pro munere recuperare valeant. Non exigere ab Ecclesiasticis eorum immunitate violata.

15 *De portu sicci Præsidio.*

Portus sicci præpositus tenetur pretium mercium non celare, vt cariores habeantur, accepto ab asportante latrocinij pretio. Nō vili pendere merces iniuste, vt minori pretio cōmutentur: aut cariores ostendere cōtra iustam æstimationem. Non permittere, prohibita in alia Regna asportari: aut ad hoc Regnum transmitti, quod legibus grauibus inhibetur.

CAPVT V.

De *Medicinâ.*

16 *De Medico.*

MEDICVS obligatur sufficientia peritiæ pollere, vt grauibus ægritudinibus curandis adhibere conetur. Ob studij incuriam ægrotum in graue periculum non inducere. Speciali studio operam impēdere, si grauis insolitæ ægritudinis occasio offeratur. Non adhibere periculosa remedia priusquam sibi ægritudinem dignouisse videatur. Cognito ægroti periculo, necessariam curationem adhibere, ægrotanti opportunè adesse, permittere alium Medium adhibere, nec repugnare seu anaritia, seu iactantia, seu imperitia. Alios Medicos non afficere vituperio, vt eorum famam obnubilet. Agnito infirmi periculo, opportuno tempore admonere, vt spirituali ille operam curationi impendat. Curationem non prolongare, vt quæstus accrescat. Non adhibere temere medicamina incognita, discrimine manifesto Nō inducere egroto malū aliquod intrinsece, ad ægritudinē propulsandā. Non dictare medicamentum ad nō generandū, ad fœtū interficiendum seu loco mouendum ante vel post animationem. Non procurare, nimium pharmacorum insumi, vt sibi pharmacopolam conciliare valeat, Pharmaca inutilia reiicere: aut pharmacopolium publica authoritate inuisens iustè ministerium peragere. plures, quam valeat, ægros curandos non suscipere, si alius Medicus adsit, qui succurrat. Non dare facile edendi carnes, aut non ieiunandi ventum. Ægrotantem pauperem præcipuè in periculo constitutum non contemnere. Ex odio, aut vindicta ægrotanti debita medicamina

non

non denegare. Immature ab ægroto vno non discedere, vt alterum curandum suscipiat, priori constituto in eo periculo, vt vel die suum obiret, vel diu infirmitas profertetur. Non exigere ob curationem immoderatam mercedem, speciatim à paupere. Defendendæ, aut confirmandæ opinionis inæ causa audiens opportunius alterius Medici consilium, à propria sententia cadere, ne magna infirmi incommoditas sequatur. Et e contra non se facile aliorum opinioni accommodare, si minime eam in praxi securam agnoscit. Non iurare falso aliquod vulnus non esse lethale, vnde læso graue redundet incommodum. Non violare iurata Medicorum statuta, & obseruanda agnoscere. Animo non ægrotare, dum fœminas curat. Et corruptas fœminas prostitui non permittere grauì iuuentutis læsione.

17 *De Pharmacopola.* Pharma copola tenetur munus non exercere si inscius sit, aut non examinatus. Sine arte medicamina non condire. Mille in potionibus pro Saccharo non vti. Vnum medicamentum pro alio contra Medici præscriptum, aut ex penuria cum grauis damni periculo non adhibere. Medicamina ad non generandum, aut ad vtero mouendum non dare. Ignoro venena cum suspicione grauis damni inferendi non impertire. Pharmaca damnificata, vel inutilia, non vendere. Pondere, aut mensura cuiuenti graue nocumentum non inferre. Medicum non allicere, vt medicamina pretio taxet immoderato vltra suprenum iustum valorem. Aquam naturalem pro medico herbarum, vel florum succo ægrotis incommodo pretij iniquitate non reddere. Non commodare alicui pecuniam ex pacto, ad summo pharmacopolium accedendi. Festos dies graviter sine necessitate non violare.

18 *De Chirurgo.* Chirurgus non debet dare operam vulneribus curandi sine scientia, sine practica, & examine, grani erroris periculo. Nec efficere curationem prolongari eo quod vulnere exigente, Medicum consulere omittit, aut piaculo, aut lucri prætextu. Et modestum se gerere circa fœminarum curationem.

19 *De Tonsore* Tonsor tenetur fœminæ venam aborsus causa non scindere. Et nullius sanguinem emitti facere sine Medici (vel Chirurgi in sua causa) consensu, nisi exigat angina, aut dolor lateris effrænatus, aut alius casus repente ruens præsentaneam sanguinis profusionem exposcat. Se modestum ostendere, dum fœminis remedia adhibet, nè castitas lædatur. Chirurgi munus non exercere si examinatus non sit, vel imperitia laboret: nisi magna oborta necessitate. Docere pupillum artis ediscendæ deputatum pretio exhibito: nec aliis ministeriis tanquam mercenarium ad licere contra artificum vsu. Aliam, quam imperatus est venam non scindere, dum scit graviter obesse curationi, vt prudenter timet. Aperto ostio sine necessitate diebus festis, aut repugnante vsu barbam non radere.

CAPVT VI.

De Militia.

20 *De Duce.* Dvx non debet sibi militum mortuorum, aut fugitiuorum applicare stipendia. Et pro mercede non efficere, vt milites vno in populo non diuertentur, onere illo alteri Oppido iniuste imposito. Nec duplicatum, aut triplicatum hospitium vni militi adscribere, vt ille vna in domo receptus, reliqua hospitia pretio redimat vt ab ipsis recedat. Nec iniustè ciuitatem, sed populum quemlibet militibus spoliandum dare. Nec furta, aliasque iniustas militum actiones dissimulare. Nec plusquam duos famulos habere, qui Regali mercede degant. Nec Chirurgi, cum non adsit, aut Capellani absentis stipendia recipere.

21 *De Milite.* Miles verò dãs nomen signo, vt mercedem quotidiè accipiat, tenetur oblata pugnandi occasione, minimè fugere. Et hospitantibus eum iniuriam non inferre, eos expilando, coningem, aut filias ad turpia alliciendo, aut exigendo. Et à blasphemiis, ac periuriis abstinere. Et à ludis recedere prohibitis: nec permissos peruersè exercere, grauì sociorum ludi iniuria. Et duplicem domum in hospitium non accipere, vt iniquo questui det operam. Et iniusto bello operam non nauare. Et secum non asportare meretriculas.

CAPVT VII.

De Agricultura.

22 *De Agricola.* Agricola tenetur dies festos custodire, si necessitas non vrgeat: & cum adest necessitas, modo fide non laboras indicans se delinquere, id in confessione explicare; & idem gerere, si aduentante ieiunij die, in quo laborauit, vel ex labore præcipi iustè poterat ieiunium non inire, falso sibi persuadens ieiunio teneri, id violauit. Confirmationis Sacramentum non contemnere. Decimas Ecclesiæ soluere. Parocho in re grauì obtemperare. Ligna aut messis manipulos grauì in materia non surripere. Sine authoritate gregis alieni animantia grauiter non percutere, aut occidere, proximi incommodo. Non comminuere fundi alieni maceriam, vnde fructus graue nocumentum accipiant. Proprium non propagare fundum communium bonorum iniuria aut alienum conductum destruendo, pecora alienis messibus non addicere, ex grauis incommodi

commodi cognitione. Ob temporum incommoda, aut in blasphemiam, aut in stultam verbo contra elementa, Dei quidem opera, non prorumpere. Nō afficere maledictionibus pecora, reputans se lethaliter semper deliquere, cum fere semper sit solummodo veniale piaculum. Falsum testimonium contra proximum grani in materia non proferre, sive simplici verbo, sive addito periurio. Alios ex invidiæ, vel vindictæ affectu iniuste non accusare, vnde præter irrogatā iniuriam, necessum sit acculato, in defensionem graues facere sumptus. Non dare operam superstitionibus. Labore implere diurno mercedis quantitatem. Iustas gabellas, ac tributa solvere.

23 *De lacus vuarum Præposito.*

Lacus autem vuarum Præpositus debet sine vtilitate non admiscere musto aquam: vel mustum deterius, seu aqua admixtum, quod ex reliquiis vuarum agricolarum famulis assolet elici, (Hispane *Despensa*) musto bono addicere, vt vtrumque vti bonum æquali pretio vendat, grani quidem emptoris damno. Postquam emptorem vino bono potauerit, vt id eligat, postea deteriori non admiscere, ad questum iniustum comparandum. Non præparare mustum acidum, aut debile condimento lædente in mentis iniuriam, cui post breue temporis interstitium merces perit.

Custos demum agrorum debet sui muneris obligationem recognoscere, nec eius ignoratio bono communi possit obesse. Iuramentum de munere fideliter exercendo non violare. Vi pecuniam agricolarum, venatorumve sine iudicis authoritate non exigere. Nec munera accipere, nè minus rectè munus exerceat, grani exorta læsione. Agrorum læsores accusare. Reo accusato, pro mercede exhibita, ab accusatione non recedere. Non accusare iniuste ex odij affectu innocentem. Non dissimulare ob questus spem, vt communes montes corminuantur.

CAPVT VIII.

De Mercatura.

24 *De Mercatoribus.*

Venentvr Mercatores venena, aut prohibita quæque ex suspicione praui vsus non vendere. In animi præparatione non vitiare, vt quodcumque pretium iniustum potuerit ab emptore exquirere, non prætermittet. Non emere anticipata solutione, quod postea vltra infimum pretium est tradendum. Vltra superiorem non vendere, quod soluendum post tempus sit. Non vendere bellica instrumenta Christicolarum hostibus. Mercium grauem occultum aperire debectum. Graviter non imminuere mensuram, aut pondus. Non esse in præparatione animi, leuiter sæpe defraudare de mercibus, quæ vendit, vnde grauis Reipublicæ iniuria resultet. Non constituere iniustum monopolium de mercibus non vendendis nisi tali pretio. Et cunctas merces sibi non cōparare, immoderato pretio pro libito vendendas. Non emere minori pretio ab eo, qui merces non agnoscit, vt cariore ignoranti vendantur. Versuram non facere, vendendo pretio maiori soluendo in futurum, quod mox redimat, exhibito minori. Rem deterioris pro re aut qualitatis, aut durationis, aut vtilitatis non vendere. Merces veteres, exhalatas, ac inutiles bonis non admiscere, vt eodem pretio vendat vtrasque. Inita societate socios graviter non lædere, infideliter ministerium gerendo. Societatis fictitiæ palliata vsura non inire contractus. Non efficere, vt eorum iniquitate iniustè assecurationes capitales, ac lucri fiant. Iusta tributa non defraudare. Debito tempore soluere creditori, qui grauis incommodi protestationem gessit. Non soluere, mercibus, quod pecunia debebat soluere, contra creditoris voluntatem. Non emere, aut vendere publicè festis diebus læso iure, vel consuetudine. Non facere Ecclesiam domum mercaturæ irreuerentia grani. Non falso iurare se tanto pretio merces emisse, quas credulus mercator eodem aut maiore, grauiter quidem læsus acquirat. Dubitans de iustitia contractus, eum non perficere. Pranis contractibus operam non adhibere. Furtiuum non emere: & dubius quidem de venditoris iustitia prius periculum facere. Vendens ex commissione alterius carius non vendere, quam imperatur, sibi asseruato pretij excessu. Sæpe enim quia iniusto questui, indulgere ille curat, merces commissæ non venduntur, quę postea vel pereunt, vel deteriores efficiuntur.

Procurator mercium tenetur contractum vsurarium non facere, nec curanti efficere opem conferre. Non emere sibi mercem, vnde non requirat alium emptorem, qui pretio maiori accipiat. Non affirmare non adesse emptorem qui è tanto pretio excederet, grani excessu sibi reseruato. Iniustas versuras Hispane *Mohatras* non promouere, Cambiorum siccorum contractus non excitare. 25 *De Procuratore mercium.*

CAPVT IX.

De Artificio.

Argentarivs tenetur æs vile pro auro vel argento non vendere. Auro, aut argento plus vilis æris, quam ars exigit, non admiscere Emptoribus. declarare admixtum, & pretium ideò imminuere. Ex furto mala fide non emere quicquam. Monetam non conflare, nec conflatam imminuere ære circum ablato. Communem lapillum pro pretioso non vendere, & pro vili non emere pretiosum. Gemmas super aurum collocare non super æs 26 *De Argentario.*

æs vile, dum eidem ponderi vtrumque est addicendum. Non deaurare, aut argentare contra legis præscriptum vilioris æris monetam. Aurum debito valore elaborare.

27 *De Bibliopola.* Bibliopola tenetur libros alterius Regni, vbi fides non viget cum suspectæ Doctrinæ periculo non asportare, aut vendere aut venales exponere. Allatis è regno extraneo libris, operis Auctorem, qui in Hispania v.gr. edidit non impedire, quominus sua volumina vendere valeat, aut cogatur pretium imminuere. Libros prohibitos non vendere, aut lascivos tractatus, qui graue assolent afferre nocumẽtũ aut sine Auctore librũ vendẽdũ assumere. Defectuosũ librũ pro integro non tradere, grani legentis incommodo. Expurium librorum habere Cathologum, & procurare, vt libri iuxta eius præscriptum expurgentur.

28 *De Typographo.* Typographus tenetur indulgentias, aut denotiones sine authoritate non excudere. Libros mentita vrbe non edere, vnde Auctori graue nocumentum exurgat, qui multiplicatis voluminibus & fortasse melius excusis, sua vendere non possit. Sibi contra Auctoris voluntatem aliqua volumina non retinere, licet ipse papyrum adhibeat. Vile attramentum mox periturum non adhibere.

29 *De Pictore* Pictor tenetur amasiæ formam amanti non tradere. Viles colores post paruum interstitium morituros non apponere, prauo lino, inutili præparatione nõ vti. Nudas imagines grauis scandali occasionem non exprimere. Dies festos non violare, nisi ediscendi grata aliquid leue fiat.

30 *De Ludi chartarum Ministro.* Ludi chartarum minister tenetur non admittere eos, qui dominium non habent, vel lethaliter ludendo in blasphemiis &c. delinquere assolent, vel qui amittunt, quod familiæ sumptui est necessarium: vnde cogitur legibus prohibentibus domos lusorias comprehendi. Non permittere vestes ludentis, seu vxoris adduci, vt nummorum loco deseruiant. Non exigere nimis immoderate pro lusoriis chartis, aut lucernis. Mulierculas in prauum vtum aduci non permittere, & ne ebrietas vigeat, operam dare.

31 *De Histrionibus.* Histriones tenentur, secum amasiam publico scandalo, aut coniugis specie non ducere. Non permittere, vxorem dona accipere cum inordinati affectus dãris, aut effectus periculo aut cum adolescentibus, aut viris procaciter admiscere sermones. Fœmina virilem vestẽ immodeste cum scandali grani occasione non præferre. Non recitare versus, qui ex lese ad intemperantiam excitant. Cum recitant amotis affectus ex corde non loqui. Iter agentes debita mercede hospites non defraudare, aut in Vrbibus permanentes. Sine voluntate parentum huic muneri, infami quidem non incumbere, cũ in re tam grani obedire tenẽtur.

32 *De Obstetrice.* Obstetrix tenetur, sine peritia munus non obire. Peritiam formam caliere. Obortam difficultatem, quæ requirit medicum non preterire. Non violare secretum, vnde grauis infamia exoriatur. Puellis integritatis simulationem non promittere, vnde illæ facilius se violari permittant. Non intrare falso de fœminæ integritate iuridice interrogata, grauibus inde oborturis incommodis, quorum rea exstitit. Infantem vnum pro altero non apponere. Ad abortum remedia non exhibere.

De Artibus Mechanicis plura annotare possem. Sed recognoscenda Lectorem remitto in meam Summam Latinam *tr. 2. exam. 3. numero 52.*

Ad Deiparam Dominam Meam Epilogus.

CVM de statu sæculari, siue de Iudicio forensi &c. iura expendi, te ô Regina misericordiæ, necessariò præ oculis habui vtiliori hominibus tribunali, vbi nullus damnationi addicitur. Misera fuit olim Iudæorum conditio, cum à Iabin Rege Chanaan opprimebantur. Ruit illius populi fortitudo nunquam fortasse erigenda, nisi à Debora totius Israëlis gubernatrice erigeretur *Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt, donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël Iudic. 5. n. 7.* Iudex erat Debora, & nihilominus mater dicebatur, & victrici palmæ, sub qua Israëlem iudicabat, pacificam oliuam charitatis indicem præferebat; quia promptior erat ad amandum, vt mater, quam ad puniendum, vt iudex; suúmque imperium non rigore, sed amore temperabat. Verè Debora, quæ *Apis* interpretatur. Nam cum inter apes cæteræ omnes à natura aculeatæ efformẽtur: sola earum Regina aculeo exarmatur, seu saltem aculeo non vtitur ad vindictam (D. Ambros. *l. 6. exam. c. 21.*) Quid Deboræ cum Maria? Princeps es ô Virgo, non Israëlis tantum vt Debora: sed mundi totius, vt Sara, quæ propterea vetus nomen *Sarai* cum nouo nomine *Sara* commutauit. *Gen 17 n. 15.* quia illud particulare dominium, hoc vniuersale significabat. Vnde *Maria* interpretatur *Domina*. Rupertus *Cant. 4. coronaberis, O Virgo, vt in cœlis Regina sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum.* Igitur quæ potestate eras hominum Regina, charitate voluisti Mater hominum appellari. Verè *Mater* vt Debora, nec minus *Apis* non solum, quia in aluo tanquam in alueo composuisti ac constituisti Christi Domini corpus tanquam fauum: sic enim appellat Dauid iuxta Græcam translationem *circundederunt me sicut apes fauum Psal. 117. n. 12.* Sed etiam quia sicut apum Regina expers eras aculei, & in homines totam exuebas seueritatem, solam charitatem induebas.

Laus Dec, Deipara, Iosepho, Ignatio, Antonio.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Notabilium, quæ in hoc Septimo Tomo continentur.

Prior Numerus Paginam, Posterior Numerum Marginalem indicat.

A

Abbas, Abbatissa.

ABBATES iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, fruunturne beneficia vniendi potestate? p.86.n.427.& 428.
Abbatissa potestne virtute sanctæ obedientiæ suis monialibus præcipere? p. 209.num.211.
Quæ requirantur ad Abbatis Religiosi electionem. 340.n.11.
Populũ in Ecclesia sibi subiecta benedicere, suis subditis Religiosis potest ordines minores conferre, si mitra ac baculo vtantur. ibidem num.12.
Et consecrare altaria, calices, &c. ibidem numero 13.
Quid possint Abbates circa subditos. ibidem num.14.
Abbatissa quænam dicatur, & quamnam ætatem debeat habere. p.341.num.15.
Abbatissæ Benedictio. ibid.n.16.
Non est capax potestatis quæ ordinis vocatur. ibid.n.17
Nequit dispensare in ieiuniis ac votis. ibidem num.18.

Accusare, Accusatio.

In Accusatione quænam canenda sint. nu. 245. num.31.
Quinam Accusare teneantur. ibidem. numer.32. p.273.n.256.
Quinam Accusare prohibeantur. p. 245. numero 33.
Accusare homicidam an teneantur hæredes hominis occisi. p.271. p.240.241. & 242. vbi n. 243. resolvit Author. ibid.
Accusator in causa criminali, si accusatio est iusta potestne ab ea desistere. pagina 272. num.255.
Si quis teneatur aliquem proximo iniuriam inferentem Accusare, teneatne me testem in illius auxilium delicti denunciati conscius offerre, ne ob defectum probationis patiatur accusator. p.276.n.284

Aduocatus.

Ad Aduocati munus quinam non admittantur p.248.n.55.
Aduocato quot sint cauenda. ibidem. numer.56.
Aduocati fidelitas quæ debeat esse. ibidem num.57.
Aduocatus tenetur patrocinari extremè aut grauiter indigenti. ibid.n.58.
De causæ iniustæ defensione obnoxia restitutioni. ibid. num. 59.
De stipendio iusto accipiendo ab Aduocato. ibidem.n.60.
Aduocatus non potest pacisci de aliquota parte litis. p.249.n.61.
Qui Aduocatus in vna causa fuit, an possit in eadem Iudex existere. pagina 290. num. 396.
Aduocatus potestne in causa dubia patrocinari. ibidem numero 400.
Num Aduocatus minus probabilem causam defendere possit, reiecta probabiliori. p.291.n.404.

Ætas.

Ætas ad omnia beneficia requisita quæ? pag. 67.n.257.
An Ætas viginti duorum annorum requisita sit non solùm pro dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis, sed & Collegiatæ. ibid.n.263.

Agricola.

Agricola ad quid teneatur. p.347.n.22.

Alienatio.

Alienatio presè sumpta quæ? p.28.n.13.
Alienatio latè sumpta quæ? ibid.
Alienatio rerum Ecclesiasticarum non solum stricta, sed lata est prohibita. ibid.

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
F. I.
6

Index Rerum,

Alienationis rerum Ecclesiasticarum quot causę admittantur legitimæ? ibid. n. 15.
Quæ solemnitas adhibenda ad rerum Ecclesiasticarum alienationem gerendam. ibidem. numer. 17.
Pecunia ab aliquo destinata ad emptionem bonorum stabilium, an intelligatur sub nomine boni stabilis non alienandi. p. 32. n. 47.
Potestne Alienari ab Ecclesia pecunia in banchis campsorum posita. p. 33. n. 50.
An reliquiæ sanctorum comprehendantur sub bonis mobilibus pretiosis Alienationi non subiectis. ibid. n. 53.
Iurans bona Ecclesiæ non Alienare peccatne contra iuramentum, si ea tradat in pignus, vel hypothecam vel in feudum, & Emphyteusim, aut in longi temporis locationem. p. 34. n. 61. 62. 63.
Iuravit Prælatus se non alienaturum vlla bona Ecclesiæ, nisi Pontifice consulto, an hoc iuramentum extendatur ad Alienationem quālibet etiam iure permissam. ibid. numero 64. & 65. vbi num. 66. Authoris placitum affertur. ibidem.
Vbinam seruandæ conditiones à iure præscriptæ ad rerum Ecclesiæ Alienationem. pag. 35. num. 70.

Appellare.

Appellare inter & supplicare, quid discriminis intercedat. p. 284. n. 348.
Appellare ne potest reus licitè, quando dubius est de sententiæ iustitia. ibidem. numer. 349. & 350.
Licitumne est reis in causis ciuilibus appellare, quando Iudex secundum magis probabilem opinionem sententiam tulit. p. 285. num. 356.

Archiepiscopus.

Archiepiscopus est suffraganeorum Ordinarius. p. 354. n. 17.
Non potest in causis criminalibus maioribus sine Papæ authoritate contra Episcopos procedere. ibidem. n. 18.
Non habet in subditos Episcoporum iurisdictionem. ibid. n. 19.
Quid debeat gerere quando vult statuta procincialia condere. ibid. n. 20.

Assassinum.

Assassinij rei ad Ecclesiam confugientes non gaudent immunitate. p. 3. n. 14.
An Assassinij crimen perpetret occidens pretio conductus infidelem, cui est immunitas denegata. p. 20. n. 79.

B

Beneficium, Beneficiatus.

Beneficium quid? p. 36. n. 1.
In Beneficio quot distinguantur. ibidem.
Beneficium regulare quod? ibid. n. 2.
Beneficium sæculare quod? ibid.
Beneficium simplex quod sit? ibid. n. 3.
Beneficium duplex quodnam dicatur. ibid.
Beneficia, quæ Dignitates vocitantur, quæ sint. ibidem.
Beneficium titulare quod? ibid. n. 4.
Beneficium manuale quod? ibid.
Beneficium electiuum quodnam dicatur? ibidem.
Beneficium collatiuum quid. ibidem.
Beneficium missum quid item. ibid.
Beneficium incompatibile quid sit? ibidem. num. 5.
Beneficium compatibile. quod. ibid.
Beneficium quot modis acquiratur. p. 37. n. 6.
Ad Beneficij idoneitatem quot conditiones recenseantur. p. 38. n. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & p. 39. n. 21. & 22.
Beneficiorum pluralitas quot ob causas concedatur. p. 39. n. 23.
Beneficia incompatibilia primis generis quæ sint. ibid. n. 24.
Quæ secundi generis. ibid. n. 25.
In Beneficiorum pluralitate potest Papa dispensare. n. 26.
In Beneficiorum pluralitate Legatus potest dispensare, simul & Episcopus, at limitate. ibid. num. 27.
Beneficia plura curata possidens non est tutus in conscientia. ibid. num. 28.
Beneficiorum collator generalis quis? pagin. 40. n. 29.
Quæ Beneficia debeant intra sex menses conferri. ibid. n. 30.
Beneficiorum omnium collator est Episcopus in propria Diœcesi. ibid. n. 31.
Beneficia libera sede vacante non confert Capitulum, sed necessaria. ibid. n. 33.
Quid Vicarius Generalis circa Beneficia possit? ibid. n. 34.
Quid laicus & fœmina? ibid. n. 35.
Beneficium non conferendum *indigno, præsente digno*. ibid. n. 36.
Quot in casibus liceat Beneficia digno conferri, omisso digniore. p. 41. n. 37.
Beneficia conferenda dignissimis. ibid. nu. 38.
In Beneficiis quæ dantur per concursum mortale est cum obligatione restituendi digniorem omittere. ibid. n. 41.
Beneficium amittitur per mortem naturalem, & ciuilem ibid. n. 42.
Et per alterius incompatibilis assecutionem. ibid.
Ob quæ crimina amittatur Beneficium. ibidem num. 43.
Per Iudicis sententiam Beneficium vacare potest. p. 42. n. 44.
An ad eligendum Religiosum ad Beneficium curatum in causa necessitatis, dispensatio sit necessaria. p. 45. n. 66.
An Beneficia manualia ita ad nutum, & voluntatem conferentis reuocari valeant, vt possit id sine legitima causa valide fieri. ibidem num. 73.
Beneficij manualis reuocatio potestne sine legitima causa licitè fieri, si Prælatus promiserit se non reuocaturum. n. p. 46. n. 77.
Beneficium manuale potestne fieri perpetuum, præscriptione, vel consuetudine. ibid. n. 80.
An per electionem ante acceptationem acquiratur electus ius in Beneficium. p. 49. n. 105.
Si præsentatus ad Beneficium non æque digni sint, sed vnus alio notabiliter dignior, tenetur ne Episcopus digniorem instituere. p. 53. num. 143.

An ob peccatum mortale reddatur quis indignus, qui ad Beneficium eligatur. p.54.n.150.
Beneficia debentne sub graui obligatione dignioribus conferri ex vi institutionis Beneficiorum.ibid.n.153.
Si in Beneficiis parochialibus, quæ per concursum prouidentur, eligatur dignus omisso digniori, electio estne ipso iure irrita.pagina 55. num.160.
Ad Beneficium dignum eligens prætermisso digniori, quem eligere tenebatur, debetne aliquid digniori ipsi relicto restituere.ibidem numero 164.
Tenenturne dignus in fauorem dignioris Beneficium resignare.p.56.n.167.
Beneficiorum prouisio quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent, an competat Capitulo sede vacante.p.57.n.175.
Beneficia permutata an possit prouidere Capitulum sede vacante.ibid.n.179.
Vicarius Generalis, cui ab Episcopo commissa est facultas Beneficia conferendi debetne esse Vicarius generalis, non solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus?pagina 58. num.183.
Ex facultate absoluta Beneficia conferendi, quæ ad Episcopum pertinent, potestne Vicarius electiones, ac præsentationes Beneficiorum Episcopo competentes facere.ibid.num.186.
Potestne Vicarius extra diœcesim potestatem sibi datam ab Episcopo conferendi Beneficia exercere.ibid.n.189.
Procurator generaliter constitutus potestne Beneficij possessionem acceptati apprehendere. p.59.n.192.
Beneficij prouisio debet gratis fieri & sine conditione.ibid.n.193.
An quæuis conditio in electione Beneficij reprobetur.ibid.n.196.
An finitio edicti tempore ante finitum examen oppositorum detur, locus subscriptioni, vel oppositioni aliorum in Beneficio parochiali. pag. 60.n.199.
Examinatores ad Beneficia parochialia qui debeant esse.ibid.n.203.
Repertis pluribus æque dignis, potestne Episcopus eligere quem maluerit, in Beneficiis iure patronatus exemptis.p.62.n.219.
Examen pro Beneficiis simplicibus, estne necessarium, si persona sit non.p.65.n.242.
An filij expositi de quorum parentibus minime constat, sint vt legitimi reputandi, ad Beneficia obtinenda.p.66.n.252.
Num possit pater obtinere Beneficium in ea Ecclesia, in qua filius illegitime concubitu natus, actu est Beneficiatus.ibid.n.256.
Si quis corporis vitio laboret impediente celebrationem poteritne minoribus ordinibus insigniri, & Beneficium simplex recipere. p. 69.n.273.
An defectus probitatis morum ad Beneficium requisitæ reddat ipso iure inhabilem, & collationem irritam.ibidem numero 275. & 276.
Num illiteratus possit Beneficium simplex aliquemque Canonicatum obtinere. pagina 70. n.283.
An ex summi Præsulis dispensatione possit Beneficiū prorsus illitterato conferri. ibid.n.286.
Beneficium dubio animo suscipiens peccatne, & an ad restitutionem teneatur. ibidem numero 290.
Si quis absque animo sacerdotij suscipiendi Beneficium accepit, & postea voluntatem mutauit, & sacerdotio est initiatus, debetne fructus perceptos eo tempore, quo debita intentione caruit restituere. pagina 71. n. 293.
Recepit quis Beneficium curatum animo promouendi intra annum, sed postea voluntate mutatâ, non fuit promotus, teneturne fructus eo anno perceptos restituere.ibidem numero 296.
An recipiens Beneficium simplex absque animo recipiendi ordinem sacrum ei annexum, obligatus sit fructus perceptos restituere nulla expectata sententia. pagina 71. numero 299.
Beneficium accipiens animo fruendi eius fructibus aliquo tempore, & postmodum relinquendi, transeundo ad statum coniugalem peccatne lethaliter.p.72.n.302.
An Beneficij ex Episcopi dispensatione sit capax coniugatus.ibid.n.306.
An bigamus possit ex Episcopi dispensatione Ordines minores, & Beneficium simplex accipere.p.73.n.310.
Cum testator dixit, vt patronus ad Beneficium eligat semper vnum ex eius consanguineis, quem capacem inuenerit, potestne quem maluerit, licet propinquior non sit eligere. ibid. num. 314.
Beneficium quotuplex admittatur. p.74.n.319.
An spectato iure naturali Beneficiatus curam animarum habens, si non resideat, teneatur ante vllam sententiam fructus restituere.ibidem n.322.
An si quis absit ex legitima causa à superiore approbata, suos faciat fructus Beneficij, si in scriptis approbationem non habeat. p.77.n. 343.
Beneficio priuaturne Beneficiatus si sua culpa contracta sit irregularitas, aut aliud iuris impedimentum, quo promoueri ad ordines non valeat, de quo nequit dispensationem obtinere.p.78.n.347.
Beneficium minori resignanti daturne restitutio in integrum.ibid.n.353.& 354.vbi num.355. Author resoluit.p.79.
Beneficij resignatio an interdicatur nouitio Religioso. p.79.n.358.
Potestne seruatis conditionibus à Concilio præscriptis admitti Religiosi nouitij Beneficij resignatio, si non habeat vnde viuere possit.p. 79.n.362
Si quis procuratorem constituit, ad resignādum Beneficium reseruatis fructibus, ipse vero reseruata fructuum parte, vel pensione, resignationem fecit, tenetne resignatio.p.80.n.366.
An Beneficij resignatio ex metu cadente in constantem virum facta sit ipso iure irrita. p. 81.num.376.
Beneficij resignatio dolo seu fraude facta estne ipso iure nulla.ibid n.379.
An mutua Beneficiorum resignationis admissio, sit tacita illorum collatio.ibid.n.381.& 382.
Si vicario concedatur potestas admittendi resignationes Beneficiorum ex causa permutationis, potestne Beneficia ea cōferre.p.82.n.387.

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. VI. VII.
F. I.
C

Dispensatus ad vnum Beneficium potestne id cum alio simili permutare.ibid.n.390.
In resignatione ad permutationem coram Pontifice, estne facienda Beneficiorum de iuris rigore obtentorum mentio.ibid.n.394.
Beneficij vacationem ipso iure inducitne matrimonium per verba de præsenti.p.83.numer. 398.
Ex matrimonio quod nullum est, vacantne Beneficia.ibid.n.401.
An nuntius religiosus debeat vocari ad Electionem ratione Beneficij competentem. pag.84. num.405.
Crimen læsæ maiestatis humanæ priuatne ipso iure Beneficio.ibid.n.408.
Beneficij prinationem inducitne ipso iure homicidium.ibid.n.411.
An penuntium inducat Benoficij priuationem ipso iure.p.85.n.414.
An Capitulum sede vacante habeat potestatem Beneficia vniendi.p.85.n.418.
Beneficia vniendi an insit potestas Episcopi vicario.ibid.n.422.
Legatus à latere, an beneficia prouinciæ sibi demandata vnire possit. p.86.n.425.
Vt Beneficiorum vnio geri valeat conditiones subiiciuntur. ibid.n. 429.
Beneficiorum permutatio sine Episcopi authoritate facta est simoniaca p.101.n 25.
In beneficij resignatione, quandonam committatur simonia.ibid.n.26.
An beneficium Ecclesiasticum inuendibile esse procedat ex iure diuino p.112.n.101.
An beneficij resignatio in manibus ordinarij facta contineat simoniam.p.114.n.119.
Si ad beneficij electionem vnus solum appareret idoneus,liceretne tibi pretium offerre directè,vt ille eligeretur,si electores vellent in alios inclinare.p.117.n.141.
Beneficium, Vide verb. *Pensio, Simonia.*

Bibliopola.

Bibliopola ad quæ teneatur? p.349.n.27.

Bonum.

Bona Ecclesiastica quænam alienari nequeant? p.27.n.6.
Bona quænam sint immobilia.ibid.n.7.
Quænam sint mobilia pretiosa. ibid.num.8. & p.28.n.9.10.
Bona patrimonialia sunt à tributorum solutione immunia.p.297.n.20.

Cæmeterium.

Cæmeterium, quod Ecclesiæ contiguum non est gaudere immunitate Ecclesiastica? p.8.n.61.

Calumnia.

Calumnia in accusatione est cauenda. p. 245. numer.31.

Canonicus.

Canonicus, qui præsens non fuit eligendorum examini, potestne in hac electione suffragium impertire.p.64.n.233.
Canonicum non facit sola præbenda, sed iuris spiritualis collatio.p.336.n.36.
In Canonicum receptus cum præbendæ promissione potest eam exigere.ibid.numer.37.
Qui priuilegium Canonicatus obtinet cum futura successione non tenetur horas recitare.ibidem numero 38.
Tenetur Canonicus recitare, etiamsi primo anno fructus non recipiat.p.337.num.39.

Capitulum.

Capitulum sede vacante non confert beneficia libera, sed necessaria.p.40.n.33.
De Capitulo fusè.p.337.à n. 41. ad 49. & p. 338.n.50.& 51.

Capellania.

Capellania potestne conferri Clerico minorum ordinum,si fundator dixit, vt Presbytero conferatur.p.46.n.83.

Cardinalis.

Cardinalatus quid sit? pagina 336.numero 27.
Cardinalis potest censuras in Eccles.a sui tituli ferre. ibidem numero 28.
Solum Pontificem habet vt proprium Pastorem. ibidem numero 30.
Potest sibi confessarium eligere.ibid.num.31.
Qui eum percutit ipso iure beneficio priuatur. ibidem numero 32.
In Ecclesia sui tituli potest leges ferre. ibidem.n.33.
Quid de Cardinalium declarationibus. ibid. numero 34.
Potest si Presbyter Ordines minores conferre. ibidem num.35.

Chirurgus.

Chirurgi ad quid obligentur. p.347.n.18.

Clericus.

Clerici non possunt confugientes ad Ecclesiam expellere.pagina 32 num. 9.
An Clerici Beneficiati, vel in maioribus ordinibus constituti gaudeant immunitate Ecclesiastica comparatione iudicum suorũ in criminibus non exceptis. p.151.num.97.
Clericus ob acceptam iniuriam in causa sanguinis, an possit propriè accusatoris personam gerere.p.273.num.259.
Quinam Clerici sint à tributorum solutione immunes. pagina 297. numero 18.
De rebus ad negotiationem adductis tenentur. ibidem numero 19.
Quinam Clericorum nomine intelligantur. p. 332. num. 1.
Clerici iure Canonico decem priuilegiis potiuntur. ibidem numero 2.
In rebus spiritualibus Clerici sunt iure diuino à ciuili potestate immunes.ibidem. n.3.
Clerici non sunt immunes à legibus ciuilibus quæ non sunt contra Ecclesiasticam libertatem. ibidem numero 4.
Clerici non possunt priuilegio Canonis & fori renunciare.pagina 333. numero 6.
Clericales vestes quæ sint. ibidem. num.11.
Clericis à sacris Canonibus plura prohibentur. ibidem numero 12.

Coadiutor.

Coadiutor teneturne interuire pro Coadiuto ex vi Coadiutoriæ assumptæ.p.47.n.87.

Si absens sit vel infirmus Coadiutus, potestne Coadiutor choro assistere, vocemque in Capitulo habere, etiam Coadiuto nolente. ibid. num.90.

Si Coadiutus sit infirmus, aut alias legitimè impeditus, an sit habendus pro præsenti, licet Coadiutor non inseruiat. ibid.n.93.

An Coadiutori proprietarij debeatur sedes. pag. 48.n.96.

Coadiutor habetne ius ascendendi in superiorem sedem, ita vt procedere possit Canonicos proprietarios nouiter ingressos. ibid.n.99.

Coadiutor quandonam pro præsenti habeatur, vt fructus ac distributiones Coadiuto lucretur, ac si personaliter resideret. ibid.n.102.

Collatio.

Collatio quid sit p.37.n.11.

Copula.

Copula coniugalis polluitne templum.p.4.n.25.

D

Debitor.

AN Debitor ad Ecclesiam confugiens potiatur immunitate Ecclesiastica.p.12.n. 104.

Debitor tributorum potestne ab Ecclesia extrahi. ibid.n.107.

Debitor suspectus de fuga, & ad Ecclesiam confugiens, an possit inde fuga extrahi, & iudici trahi, vt creditor securus reddatur. ibid.n.110.

An Debitoribus fallitis sit immunitas concessa. p.13.n.113.

Denunciato.

Denũciato quotuplex admittatur.p.273.n.260.

Denunciarine potest iudicialiter quis saltem ex edictorum vi? p.274.n.267.

Teneturne Denunciare filius patrem hæreticum p.275.n.271.

An excusentur à Denunciando illi, quibus est edictum petendi consilij, vel remedij causa. ibidem.n.275.

Dignitas.

Dignitatis nomine quid veniat intelligendum. p.216.n.34.& 38.

Dux.

Ducis obligationes quot admittantur. p. 347. n.20.

E

Ecclesia.

ECclesia Episcopi authoritate fundata, licet non benedicta, licet diruta gaudet immunitate.p.2.n.2.

Ecclesiæ nomine quid veniat intelligendum. ibidem n.3.

Ecclesia polluiturne sacrilegiis si occultè fiant. P.5.n.28.

An Concilia, contractus politici, &c. in Ecclesia fieri prohibeantur vera & rigorosa prohibitione. ibid.n.35.

Suntne prohibiti in Ecclesia contractus ab Ecclesiasticis celebrati.p.6.n.39.

Extrahentibus indebite delinquentes ab Ecclesia potestne pœna pecuniaria de iure Canonico imponi.p.25.n.238.

Ecclesiæ res ad longum tempus locari non possunt.p.27.n.1.

Ad quæ bona Ecclesiæ extendatur locationis prohibitio vltra triennium. ibid.n.5.

An Ecclesiæ possessio quæ secundo, vel tertio anno solet fructum reddere possit & vltra triennium locari stante Pauli II. constitutione. p.31.n.34.

Ecclesia reprobat Principum sæcularium leges, quæ Ecclesiasticis bonis, vel personis decernunt.p.333.nu.5.

Ecclesia, Vide verb. *Immunitas Ecclesiastica.*

Electio.

Electio quænam dicatur.p.37.n.9.

Electio estne irrita ob suffragij manifestationem p.63.n.227.

Electio, Vide verb. *Beneficium, Beneficiatus.*

Emphyteusis.

Emphyteusis rerum Ecclesiasticarum est prohibita.p.28.n.14.

Emphyteusis concessa ea conditione ne ad Ecclesiam aut personam potentiorem transferatur, transitne adhuc ad monasterium succedendi capax.p.196.n.n.115.

Emphyteuta sæcularis habens in Emphyteusim rem Ecclesiæ, an sit liber à gabellæ solutione. P.322.n.234.

Episcopus.

Episcopus potestne ab Excommunicatione, quam extrahens iniustè delinquentem à loco sacro contrahit, absolnere.p.26.n.245.

Episcopus in propria diœcesi omnũ est collator beneficiorum.p.40.n.31.

An Episcopus teneatur aduersus Parochos non residentes remedia, quæ à iure adhibentur eo ordine tentare, quo sunt præscripta. pag. 75.n.325.

An Cardinales Episcopi ob assistentiam in Romana curia excusentur à residentia in suis diœcesibus.p.76.n.332.

An ad absentiam trium mensium in Episcopis honestandam sufficiat, si fiat animi recreandi causa. ibid.n.335.

Episcopi possuntne monasteriis exemptis ab eius iurisdictione subiectisque Prælatis regularibus clauturam monialibus indicere, & indictam instare an obseruetur.p.146.n.200.

An Episcopo competat approbatio causæ, vt monialis monasterij exempti claustro egrediatur.p.147.n.204.

Si Episcopus Regularis habitu suæ Religionis dimisso, sæcularis Episcopi induat habitum incidritne excommunicationem. pag. 172.n.397.

Debitum morale, quod gerit Regularis Episcopus seruandi ordinis Regulas, inducitne sub veniali piaculo obligationem. ibid.n.404.

An Episcopus regularis possit feriasexta, vel sabbatho, in quo natalis Domini incidit, carnibus vesci, si ex Regulæ præscripto ad id sit vetitum.p.173.n.408.

Episcopus Regularis fruiturne priuilegiis gratiis sui ordinis Religioso concessis. ibidem num.411.

Episcopus qui absque Pontificis facultate Religionem ingreditur emittitne professionem validam.p.187.n.48.

E.SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
F. I.
G

Episcopus habetne potestatem compellendi Religiosos non exemptos,ex vi voti, obedientiæ ab ipsis emissi,ad observantiam regularem.p. 207.numer.197.
In quibus possit peccare Episcopus ante Episcopatus receptionem.p.335.n.21.
Episcopi nomen ac officium quod.ibid.n.22.
Quãdo obligetur quis ad Episcopatum recipiendum?ibid.numero 23.
Leuiter peccat,qui sciens se indignum, eum accepit.ibidem numero 24.
Obligatur intra tres menses consecrationem suscipere. ibidem numero 25.
Episcopi obligationes nonnullæ recensentur. ibidem numero 26.
Non potest Episcopatum sine Pontificis licentia deserere. ibidem numer.27.
De religioso ad Episcopatum transeunte quid. ibidem num.28.
Episcopus, Vide verb.*Beneficium,Beneficiatus.*

Examen.

Examen pro beneficijs simplicibus estne necessarium si persona sit nota.p.65. num.242.
Examen factum ab Episcopo cum tribus examinatoribus synodalibus, alio non synodali concurrente,estne irritum.p.61.n.210.
Valetne Examen factum ab Examinatoribus synodalibus, qui iuramentum non præstitere, suum munus fideliter exequendi.ibidem num.213.
Examinatores debentne, renunciare non solum qui idonei sibi visi fuerint, sed etiam qui inter ipsos digniores existant.p.62.n.216.

Excommunicatio.

Excommunicationem incurruntne ipso facto ex constitutione Gregorij extrahentes indebite reum ab Ecclesia. p.25. n.242.

F

Feudum.

FEudum rerum Ecclesiasticarum prohibitum est.p.28.n.14.

Filius.

Filius natus ex parentibus solutis voto simplici castitatis ligatis, an sit censendus spurius.p. 65.numero 246.
An Filij expositi,quorum parentes ignorantur sint vt legitimi reputati,ad beneficia obtinenda-p.66. num.252

G

Gabella.

GAbella quid sit.p.295.n.2.
Gabellæ iustæ in foro conscientiæ sunt soluendæ.p.296.n.12.
Gabellarius seu exactor tributi regij potestne tuta conscientia, illud exigere, quando iniustum præsumitur.p.301.n.46.& 47.vbi n.48. Authoris resolutio deducitur.ibid.
An gabella debeatur ex mercibus prohibitis. pag.307.n.96.
Debeturne Gabella ex rebus, quæ non ad negotiationem, sed ad proprium vsum deferuntur, aut emuntur.ibid.n.99.
An Gabella debeatur emphyteusi,seu locatione ad longum tempus.p.311.n.133.
An debeatur Gabella ex transactione quæ fit ad litem terminandam.ibidem n.136.
Quando res dotales dantur marito æstimatæ, an ex iis Gabella debeatur.p.312.n.146.
Venditio inducitne obligationem soluendi Gabellam ante traditionem.p.313.n.155.
Debeturne Gabella ex venditione antequã pretium sit solutum,si res tradita sit.ibid.n.158.
An Gabella debeatur ex census redemptione. p. 315. nu.167.
Ad Gabellam soluendam computandumne est, quod licitatori datur pretium mercis augenti. 318.n.204.
An debeatur Gabella ex onere, quod vltra pecuniam emptori imponitur.p.319. num. 206. & 207.
Nouitij Religionum debentne de bonis propriis quæ retinent,Gabellas soluere.p.321. numer.228.
Regularium coloni debentne Gabellam soluere.p.322.n.230.
Ecclesiasticus an debeat de bonis patrimonialibus Gubellam soluere.ibid.n.237.
Pœnæ à iure latæ contra imponentes, vel exigentes Gabellas ab Ecclesiasticis.p.323.num. 25.
Gabella,Vide verb.*Tributum.*

H

Hæreditas.

HÆreditas, & legatum *monacho* post professionem delatum defertne ipsi immediatè.p.196.n.119.

Hæresis,Hæreticus.

Hæreseos rei immunitate Ecclesiæ omnino priuantur.p.3.n.15.
Hæreseos rei qui dicantur. ibid.
Hæreticus in aliis criminibus ab hæresi potitur Ecclesiæ immunitate.p.10.n.83.

Histrio.

Histriones ad quid teneantur. p.349.numer. 31.

Homicidium.

Homicidium, vulneratio, &c. suntne sacril. gia si in templo fiant,independenter ab Ecclesiæ prohibitione.p.5.n.31.
Homicidium inducitne ipso iure Beneficiorum ptinationem.p.84.n.411.

& Verborum.

I

Iesuita.

IEsuita, Vide verb. *Societas Iesu.*

Immunitas Ecclesiastica.

Immunitas Ecclesiastica quid sit, & quo iure. p.2.num.1.

Immunitate gaudet Ecclesia Episcopi authoritate fundata licet diruta, & non Benedicta. ibidem. num.2.

Immunitate gaudent domus regulares, palatium Episcopi, oratoria, &c. ibid.n.4.

Immunitas hæc quot pariat effectus. ibid. numer.5.

Immunitate gaudet omnes fideles baptizati, & infideles si velint Christiani fieri. ibidem num.7.

Immunitas Ecclesiæ quandonam non violetur, reusque ius non habeat, vt priuilegio potiatur. p.5.n.11.

Immunitate non gaudet publici fures. ibid. num. 12.

Nec proditorie proximum occidentes. ibid. n. 13.

Nec assassinij rei. ibid.n.14.

Nec rei hæreseos. ibid.n.15.

Nec rei læsæ Maiestatis in principis personam. ibid.n.16.

Immunitatis Ecclesiæ violator quas pœnas incurrat. p.4.n.19.& 20.

An loci sacri Immunitas, ne ad eum confugientes, vi aut dolo extrahantur, sit late interpretanda. p.5.n.41.& 42.

An vt loco alicui Immunitatis reuerentia debeatur, necessarium sit, vt in eo angustissimum Eucharistiæ Sacramentum permanenter existat. ibid.n.48.& 49.

Vt locus sacer Immmunitate gaudeat, sit necessarium vt inibi diuina celebrentur. pagina 7.n.53.

An Immunitas loci sacri extendatur ad domum Episcopi, cum vltra quadraginta passus à templo cathedrali non distat. ibid. n.56.

An Immunitate gaudeat cœmeterium Ecclesiæ non contiguum. p.8.n.61.

Immunitatis priuilegio gaudentne domus Eminentissimorum Cardinalium. pagina 8. num.64.

An domus Clericorum, quæ intra 40. Cathedralis Ecclesiæ passus existunt, Immunitate fruantur. p.8.n.68.

Immunitatis priuilegium extenditur ex iure ad tabernaculum Eucharistiæ, & ad Presbyterum Eucharistiam deportantem. ibid.n.71.

An extendatur Immunitatis priuilegium ad Principis statuas. p.9.n.72.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ fruatur immunitate. ibid.n.76.

An ab Immunitatis indulto excludatur excommunicatus. ibid.n.79.

Infideles gaudentne immunitate. pagina 10. n. 86.

An qui in carcere recluſi, fractis catenis, ad Ecclesiam confugiunt, an fruantur Immunitate. ibid.n.89.

An si quis data fide custodi iuramento firmata ad carcerem redeundi confugiat ad Ecclesiam fruatur Immunitate, si carceratio iusta fuit. ibid.n.93.

An seruus per respectum ad dominum fruatur Immunitate, si in delicto graui dominus iuramento præstito dat securitatem. p. 11.n.101.

Immunitas estne concessa debitoribus fallitis. p. 13.n.113.

An diurnus agrorum depopulator excluſus sit ab Immunitatis priuilegio Gregorij constitutione. p.13.n.117.

An viarum grassator excludatur ab Immunitate, si in viis publicis & frequentatis spoliet, vulneret, vel occidat viatores, vel alibi hæc exerceat. ibidem. numer. 119. & p. 14. num.120.

An quodlibet graue delictum in Ecclesia perpetratum Immunitatis priuilegio reum priuet. p.14.n.123.124.

Simplex fur estne ex consuetudine ab Ecclesiæ Immunitate excluſus. ibid.n.127.& 128.

Ad Ecclesiam armatus confugiens priuaturne eius Immunitate. p.15.n.132.

Homicida debetne in Ecclesia delinquere sub spe Immunitatis, vt Immunitate priuari censeatur. ibid.n.135.

Priuaturne Immunitate qui in Ecclesia existens alium extra commorantem sagitta, vel sclopo occidit. ibid.n.137. E contra. pagin.16. num.141.

Mandans aliquem in Ecclesia interimi, an Immunitate priuetur. ibid. n.144.

Vi aut dolo aliquem ex Ecclesia extrahens, & extra occidens priuaturne Immunitate. ibidem.n.147.

An immunitate priuetur delinquens ex homicidio in templo perpetrato, quoad alia delicta ante, vel post commissa. p.17.n.151.& 152.

Inimicum suum dormientem, vel alio modo incautum per insidias occidens excluditurne ab Immunitate. ibid.n.157.

Proximum suum per industriam interimens, at non vtens ad id præstandum insidiis, an fruatur Immunitate. p.18.n.160.

An qui per industriam insidiosam proximum vulnerat animo occidendi, tametsi mors non sequatur, priuetur Immunitate templi. ibid. num.163.

An proditorie infidelem interimens priuetur Immunitate. p.18.n.166.

Spectato iure communi an assassinij rei excluſi sint ab Ecclesiæ Immunitate. p.19.n.168.& 169.

Promittens sicario, se ei daturum aliquam in vxorem, vt alium occidat, illeque occidit perpetratne crimen assassinij, cui est Immunitas denegata. p.19.n.173.

An occidens pretio conductus infidelem cõmittat assassinij crimen, cui est Immunitas denegata. p.20.n.179.

An accipiens pecuniam ad occidendum, sed non occidit, sed vulnerat solum, sit assassinus, cui templi negatur Immunitas. ibid.n.182.

Excluditurne ab Immunitate reus læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis. ibid. numer.185.

An

E.SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: XVI. VII.
F. I.
6

An ratione consuetudinis alij præter exceptos in iure casus excipiantur ab Immunitate. ibid.n.188.
An ex identitate rationis alij casus ab Immunitate excipiantur.p.21.n.190.& 191.
Suntne Immunitate priuati Virginum raptores. ibid.n.195.
An Sodomita spectato rigore iuris sit ab immunitate exclusus.ibid.n.198.
Immunitas templorum denegaturne sacrilego. p.22.n.201.
Periurus priuaturne Immunitatis indulto. ibid. num.205.
Incendarius negaturne Ecclesiæ immunitas.ibid. num.208.
An falsificantes falsam monetam sint ab immunitate exclusi.p.23.n.214.
Prodestne immunitas Ecclesiæ delinquentibus in criminibus exceptis quoad alia crimina nõ excepta.ibid.n.218.
Immunitatis Ecclesiasticæ primus & præcipuus effectus quis? ibid.n.219.
Delinquens fugiens ad Ecclesiam potestne inibi aliigari, vel alia via custoditi, dum causa ab ordinario examinatur, an debeat frui immunitate.ibid.n.230.

Institutio.

Institutio quę dicatur?p.37.n.8.
An institutio valeat, si fratres minores non absolutè hæredes instituantur, sed adiecta clausula,vt hæreditas vendatur, & in ipsorũ vtilitatem pretium cedat.p.198. n.127.

Intentio.

Intentio recta requiritur ad legitimum iudicium.p.242.n.3.

Iudex, Iudicium

Ad iudicium legitimum quæ requirantur.pag. 241.n.1.p.242.n.2.& 3.
In iudice necessaria est scientia.p.242.n. 4.
Non debet absolui nisi officij renunciationem faciat.ibid.n.5.
Iudex tenetur parti læsæ satisfacere,si eius culpa læsio facta fuit.ibid.n.6.
Tenetur monere litigantem,vt damnum quod sua causa ei imminet impediat,si possit impediri.ibid.n.7.
Tenetur causas iudicare, ac celeriter expedire. ibid.n.8.
Interdum etiam fisco tenetur restituere.ibidem. num.9.
Contra criminosum quot modis procedi possit ibid.n.10.& seqq.
Iudex antequam procedat vi infamiæ debet ipsa infamia probari.p.243.n. 14.
Quid iudici liceat,quid non, circa torturam rei, qui potest torqueri.ibid.n. 15.
Quid ad rei torturam requiratur.ibid.n.16.
Iudicis peccata circa rei torturam quæ. ibid. num.17.
Licet reus confessionem iniustè extortam ratificet,nequit iudex ad punitionem procedere. ibid.n.18.
Quid si contra reum graviora extent indicia. ibidem.n.19.
De torturæ iteratione. ibid.n.20.
Iudex debet iuxta leges sententiam proferre. ibid.n.21.
Iudex non potest esse in causa, qua fuit aduocatus.p.244.n.22.
Quid si sciat aliquem esse innocentem cum iudice probatus sit nocens. ibidem n.23.
E contra.ibidem.n.24.
Quid si vtrinque sententiæ sint probabiles.ibidem.n.25.
Quid si opiniones oppositæ æque probabiles sint.ibid.n.26.
Iudicis obligatio,qui iniustam tulit sententiam, quæ.ibid.n.27.
Sententia iniusta in conscientia non obligat, secus in foro externo.ibid.n.28.
De iudice munera accipiente quid.ibidem.numero 30.
An iudex,qui officium petit,& suscipit, sciens esse alium aptiorem, ad restitutionem damnorum teneatur.p.250.n.70.
An valeant iudicis acta, qui quando iudicat, excommunicatione etiam toleratus illigatur. ibid.n.73.
Iudex excommunicatus toleratus potestne validè alios excommunicare.p.251.n.76.
Iudex excommunicatus toleratus peccatne lethaliter,si suo fungatur munere,quandiu absolutionem non obtinet.p 251.n.79.
Iudex excommunicatus non toleratus tenetur ne ad restitutionem; si aliquem alias dignum ea pœna condemnauit ad soluendum certam pecuniæ summam,vel capitali sententia affecit.p.252.n.83.
An validæ sint sententiæ,& alij actus iudiciis inuadentis iniustè principatum.p.253.numer. 94.& seqq.
An iudex extrahens ab Ecclesia delinquentem eius violator immunitatis,si postea eum puniat iuxta delicti grauitatem eine infert iniuriam restitutioni obnoxiam pro damnis omnibus sequutis. *pagina 254.* numero, 102.
Iudex potestne aliquem priuatum licitè ac validè comprehendere, qui per vim aut dolum reum ab Ecclesia extraxit. ibidem numer.105.
An iudici liceat cõdemnare reum,qui per testes legitime probatur crimen patrasse, si iudex certo scit, eŭm innocentem. pagina. 255 n.111.
Iudex supremus potestne condemnare eum, quem scit certo deliquisse, licet probetur innocens,vel saltem non probetur esse nocens. p.256.n.119.
Iudex quonammodo possit procedere per inquisitionem.p.257.n.125.
Et quot regulæ ad id aduittantur. ibid.
An à iudice possit infamatus, & conuictus de vno crimine, de aliis occultis interrogari, de quibus infamatus non est.p.257.n.129.
Conuictus de crimine, an à iudice possit de sociis occultis infamia non laborantibus interrogari.p.258.n.132.
Iudex potestne interrogare in crimine Sodomiæ de sociis non infantis.ibid.n.135.
An iudex possit vnquam condemnare reum, simul & punire sine accusatore.p.259.n.144.
Vtrum possit iudex inferior aliquando accusationem acceptare, & acceptatam rescindere: sed alia via satisfacere, & ad remedium procedere.ibidem. n.148.
Iudex seu superior potestne à denunciatione paterna ad iudicialem transire.p.261.n.159.

& Verborum.

Iudex inferior poteſtne imminuere pœnam à lege præſcriptam, quando reus eſt vir publicus, vt bono communi valdè neceſſarius? p.263. n.172.

Poteſtne Iudex pœnam imponere capitalem, quando pœna imponenda pro delicto eſt arbitraria? ibid.n.175.

An ſit licitum apud Iudices pro delinquentibus intercedere. ibid.n.178.

Iudex qui ſine ſufficienti cauſa pœnam pecuniariam relaxanit, vel imminuit teneturne ad reſtituendum illi, cui pœna illa deberet applicari. p.264.n182. Iudex inferenda ſententia teneturne opinionem magis probabilem ſequi. p.265.n.189.

Iudex qui ſine rationabili cauſa ſententiam profert pro parte probabili contra probabiliorem, teneturne ei aduerſus quem tulit ſententiam reſtituere? p.266.n.195.

Num Iudex poſſit rem indiuiduam, cui voluerit applicare? ibid.n.199.

Iudex, qui accepit aliquid ab aliquo, ne aliũ interimeret, quem occidere iniuſte volebat, teneturne reſtituere? ibid.n.203.

Munerum acceptio, quæ à Iudice ex iure naturæ ſit prohibita, an obliget ad reſtitutionem? p.267.n.209.

Leges Iudicem obligantes ad reſtitutionem munerum iniquè acceptorum, iuntne intelligendæ de obligatione ante condemnationem vel declarationem? p.268.n.213.

An poſſit Iudex minori extraordinaria pœna reum punire, quando non habetur probatio plena, ſed totum præſumptiones, & indicia vrgentia. ibid.n.216.

Iudex contra ius aliquid nouit à reo vel à teſte, an poſſit ex tali notitia reum punire in aliquo caſu? p.269.n.223.

An Iudici liceat eum damnare, qui crimen faſſus eſt ſpe veniæ ſibi à Iudice promiſſæ? pag. 270.n.235.

Peccatne Iudex qui informationem traditam ab vno litigante dat alteri parti videndam ob amicitiam? p.271.n.246.

Qui iudicis ſententia damnatur ad manendum in carcere perpetuo propter delicta, poteſtne licitè fugere? p.288.n.585

Ius.

Iuris ordo quinam ſit. p.247.n.45.

Iuſpatronatus.

Iuſpatronatus quid? p.29.n.19.& p.37.n.7.

Iuſpatronatus poteſtne acquiri præſcriptione vel conſuetudine? p.50.n.114.

Iuſpatronatus hæreditatum tranſitne ad fideicommiſſarium, vel vſufructuarium vniuerſaliter? ibid.n.117.

Si quis Iuſpatronatus vendat contra iuris ordinem, venditne inualidè? ibid.n.118. & 119. vbi n.120. reſoluit Author. ibid.

Caſu quo plures patroni exiſtant alicuius Eccleſiæ, poteſtne vnus alteri Iuſpatronatus cedere abſque Ordinarij conſenſu? p.51 n.123.

Iuſpatronatus an ſit incapax ſpurius, irregularis aliaque inhabilitate affectus? ibidem. num. 126.

An Iurapatronatus annexi vxoris bonis in dotem datis, tranſeant in maritum? ibidem. num. 129.

An Iuſpatronatus inuendibile ſit ex iure diuino? p.113.n.108.

Iuriſdictio.

Iuriſdictio ad iudicium legitimum requiritur. p.241.n.1.

L

Legatum.

Legatum relictum monaſterio incapaci retinendi poteſt alienari à Prælato. p.28. n.12. Legatum Eccleſiæ relictum, ſi acceptetur & refundatur in Eccleſiæ bonum, an non poſſit alienari, & Eccleſia vel monaſterium poſſit illud non acceptare. p.33.n.57.

Legatum relictum ea conditione, vt nunquam alienetur, poteſtne ſeruatis ſolemnitatibus à iure præſcriptis alienari? p.35.n.71.& 72.

Locatio.

Locatio rerum Eccleſiæ poteſtne ad vitam alicuius geri, ſi veroſimili coniectura putetur longo tempore non eſſe victurum? p. 30.n.24.

Locatio facta vltra triennium eſtne firma, qua parte triennium comprehendit, licet ſit infirma & irrita qua parte excedit. pag.31. num.37.

Mandatum ad locandum vltra triennium poteſtne extendi. ibid.n.40.

Locus ſacer.

Locus ſacer, Vide verb. *Immunitas Eccleſiaſtica.*

M

Magiſtratus.

Magiſtratuum quot admittantur obligationes? p.345.n.8.

Magiſter.

Magiſtri obligationes quæ? pag.344.n.5.

Medicus.

Medicus ad quid teneatur. p.346.n.16.

Mercator.

Mercatorum negotiationes quæ debeant eſſe. p.348.n.24.& 25.

Miles.

Militum regulæ proponuntur. p.347 n.21.

Monialis.

Moniales ordinis D. Dominici poſſunt in mortis articulo profeſſionem ex priuilegio emittere, at monaſterium poteſtne in bonis ſic profeſſæ in præiudicium venientium ab inteſtato ſuccedere. p.135.n.115.

Moniali quibus ex cauſis poſſit licentia egreſſus concedi. pag. 147. num. 208 & ſeqq.

Pœnæ præſcriptæ Monialibus clauſuram violantibus, afficiuntur Monialem legitimo titulo egreſſam ex conuentu, ſed iniquè extra clauſtra commorantem. pagina. 148. numer. 216.

Monialis quæ ex vno monaſterio in aliud remeat, ſi in via accidat, vt ad locum accedat in quo aliud monaſterium ex quocumque ordine exiſtat, poteſtne inibi hoſpitio recipi. p.149.n.223.

Licentia exhibenda à ſuperiore in ſcriptis, vt quis Monialium clauſtra ingrediatur proceditne in caſibus frequenter occurrentibus, & à iure conceſſis p.150.n.231.

An legitima ſit ingrediendi clauſtra Monialium

lium causa exhortatio facienda, suscipiendaque in electione Abbatissæ suffragia. pagina 151.num. 239.
An famulæ admitti possint directe pro priuato Monialis ministerio. ibidem. numero 242.
Monialis colloquendæ ergò prohibitus frequens accessus, inducitur ne duobus solum actibus. p. 152. n. 246.
Sub accessu prohibito comprehenditur ne ad Monialem litterarum immissio. ibidem. numer. 249.
Accessus ad Monialium conuentus, vt quis cum eis colloquatur esse non per se sub pœnis prohibitus, secluso circumstantiæ extremi. p. 153. n. 255.
Moniales possunt ne ex laxiori Religione ad strictiorem transire. p. 175. n. 428.
An a Monialium præsentatura excludantur fœminæ illegitimæ. p. 193. n. 93.
De Monialium clausura fuse. pag. 341. 342. & 343. a n. 20. ad 34.

Monasterium.

Monasterium potestne statuto ciuili alias capax successionis, ab ea excludi. pag. 194. num. 105.
Monasterium succedit ne in maioratu habente clausulam expressam, vel tacitam excludentem religiosos, si Religiosus enim ante professionem possideat. p. 195. n. 112.

Munus.

Munus à manu quod. p. 99. n. 6.
Munus à lingua quod. ibid. n. 7.
Munus ab obsequio quod dicatur. ibid. n. 8.

N

Notarius.

Notarij obligationes quæ. pag. 249. numero 65.
Notarij qui protocollum impleri non curant an delinquant lethaliter. p. 292. n. 414.
Notarius teneturne restituere ea quæ vltra taxam nouam accepit. p. 293. n. 425.

Nouitius, Nouitiatus.

Nouitiatus annus quomodo computandus sit. p. 123. n. 19.
Priuilegium Nouitiæ D. Dominici. p. 124. numero 20.
Nouitiatus annus non debet esse interruptus. ibid. n. 21.
Nouitiatus essentia quæ. ibidem. n. 22.
Nouitius debet Religionis habitum gestare. ibidem.
Nouitius potest extra monasterium peragi de superioris licentia ibid. n. 23.
Censuræ contra recipientes in Ordinibus mendicantium Nouitium ad professionem ante completum probationis annum. ibidem. numer. 24.
Nouitius non adstringitur Religionis statutis. ibid. n. 25.
Nouitius gaudet Canonis, & fori priuilegio aliisque pluribus. ibid. n. 26.
Nouitius non tenetur monasterio soluere expensas si egrediatur. ibid. n. 27.
Nouitio egredienti restituendus habitus valor, si illius expensis factus fuit. ibid. n. 28.
Nouitius non reincidit in censuras à quibus in Religione fuit absolutus, illius priuilegio. ibidem numero 29.
Nouitiorum priuilegia. p. 133. n. 99.
Episcopus domicilij Nouitiorum à quo ipsi possunt Ordinibus initiari, est ne Episcopus loci illius, in quo monasterium residet. pagina 134. n. 102.
An ex priuilegio Iulij II. Religioni Minorum concesso Nouitiatus possit duplici exparte interpolatus compleri. p. 136. n. 123.
Si Nouitius laboraret amentia, quæ per mensis duraret spatium, deberetne anno probationis suppleri ad tempus. p. 137. n. 127.
Nouitiatus continuatio debetne esse vique ad professionem. ibid. n. 128. & 129.
Num Nouitij probatio possit ante annum decimumquintum inchoari. ibid. n. 133.
An necessum sit, vt nouitij probatio in monasterio fiat. p. 138. n. 137.
Si extra monasterium Nouitius vagetur sine superioris licentia habitu dimisso, licet non non adsit e Religione egrediendi animus, cessatne eo ipso eius probatio. ibidem num. 140.
An Nouitiatus possit existere absque habitus Nouitiorum gestatione. p. 139. numero 143.
Dispositio bonorum via testamenti a Nouitio facta, est ne valida in Religione succedendi capaci. p. 139. n. 147.
Nouitius ante ingressum Religionis suis bonis renuncians, debetne leges communes Regni in ea dispositione seruare. pag. 140. n. 157.
Quando Nouitius de testamento non condito nec renunciatione facta, succedat in illius bonis monasterium, seclusis hæredibus ab intestato. p. 141. n. 160.
Decretum Trid. annullans solummodo Nouitiorum renunciationem, extenditurne tantum ad Nouitios sexdecim annis minores. 142. n. 168.
Ex bonis Nouitij potestne mutuum dari monasterio, præstita sufficienti cautione, de reditu, si Religionem deserat. ibid. n. 171.
Facta legitima renunciatione bonorum Nouitij in fauorem monasterij, possuntne ea bona monasterio tradi ante professionem, monasteriumque recipere. p. 143. n. 178.
Vt renunciatio hæreditatis patris viuentis in alicuius extranei fauorem facta à Nouitio habeat effectum, debetne monasterium cedere præter supradictam solemnitatem. pag. 144. n. 18.
Nouitiatus estne repetendus ad professionis inualidæ ratificationem. p. 189. n. 64.
Nouitiatus ingressu tollitur ne irregularitas ex defectu natalium orta. pagina 192. num. 90.

O

Obedientia.

EX Obedientiæ voto Religiosus ad plura tenetur. p. 183. n. 20.
Obedire non tenetur, quando præceptum in falsa præsumptione fundatur. ibid. num. 21.

Quid

Quid si dubitet rem præceptam esse licitam. ibid.n.22.
Circa obedientiæ obligationem nonnulla veniunt recolenda.p.208.n.202.

Obstetrix.

Obstetricum obligationes quæ. pagina 349. num. 32.

P

Papa.

PApa Christiani Pastor populi vnde dictus.p.334.n.13.
A Christo Domino eius prouenit iurisdictionibid.n.14.
Errare non potest in decretis fidei, quæ toti proponit Ecclesiæ.ibid.n.15.
Secus in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ de facto sunt. ibidem numero 16.

Parochus.

An Parochi debeant pro absentia bimestri sibi à Concilio concessa coram Ordinario legitimam probare.p.77.n.339.
De Parochi legitimitate & ætate quid.p.338. n.52.
Parochi obligationes quot. ibidem numero 53.
Quomodo se gerere debeat confessiones contagio infectorum audituras. ibidem numero 54.

Patronus.

Patronus quis dicatur.p.37.n.7.
Patronatus acquiriturne in dotatione facta Ecclesiæ ædificatæ, & consecratæ. pagina 49. numero 111.
Patronus laicus potestne non tantum bis, sed ter, vel quater variare in præsentatione cumulativa.p.52.n.133.
Patronus qui iuramentum, vel promissionem non variandi gessit, an possit variare. ibidem n.136.
Patronus laicus præsentans indignum priuaturne ea vice potestate eligendi. ibidem num. 139.
Si duo sint à diuersis Patronis nominati, nec appareat excessus, potestne Episcopus alium certum instituere.p.53.n.146.

Pedagium.

Pedagium quid sit?p.295.n.2.

Pensio.

Pensio quid?p.42.n.45.
Pensionem inter, & Beneficium quid discrimins.ibid.
Pensio quotuplex admittatur. ibidem num.46.
& p.86.n.430.
Pensio laica quæ.ibid.
Pensio Clericalis quæ sit.ibid.
Pensio Clericalis simpliciter spiritualis quæ.ibidem.
Pensio Clericalis media quænam sit. ibidem.
Pensiones de iure communi Pontifex solus, Episcopus in nonnullis casibus potest imponere. ibid.n.47.
Et legatus à latere.ibid.n.48.
Quinam ad pensionem obtinendam inhabiles. ibid.n.49.
Pensionarij obligationes recensentur. ibidem numero 50.
In materia pensionis potest committi peccatum iniustitiæ. ibid.n.51.
Et iniquitas intervenire. pagina 43. numero 52.
Et Simonia inesse.ibid.n.53.
Pensio debet esse moderata tertiam partem fructuum non excedens. ibidem numero 55.
Pensio spiritualis estne beneficium. pagina 87. n.433.
Pensio à Pontifice imposita sine legitima causa estne valida. ibidem numero 437.
Episcopus in illis casibus, quibus ei datum est pensionem imponere, potestne eam imponere in Beneficiis, quæ sunt iurispatronatus absque patroni consensu.pagina 88.numero 441.
Pensio Ecclesiastica laico data an sit valida.ibid. n.445.
An ætas septem annorum sufficiat, vt quis pensione Ecclesiastica donari valeat.p.89.numer. 449.
Illegitimus estne capax Clericalis pensionis absque speciali dispensatione, licet ad Clericatum sit dispensatus. ibidem numero 452.
Pensionis accipiendæ an capax existat irregularis.p.89.n.456.
An illegitimus dispensatus ad Beneficium obtinendum, censeatur ad pensionem dispensatus.p.90.n.459.
Potestne quamcunque obtinere pensionem, qui est dispensatus absolutè ab Episcopo ad beneficium.ibid.n.462.
Si Beneficiarius qui pensioni consensit, intendit ab onere soluendi pensionem se excusare, quia non sibi remanent centum libera, ipsine competit onus id probandi.p.91.num. 468.
Cum pensio imponenda sit de Beneficiarij consensu, Beneficio vacante, an sit constituendus beneficij defensor, qui loco beneficiarij futuri pensioni consentiat.ibid.n.372.
Si pensionem imponas beneficio resignato, creduin liberum esse an sit valida pensionis impositio.p.92.n.475.
Cum de Pensione est facienda mentio, an valor eius sit exprimendus. ibidem numero 478.
Succedens in beneficio granato pensione, teneturne soluere pensionem decursam antecessoris tempore non solutam. ibidem numero 482.

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: XVI. VII.
F. I. V
6

Quandonam Pensionem imminuere, vel non soluere possit beneficiarius.p.93.n.485.
An poenas quæ beneficiario non soluenti Pensionem præfixo tempore imponuntur, incurrat eo ipso quo Pensionem non soluit.p.94. n.495.
An possit pensionarius de fructibus perceptis libere testari. p.95.n.505.
Pensio translata estne eadem in translatario, ac erat in transferente.p. 96. n. 506. & 507.vbi n.508.Authoris placitum adducitur.ibid.
An filius illegitimus capax sit, vt in eum patris pensio transferatur.ibid.n.511.
Pensionem extinguendi, quot modi admittantur.p.96.n 412.
Pensiones mere temporales vendi ac redimi possunt,non spirituales,mixtæ possunt redimi non vendi.p.101.n.24.
Pensio potestne sine Simonia propria authoritate redimi.p.112.n.104.

Permutatio.

Permutatio rerum Ecclesiasticarum prohibita est.p.28 n.14.
Permutatio quid.pagin.37.num.12.

Pharmacopola.

Pharmacopolæ obligationes quæ. pagina 347. numero 17.

Pictor.

Pictoris regulæ proponuntur. pagina 349. numero 24.

Portorium.

Portorium quodnam dicatur. pagina 295. numero 1.

Postulatio.

Postulatio quid sit.pagina 37.numero 10.

Prabendæ.

Ad Præbendas affectas oppositores qui. pag. 62.numero 220.
Quando præbendæ fit deuolutio ad superiorem, potestne ipse illam prouidere non seruatis qualitatibus,& oneribus, quibus cum inferior prouidere tenebatur.p.64.n.236.

Prælatio.

Prælationis nomine quid veniat intelligendum. p.216.n.34.& 38.

Prælatus.

Prælati loci sacri quandonam teneantur consignare sæculari curiæ delinquentem. pag.4. num.21.
Prælatus Ecclesiasticus potestne in casibus non exceptis facultatem impertire,vt quis ex Ecclesia ad quam rite confugit à iudice sæculari extrahatur.p.24.n.225.
Et inde resultat Authoris placitum, demnumero 226.
Prælatus potest spatium triennij concessum limitare.p.27.n.4.
Prælatus potest alienare legatum relictum monasterio incapaci retinendi.p.28.n.12.
Prælatus cui facta est deuolutio, an teneatur ex oppositoribus examinatis in tempore semestris ab Ordinario electionem facere.pag. 64.n.239.
Prælati quid debeant circa apostatas,& fugitiuos gerere.p.123.n.16.
Prælatus conuentus potestne circa licentiam ingrediendi monasterium,vices suas Abbatissæ, vel Confessario communicare.p.150.n.227.
Prælatus videns Regulatem subditum obseruatione depositi delinquentem, nec corrigens, tenetutne de deposito.p.162.n.329.
Prælati inferiores regulares possuntne sibi sepulturam eligere.p.165.n.351.
Prælatus potestne subditis Religiosis sepulturam eligere.ibid.n.354.
An Prælati regulares teneantur subditum fugitiuum licet Religioni noxium, reuocare, siue ad reducendum diligentiam adhibere.p.166. n.363.
Prælatus monasterij potestne licentiam impertire,vt quis ad Religionem æquè strictam,vel ad laxiorem transitum agat. pagina 177.n. 442.
Prælatus Regularis potestne subditis præscribere expeditionem ad indos, eorum conuersioni daturis operam pagina 208.numer. 205.
Prælatus regularis potestne inquirere specialiter de subdito, cuius infamia non præcedit.p. 259.n.241.
Prælatus quamdiu in foro paterno, & ante processum iudicialem procedit, an possit subditum rebellem excommunicare.p.261. n.162.
An Prælatus possit adhuc vt pater excommunicare subditum contumacem, si nulla adsit emendationis spes? pagina 262. num. 165.
De Prælato Regulari fusè. pagina 359. num.1. ad 6. & p.340.a n.7. ad 10.

Præsentatio.

Præsentatio quæ intelligatur.pagina 37.numer.7.
Præsentatio iuius estne valida qui se per litteras aut procuratorem instituenti repræsentet. p.49.num.108.

Præuaricatio.

Præuaricatio in accusatione est cauenda.p.245. num.1.

Pretium.

Prætium quotuplex admittatur. pagina 105. num.45.

Procurator.

Procuratoris obligationes quæ? pagina 249. num.66.

Professio, Professus.

Ad Professionem emittendam quis annus requiratur.p.123.n.18.
An ad Professionis validitatem necessarius sit probationis annus.p.134.n.105.
Professi vnius ordinis ad alium transeuntes, possuntne omisso probationis anno profiteri.p. 135.n.111.
Donatio inter vinos sub conditione si Professus donans fuerit, an sit valida non seruata Trid.forma.p.140.n.153.
Ad professionis religiosæ valorem quot conditiones requirantur.pagina 180. numer.1.2.3. & 4.
Professionis vi tenetur Religiosus perfectioni studere.p.181.num.5.& 6.
Professus quotupliciter possit contra statum delinquere.ibid.n.7.
Professus intendens nunquam seruare Regulam lethaliter peccat.ibid.n.8.
Ex consuetudine violare Regulam mortale est. ibid.n.9.
Si Professio fiat sub conditione honesta de futuro, an requiratur nouus consensus conditione purgata.p.184.n.26.
Professio tacita inducitur ne ex vsu & exercitio actuum Professorum.ibid.n.30.
Vt actus Professorum exercitatio inducat Professionem tacitam, requiriturne triduana saltem in eo perseuerantia.p.185.n.33.
An Professio valeat emissa à seruo sine domini consensu.p.186.n.41.
Qui sine coniugis licentia professionem omisit, an possit coniuge non petente Religionem propria authoritate deserere. ibidem. n.45.
Ad professionis inualidæ ratificationem, an sit nouitiatus repetendus.p.189.n.64.
Quinquennium intra quod licitum est Religioso ex nullitate Professionis reclamare, an computetur à die Professionis. pagina 190. n.68.
Si quis certò dignoscat suam Professionem esse nullam, nec ratificasse, peccatne lethaliter, habitum dimittens, & fugiens absque superioris,& Ordinarij licentia. ibid.num.72.
Ad Votorum commutationem quæ sit virtute Professionis,opusne est speciali vouentis voluntate.p.191.n.80.
Professis habentibus descendentes legitimos licitum eum sit bona inter eos dividere,talis divisio habetne testamenti rationem.p.199.numer.138.
Patre Professo debeturne statim filiis legitima, licet professus adsit in ordine successionis capaci.ibid.n.142.
Professio, Vide verb. *Religio, Religiosus.*

R

Referens.

REferentis obligationes quæ p.249.n.63.

Regularis.

Regularis potestne sine dispensatione eligi ad præfecturam Ecclesiæ Collegiatæ, quæ animarum curam non habet.p.44.n.62.

Religio, Religiosus.

Religiosus indigetne Prælati licentia ad acceptationem summi Pontificatus.p.45. num.69.
Religionis status quis.p.121.n.1.
Ad Religionis essentiam non requiruntur vota solemnia.p.122.n.2.
Quinam sint ex Ordinibus militaribus & Tertiariis veri Religiosi.ibid.n.3
Non sunt Religiosi qui castitatis ac paupertatis voto edito, Confessario vouent obedientiam.ibid.n.4.
Religiosus ad Cardinalatum, vel Episcopatum electus quis.ibid.n.6.
Religiosus ad Parochiam promotus quis. ibidem.n.7.
Religionem possunt ingredi solum ij, qui sui iuris. ibid.n.8.
Quinam non possint Religionem pro libito ingredi.ibid.n.9.
Quot conditiones admittantur ad ingressum Religionis necessarium.ibid.n.10.
Quinam possint ad Religionem laxiorem transire.p.123.n.11.
Quot causæ, ob quas quis possit à Religione expelli annumerentur.ibid.n.12.
Professus electus manet Religiosus.ibidem numero 13.
Nec est omnino ab obedientiæ voto solutus. ibid.n.14.
Tutus in sæculo manet, si in monasterium non recipiatur reuerti curans.ibid.n.15.
Ad Religionis essentiam quid requiratur.p.125. num.33.
An ad Religionis essentiam votum castitatis debeat esse necessario absolutæ & omnimodæ castitatis.p.126.n.36.
Votum quis moriendi in Religione emittit, obligaturne quam primum possit illud complere.ibid.n.39.
Repulsus absolute à Religione quam quis vouit si postea ad ingressum invitetur,teneturne ingredi.p.127.n.43.
Teneturne quis cum ad Religionem admissi postulat,manifestare, se voto Religionis esse adstrictum, si credat ea manifestatione esse admittendum.ibid.n.46.
An Religionis voto faciat satis,qui Religionem quidem init, at iniuste eam deserit.ibidem num.50.
Peccatne venialiter, qui Religionem sine voto suscipiens,eam absque causa rationabili deserit.p.128.n.53.

ESCOBAR
Theol: Mor:
Tom: XVI. VII.
F. I. V
6

Index Rerum,

Si quis voto Religionis super addat votum in illa perseuerandi, anpiceat ei, eam nec ex ratiobili causa relinquere, valido & non valido voto. ibid.n.56.

De facto quoties votum perseuerandi in Religione quis emittit obligatusne est in ea perseuerare, etiamsi Religio ei incommoda, ac difficilis valde appareat.p.129.n.60.

Satisne facis Religionis voto, si in Episcopum eligatis.ib.d.n.66.

Voto Religionis ligatus Episcopatum acceptauit, vnde obligatus est petere a Pontifice renunciandi licentiam: teneturne votum quo arctatur, ei manifestare, si simpliciter petita non conceditur.p.130.n.70.

Vt Religionem ineat parochus, teneturne licentiam à suo Episcopo postulare.pag.131. num.78.

An in Trid. puellis prohibeatur habitum Religiosum suscipere ante pubertatis annos.ibidem.n.82.

Si vltra biennium vel triennium quis speret debitis satisfacturum, & antea absque graui difficultate, potestne Religionem ingredi.p.132.n.90.

Impediturne à Religionis ingressu nepos ob extremam aui necessitatem in sæculo succurrendam.p.133.n.94.

Conditiones Religionis in ingressu seruandæ: ibid.n.95.

Coniux qui ante matrimonium consummatum ad Religionem transit, potestne anno probationis non exacto professionem emittere. p. 134.n.108.

An ex priuilegio Iulij II. Religioni minorum concesso, possit nouitiatus ex duplici parte interpolatus compleri. pag.136. n.123.

Renunciatio, obligatio seu donatio interdicta à Trid. comprehenditne eos, qui ante Religionis ingressum eo intuitu de bonis suis disponunt.p.141.n.164.

Religiosus debetne in depositione habitus alium accipere, vt censeatur verè ac propriè habitum dimittere.pag.144.n.185.

Si quis habitu propriæ Religionis retento, sæcularem exterius induat, inciditne in excommunicationem.ibidem.n.188.

An à Monasterio egressus Religiosis interdicatur naturali iure. p.145.n.192.

An Religiosi possint admittere fœminas fundatrices in Monasteria.ibid.n.196.

Religiosus qui in Cathedrali Ecclesia dignitatem non habet, potestne esse Iudex conseruator.p.154.n.259.

Prohibitio, quam Religiosus habet, vt sit actor, vel reus quæ.ibid.n.260.

Quando Religiosus propriam causam defendit, si non habeat peculium, an sint exhibendæ à Monasterio expensæ. pagina. 155. num.263.

Licetne Religiosis in vna vel altera causa aduocare vel procurare in iudicio. ibidem n.267.

An si Religiosus constituator simplex nuncius, ad constituendum procuratorem, indigetne ad hoc superioris licentia.ibid.n.270.

An Religiosus sine superioris licentia possit permittere se testem scribi in aliquo instrumento, vel testem instrumentalem assignari,p.156. num.275.

Indicis officium à Religioso susceptum,ab ipsoque exercitum absque Prælati sui licentia, an sit nullum.ibid.n.278.

Religiosus sine Prælati facultate potestne valide aduocati & Procuratoris munus exercere. p.157.n.282.

An nullum sit officium Tabellionis à Religioso exercitum sine licentia superioris. ibidem. num.285.

Religiosi præstitum testimonium in indicio valetne sine superioris licétia.ibid.n.286.& 287.

Validane est acceptatio testamenti à Religioso facta sine superioris licentia.p.158.n.291

Potestne Religiosus ex commissione testatoris executores testamenti, seu testamentarios eligere absque superioris facultate.p.159.numer. 297.

Pauperum nominatio quibus eleemosyna in testamento assignata, impertienda sit,potestne fieri à Religioso sine facultate superioris.ibidem n.300.

Præcipit testator testamenti executoribus,vt Religiosorum consilium eoin munere sequantur,an à Religiosis petendi obligationem id consilium hi executores habeant. ibid. num. 303.

Religiosus testamentarius ex superioris facultate factus,potestne bona in pauperes distribuenda sibi applicare.p.160.n.306.

An Religiosis minoribus sit executo testamenti omnino interdicta, etiam ex Prælati facultate, si distributio facienda sit inter minores ipsos, aut D. Claræ Moniales. p. 160. n.310.

Pauperum electio,quibus pia legata sunt distribuenda an sit fratribus minoribus interdicta. p.161.n.314.

An liceat Religiosis Medici vel Chirurgi officium circa incisionem,vel adustionem exercere. ibid.n.318.

Religiosus vna aut altera vice negotiando delinquitne lethaliter.p.162.n.322.

An negotiatio per interpositam personam sit Religiosis prohibita sub lethali,& ideo ex ea debeatur gabella ibid.n.325.

An Religiosus ludens ex consuetudine recreationis gratia,& non principaliter ob lucrum, à lethali peccato excusetur.p.163.n.333.

Ludendi prohibitio Clericis, & Religiosis in sacris constitutis facta, an extendatur ad Religiosos laicos, seu conuersos. ibidem n.336.

An Religiosus possit gradu Doctoris,vel magistri in iure ciuili, vel medicina insigniri. ibid.n.340.

An Religiosi sint capaces suscipiendi tutelam legitimam ex Prælati licentia.p.164.nn.344.

Si Religioso superior permittat sepulturam eligere, num licita,ac valida sit electio. ibid. num.348.

Religiosus qui è Religione fugit animo diu extra commorandi estne Apostata. p.165. numer.357.

Censendusne est Apostata, qui à propria aufugit Religione, aliam, inualidè quidem, assumens. pagina 166. numero 360.

Religiosus professus potestne à Religione expelli.p.167.n.369.
Licetne Religiosum professum ex ordine expellere,si ipse expulsioni repugnet, & correctioni contentiat.p.168.n.372.
An vt quis iuste è Religione expellatur semper debeat necessario post trinam monitionem reincidisse.ibid.n.376.
Religiosus per sententiam definitiuam perpetuo à Religione expulsus, an teneatur ad eam redire.p.169.n.382.
A Religione expulsus eximiturne ab obedientiæ voto.p.170.n.390.
Religiosus assumptus ad Episcopatum,an omnia vota obseruare teneatur, eodem modo, ac ante assumptionem erat obligatus.p.171.num. 394
Religiosus in Episcopum assumptus, an teneatur Religionis Regulas obseruare. p. 172. n. 400.
Religiosus ad Parochialem Ecclesiam promotus, teneturne ad regulares obseruantias, & ad vota ex præscripto regulæ emissa. p. 174. n.416.
Num qui translatus est ad Ecclesiam regularem, vel sæcularem pleno iure Religioni non subiectam, exemptus sit ab habendi socium obligatione.ibid.n.420.
Num eo ipso quo Religio perfectior sit,si etiam strictior.p.175.n.424.
Licetne è Religione laxiori ad strictiorem transire conuersis,& oblatis.p.176.n.431.
Sufficitne vt quis ad strictiorem Religionem transeat, licentiam per litteras postulare.p. 177.n.435.
Ad transitum ex vno ordine ad alium in æque vel minus strictum, estne necessarius consensus Religiosorum monasterij.p.178.num. 445.
Transitus ex vno gradu ad alium in eadem Religione potestne fieri ex Prælati immediati monasterij consensu.ibid.n.449.
Pœnæ latæ contra Religiosos mendicantes trãslatos ad non mendicantem ordinem recoluntur.p.179.n.453.
Religiosus ad quid ex Paupertatis voto obligetur.p.181.n.12.
Quæ paupertatis voto non repugnent. ibidem num.13.
Religiosus quomodo contra paupertatis votum delinquat.p.182.n.14.
Religiosus in alium vsũ expendens,vel culpabiliter perdens, quæ ei data sunt ad vsum,peccat.ibid. num. 15.
Et aliquid abscondens, vt Prælati dispositioni subducat.ibid.n.16.
Et in prauos vsus expendens, etiamsi à Prælato licentiam acceperit.ibid.n.17.
Religiosus ad quid è Castitatis voto teneatur. ibid.n.18.
Quæ iuuent ad hoc votum seruandũ. ibid.n.19.
Religiosus ex obedientiæ voto ad plura tenetur.183.n.20.
Religiosus obedire non tenetur, quando præceptum in falsa præsũptione fundatur.ibid.n.21.
Qui Religionem ingressurus in re aliqua graui accidentali decepit,potestne expelli post emissam professionem.p.185.n.37.
In necessitate graui teneturne Religiosus parenti succurrere, etiamsi opus sit? habitum deserere.p.187.n.25.
An Generalis, vel Prouincialis Religionis ita possit facultatem inferiori traditam ad acceptandam professionem ita restringere,vt eo inconsulto irrita sit receptio.pag. 188.n.54.& 55.
Religio potestne compellere Religiosum qui tentauit professionis nullitatem, nec probauit vt eam ratificet.ibid.n.60.
Religiosis illegitimis conceditur posse vlla beneficia Ecclesiastica habere cum irregularitas,ex defectu natalium ob professionem auferatur.p.191.n.84.
Illegitime natus, & sine dispensatione ordinatus si Religionem ingrediatur,an possit in susceptis ordinibus ministrare.p.192. numero 87.
Si Religiosus lesus post vota biennij de facto via testamenti, donatione aut renunciatione de suis bonis inscio superiore disponat,an hæc dispositio illicita proculdubio, erit valida. p.194.n.99.& 100.
Religioso professionem emittente competitne vsusfructus bonorum illius monasterio.p.195. n.108.
An à Tridentini tempore interdictum sit Religiosis peculium.p.197.n.123.
Religiosus contrahens sine facultate superioris obligaturne naturaliter, licet non ciuiliter obligetur.p.200.n.146.
In contractibus temporalia respicientibus contrahens cum Religioso, an sit obligatus stare contractui expectareque superioris consensum.ibid.n.149.
Religiosus teneturne soluere mutuum male cõsumptam.p.201.n.153.
Cum Religiosus ex vno ordine in alium trãsit, secundus ordo hæreditatem, quæ delata fuit Religioso illi eo tempore, quo in primo morabatur,& prima Religio non adiit potestne adire ibid.n.157.
Bona delata priori Religioni in consequentiam personæ Religiosus translatus in alium,potestne in eam deferre.p.202.n.161.
Bona quæ ex liberali donatione quis detulit Religioni priori,translatus in alium secumne transfert ordinem.ibid.n.164.
Religiosus absolute seu in perpetuum è Religione expulsus sibi non acquirens, an possit bona administrare.p.203.n.168.
An Religiosus possit delinquere aduersus Iustitiam, quin peccet aduersus paupertatis votum.p.204.n.178.
Vt Religiosus à transgressione voti paupertatis liberetur,debetne necessario licentiam à superiore absque iustitia collatam habere.pag. 205.n.186.
An vt Religiosus votum paupertatis non trãsgrediatur, sufficitne præsumpta superioris licentia.p.206.n.190.
Sufficit probabilis cognitio voluntatis superioris futuræ circa licentiam impertiendam, vt præsumptio illius liberet Religiosum à piaculo propietatis. pagina 206. numero 193.
An Religiosus sit in peccato lethali ex consuetudine violans regulas sub mortali non obligantes.p.207.n.201.

E.SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: XVI. VII.
F. I. V
6

Religiosus ex vi professionis factæ ante regulæ reformationem, teneturne eam reformatam obseruare.p.208.n.208.
Religiosi ob delicta ad perpetuum carcerem, vel ad triremes damnati possuntne aufugere.pagina.209.n.21.
Religiosus damnatus iuste ad triremes potestne ab eis licitè licitè fugere. p.288.num. 386.387.388. vbi 389. Authoris placitum affertur.ibid.

Res Sacræ.

Res Sacræ per annexionem quænam dicantur. pag.101.n.20.

Residentia.

Residentia, Vide verb. *Beneficium, Beneficiatus.*

Resignatio.

Resignatio quid sit.p.37.n.13.
Resignatio, Vide verb *Beneficium, Beneficiatus.*

Reus.

Reus sacerdotem Eucharistiam deferentem amplexans capi non potest p.2.n.6.
Quid si Rei ad monialium monasteria confugiant.p.3.n.10.
Reus læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis an ab immunitate Ecclesiastica excludatur.p.20.n.185.
Reum ab Ecclesia iniustè extrahens sæcularis iudex, teneturne ad damnorum restitutionem.p.24.num.234.
Reus fateri veritatem, cum iudex iuridice non interrogat, non tenetur.p.247.n.46.
Secus quando iuridicè interrogat, & id est Reo notum.ibid.n.47.
Non tenetur confessarius Reum cogere, qui veritatem in iudicio negauit dictum retractare.ibid.n.48.
Reus confessus non potest de sociis criminis examinari, nulla iudiciorum suspicione laborantibus.ibid.n.49.
Reus non peccat aperiendo testium crimina, si sit ea manifestatio ad propriam defensionem necessaria.ibid.n.50.
Reus non peccat negando crimen quod iuridicè probari nequit.ibid.n.51.
Quandonam tortura Reo adhiberi possit.ibidem.n.52.
Reus non tenetur obedire sententiæ falsa præsumptione aut probatione nitenti.ibid.n.53.
De fuga Rei è carcere.ibid.n.54.
Vt Reus obligetur ad respondendum debetne prius certificari de probatione contra ipsũ, ostensis ei meritis in processu, vel alio modo. p.280.n.316.
Quodlibet mendacium in iudicio à Reo prolatum estne peccatum.ibid.n.319.
Potestne Reo deferri calumniæ iuramentum, ei ostensa contra ipsum probatione.p.281.n.323.
Quoties Reus iuridice interrogatur, teneturne ipse rogatus contra se veritatem fateri.ibidem n.326.
Quando Reus dubitat de sententiæ iustitia potestne licitè appellare.p.284.n.349.& 350.
Quando sententia est iusta secundum allegata & probata, licet in veritate Reus sit innocens, an possit licitè resistere.p.285.n.363.
Reus timens mortis executionem an possit è carcere fugere.p.286.n.365.
Reus qui est in triremibus potestne inde fugam arripere oblata occasione.ibid.n.368.
Quando Reo licita est fuga, licetne etiam ei rumpere carcerem.ibid.n.371.
Reus effringens carcerem teneturne rupturam carceris reparare.p.287.n.375.
Reo qui potest licitè fugere, an possint alij, qui iustitiæ ministri non sint instrumenta ei ad fugam exhibere.p.289.n.393.
Reus, Vide verb. *Index, Iudicium.*

S

Sacrilegium.

Sacrilegium quandonam committatur contra loci sacri immunitatem.p.3.n.17.
Sacrilegi sunt immunitatis Ecclesiæ violatores.ibid.
Extrahens delinquentem è loco sacro peccat crimine sacrilegij, & iniustitiæ. p.4.n.18.
Sacrilegia si occulte fiant suntne actiones, quibus Ecclesia polluatur.p.5.n.28.
Suntne sacrilegia homicidium, vulneratio, aut seminis effusio, si in templo fiant, independenter ab Ecclesiæ prohibitione.p.5.n.31.
Sacrilego denegaturne templorum immunitas. p.22.n.201.

Scholasticus.

Scholasticorum obligationes quæ?p.345.n.7.

Secretarius.

Secretarij obligationes *quæ?p.249.n.64.*

Senator.

Senatorum obligationes quæ? p.345.n.9.
Senatus scribæ ad quæ teneantur.ibid.n.10.

Sententia.

Sententia, Vide verb. *Index, Iudicium.*

Simonia.

Simonia quid.p.98.n.1.
Simonia quotuplex admittatur.ibid.
Simonia iure diuino prohibita.ibid.n.2
Simoniæ malitia, grauis, quæ in foro exteriori aliquando potest esse lenis.ibid.n.3.
Simonia datur iure humano prohibita.p.99.n.4
Simoniæ diuisio.ibid.n.5.
Simonia mentalis quæ?ibid.
Simonia conuentionalis quæ?ibid.
Simonia realis quæ item dicatur.ibid.
Simoniacum pretium quotuplex.ibid.n.6.
Simoniæ materia quæ?ibid.n.9.
Simonia est, pretium dare aut exigere pro re sepulturæ.ibid.n.10.
Et pro Sacramentalibus recipere pretium. pag. 100.n.10.
Et pro ordine suscipiendo.ibid.n.11.
Et pro spiritualibus functionibus. ibid.n.12.
Et pro iurisdictionis Ecclesiasticæ actibus. ibid. num.13.
Secus pro materia remota Sacramenti. ibid. num.14.
Et pro venditione materiæ rerum Sacrarum. ibid.n.15.
pro doctrina Theologiæ naturalis. ibidem num.16.

At pro licentia ad docendum Theologiam.ibid. num.17.
Et pro sustentatione personæ religiosæ. ibidem num.18.
Et pro actus spiritualis omissione.ibid.n.19.
Spirituali annexum ratione connexionis est simoniæ materia.p.101.n.21.
Beneficium quoad ius spirituale in ipso inclusum,est materiæ simonia.ibid.n.22.
Quandonam simonia committatur in resignatione beneficij.ibid.n.26.
A Simoniæ labe excusantes quot annumerentur tituli.p.102.n.28.29.30.31.32.& 33.
Sola simonia in ordine.Beneficio,& Religionis ingressu pœnas incurrit.ibid.n.34.
Simoniæ realis in ordinibus multæ sunt pœnæ. ibid.n.35.
Simoniæ pœnæ in ordine ad collationem,vel receptionem beneficij.p.103.n.36.
Pœnæ simonia circa Religionis ingressum. ibidem n.37.
Simonia confidentalis quid sit.ibid.n.38.
Simonia confidentialis quibus pœnis afficiatur. ibidem.
Obligatio restituendi ea, quæ Simoniacè accipiuntur quæ.ibid.n.39.& p.104.n.40.& 41.
An Simonia sit crimen contra iustitiam. ibid. n.44.
An incurrat Simoniam constituens ex bonis propriis alicui ordinando titulum, recipiensque ab illa promissione de nihil postulando ad sustentationem.p.105.n.48.
Sufficitne ad contractum simoniæ constituendum si spirituale principaliter detur ob munera,& obsequia temporalia propter spirituale consequendum impertiantur. ibid.nu.52.
Estne prohibita sub simoniæ specie aliqua donatio gratuita vel onerosa temporalis pro spirituali iure Ecclesiastico.p.106.n.55.
Gratuita donatio temporalis pro spirituali estne prohibita vt simoniaca in decreto Trid. ibid. num.58.
Committiturne Simonia, si quis promittens dare spirituale pro temporali non habeat implendi intentionem.p.107.p.62.
Potestne quis sine Simoniæ piaculo pretium offerre pro Sacramenti administratione. p. 107.n.69.
An sit Simonia vendere Sacramentalia permanentia.p.108.n.73.
Potestne sine Simoniæ labe pro Ecclesiastica sepultura pretium recipi.ibid.n.76.
An pro cuiusuis virtutis exercitio clerici obligati committant Simoniam, si stipendium non debitum exigant.p.109.n.80.
Estne Simonia exigere pecuniam ab ingredientibus Religionem pro ingressu etiamsi ad sustentationem eorum exigatur.p.109.n.83.
An sit Simonia pro officio docendi Theologiam pretium dare,vel recipere. p.110.n.87.
Estne simonia pro casuum conscientiæ responsione pretium accipere.ibid.n.90.
An pro labore operibus spiritualibus intime coniuncto.& ab illis inseparabili, possit sine Simoniæ labe pretium recipi.p.111.n.93.
Perpetratne Simoniæ crimen qui accepto pretio omittit denunciare peccatum, si ad id ex officio obligetur.ibid.n.97.
An sine Simona propria authoritate possit redimi pensio.p.112.n.104.
An ad beneficiorum permutationem sine Simoniæ piaculo faciendam, sufficiat inferioris Prælati approbatio.p.113.n.112.
An Simoniam contineat resignatio beneficij in manibus ordinarij facta.p.114.n.119.
Perpetratne Simoniam resignans libere beneficium in manibus ordinarij.ibid.n.122.
Si quis resignet beneficium cum intentione,vt resignatarius,iterum conferat resignantis nepoti, committitne simoniam conuentionalem.p.115.n.125.
Beneficium resignans,apposita conditione, vt sibi pensio soluatur, perpetratne Simoniæ confidentialis piaculum.ibid.n.128.
An possit quis sine Simonia pecuniâ redimere vexationem, casu quo vexatio sit precibus, vel muneribus electori factis,ne illum eligat. p.117.n.135.
Incurritne pœnas Simoniacis præscriptas recipiens rem spiritualē sub promissione pecuniæ soluendæ quam tamen non soluit.p.118.n.145.
An Episcopus possit dispensare cum Simoniaco occulto in inhabilitate propter Simoniam contracta. p.119.n.148.

Societas Iesu.

Ad Societatis Iesu ingressum quot admittantur impedimenta substantialia.p.211.n.1.2.3.4. & p.212.n.5.& 6.
Nonem accidentaria impedimenta adiiciuntur ex constitutionibus p.212.n.7.
Et duo addidit Congregatio generalis. ibidem num.8.
Nulla erit receptio illius qui aliquo ex his impedimētis affectus dispensatus nō fuerit.ibid.n.9.
Prouincialis in his dispensat,nonnullis exceptis ibid.n.10.
Nullus ante decimum quartum ætatis annum ad Societatis probationem admitti potest. ibid.n.11.
Duplex probationis annus Iesuitis præscribitur. p.213.n.12.
Potest R. P. Generalis ad vota biennij admittere socium non expleto biennio, sed non licitè.ibid.n.13.
Fit renunciato absolute & independenter à perseuerantia.ibid.n.14.
Quid si renunciatio fiat in fauorem Societatis. ibid.n.15.
Quid si facta sit extra constitutionum normam. ibid.n.16.
Non habet locum prohibitio. Tridentini in Iesuitæ renunciatione.ibid.n.17.
Facta renunciatione in Societatis fauorem, potest Societas ea bona capere ac retinere. ibid. num.18.
Votis simplicibus annexa ingrediendi Societatem promissio votum est.p.214.n.19.
Huius voti materia quæ?p.214.n.20.
Quoties superior designat absolutè gradum ex vi voti illius teneris acceptare.ibid.n.21.
Obligatio specialis curæ in puerorū eruditione professis ac Coadiutoribus annexa. ibidem n.22.23.& 24.
Professi quatuor votorum qui. ibidem n. 25.
Huius quarti voti materia quæ? p.215.n. 27.
Votum hocce quartum solemne dicitur. ibid. num.26.
Quando iub graui culpa teneatur professus

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: VI. VII.
E. IV
6

quatuor votorum obedire circa missiones. ibidem n. 28.
Obligatio Professi quatuor aut trium votorum circa paupertatem non relaxandam quæ. ibid. n. 29.
Huius voti materia quæ. ibid. n. 30.
Transgressionis huiusce voti gravitas quæ. ibid. num. 31.
Votum secundum, quod Professi in Societate emittunt quod. p. 216. n. 32.
Huius voti materia. ibid. n. 33.
Quid nomine dignitatis aut prælationis in Societate intelligatur. ibid. n. 34. & 38.
Huius voti pœnæ transgressoribus præscriptæ quæ. ibid. n. 35.
Tertium Votum post Professionem emissum quod. ibid. n. 36.
Voti huiusce materia quæ. ibid. n. 37.
Nulla specialis pœna delinquentibus contra hoc votum præscribitur. ibid. n. 39.
Quartum votum simplex quod. ibid. n. 40.
Voti quarti materia quæ. p. 217. à n. 41. ad n. 46.
Votum quintum a Professo emissum quod. ibid. n. 47.
Quotuplex huius voti materia admittatur. ibid. n. 48.
Quotuplex genus Religiosorum Societatis circa dimissionem. ibid. n. 50.
Ad quot capita reducantur causæ, quibus Societas suos Religiosos non professos valeat dimittere. p. 124. n. 51.
Dimissio nulla est, si causis fictis obtineatur, vel ex veris ea intentione petatis. ibid. n. 55.
Qui sic dimissionem impetravit tenetur ad Religionem redire procurare. ibid. n. 56.
Si magna quis instantia dimissionem extorqueat, valida erit dimissio, at ille graviter delinquet. ibid. n. 57.
Societatis privilegia circa eos, qui ad alios ordines transferri curant veniunt recensenda. ibid. n. 58.
Pontifex non interdixit Iesuitis in aliam Religionem transitum, sed ne fiat sine licentia. ibid. n. 59.
Si propositum quis mutet, vel à Religione, quā inire curat, non recipiatur, tenetur ad Societatem regredi. ibid. n. 60.
Societas eum debet redeuntem recipere, si in alio ordine professus non fuit. ibid. n. 61.
In nulla Religione potest recipi animo extra claustra diu manendi. ibid. n. 62.
Qui solum vota biennij emisit quorumnam sit capax. p. 220. n. 63.
Domus professa incapax est habendi bona stabilia, præter vineam vel hortum ad recreationem. ibid. n. 64.
Si aliquid stabile domui professæ relinquatur, debet illico vendi. ibid. n. 65.
Qualiter interdictum sit Iesuitis ad eleemosynas domus professæ fideles excitare. ibidem n. 68.
Iesuitis interdictum est pro missis, concionibus, &c. stipendium accipere. ibid. n. 69.
Qualis sit hæc obligatio. ibid. n. 70.
Si pecunia detur pro requisitis ad ministeria exequenda potest recipi. p. 221. n. 71.
Potest in societate professio ratificari. ibidem num. 73.
Et locus datur reclamationi circa professionem invalidam. ibidem numero 74.
De habitus temeraria depositione, vbi de Iesuitis alieno habitu ad infideles pergentibus. ibid. n. 75.
Privilegium Iulij III. latum in Societatis favorem ad graduum receptionem. pag. 222. n. 76.
Generalis Præpositi licentia requiritur ad graduum receptionem. ibid. n. 77.
Quot conditiones ad gradus recipendos in externa vniversitate requirantur. ibid. n. 78. 79. 80. 81. 82. & p. 223. n. 83.
Vt abnegatio fidei à Societatis excludat ingressu, debetne esse publica. p. 223. n. 86.
Quis per sententiam declaratus fuit hæresis suspectus, cum tamen vere in errores non incideris, eitne à Societatis ingressu exclusus. ibid. n. 89.
Casuale homicidium an sufficiat, vt quis à Societatis ingressu excludatur. p. 224. n. 93.
Constitutio prohibens homicidæ Societatis ingressum, an sit intelligenda solum de publico homicidio. ibid. n. 96.
Valetne receptio illius qui in quatuordecim annorum completorum ætate receptus est. pag. 225. n. 100.
Societatis novitij possuntne valide condere testamentum. p. 226. n. 110.
Multa de Societate Iesu à p. 223. ad 240.

Sors.

Sortes habentne locum in electione præbendæ affectæ, quando oppositores partes habent vota p. 63. n. 230.

Supplicare.

Supplicare inter & *appellare quid* discriminis intercedat. p. 284. n. 348.

T

Tabellio.

TAbellionis obligationes quæ. p. 249. n. 65.
Tabelliones qui vt habeant lucrandi occasionem, accusant vel denunciant in iudicio crimen aliquod occultum, peccantne graviter cum restituendi obligatione. pag. 272 num. 251.

Templum.

Templum polluiturne per copulam coniugalem p. 4. n. 25.
Templum, Vide verb. *Immunitas Ecclesiastica.*

Tempus.

Tempus longum quodnam dicatur. p. 27. n. 2.

Tergiversatio.

Tergiversatio in accusatione est cauenda. pag. 245. num. 31.

Testis.

Quot Testes requirantur, vt aliquis condemnetur.

tur.p.245.numero 35.
Quot personarum genera iure prohibeantur Testes fieri.ibid.n.36.
Testes priuilegiati non tenentur ex vi monitorij sui communicti crimen reuelare. ibidem num.37.
Quæ requirantur in Testibus,vt planè probare dicantur.p.246.n.38.
De Testium discordia circa depositionem.ibidem.n.40.
Quibus in casibus non teneatur veritatem aperire.ibid.n.41.
Quandonam quis teneatur se offerre ad testimonium ferendum. ibidem numero 42.
Testificari falsum qualenam sit peccatum.ibid. n.43.
Restitutio à falso Teste gerenda qualis. ibid. n.44.
Estne grauis obligatio ex charitate te offerendi in Testem etiamsi proximus indigens testimonio tuo extrema necessitate non laboret.p.276.n.287.
Quando Testes negatiuè se habet celando aut non aperiendo veritatem , & ea de causa aliquis iniuste læditur ab aduersario peccatne contra iustitiam eum onere restitutionis.p.277.n.291.
Cum crimen est publicum , & delinquens est occultus , Testis debetne eum iudici manifestare ex inquisitione præcedenti. pag. 278.n.298.
An liceat Testi pro vero testimonio ferendo aliquid accipere.p.279.n.306.
Testis qui ob ignorantiam testificatus est bona fide falsum teneturne ex iustitia , sed solum ex charitate suum testimonium rectificare.ibid.n.310.
Si Testis iuris ordinem seruauit, & debito modo contra reum testatus est veritatem , potestne reus adhuc ad tollendam ei fidem eius crimina detegere.p.283.n.340.

Testamentum.

Testamentarius ad quid obligetur. pagina 346.n.12.
Testamentum , Vide verb.*Religio* , *Religiosus*.

Theologia.

Theologiæ functiones quot admittantur.pag. 109.n.84.

Togati.

Togatorum obligationes quæ.p.344.n.6.

Tonsor.

Tonsores ad quid teneantur. pagina 347. numero 19.

Tributum.

Tributum quid.p.295.n.1.
Tributum personale,& reale quid.ibid.num.3.
Qui in suis terris nulli subsunt superiori possunt Tributa imponere.ibid.n.4.
Non id possunt inferiores. ibidem numero 5.
Qui Tributa illegitime imponunt incurrunt excommunicationem. ibid.n.6.
Veiuste Tributa imponantur quot requirantur.ibid.n.7.& p.296.n.8.&9.
Tributum non est imponendum super rebus quæ ad vsum necessarium , venduntur vel emuntur.p.296.n.10.
Quibus in casibus talia Tributa possint imponi.ibid.n.11.
Circa Tributorum exactionem,locorum est seruandus mos.ibid.n.13.
Non debet Tributum qui ad grauis necessitatis suæ leuamen rem aliquam vendit.ibid.nu.14.
Tributa non debentur quando causa,ob quam fuere imposita , cessauit.ibd.n.15.
Tributum non debet , qui emit ab eo quem scit illud fraudasse.ibid.n.16.
Tributa imponendi potestas competitne ex natura rei solis Principibus supremis.p.298.n.24
Consuetudine potestne acquiri ius noua Tributa imponendi.p.298.n.30.
Tributa soluendi estne obligatio in conscientia. p.303.n.65.
Quando princeps non præstat ea , ad quæ Tributum impositum ac concessum fuit , subditi tenenturne soluere. papina 305. numero 79.
Printeps non præstans ea, ad quæ Tributum concessum fuit,an teneatur illud restituere. ibid.n.82.
Dubium negatiuum de iustitia Tributi an ab eo soluendo excuset. pagina 308. numero 011
An possit princeps à Tributis soluendis exemptionem vendere.p.309.n.119.& 120.
Quando contractus sit per procuratorem debeturne Tributum , vbi procurator contrahit.p.316.n.182.
Immunitas à solutione Tributorum proueniteine Ecclesiasticis etiam à iure diuino complete ac proxime.p.320.n.215.
De Tributis plura à p.298.ad 330.

Tutor.

Tutor ad quid teneatur.p.346.n.11.

Typographus.

Typographi obligationes quot admittantur. p. 349.n.28.

V

Vectigal.

VEctigal quid.p.295.n.1.
Vectigal, Vide verb.*Tributum*.

Venditio

E. SCOBAR
Theol: Mor.
Tom: VI. VII.
F. IV
6

Index Rerum, & Verborum.

Venditio.

Venditio rerum Ecclesiasticarum est prohibita. p. 28. n. 14.
Venditio actuum ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinentium quæ. p. 111. n. 97.
Venditio beneficij qua parte est ius fructus obtinendi, an sit iure diuino prohibita. pag. 112. num. 101.

Vicarius.

Vicarius, Vide verb. *Beneficium, Beneficiatus.*

Votum.

Voti solemnis castitatis differentia à Voto simplici, an sit necessario in confessione exprimenda. p. 193. num. 97.
Votum, Vide verb. *Religio, Religiosus, Societas Iesu.*


FINIS.

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: V. VI. VII.
F. IV
6

E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom: V. VI. VII.
F. IV
6




ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. V. VI. VII.
Th
862a


Theol: Mor.
Tom: VI. VII.
E. IV.
6